

0  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29


7 409 40

**CANAL**

MADE IN SPAIN

*Dei Conspectus et Conspectus*

**MVNISSA  
DE PROVIDENTIA DEI  
DE FIDE DIVINA,  
ET DE BAPTISMO.**



R. 1237

R. P.

# THOMAE MVNISSA,

ALACONENSIS,

ESOCIETATE IESV,

OLIM IN COLLEGIO BARCINONENSI PRIMARIJ  
Theologiae Professoris, eiusdemque Rectoris; postmodum Aragoniae Provincialis;  
Sanctae Inquisitionis Hispanae Qualificatoris; necnon pro Dioecesi  
Barcinonensi, & Archidioecesi Caesaraugustanae Exami-  
natoris Synodalis, &c.



## DISPUTATIONES SCHOLASTICAE DE PROVIDENTIA DEI, DE FIDE DIVINA, ET DE BAPTISMO. OPVS POSTHVMVM.

Anno



1700.



CAESARAUGVSTAE.

Ex Typographia DOMINICI GASCON, Regij, & Generalis Nosocomij  
B. V. Mariae de Gratia Typographi.

ILLVSTRISSIMO,ET REVERENDISSIMO  
D.D. BERNARDOMATHÆO  
SANCHEZ DEL CASTELLAR,  
EPISCOPO TVRIASONENSI,  
CATHOLIÆ MAIESTATI A CONSILIIIS, &c.



IN Tuum audacter, an magis confidenter advolat Sinum, postquam comiter, an potiùs reverenter Tuos exosculatus est pedes, Illustrissime Præsul, duplex in vno Volumine Liber; neque à Tuo se sinu excutiendum pertimet, qui Parentem suum, tametsi è vivis exulem, intra tua adhuc præcordia nunc, & olim immorari, quin etiam reviviscere præsentiscit. Nescio, an Amans Amanti gratiam aliquando gratiorem referre valeat, quàm si Alter Alteri maximam Voluntatem maximo vicissim Intellectu remetiatur. Nihil sanè iucundius, quàm reciprocus amor, qui partus est potior amicitiae: nihil pretiosius, quàm disertus liber, qui partus est nobilior Ingenii. Tuam erga se maximam benevolentiam rependit Author geminato libro, quasi altero amorem, altero excessum remetiretur. Alter de Providentia Dei in Hominem, Alter de Fide Hominis in Deum differit: & duobus hisce nominibus, tuo Nomini consecratur. Mirabilem Dei erga Te, & tua, & Tuos providentiam de prædicare Te idemtidem, probè scio: & religiosam erga Deum Fidem in Te nos omnes demirari, solus profectò ignoras.

Explicare prorsus iam lubet finem potissimum, ob quem Liber tuum sibi patrocinium exambit. Quoniam edendus abit in lucem, Stellam in Te auspiciem optat; & Episcopum sibi præfigit Horoscopum, ut sacro quodam sydere suam perenniter editionem fortunet. *Septem Stellæ, Angeli sunt septem Ecclesiarum*, in limine Apocalypseos. Omnis ergo Episcopus, ut suam quasi Angelus Ecclesiam regat, quasi Stella resplendeat, necesse est. Stellam Te fulgentissimam appello; & unam dubio procul ex Stellis septem, quas in dextera sua evibrat Christus Dominus; dum *vox illius tanquam vox aquarum multarum* personat, & *de ore eius gladius utraque parte acutus* prominet; & *facies eius sicut Sol lucet in virtute sua*. Quoniam & nitidiorem conversus in Stellam, insolita quadam diadematis specie, regiam Christi dexteram coronas; ille vicissim Tibi Vocem, Os, & Faciem quodammodo mutuatur. Vox proinde tua, instar *aquarum multarum*, torrentissimo quodam agitata spiritu, trahit  
ad

ad Te innumeros Auditores, & ex Te vix difficulter ad Christum pertraxit. Vocis pompam animat seria cæterorum gestuum harmonia; usque adeo ut Te aliquando pronunciantem excipiens, Surdus, & Cæcus; ille oculis pariter ac iste auribus intelligeret. Os verè aureum, Tibi cælitus compactum est; quod Natura instruxit, Ars expolivit; & utramque Gratia superpinxit. Sic perpolitus sermo tuus intonuit *vivus, & efficax, & ancipiti gladio penetrabilior*; ut in morem trifulci fulminis, alios ictu feriret, alios tonitru percieret; hos fulguriante suadâ suspenderet, illos ignescente spiritu immutaret.

*Facies demum tua, sicut Sol in virtute sua*, serenior usque illucescit: neque enim torvitate frontis, aut supercilii severitate; neque oris boatu, aut maiestate vultûs, alienam in Te reverentiam aucuparis. Divinatrix tamen Natura, quæ ab ortu Te tuo in maiora destinavit fastigia, Imperatoriam profus in amplo totius corporis statu speciem elaboravit; ut quibus animo præcelluisses, ipso etiam corpore superemineres. Nihilominus *Facies, sicut Sol in virtute sua*, se tantummodo spectabilem exhibet: tantus enim, sive in verbo, sive in actione, virtutum splendor intermicat, ut intendentes in Te oculos tacito quodam pavore præstringens, in reverentem, manifestamque Tui constringat venerationem. Hanc omnem nostram de Te sublimem opinionem, quam tot, tantisque circuitibus vix satis explicare possumus, unâ & brevi, & gravi periochâ complectitur elegantissimus Paulinus in Epist. 27. ad Victorem: *Te Altissimus inter Regni sui Maximos nominavit, cui concessit factis æquare sermonem: ut & doctrina Tibi vitæ tuæ sit, & vitæ doctrinæ: quod fit, ut nemo se audeat excusare Discipulus, aut Subditus, velut difficultatis imperio; cum prius astringatur virtutis exemplo.* Hisce inclarescens radiis, uti splendidior Stella, Christi dexteram ornas.

Stellam Te rursus appellamus, & unam ex agmine Stellarum, quæ *manentes in ordine, & cursu suo*, victoriam sibi gloriosiore pepererunt. (Iudicum 5.) In ordine, & cursu tuo manens, quin ad altiorem honoris gradum ambitiosus incumberes, superiorem de Te, de Ambitu, & de Honore ipso nactus es triumphum. Nulla in te venit Dignitas, quæ inopinanti Tibi non obvenerit. Neque navim mercibus onustam commovent blandiora quæque lenocinia ventorum: neque hominem meritis exuberantem percellit eò lævior, quò suavior aura ambitionis. A Collegio Complutensi, ubi Sapientiæ thesaurum accumulabas, vocatus es in Thesaurarium Ecclesiæ Turolensis; unde postmodum, his, & aliis certatim ambientibus hinc inde Te Dignitatibus, in altius semper fastigium prætervectus es; sed inopinans semper, sed plerunque vix conficius, sed quandoque invitus.

Cum primùm Iaccensis Infula, quam iussu Præregis, à Rege ipso, non quidem Tibi, sed alteri, enixissimè sollicitaveras, in tuum tandem caput insperatò devoluta esset; isthoc nuncio, quasi de cælo, percussus, in

late-

latebras accurristi statim; ubi etiam nunc, ut putamus, delitesceres; nisi peramicus nescio quis proditor in lucem te publicam prodidisset. In Iaccensiditione tutò conquiescens, rupes inter obduratus, & brumâs hilariter degens, præter opinionem tuam compellatus es ad Insulam Turiasonensem, in hisce Provinciis desideratissimam. Occupat illa, & intra se colligit opimas, & plures vrbes Castellæ, Navarra, & Aragoniæ; quibus, vel sacer uti Ianus, triforme illud Prudentiæ, aut Providentiæ Numen, quaquaversum prospicis; vel tricorpor uti Gerion, triplicem intra te animam induens, irrequieto motu, indefide cura, & regimine nimis actuosio moderaris.

Stellam Te idem idem ingeminamus, illam mehercle *Matutinam* (Ecclesiast. 30.) *quæ in medio nebula*, radiis illustrioribus coruscavit. Noctem sibi inimicam, mitissimo fulgore suo, Aurora dissipat, sed illustrat; percellit, sed irradiat; fugat, sed in diem vertit. Homines quomodolibet inimicantes Tibi, sive famæ iniurios, sive vitæ infidiosos, sive in os, aut à tergo allatantes, oneras quidem, sed beneficiis; provocas, sed in amorem; ita demum percutis; ut percutias foedus cum ipsis amicissimam. Vox effervescentis adhuc sanguinis Fratris tui clamat in cælum de Terra. *Ecquid inelamat? Non tam ut de sua nece, quam ut tua de mansuetudine, obtineat divinam retributionem.* Ut primùm iam olim fraternæ cædis infandus rumor aurem, an magis cor percussit; citius ac ipsemet homicida, in Ecclesiæ asylum convolasti; ubi ante aram Dei paræ provolutus, nec Te, nec Tuos tam immanem iniuriam vltum ire pollicitus es. Vita Fratris erat summum Tibi delictum; quin etiam Tuis erat maximum Fortunæ suæ, imò & Fortunatarum colamen. Verùm enim verò, delictis, divitiisque postpositis, serid, ac severè fuit à Te indictum universæ Familiæ; ne unquam aliquis tuum se Consanguineum iactitaret, si sanguine sanguinem vlcisceretur. Ferunt, unam vel unicam ex tam præclaris actionibus subindicare Hominem in Terris Heroem, in Cælis Indigentem. Illud simulare non possum; hanc Actionem, Te iudice, fuisse firmum axem, in quo totius, ut aiunt, Fortunæ tuæ cursus, ocyssimè simul, ac felicissimè raperetur.

Stellam Te illam ex Iacob ortam reveremur (Num. 24.) quæ lucidissimam Mariæ obumbrationem antiquitus adumbravit. In Iacobæa Ecclesia Cæsar-Augustana, dibapham & Canonici, & Prioris nobilitasti purputam; cui multum splendoris attulerit vicinior ille aspectus Mariani Syderis, quod inibi Columnæ, quasi Polo insidet suo. Columna illa Parthenica suum te adhuc Herculem commemorat; ut alterum inter Clientes suos Non Plus, Ultra, quam Te, æquo iure concelebrat.

Stellam Te denique suspicimus, unam omnino ex Stellis *in perpetuas æternitates* coruscantibus; (Dan. 12.) quibus, eodem teste, quotquot *ad iustitiam erudiunt multos*, non adumbrantur modò, sed elucidantur. Ut ad iustitiam erudires multos, etiam si longissima vitæ tuæ remetiatis spatia, totus quantus es

na-

natus; cum adolescentior, tum senior, omnibus omnia factus, in eruditionem iustitiæ multus incubuisti. Voces sibi invicem respondent, & Mores. Iustitia in Te distributiva usque adeo incorrupta est, ut nec levissimo vocalium intercessorum halitu afflari se sinat. Non est opus Interlocutor, ut è plebe quipiã Te familiariter conveniat; non Patronus, ut defertã etiam causã suam pro se ius unusquisque dicat: non ullus Interpellator, ut vel meritum suum commendet, vel præmium exoret. Siquis causam suam naufragantem malit, admoveat nubem Intercessorum. Suspecta; Tibi esse solet Candidatorum facies, quæ pigmentis, sapius figmentis, commendatitiis venustatur. Nullus credis, posseditur consistere culmen Dignitatis, quæ suppositis, ne dicam supposititiis, Intercessionum fulcris sustineatur.

Iustitiam quoque, non liberalitatem, æstimas in Episcopo, Misericordiam in Pauperes. Non quasi Tua conferens, sed quasi sua referens, bona cuncta largiris. Quam opimum, atque opulentum est Ecclesiæ tuæ patrimonium; vix exaturare, sit satis tuam verè sacram auribus, & argenti inter pauperculos dispendendi famem. Ad erogandum manus tuæ largissimæ panduntur amplius, quàm ora hiulca famelicorum ad rogandum. Quis aureum guttuli, & manus aureas præfers, ne monstrum, sed prodigiũ appareas; dum in Te renascitur uterque ille Ioannes, alter Chrylostomus, alter Eleemosynarius. Duo speciatim genera Egenorum plenissimo tuæ Charitatis alveo irrigantur. Alterum est eorum, quos ingenuus pudor, presso ore, dolore compresso, tacito, at intimiore animi sensu, sub paupertatis onere cogit ingemiscere; usque adeo ut subsidium vitæ videatur operosius vitæ ipsius dispendio. Istitis largiter opitularis, statis suis temporibus; ea præfixa lege, ut non annuum modò, sed hebdomadariũ Eleemosynæ satis, superque opimæ censum exolvat: atque taciturnos Pauperes alis, & foves auxilio taciturnissimo, ut nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. Lucis publicæ rædet magis, ac magis; Te, ut tribuas, quàm illos, ut accipiant. Sua illos verecundia segniùs, quàm tua Te humilitas, inter latebras ire, & circumire compellit. Alterum genus est egentium Monialium, quarum Cœnobia quamplurima, iuri tuo subdita, æquè ab Imperiis, ac ab Eleemosynis tuis pendent. O mirum Eleemosynæ ingenium? Quod Pauperes in re, commutaverit in Pauperes ex voto: & desidiosã propulsã paupertate, paupertatem stabilierit Religiosam. Quid unam tantum paupertatem edisseram? Castimoniam, Obedientiã, & omnigenam Religionis observantiam, ingeniosa isthæc Eleemosyna, non ita Corporum, uti Animorum alitrix, alit, fovet, & nutrit. Hæc insuper religiosa septa, quibus diligentius excolendis in hanc regionem coelitus illapsus abs dubio mihi videris, quasi quædam cœlestia topiaria, hinc albicantibus castimonie liliis, illinc purpureis charitatis rosis, tum heliotropiis perpetuæ in cœlum contemplationis, tum myrrha mixtim, & nardo vivificæ mortificationis, cum denique versicolore

vir-

virtutum ita pulcherrimarum varietate efflorescunt; ut iuxta omnes ultro, citroque fines, pro victrice usque ad finem perseverantia, palmæ invicem & laurus affurgant. Postquam tuo sub cœlo vigent, mirabili oppidò vicissitudine, nunc rigoris æstu, nunc imbre clementiæ temperantur; & vel hortos conclusos, vel fontes signatos, quibus cœlestis oblectatur Sponsus, utrum appellaverim, nescio.

Intende igitur, prosperè procede, & regna, ò Illustrissime Præsul. Effo rursus, & millies Stella in perpetuas æternitates. Si fides Astronomis habenda esset, non unam, aut alteram, sed omnem Cœli stellam Fortunæ tuæ dominantem, an potiùs ancillantem arbitrarer. Quid, obsecro, prælagierit iugis ille tenor Felicitatum tuarum, quæ omnes, aut prope omnes in diem Divo Bonaventuræ sacrum inciderint? An quia bona fortuna (ita sonat hispanè Bonaventura) tuis perpetim actionibus secundaret? An potiùs quia Seraphicus & zelo, & sapientia Episcopus, utroque hoc nomine, in tuum à Cœlo archetypum obiiceretur?

Possem denique Te Stellam ingeminare nitidissimam, si claritudinem tui generis perlustrarem. Hic tamen ingenitus Tuorum splendor, quamvis in se conspicuus, acquisitis à Te splendoribus augefcit. Verum enimverò iniurius ego videar, si alienis, quæ à Maioribus mutuaveris, præconiis honestare velim; cum propria, quæ Te simul & Tuos nobilitare queant, ubertim exundant.

Benevolo igitur sinu, quo nostram Societatem foves, excipe Librum istum Theologicum; tanquam obsidem nostræ gratitudinis, testimonium nostræ venerationis, & monumentum nostræ omnium benevolentiae; qui plusquam paternum in Te erga Nos amorem, usque, & usque, & iam olim experti sumus. Obnixè propterea Omnes Deum precamur, ut Illustrissimam D. Tuam omni bono cumulet. Cæsar-Augustæ. Die 29. Septembris: Anno 1700.

ILLVSTRISSIMÆ D. T.

Obsequentis. & Humill. Serv.  
Prov. Arag. Voto, ac Nomine

Gabriel Sierra S.J. Provincialis.

6

THYR.

THYRSVS GONZALEZ PRÆPOSITVS  
GENERALIS SOCIETATIS IESV.

**C**VM *Disputationes Theologicas de Divina Providentia, Præfinitionibus, Prædestinatione, Reprobatione, & Fide* Patris Thomæ Muniessa nostræ Societatis Sacerdotis, & in Provincia Aragoniæ Provincialis, aliquot eiusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, Facultatem concedimus, vt typis mandentur. Romæ 25. Februarij 1696.

*Thyrus Gonzalez.*



APPROBATIO R. P. MICHAELIS  
Monreal, Societatis Iesu, Theologiæ  
Doctoris, & in Collegio Cæsar-  
Augustano Professoris.

**I**VBENTE Perillustri D. D. Michaële Franco de Villalva, Imperialis D. Iacobi, & Maioris apud Oscam Collegij Trabeâ purpurato, Hierosolymitani apud Bilbilim Sepulchri Canonico, & pro Archiepiscopatu CæsarAugustano, Vicario Generali, &c. Legi, oculis avidissimis, Librum de Providentia, de Fide, ac de Baptismo, à R. P. Thoma Muniessa, Societatis Iesu, semel, atque iterum elaboratum; eaque propter elaboratissimum. Hoc fuit postremum ingenij sui monumentum; & cum vix manum ille ab hoc opere tolleret, Deus illum de medio sustulit; ut huic operi *Non plus ultra* subscribere Deus ipse forsitan videatur.

Memini, me alia eius opera commendasse; sed parcius mehercle, quàm vel ego mallet, vel Author promereretur: ne Hominem longè modestissimum, qui adhuc inter nos ageret, aut meo præconio offenderem, aut suo rubore offunderem. Doleo nunc etiam mortem suam; verumtamen gaudeo collaudare mortuum, ubi laudibus iam libera sit facultas.

*Mortuus est vir (vt cum Basilio in ep. 62. eloquar) omnium lucidissimè eos, quos iuxta se habebat, omnibus simul humanis bonis excellens, fulcimentū Pa-*

*triae,*

*triae; Ecclesiæ decus; columna, & firmamentum veritatis; robur eius, quæ in Christum est, Fidei. Verè prorsus fulcimentum fuit Patriæ; cum & floridiorem intra iuventam corpus morti suum obiecit, ut contribulibus peste infectis præstito esset; & maturiorem usque in senectam, improbos inter studiorum labores, productiori cuidam torturæ, ac lentiori velut martyrio, animum suum devovit, ut infectis sæviore lue animis opem ferret. Decus fuit non exiguum Ecclesiæ; cuius præclariora mysteria tot, ac tantis voluminibus elucidavit, ut iam Fides in sua difficultatum caligine sit clarior, & Charitas in nostrâ passionum fuligine deinceps iam sit ardentior. Columna fuit, & firmamentum veritatis; qua nihil apud se habuit antiquius; usque adeo, ut ingenio suo potiùs, quàm veritati detrahi optaret, tum in scriptis, tum in consultis aliquando ingenuè testatus id, quod Doctor Maximus testari etiam de se non erubuit in Epitaph. Fabiolæ: *In quibusdam hæsitavi, in alijs inoffenso cucurri pede, in plerisque simpliciter ignorantiam confessus sum.**

Est denique *robur eius, quæ in Christum est, fidei*; dum in hoc volumine sic roborat Quæstiones ad Fidem attinentes, vt & Discipulus ex eo discens, solus suppetens sibi, alienum magisterium respuat; & Magister ex eo docens hoc vno clypeo cunctis Adversantium ictibus se impervium præstet: quin etiam postmodum in Academijs Fides Scholastica ingeniosius prælietur; atque in Ecclesijs Fides Cathetetica religiosius detriumphet. Quamobrem nihil in opere inimicum divinis, aut humanis iuribus comperio; & typis dignum censeo. CæsarAugustæ: In Collegio Societatis Iesu; Die 12. Octobris. Anno 1700.

*Michael Monreal.*

IMPRIMATUR.

*V. Franco, Vic. Gñl.*

APPROBATIO R. P. FRANCISCI VBARRI,  
 SOCIETATIS JESU, THEOLOGÆ DOCTORIS, ET IN COLLEGIO  
 Cæsar-Augustano Primarij nuper Professoris; atque pro Archiepiscopatu  
 Examinatoris Synodalis, &c.

**I**VBENTE Illustrissimo D. D. D. Antonio Blanco & Gomez, Regiæ  
 Maiestati à Consilijs; Regiam huius Regni Cancellariam Regente, &  
 Honorario in Sacro, Regio, Supremo Senatu Aragoniæ, & Consultore  
 Sancti Officij Inquisitionis, &c. Legi, utili dulcedine, & dulci utilitate, omne  
 proinde punctum sua in editione ferentem, excultissimum Librum de Provi-  
 dentia, de Fide, ac de Baptismo, à R. P. Thoma Muniessa, iam olim in æstu  
 ipso prolixiorum studiorum, in calore adhuc effervescente iunioris ingenii, in  
 publico Theatrorum Sole feliciter prognatum; sed nuper in umbra pacatissi-  
 ma cordationis senectæ maturatum. *Sentio te divinis ardere doctrinis;* (aiebat  
 D. Hieronymus in Epist. ad Pammachium) *nec temeritate quorundam docere,*  
*quod nescias; sed ante discere, quod docturus sis.* Animosiùs ego subiungerem,  
 alloquens Muniessam: *Sed ante docere, quod docturus sis.* Iam pridem vulgatu-  
 rus è Cathedra, utrumque Tractatum de Providentia, & de Fide solerter eli-  
 maverat: ast utrumque rigidiori adhuc limæ subiecit, & quasi denuo recudit,  
 ut typis mandaret. Quod ante docuerat, rursus docere professus est. Uter-  
 que ille Tractatus, cum primùm è Suggesto lucem vidit, suis omnibus splen-  
 didior innotuit: neque apud ipsam opinionem sui Authoris, qui sua omnia  
 nihili faceret, in viliori fuit suorum Operum pretio. Quantum ergo splendo-  
 ris accrevisse putem, postquam in secundis curis ad incudem revocatus est.  
 Huius Authoris præclarissimum ingenium circumscripsit D. Hieronymus  
 intra brevem, & divinam quamdam amulsim; iuxta quam interpretans senten-  
 tiam Christi Domini, Matth. 10. ideam Catholici Præceptoris elegantiore  
 penicillo delineat: *Non licet, inquit, Magistris aurum, & argentum, & pe-*  
*cuniam, quæ in zonis est, possidere. Aurum saepe legimus pro sensu, argentum*  
*pro sermone, & pro voce. Hac non licet vobis ab aliis accipere, sed data à Domi-*  
*no possidere.* Aureæ sententiæ, argenteæ rationes, æreæ voces, & quod potis-  
 simum est, non ab alieno penu emendicatæ, sed è thesauro suo depromptæ,  
 nostrum commendant Authorem; qui nihil vel non novum, vel non noviter  
 dictum, ingenio facilè fecundissimo, nusquam nunquam effæto, parturivit.  
 Aureæ sunt sententiæ, quibus in eruendis non humi reptat, aut per summa  
 rerum fastigia subsilit, sed imam, & nimis profundam arcanioris Theologiæ  
 abyssum penetrat, rimatur, dimetitur. Sciebat optimè Author consultissimus;  
 Theologiam esse thesaurum in agro absconditum; quem non nisi divenditis  
 omnibus, abiectis videlicet rerum humanarum curis; non nisi in agro longè

la-

latissimo Scripturarum, & Patrum; non nisi laboriosus, indefessus, &  
 lynceus planè Scrutator effoderit. Suarum illæsa puritas Sententia-  
 rum, uti aurum igne, non spectata tantùm, sed probata fuit, æstu  
 fervidissimo frequentium hinc inde Disputationum. Argenteæ ratio-  
 nes omni ex parte communiunt, & illustrant Authorem nostrum, qui  
 totus argenteus, soliditatem simul & claritatem, absque ullo acumi-  
 nis impendio, componit. Tres è Coelo Charites confluisse dixeris in  
 hunc Magistrum; in quo Soliditas, Claritas, & Acumen, nullo vix  
 discrimine, vigent. Soliditas ea est, ut inter arietantes obiectionum  
 ictus, non effracta dissiliat, sed illustriùs scintillet. Claritas etiam  
 lusciosos mediocrium ingeniorum oculos non subterfugit. Acumen  
 est ita delicatissimum, ut intra subtiliores quasque mentes sese ulcro,  
 & illico intromittat; neque ullatenus pungat, sed recreet, & titillet.  
 Æreæ tandem voces opus exornant, & Authorem; in quo humanio-  
 rem, ut aiunt, literaturam, quæ vel sola Hominem insignire posset,  
 appendicem tantummodo sublimium animi sui docum existimaverim.  
 Nihil præterea in Opere humanis, aut divinis legibus absolum inspi-  
 cicio: & luce dignissimum arbitror. Cæsar-Augusta: in Collegio  
 Societatis Jesu: Die 12. Octobris; Anno 1700.

Franciscus Vbarr.

IMPRIMATUR.

V. Blanco, Regens.

ENCO



# ENCOMIASTICVM AVTHO- RIS MONVMENTVM.

Inter Mortales nuper desit, cœpit esse inter Superos.  
Fallor ego: nihil mirum: voces inflectit dolor.  
Non desit inter Mortales, qui inter Immortales esse cœpit.  
Non cœpit esse inter Superos, qui semper animo versaretur in Coelis.  
Quisnam talis, ac tantus Héros?  
Vir propemodum Divinus.  
Qui cum re ipsa Vnus, imo sua in existimatione Nihil esset,  
Multiplicem ageret Personam, in multis vix Hominibus subsistentem.  
VNVS CERTE, SED MULTIPLEX,  
Cuius aduosa solertia multa, & ingentia munera non expleant.  
Intra Fidei tribunalia Censuram Examinator;  
Inter Episcoporum thronos Examinatorum Censor;  
Magister in Cathedra re, & nomine Primarius;  
Perpes ad Populum, & ad Principes Concionator;  
Afsiduus in Templo Confessionum Auditor;  
Pervigil intra Collegium Rector;  
Hæc munia, quæ solidum hominem distineant singula;  
Vnus feliciter exercuit Omnia,  
Non vicissim, sed insimul; non brevi, sed diu;  
Non transcursum, sed ex professo; non segniter, sed constanter.  
Illum existimares centimanum in Actione Briareon;  
Aut Protheon Ingenio multiformem.  
VNVS OMNINO, SED MULTIPLEX,  
Cui ora vix multa suppetere, ut oracula ederet sua.  
Vrbem intra Barcinonensem,  
Quæ illum, tametsi Alienigenam, complexa est uti Patriæ Patrem,  
Suum diu, noctuque exquirebatur consilium,  
A Pro-Regibus, ab Episcopis, à cunctis Senatoribus,  
Ad Sacra non secus, ac ad Politica,  
Sive in Divinæ, sive Humanæ obsequium Maiestatis,  
Tam in Monarchicum, quam in Monasticum regimen.  
Vrbem extra Barcinonensem,  
Quasi angustum, & arctum mentis suæ theatrum,  
Suum idemdem expetebatur consilium,  
Ab Innumeris ex Aragoniæ Regnis,  
A Plurimis ex Hispaniæ ditionibus,

A non paucis ex Regionibus Europæ,  
A nonnullis etiam ex Novi Orbis finibus.  
Animam putares totius Mundi Consultricem,  
Animam prorsus omnes omnium Animas informantem.  
VNVS EQVIDEM, SED MULTIPLEX,  
Cuius studiosa Mens multiplicem exhaustit Theologiam;  
Scholasticam iuxta, ac Moralem; Mysticam æquè ac Positivam.  
In Scholasticis floridissimum, maturissimum in Moralibus,  
Et in utrisque foecundissimum nactus est Ingenium.  
In agone Scholarum, Numinis in morem Tonantis;  
Rationibus fulminans, fulguriens Acuminibus,  
Vel Amorem Sententiis suis peperit, vel Timorem.  
In Resolutione Moralium, in pluviam resolvebatur auream,  
Vt ipse, tanquam imbres, emitteret eloquia Sapientiæ suæ.  
Iudicium in Scholasticis præferebat pariter, ac Ingenium:  
Ingenio in Moralibus indulgebat minus, ac Iudicio.  
In Mysticis, non ex alieno tantum,  
Sed ex proprio pariter evasit Præceptor experimento:  
In Positivis, alieno potius, quam suo  
Obsequutus est Iudicio, etiam Ingenio reluctantem.  
Ingenium suum maluit pessum ire, quam Veritatem:  
Ignorantem in iis, quæ diceret, vel in iis, quæ dixerat, Errantem;  
Ore Se suo fateri (O nobile dedecus?) non erubuit.  
VNVS PLANE, SED MULTIPLEX,  
Cuius Zelum ministeria omnia Apostolica non exaturarint.  
In sacris exercitissimus Missionibus,  
Modò intra Vrbes, modò intra humiles Pagos:  
In tradendo peritissimus Catechismo,  
Inter Pueros senectam, & mentem suam exuens inter Rudes:  
In Concionibus per Annum frequentibus, intra Quadragesimam diurnis,  
Tullianam simul, atque Christianam maritavit Eloquentiam;  
Popularium Confessionibus, ac Principum,  
Nullus Personarum acceptor, facile acceptissimus:  
In cunctis præibat Societatis nostræ officiis antesignanus,  
Et abiectionem honorans operam, & segnior stimulan Operarium.  
VNVS CERTE, SED MULTIPLEX,  
Totus Deo, totus sibi, totus impensus Proximo:  
Cunctis, nostrum supra præconium, excellentissimus Virtutibus,  
Religiosis incubuit operosius, quam literariis institutis:  
Si Religionem suam, sepositam Sapientiâ, inspexeris,

Vnus

Vnus ex Stylitis unum in Coelum collimantibus videatur:  
 Si Sapientiam suam, sepositâ Religione, perpendaris,  
 Vix merita redigas ad numeros,  
 Si noris, singulas in Homine piè studioso literulas,  
 Totidem in Libro Vitæ intercipere lineas.  
 Paupertatem adamavit, uti thesaurum,  
 Non supervacaneis tantum reculis, sed se abdicans necessariis;  
 Christianum agens Diogenem,  
 Magnos pauperulam intra cellam excepit Principes.  
 Castimoniam adeptus fuit innoxiam,  
 Qui pepigit foedus cum oculis, ut ne foeminam aspectarent;  
 Qui percussit foedus cum corpore, ut non nisi repercuteretur  
 Perpetuis emeritum quoque intra senium afflictationibus.  
 Cum in singula passim scelera concionans exardesceret,  
 Refrigescebat in ardorem lasciviae, imò obmutescibat:  
 Etiam dum nomino (sic ille aiebat) ad exhorrescendum,  
 Exhorresco ad infandum hoc scelus nominandum.  
 Obedientiam, sive in arduis, sive in levioribus, humillimam;  
 Erga omnes, nullo discrimine, exhibuit Superiores.  
 Has, & alias silentio satius est premere Virtutes,  
 Ne brevi comprimantur pagella,  
 Quæ iusto volumine vix exprimantur satis.  
 Laus tua, ô inclyte Muniessa, sit taciturnitas meas;  
 Nihil enim altissimo est silentio eloquentius,  
 Vt meam de Te proferam & Venerationem, & Admirationem;  
 Vt meum in Te Amorem insinuare sim potis, & Dolorem:  
 Venerationem de Te ad miraculum Religiosissimò,  
 Quem ni prius moribus, nemo exprimat verbis:  
 Admirationem de Te citra invidiam Sapientissimò,  
 Quem, tuo nisi potiatur calamo, nemo pinxerit suo:  
 Amorem in Te, omnium Parentem carissimum,  
 Dolorem de Te (Heul!) è vivis exulante;  
 Qui Corpus Italiae, Animum dederis Coelo,  
 Vt vehementius in Hispania sit Tui Desiderium.



R. P.

# THOMAE MUNIESSA SOCIETATIS IESV,

DISPUTATIONES THEOLOGICÆ  
 DE DIVINA PROVIDENTIA;  
 PRÆFINITIONIBVS, PRÆDESTI-  
 NATIONE, REPROBATIONE;  
 ET FIDE, ET BAPTISMO.

ANTELOQVIVM.



**M**AGNÆ voces rerum magnitudinem pollicentur. Post Disputationes de Divina Gratia, quæ mediū est ad finem divinae Providentiæ Præfinitivæ, & Prædestinativæ, ineundæ nobis sunt in hoc Quarto Theologiæ nostræ Volumine Disputationes de Providentiâ, quæ quasi genus est; de Præfinitionibus, Prædestinatione, & Reprobatione, quæ sunt eius quasi species, aut partes, propter suas rationes differentiales. Subijcimus ad iustitiam Voluminis Disputationes de Fide Theologicâ, quæ vnum est ex medijs ad finem Prædestinationis, & initium salutis æternæ. Baptismus eodem iure sibi locum arrogat. Studium erit pro more nostro, eas præ difficultatum profunditate, & opinionum varietate implicatissimas, qua poterimus claritate, & brevitate dilucidare, & expedire, in scopum veritatis intenti, divinâ potius ope, quàm industriâ nostrâ subnixi.

A

DE

R. P.

# DE DIVINA PROVIDENTIA IN GENERE.

Clement. Alexand.

2 **V**NT *Quæstiones quedam dignæ, quæ puniantur*, ait Alexandrinus Clemens 5. Strom. *cuiusmodi est querere probationes, an sit Providentia.* Non igitur id. querimus; sed supponimus: cum ex Fide; tum ex evidentia naturali. Ex Fide, Sapient. 14. *Tua*



Sap. 14. & 15.

*autem, Pater, Providentiâ gubernat: vbi ex Græco Hieronymus: cuncta gubernat. Et cap. 15. Tu autem, Deus noster, suavis, & verus es, patiens, & in misericordia disponens omnia.* Ex evidentia naturali: quia quidquid in tempore fit, & permanet, pendet à Deo, Agente rationali, & libero: ergo ab ipsius sapientia, & voluntate, quoad modum etiam quo creata ad invicem ordinantur, & ad suos fines diriguntur. Quidquod & insensibilia agunt, & aguntur ob aliquem finem; sed non ab illis rationaliter intentum: maximè igitur à Deo, Agente rationali summo, Si autem irrationalibus, & insensibilibus sic providet, quanto potius intellectualibus? Ut arguebat Christus Dominus Matth. 6. *Respicite volatilia: & mox: Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Si autem fœnum agri Deus sic vestit, quanto magis vos, modicæ Fidei?* Hæc latè persequuntur Patres, & Doctores adversus Ethnicos nonnullos, casui potius & fortunæ, quàm Providentiæ Dei rerum eventus tribuentes: quos post S. Chrystostomum in lib. de Provid. Num. eruditè confutant P. Lessius per totum Librum eiusdem tituli; & P. Raynaudus in Theolog. naturali dist. 7.

Matth. 6.

Chrystost. Lessius. Raynaud.

## DISPUTATIO I.

### DE QUIDDITATE, DIVERSITATE, ET PROPRIETATIBUS DIVINÆ PROVIDENTIÆ.

3 **C**ONVENIUNT Scholæ in eo quòd Providentia Divina sit perfectio æterna in Deo residens, sicut Sapientia, & Voluntas: quas utique Deus non incipit habere in tempore, quamvis sint circa rerum eventus in tempore succedentes. Dissident tamen in assignanda Dei perfectione, in qua eius Providentia constitutivè, quidditivè, ac definitivè consistat: & in explicatione aliquarum eiusdem proprietatum.

SE-

## SECTIO I.

Definitur ad mentem Augustini Dei Providentia.

4 **E**THYMOLOGICE loquendo, *Providere*, aut est procul, à longè, seu ante videre; aut est pro aliquo videre, prospicere, seu curare. Vtrumque hoc præfert Providentia, maximè divina, de creaturis suis curans, & procurans, illisque prospiciens: & hoc quidem valde procul, & anticipato, scilicet ab æterno cuncta disponens in tempore eventura, ut nihil vnquam præter æternum eius consilium accidat. Quoniam verò ethymologia, & essentia rerum non semper sibi conveniunt, aliunde solidius quidditas, & essentia Providentiæ indaganda nobis est.

Augustin.

5 Atque, ut ab Augustino, qui præcipuas habet partes in ijs, quas ordimur, Disputationibus, discere incipiamus, nota cunctis Theologis esse debet definitio Prædestinationis, quam aptissimè, & clarissimè proposuit cap. 14. de Bon. Persev. *Præscientia, & preparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur.* Cum autem Prædestinationis species sit Providentiæ, priora dictæ definitionis Augustiniana verba, quasi generica sunt, & communia ad omnem Providentiam, quæ postea contrahentur ad specificam rationem Providentiæ Prædestinativæ per posteriora exprimentia differentialiter media Gratia, quibus Prædestinati perducuntur ad finem Gloriæ: quod commune non est omni Providentiæ divinæ.

6 Exinde mihi videor ex Augustini mente clarissime deducere exactam definitionem Providentiæ in communi hunc in modum: *Præscientia, & Preparatio mediocum, quibus creaturas Deus dirigit in suos fines.* Dixi: *mediocum*, ne beneficiorum nomine contrahi nunc videatur ratio Providentiæ ad media Gratia. Dixi: *creaturas*: ne ad solas racionales contrahatur Providentia. Dixi: *dirigit*: ne de solis illis qui efficaciter perducuntur ad finem intentum, loquatur definitio Providentiæ, ut sic, comprehendens efficacem, & inefficacem. In ratione autem Præscientiæ, & Præparationis mediocum, quibus Deus creaturas dirigit in suos fines, omnes divinæ Providentiæ conveniunt.

7 Multa igitur secum importat Providentia, maximè divina, quæ absque defectibus Providentiæ creatæ constituenta est. Finem scilicet, & Media, cognitionem finis, & cognitiones mediocum; & quidem certas, ne in incertum ferri dicatur, aut casui quidquam, aut fortunæ relinquere patiatur. Ex ijs autem videndum est, quid præsuppositivè, & conditionaliter; quid potius constitutivè, & essentialiter includat: quod in sequentibus disputabitur.

## SECTIO II.

An Providentia sit potius essentialiter actus intellectus; an voluntatis; anque ex utroque constituatur?

8 **T**HOMISTÆ communiter apud Thomist. Godoy disp. 60. Providentiam constituunt adæquatè per actum intellectus: subsequuto tamen extraessentialiter actu voluntatis. Sic etiam Montoya disp. 3. de Provid. sect. 2. Anton. Perez disp. 1. cap. 2. Gran. 1. p. Contr. 4. tract. 5. disp. 2. & Quiros tom. 2. disp. 3. sect. 2. Primò: quia S. Thom. 1. p. quest. 22. art. 1. ait definitivè: *Ratio ordinandorum in finem providentia est: est enim principalis pars prudentiæ.* Secundò: quia Boetius lib. de Consol. sic etiam definitivè Dei Providentiam: *Divina ratio in summo omnium Principe constituta, quæ cuncta disponit.* Ratio autem idem est, ac cognitio: ergo simpliciter, & adæquatè Providentia est cognitio, prævidentia, seu antevisio: ac proinde actus intellectus potius quàm voluntatis. Tertio: quia directio est actus intellectus: Providentia autem est directio mediocum in finem. Quarto: quia Providentia est pars, seu species Prudentiæ: Prudentia autem est virtus seu actus intellectus.

9 Scotistæ cum Subtili Scoto, & Santo Bonaventura constituunt adæquatè essentialiter Providentiam in actu voluntatis; præsupposito autem requisitivè extraessentialiter actu intellectus. Primò: quia Damasc. 1. de Fide 19. ait, quòd *Providentia est voluntas Dei, per quam omnia, quæ sunt, convenientem gubernationem suscipiunt.* Secundò: quia Nemesius cap. 23. de Facult. Anima ait: *Providentia est rerum procuratio à Deo suscep-*

A 2



ta: seu, ut paulò post: *Dei voluntas, per quam omnia, que sunt, aptè gubernantur.* Tertio: quia in communi loquutione Providus dicitur qui debitam habet agendorum curam: non autem dicitur debitam habere curam agendorum, nisi qui vult adhibere media ad finem. Quarto: quia Providentia ordinat quod eligantur, & adhibeantur media ad finem intentum: ea autem ordinatio, & electio actus voluntatis est.

*Molin.* 10 P. verò Molina, sequutus Alensem, & Marsilium, ex æquo constituit essentialiter Providentiam in actibus simul intellectus, & voluntatis. Sic etiam Herize *Aldrete.* disp. 22. Aldrete 1. p. tract. 4. disp. 1. sect. 6. *Lugo.* Lugus lib. 1. de Deo cap. 2. Compton. disp. 37. sect. 1. Becan. Ribas: & communius Societatis Schola. Idque in re tenet Magnus Suarez, non benè citatus ab aliquibus pro Scotistis, ut videre est lib. 3. de Attrib. cap. 10. ubi docet, actum intellectus & voluntatis requiri ad Providentiam, & vix definiri posse, quoniam eorum magis necessarius sit. Verum est tamen, quòd lib. 1. de Prædest. cap. 17. ait indifferentem, duas Sententias supra relatas esse probabiles: idemque tenuit Vasquez 1. p. disp. 83. cap. 3. Inter Authores huius tertiæ Sententiæ est aliqualis varietas; sed nullius ferè momenti: alij enim volunt, Providentiam principaliter dicere actum intellectus, alij actum voluntatis: alij melius, ut Arrubal *Arrubal.* disp. 62. cap. 3. æquè principaliter utrumque.

11 Placet tertiæ Molinæ Sententiæ. Primo: quia conformior Augustino, ex cuius mente, ut vidimus *Augustin.* sect. 1. ex æquo definitur Providentia: Præscientia, & præparatio, &c. Præscientia enim exprimit actum intellectus; præparatio verò mediolorum exprimit actum voluntatis volentis adhibere media præcognita. Secundo: quia S. Thomas dicitur de Providentia præloquitur in limine articuli: *S. Thom.* *Procedendum est ad ea, que respiciunt simul intellectum, & voluntatem:* quo clarè significat æquè essentialiter stare Providentiam in utroque: nam præsuppositive etiam voluntas, de qua iam egerat, respicit actum intellectus: & subsequitive Scientia actum voluntatis: supponit ergo clarissimè, Providentiam respicere æquè essentialiter utrumque. Tertio: quia fundamenta Thomistarum posita *num.* 8. benè probant, Provi-

dentiam essentialiter esse actum intellectus: at non probant, non esse pariter actum voluntatis. Et fundamenta Scotistarum posita *num.* 9. probant, esse actum voluntatis; at non probant, non esse pariter actum intellectus. Ex utroque igitur pari iure ex æquo constituenda est, utraque parte coeunte in mentem Augustini.

12 Et ratio est: quia cognoscens quid oblit, quid profit ad finem, nihil tamen volens applicare illorum, quæ profunt, nihil amovere illorum, quæ obsunt; eo ipso non recte diceretur curans, seu procurans circa finem: nec esset providus, sed improvidus de medijs. Econtra verò qui nesciret quid oblit, aut profit ad finem, eo ipso esset etiam improvidus, quamvis forte vellet & re ipsa applicaret aliqua media quæ profunt: id enim respectu talis agentis non tam provide, quam fortuito contingeret, & casui potius ac fortunæ, quam veræ providentiæ tribueretur. Ut igitur agens rationale absolute dicatur, & essentialiter sit providum, utrumque id æquè essentialiter habere debet: scilicet præscire quæ profunt, aut obsunt; & velle, ac præparare quæ profunt, & amovere, quæ obsunt ad finem præintendum. Nec momenti est dicere, utrumque id requiri; at non utrumque essentialiter; sed actum voluntatis essentialiter, & actum intellectus præsuppositive & de connotato. Præterquam enim quòd, ut expendimus *num.* præced. nec S. Thom. nec Augustinus patiuntur hanc interpretationem. Eodem iure dicent alij, utrumque id requiri; at solum actum intellectus essentialiter; actum verò voluntatis subsequitive & de connotato. Præstat igitur per utrumque æquè essentialiter constituere Providentiam.

13 Iam ad fundamenta posita *num.* 9. respondetur; probare quidem actum voluntatis esse de essentia Providentiæ: quod vltro fatemur. Et similiter responderi posset ad fundamenta Thomistarum posita *num.* 8. probare quidem actum intellectus esse de essentia Providentiæ: quod non negamus. Quod si S. Thom. dixit esse actum intellectus, S. Bonaventura dixit esse actum voluntatis. Sed nos utrumque cum Augustino conciliamus: utpote in eo quo citantur sensu non omnino definitive loquutos; sed assertivè, & quidem verè. Hoc satis erat pro responsione. Pro doctrinæ tamen utilitate respondebo sigillatim.

Ad

14 Ad primum & secundum ex *num.* 8. quòd cum Providentia dicitur ratio, non sumitur ratio pro cognitione præcise, ut alibi sumi solet; sed pro modo, seu methodo gubernandi creaturas: sub quo vocabulo veniunt aptissimè actus intellectus pariter & voluntatis. Quòd facit quòd *Ægid. Luf.* lib. 4. art. 6. quest. 10. *num.* 2. notat ex ipso S. Thom. nomine rationis significari interdum ab August. operationes tam intellectus, quam voluntatis, quæ propterea rationalis appetitus appellatur. Quòd si S. Thom. in fine art. 1. videtur excludere à ratione Providentiæ actum voluntatis, intelligendus est de actu intendente finem iuxta doctrinam *sect. seq.*

15 Ad tertium notanter distinguendum est: directio qua Deus dirigit actus voluntatis suæ est actus intellectus sui, concedo: directio quæ dirigit creaturas in suos fines, nego, si de adæquata directione sermo sit. Hæc enim creaturarum directio, quæ est Divina Providentia, est actus intellectus cognoscens, simulque actus voluntatis volens media ad fines, ut vidimus.

16 Ad quartam, dato cum communi Sententia, quòd Prudentia sit adæquate actus intellectus, dico Providentiam esse speciem Prudentiæ, qua parte dicit actum intellectus; quamvis non qua parte dicit actum voluntatis. Dicitur forte etiam posset, Prudentiam, quamvis communiter dicitur virtus mentis, spectare quoque partim ad voluntatem. Quòd satis indicavit S. Thom. 2. 2. *quest.* 47. *art.* 8. ex Arist. 2. *Ethic. vlt.* dicente non fore prudentem illum, qui intellectu rectè cognosceret, quid esset faciendum, & voluntate nihil vellet facere.

17 Ad ea verò, quæ pro Scotistis adducuntur *num.* 9. dico, primum ex Damasceno solum probare, Providentiam Dei esse voluntatem Dei, non tamen solam. Secundum ex Nemesio, aut idè duntaxat probare, aut clariùs nobis favere, quatenus ait providentiam esse procurationem. Procuratio enim & voluntatem, & intellectum dicit. Tertium optime nobiscum concludere, sine actu voluntatis non stare Providentiam. Ad quartum dico, non quæcumque ordinationem mediolorum esse providentiam; sed ordinationem qua consulto disponantur media, taliter ut casu & fortuito res non eveniant: hæc autè provida

ordinatio non est solus actus voluntatis; sed dicit æquè essentialiter directionem intellectus.

18 Obijciunt quidam. Eo ipso quòd detur volitio mediolorum, si præsupponatur ut conditio eorum notitia, iam datur Providentia: essentialiter ergo solum voluntatis actum dicit Providentia: quòd enim præsupponitur, ut conditio, de essentia non est. Aliter, sed æquè futiliter in oppositum. Actus voluntatis subsequitur ad actum intellectus: non ergo est de essentia Providentiæ: quòd enim subsequitur, de essentia non est.

19 Frivolæ argumentationes, sicut istæ: Eo ipso quòd detur anima, & unio, si supponatur corpus ut conditio, iam datur homo essentialiter: ergo solam animam, aut unionem dicit homo. Aliter: Eo ipso quòd detur corpus, si subsequuntur anima & unio de posteriori, iam datur homo: ergo anima non est de essentia hominis: quòd enim subsequitur, de essentia non est. Rursus & propius ad rem: eo ipso quòd detur quæcumque alia res, si præsupponantur ut conditiones præscientiæ, & præparatio mediolorum, iam datur Providentia: essentialiter ergo solam illam aliam rem dicit Providentia; actum verò tam intellectus, quam voluntatis solummodo ut conditiones: quòd enim præsupponitur ut conditio, de essentia non est. Et sic de sexcentis alijs absurditatibus.

20 Respondetur itaque cum distinctione. Si suppositio arguentis est, quòd notitia mediolorum supponatur ut conditio ad totam Providentiam, negamus suppositum, ut in ipsis terminis implicatorum: dabitur enim in illo casu Providentia constituta scilicet per suam essentiam nempe per actus intellectus, & voluntatis; & non ad libitum supponentis. Si verò suppositio est, quòd ea notitia supponatur ut conditio ad volitionem mediolorum, hoc verum est: sed falsa consequentia: ex eo enim quòd cognitio sit conditio & non de essentia volitionis, non inferitur, non esse de essentia Providentiæ; sicut neque, non esse de essentia complexi ex utraque. Nec certè definit esse de essentia rei quòd præsupponitur ad unam partem essentiæ, nisi præsupponatur ad totam. Patet in homine, cuius una pars essentialis, nempe materia, præsupponitur ad aliam, & ad unionem. Similiter ad aliud, concessio antecedente, nega-

negatur consequentia. Non enim desinit esse de essentia rei quod subsequitur ad partem essentia, nisi subsequatur ad totam: sapè namque adæquatur vna essentia ex multiplici conceptu, imo & ex multiplici realitate priori, & posteriori: ut essentia compositi ex materia, quæ prior est, & ex forma, quæ posterior.

Quiròs.

21 Obijcit aliter P. Quiròs. Eo ipso quòd quis habeat intentionem efficacem finis, si cognoscit medium necessarium, determinatur ad applicationem medij: in eo igitur casu dabitur præscientia, & præparatio, seu applicatio medij; ac proinde Providentiâ sine aut ante actum voluntatis subsequuntur ad illam notitiam: ergo eiusmodi Providentiâ stabit adæquatè in actu intellectus, præsupposita intentione finis, quæ, ut cum communiori Sententia videbimus *sect. seq.* excluditur ab essentiali conceptu Providentiæ. Respondetur, concessio enthymemate, negando subillationem. Nam dato quòd ea Providentiâ non diceret actum voluntatis subsequuntur ad eiusmodi notitiam, diceret essentialiter cum actu intellectus talis notitiæ, actum voluntatis antecedentem: non quatenus ea intentio est volitio finis; sed quatenus in eo casu esset etiam volitio, & applicatio, seu præparatio medij.

### SECTIO III.

*An Providentiâ dicat essentialiter actus versantes circa finem?*

22 **S**ERMO est de actibus tam intellectus, quàm voluntatis, cum utroque claudat Providentiâ: de versantibus circa media iam non dubitamus cum certum sit esse de essentia Providentiæ. Difficultas est de versanti circa finem. Et quidem tam de fine *Cui*, qualis est res ipsa cui per media providetur ut perveniat ad terminum; quàm de fine *Qui*, qualis est terminus ipse, ad quem assequendum creatura per hæc media dirigitur. Hæc enim tria respicit Providentiâ v.g. Prædestinativa Petri ad Gloriam: Petri videlicet, qui est finis *Cui*. Gloria procuratur; Gloria, quæ est finis *Qui* assequendus: & auxilia gratiæ, quæ sunt media, per quæ finis ille assequendus est. Notandum ramen quòd id, quod respectu vnius Providentiæ est finis, cui providetur, aut finis *Qui* assequendus,

esse potest medium respectu alterius Providentiæ in alium finem. Sic Deus Providentiâ suâ naturali regit, ac dirigit creaturas per media ad suos fines naturales: & per aliam Providentiâ eas ipsas creaturas, earumque fines peculiare naturales ordinat tanquam media ad fines supernaturalis assequendos. His prænotatis,

23 Doctor Eximius *lib. 3. de Attrib. Suarez. cap. 10. & lib. 1. de Prædest. cap. 18. & Ruizius de Montoya disp. 4. sect. 4. Montoya.* sentiunt, de ratione essentiali Providentiæ esse dumtaxat actus versantes circa media; versantes verò circa finem præsupponi extressentialiter. Quia Providentiâ dicitur & est ex Augustino Præscientia, & Præparatio mediorum: quamvis ergo prærequiratur ad id notitiâ, & intentio finis, Providentiâ tamen essentialiter sunt actus circa media. Præterea ex P. Suarez: quia sic Providentiâ ad res futuras se habuit in Deo ab æterno, ad modum quo se habet in tēpore rerum exequutio, quæ est gubernatio, seu Providentiâ obiectiva, ad res iam existentes: sed exequutio hæc Providentiâ, seu gubernatio supponit res existentes: ergo etiam Providentiâ Dei æternæ supponit eas extituras, ac proinde voluntatem in Deo illas producendi, & præfigendi singulis certos fines.

24 Probatur minor: quia non dicitur Deus hominem gubernare quando illum producit; sicut nec Pater Filium quando generat, nec Dominus Servum quando emit; sed deinceps: ergo iuxta communē intelligentiam, attendendam in usu vocū, Providentiâ, seu providere supponit finem *Cui*, nempe rem cui providetur media; & finem *Qui*, nempe terminum, cuius assequendi gratiâ media providentur: atque adeo ijs præsuppositivè se habentibus, stat adæquatè essentialiter in actibus circa procuranda media per quæ finis *Cui* pertingat ad finem *Qui*.

25 Pater verò Lessius *lib. 11. de Per- Lessius. sect. Divin. cap. 2. Becan. hic cap. 13. Becan. Herize disp. 21. cap. 4. Ribas disp. 1. cap. 2. Herize. & in Manuscriptis doctissimis Pater Bernal sentiunt ex opposito, actus etiam circa finem ingredi constitutionem Providentiæ. Primò: quia omnis actio, quæ verè est propter finem, est effectus Providentiæ: sed rei productio, & ipsa res, cui providetur, est à Deo propter finem: ergo est effectus Providentiæ: ergo actus etiam*

ver-

versantes circa rem, quæ est finis *Cui*, constituent Providentiâ. Secundò: quia iudicium de fine ut assequibili per media spectat ad Providentiâ: ergo & volitio finis ut assequibilis. Tertio: quia divina volitio, seu intentio finis *Qui*, nempe Gloriam, dicitur esse de essentia Prædestinationis; imo & ipsa Prædestinatio, scilicet electio ad Gloriam: ipsaque substantia Prædestinationis numeratur inter effectus Prædestinationis: ergo notitiâ & volitio divina producendi hominem in finem Beatitudinis sunt de essentia Prædestinationis. Atqui Prædestinatio est species Providentiæ: ergo de essentia quoque cuiusvis Providentiæ sunt actus intellectus, & voluntatis divinæ versantes circa fines *Cui*, & *Qui*. Quarto: quia ipsa productio creaturæ assumitur ut medium ad existentiam creaturæ; cuiusque existentia, ut medium ad operationes; & per utramque multum constituitur, ac providetur creaturæ; sicut econtra multum ei incommodatur per destructionem, & non existentiam: ergo stando etiam definitioni Providentiæ prout supra, stat benè, quòd actus versantes circa fines *Cui*, & *Qui* sint quoque de essentia Providentiæ.

26 Conciliari fortè possent facilius quàm impugnari graves isti Theologi decidendo licet cum aliqua distinctione. Providentiâ sumitur quandoque laxius pro qualibet prudentiali rerum dispositione, qua res non fiunt casu, & fortuito. Et in hac latitudine procedere videtur sententia Lessij, à nemine, ut existimo, neganda. Præsius verò, magisque propriè sumitur in ijs præsertim Disputationibus non pro quacumque prudentia; sed pro prudentia, seu cura gubernativa rerum. Et in hoc sensu procedunt definitio supra tradita ex Augustino, & sententia P. Suarez exposita *num. 23.* quæ propterea absolutè, proprièque loquendo magis placet. Et per hæc respondendum est ad argumenta Patris Lessij cum utilitate doctrinæ.

27 Ad primum distinguatur maior. Omnis actio propter finem est effectus Providentiæ laxius sumptæ pro qualibet dispositione prudentiali, concedo: sumptæ præsius, & contractius prout nunc loquimur, subdividuo: est effectus Providentiæ, quæ propriè sit Providentiâ respectu rei per illam actionem primò productæ, nego: quæ propriè sit Providentiâ

respectu aliarum rerum, quibus ea res inservit ut medium, concedo. Quòd enim in vna Providentiâ est finis *Cui*, in alia sumitur ut medium, ut prænotavimus *num. 22.* Itaque productio, & existentia Petri V. g. cuius notitiâ, & volitio non constituit Providentiâ de Petro, quia non dicitur gubernari quando producitur, constituit Providentiâ de alijs rebus ad quarum fines, & regimen ordinat Deus tanquam medium existentiam Petri. Et in hoc sensu verum est quòd divina volitio, & præscientia cuiuslibet creaturæ, suorumque finium, spectat ad essentiam divinæ Providentiæ; alicuius scilicet Providentiæ id ordinantis ut medium ad alios fines; non vero ad Providentiâ gubernativam talis creaturæ.

28 Ad secundum: distinguendum etiâ est: iudicium de fine ut assequibili, eiusdemque volitio, seu intentio spectat ad Providentiâ prærequisitivè, concedo; constitutivè, nego. Quemadmodum enim prudens volitio emendi servum nondum est Providentiâ gubernativa Servi, sed præsupponitur ad illam; sic volitio producendi hominem ad talem finem nondum est Providentiâ, qua Deus illi provider media ad talem finem. Id intelligo, nisi volitio ipsa producendi hominem in finem sit simul volitio, & præparatio mediorum, per quæ gubernetur, & dirigatur homo in talem finem. Sic enim eiusmodi volitio esset de essentia Providentiæ: non quatenus est volitio producendi hominem in finem; sed quatenus est volitio, seu præparatio mediorum, quibus homo productus dirigatur, seu perducatur in talem finem: ut respondimus ad Patrem Quiròs *num. 22.*

29 Ad tertium: oportet maximè, ut caveantur in ijs nostris disputationibus plures æquivocationes, distinguere diligenter, seduloque discernere ex P. Suarez *1. de Prædest. 17.* duas acceptiones Prædestinationis vñtatissimas apud Sanctos Patres, & Theologos. Vna est pro ipsa formali electione divina Prædestinatorum ad Gloriam. Altera est Augustiniana pro speciali Providentiâ, qua Prædestinatis disponit Deus media, seu beneficia Gratia, per quæ re ipsa Gloriam assequuntur, ad quam sunt à Deo specialiter electi. Et hæc est Prædestinatio, quam definiit nobis Augustinus: *Præscientia, & Præpara-*

tio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur qui, sique liberantur: ideoque vocatur Prædestinatio Augustiniana, iuxta sensum nimirum, quo eam accepit, ac definiit Theologorum Apex Augustinus. Per hæc ad argumentum concedimus antecedens de Prædestinatione priori modo acceptâ pro electione ad Gloriam: & in eodem sensu concedimus consequentiam. Vtrumque verò negamus de Prædestinatione Augustiniana iuxta posteriorem sensum: sic enim constitutivè solum est ex Augustino Præscientia, & Præparatio beneficiorum Dei, quæ sunt media Gratiæ ad finem Gloriæ. Minor subiuncta distinguenda est. Prædestinatio sumpta in priori sensu est species Providentiæ, negamus; sumpta in posteriori sensu Augustiniano, concedimus. Exinde cõsequentiã nulla est. Dicat aliquis: cur etiã Providentiã in genere non similiter bifariam accipiatur, sicut Prædestinatio: aliter nimirum pro Præscientia, & Præparatione mediõrum; & aliter pro intentione finis: quo secundo sensu actus circa finem essent de essentia Providentiæ. Iam id tetigit oculatissimus Suarez: sapienterque respondit, in ipsis vocibus elucere discrimen. Absolutè namque proprieque dicimus, Deum homines prædestinare; non verò sic, homines providere, sed hominibus. Vnde est quod quamvis aliqua prædestinatio nec præsupponat finem, nec rem; omnis tamen providentiã de aliqua re in quolibet proprio sensu præsupponit rem eiusque ordinationem ad finem præcognitum & præintantum ad cuius assequutionem gubernatur, provideque dirigitur per media: quæ gubernatio, & directio dicitur esse Providentiã.

30 Ad quartam scias, quòd propterea dixerunt aliqui, productionem rei, cui providetur, esse effectum Providentiæ rei, quamvis id negant de ipsa re producta; ideoque præscientiam, ac præparationem talis productionis esse de essentia Providentiæ talis rei. Hoc tamen dici videtur abs re: nam Providentiã gubernativa creaturæ, sicut præsupponit creaturam, ita & eius productionem: atque adeò rationes positæ pro P. Suarez num. 24. perinde valent de productione rei, ac de ipsa re. Respondetur ergo, dato quòd productio sumi possit ut medium ad existentiam rei, non sequi, quòd per id provideatur

gubernative tali rei: quamvis enim id sit rei bonum, nondum tamen per id dicitur res gubernari: gubernatio namque supponit rei productionem, sicut & existentiam, ut per se claret.

#### SECTIO IV.

Quàm sit universalis, quàm multiplex Divina Providentiã?

31 UNIVERSALISSIMA quidem est: taliter ut ad omnes res creatas se extendat, etiam minutissimas. Id probant ex Fide, & ex ratione naturali, quæ dedimus num. 2. pro existentia Providentiæ Dei. Vnde quamvis in rebus eveniant multa, quæ respectu nostri eveniunt casualiter, & fortuito, quippe nec illa prævidemus, nec providemus, utpote præter opinionem, spem, & intentionem nostram; respectu tamen Dei nihil casu, & fortuito fit, quia omnia prævidet, & circa omnia, aut de omnibus providet in suos fines præintentos, nec aliter eveniunt ac ipse eventura prænovit. Quamobrem que ementito Fortunæ Numini tribuebant Ethnici, id Deo providentissimo, aut volenti, aut in finem à se volitum permittenti reducenda sunt.

32 Objici solet primò dictum Pauli 1. Corinth. 9. *Nunquid de bobus cura est Deo?* Secundò quod ait Hieronymus ad Habacuch. 1. *Aburdum est ad hoc deducere Divinam Providentiã, ut sciat per momenta singula, quot nascantur pulices, quot moriantur.* Tertio: quia si Deus cuncta videret, & provideret, quomodo tot mala, & peccata in creaturis eveniunt?

33 Respondetur ad primum, Paulum id non dixisse, ut negaret Deo curam etiã de bobus; sed ut significaret Legem veterem *Deuteronomij* 25. prohibentem, ne alligaretur os bovi trituranti; non tam pro bobus materialiter latam, quàm spiritualiter pro Ministris Ecclesiæ de ecclesiã victuris: quod erat ibi intentum Apostoli. Ad secundum, missis multorum solutionibus dico, aut cum Patre Bernal, Hieronymum ibi solum negare, Deum cognoscere per momenta singula, hoc est temporaliter & de novo successive res quæ nascuntur; cum omnia simul noverit ab æterno: aut cum alijs, solum negare eo deduci Dei Providentiã, ut sistat in

earum rerum notitia, quin res illas minutissimas referat in altiores fines; aut cum alijs, solum negare Deo de irrationalibus providentiã specialem supernaturalem, quam habet de nobis. Quam interpretationem comprobat P. Iunius *sect. 1. cap. 1.* ex contextu Hieronymi subiungentis: *Non sumus nos falsi adulatores Dei, ut dum potentiam eius ad ima detrahimus, in nos ipsos iniuriosi simus, eandem rationalium, & irrationalium providentiã esse dicentes.* Ad tertium: ex quo multi decepti sunt ut divinæ Providentiæ blasphemè obloquerentur, dico, quòd ex vna parte Deus non tenetur vitare peccata nostra, aut nulla mala permittere; ex altera verò parte potest ut supremus Dominus sua dona distribuere, rerumque status pro libito sic, aut sic constituere: in quibus si pro nostro libero arbitrio peccata sequantur, creaturis imputentur, nõ sibi id ob fines altissimos, & optimos permittenti.

34 Universalitatem divinæ Providentiæ extendunt aliqui ad creaturas merè possibiles; quin etiam ad ipsum vltimum Deum. Deus enim propter se ipsum, & in finem suæ gloriæ cuncta disponit: ergo actus sic res disponentes, quibus constituitur Providentiã, aliquantulum etiam se saltem indirectè ad Deum ipsum extendunt. Præterea multas tentationes impedit providentissimè Deus, faciens ut maneant purè possibiles, ne peccet Prædestinatus: ergo Providentiã prædestinativa extendit etiam se ad purè possibilia: de quo Granad. *Tract. 2. disp. 4.* Hæc, me iudice, vera sunt, & innegabilia. Existimo tamen dubium in hoc sensu esse non posse. Sed an Providentiã Dei extendatur directè ad Deum etiam, & purè possibilia tanquam ad subiecta, quibus absolutè, & proprie dici possit Deus providere? In hoc autem sensu, dico, quòd non. Nam in quæstionibus de nomine standum est vsui vobum, prout prævaluit apud Theologos. Hi autem sumunt Providentiã pro perfectione Dei dominativa & gubernativa: atque adeo excluditur ab ipso subiecto, cui providetur, Deus supremus Dominus, & Gubernator, itemque purè possibilia: ijs enim Deus non præparat media quibus in suos fines perducantur & gubernentur; cum nec decreverit illarum existentiam.

35 Ex universalitate divinæ Providentiæ oritur multiplex Providentiæ divisio:

pro varietate scilicet rerum, quibus Deus providet; & finium ad quos providet; & mediõrum, per quæ providet. Ut vtiliores attingam, dividitur primò in Physicam, & Moralem. Secundò in Necessariã, & Ultranecessariã. Tertio in Naturalem, & Supernaturalem. Quarto Supernaturalis subdividitur in purè sufficientem propriam Reprobatorum; & in Efficacem, seu Prædestinativam; propriam Electõrum, seu Prædestinatorum. Explico terminos.

36 Providentiã Physicã est quæ versatur circa effectus purè naturales, & phisicos prout omnis moralitatis, ac libertatis expertes. Et hæc se extendit ad omnes creaturas: quas nimirum Deus gubernat eas conservans, illique præparans suum concursum ad effectus phisicos ipsis connaturales, ac debitos: Soli ad illuminandum; igni ad comburendum; homini ad operationes non subiectas rationi, &c.

37 Providentiã Moralem est quæ versatur circa creaturas intellectuales quoad operationes rationi subiectas, & liberatas, ut per eas dirigantur ad suam finem. Hæc gubernatio præter earum conservationem & præparationem debiti concursus phisici importat præcepta; consilia, exhortationes; promissiones præmiorum, comminationes pœnarum; & id genus alia ad creaturæ rationalis regimen opportuna.

38 Providentiã Necessariã est quæ ita requiritur ad dirigendas res in suos fines, ut sine illa, & sine medijs ab ipsa provis in finem tendere non possent. Ultranecessariã est quæ re ipsa datat in Deo circa creaturas, aut melius, commodius & per plura, aut plus idonea media dirigantur in fines, sine illa tamen per Providentiã necessariã & per eius media possent tendere ad finem, & ad illum pervenire.

39 Providentiã Naturalem est quæ creaturas ordinat ad fines sibi connaturales, & per media sibi debita; & connaturalia. Supernaturalis est, quæ illas ordinat ad finem supernaturalem v. gr. Gloriam; & per media supernaturalia, qualia sunt auxilia gratiæ. Hæc autem supernaturalis subdividitur in purè sufficientem, & efficacem.

40 Purè sufficiens circa Repobos: Quippe finem illum Gloriæ re ipsa non assequuntur, quamvis ad illum ordinentur à Deo, qui vult omnes homines salvos fieri; & sufficientibus medijs instruantur.

Et hæc vocatur in Scholis, Reprobatio. 41 Efficax seu Prædestinativa, quam in ijs disputationibus nomine Prædestinationis significamus; est circa Electos, seu Prædestinatos. Quippe reipsa finem Gloriæ consequuntur per media Gratiæ. Et de ijs duabus specialiter nobis futurus est sermo in sequentibus.

SECTIO V.

An, & quatenus Divina Providentiâ semper assequatur finem suum? Vbi an & quomodo sit infrustrabilis?

42 PRO fine generalissimo habet Deus in quolibet opere sui Gloriam, seque metipsum: quippe *universa propter semetipsum operatus est Deus*. Præter hunc autem habet fines alios particulares iuxta naturas operum, & beneplacitum suum, ordinando sua opera quod, & quomodo vult. Est exemplum in Providentiâ prædestinativa Petri, qua pro fine suo generaliter habet Deus gloriam suam, & pro particulari gloriam Petri.

Caietan. Scot.

43 Multi Thomistæ cum Caietan. & Scotistæ cum Scoto generaliter docent; Dei Providentiâ assequi semper omnem suum finem. Temperandum tamen hoc est cum nostris Doctoribus; & dicendum; quod, quamvis semper assequatur finem generalem gloriæ suæ, non verò semper omnem particularem ad quem adhibet media. Sic etiam videntur sensisse S. Bonaventura, Albertus Magnus, Zumei, Montepilosus, & S. Thom. *quæst. 6. de Verit. art. 3.* ita clarè, ut Caietanus contrarium tenens *1. p. quæst. 23. art. 6.* dixerit, S. Thomam in Partibus mutasse Sententiâ.

Bonavent. Albert. Zumei. Montepil. S. Thom.

44 Ratio nobis est: quia Deus ex voluntate sua, qua vult, omnes homines salvos fieri; providet, reprobis etiam, apta media quibus ad metam salutis æternæ dirigantur: ad quam tamen reipsa non pertingunt: non igitur omnis finis intentus à Deo semper obtinetur. Et ratio à priori sumitur ex dicendis *disp. 3. sect. 1.* Nam ex intentione inefficaci finis potest voluntas procedere ad eligenda media per veram; absolutamque Providentiâ in talem finem: nullum autem est inconveniens quod inefficax intentio non assequatur finem sic intentum.

Infrâ disp. 3.

S. Thom.

45 Obijciunt S. Thomam *1. p. quæst. 19.*

asserentem, voluntatem Dei semper impleri iuxta illud Davidis: *Omnia quæcumque voluit Deus fecit in Cælo, & in terra: & Esther. 13. Non est qui possit tua resistere voluntati.* Et *quæst. 23.* docet, Prædestinationem semper assequi suum finem, quia est pars Providentiæ. Vnde arguit Caietanus, equiparari à S. Thoma Providentiâ cum Prædestinatione in hoc quod est semper assequi finem; contra quod docuerat *quæst. 6. de Verit.* Providentiâ non esse certam respectu finis particularis; bene verò Prædestinationem. Respondetur, voluntatem efficacem Dei semper impleri; non sic inefficacem: Deumque fecisse omnia quæ efficaciter voluit; non sic quæ inefficaciter: sicque voluntati efficaci Dei nunquam resistitur, intellige, cum victoria; bene verò inefficaci: quod quidem non est Dei imperfectio; sed perfectissima libertas: qua, sicut potuit pro libito non velle hos, vel illos fines, ita & aliter, ac aliter velle; scilicet vel efficaciter, vel inefficaciter. Ad secundum locum S. Thom. *ex 1. p. quæst. 23.* dico, quod ipso teste Caietano, nostram Sententiâ alibi docuit. Nec ex eo, quod ait *1. p.* bene deducit Caietanus, mutasse Sententiâ, eo quod dixerit, Prædestinationem semper assequi suum finem; & esse certam, quia est pars Providentiæ: non enim sic dixit S. Thom. sed Prædestinationem non imponere rebus necessitatem; quia est pars Providentiæ. In hoc, & non illo equiparare debuit Caietanus Prædestinationem, & Providentiâ.

Psal. 134.

Esth. 13.

Caietan.

46 Obijciunt secundò Boetium, Nazianzenum, eundemque S. Thom. *quæst. 22. art. 4.* asserentes, mutabilitatem creaturarum sumere immutabilitatem à Providentiâ Dei. Vnde addit S. Thom. in hoc esse immutabilem, & certum ordinem divinæ Providentiæ; quod ea quæ à Deo providentur, cuncta eveniunt eo modo quo ipse providet. Accedit Ecclesiæ Oratio: *Deus, cuius Providentiâ in sui dispositione non fallitur.* Falleretur autem, si finem intentum non obtineret.

Boetius. Nazianz. S. Thom.

47 Respondetur, prius illud Sanctorum dictum intelligi posse, aut de Providentiâ, quatenus dicitur ordinationem mediolorum; aut quatenus supponit intentionem finis. Vtrobique autem modo sumatur, verum est de Providentiâ efficaci: sic nempe, ut quamvis voluntas Dei efficaciter

ver-

versetur sæpè circa res contingentes, mutabiles, & liberæ, sunt tamen immutabiles in sensu composito, seu coniunctim cum tali Providentiâ: quatenus impossibile prorsus est quod cum Dei voluntate sic efficaciter volente, rem evenire, coniungatur, rem non evenire sic. Similiter intelligo secundum dictum S. Thom. circa quod observat bene Caietan. *quæst. 23. art. 3.* certitudinem Providentiæ dici dupliciter: vel pro certitudine formali divinæ præcognitionis; vel pro obiectiva securitate, & connexione mediolorum cum obtentione finis. Priori modo semper est certa divina Providentiâ: quia nihil evenit contra, nec ultra Dei præcognitionem: & in hoc sensu dicit Ecclesiâ, quod *in sui dispositione non fallitur*: quia nihil evenit, aut desinit evenire, quod Deus non præcogoverit fore, vel non fore. Posteriori modo non semper est certa: quia non semper providet media intrinsece cõnexa cum obtentione finis: ut patet quando finis est actus liber, vel pender ab actu libero, qui non nisi contingenter & ex libera nostra determinatione coniungitur cum medijs, seu comprincipijs ad illum provisus. Hanc autem esse naturam talium mediolorum, nostrorumque actuum liberorum, nihil derogat perfectioni, nec formali certitudini divinæ Providentiæ, ut in sequentibus idemidem videbimus.

Caietan.

Alvarez.

Caietanus.

48 Obijciunt terciò, Providentiâ Dei semper ordinat media ad finem efficaciter præintantum: semper ergo finem assequitur. Antecedens probat primò Alvarez: quia efficacis volitio mediolorum nequit esse nisi ab intentione efficaci finis. Secundò Caietanus: quia Providentiâ spectat ad voluntatem Dei consequentem: sed hæc semper assequitur finem, cum sit causa per se finis: semper ergo supponit finem efficaciter præintantum. Tertiò alij: quia ordinare media ad finem non efficaciter intentum; aut esset impotentia, quatenus sic ordinans impotens esset adhibere media finem assequutura; aut esset ignorantia, quatenus non satis nosset quæ media sint assequutura finem; aut esset imprudentia quasi spargentis nõ efficaciter desiderantis messem. Nihil autem istorum cadere potest in Deum. Respondetur, antecedens esse falsum de fine quolibet particulari: quamvis verum sit de fine generali: qui nempe semper à Deo efficaciter intenditur.

49 Ad primam probationem negatur antecedens ex dicendis contra Alvarez *disp. 3. sect. 1.* Ad secundam negatur in maiori quod ad solam voluntatem consequentem spectet Providentiâ. Nec in explicatione voluntatis divinæ antecedentis, & consequentis convenimus cum Caietano. Eas aptius discernit & explicat Suarez *lib. 3. de Attrib. cap. 8.* & nostram explicationem *disp. 3. sect. 1.* dabimus. Ad terciâ, negamus vllam ex illis tribus imperfectiõibus in Deo sequi. Nec enim id esset impotentia: posset enim pro libito finem efficaciter intendere; sed non vult, nisi ineffaciter, sicut potuit nec ineffaciter illum intendere: nec quidem ignorantia; non enim desinit Deus adhibere talia media quia non nosset; sed quia non vult: nec tandem imprudentia; id enim sapientissime posset sic disponere ob fines altissimos. Quod eo ipso exemplo nobis obiecto sic explico. Si enim spargens triticum ostentaret suam in eo dexteritatem, propter quam præmiandus esset à Principe, prudenter ageret sic disseminans, quamvis ex inefficaci intentione messis: quam etiam non assequeretur, assequeretur tamen præmium à Principe. Id ulterius applicabitur ad Dei Providentiâ *num. seq.*

Infrâ disp. 3.

Suarez.

Inf. disp. 1.

50 Obijciunt quartò quod inde videtur sequi Dei Providentiâ sæpè frustrari: contra quod prædicant Sancti PP. de eius infrustrabilitate: frustrari namque aliud non est quam finem non obtinere. De Providentiâ efficaci omninò negatur sequela: de qua planius intelligendi veniunt Sancti PP. Et adhuc de ea quæ finem aliquem particularem ineffaciter intendit, & non assequitur, negat sequelam absolute loquendo Suarez *lib. 2. de Auxil. cap. 7.* Quamvis enim interdum finem aliquem particularem non obtineat; obtinet semper non solum generalem, sed alios etiam particulares, ad quos eadem media sapienter ordinaverat: atque adeò absolute non frustratur. Quemadmodum Providentiâ recti Principis amantis ex vna parte retributionem pro benefactis; & ex alia ostensionem suæ iustitiæ, aut emendationem aliorum, si provideret media subdito ut bene ageret; monens de punitione; si secus; non certè frustraretur, si subditus bene ageret; imò nec si secus: quia re ipsa puniretur, & alij emendarentur. Sic ergo intelligitur, quod fines aliquos parti-

Suarez.

culares assequitur semper Providentia Dei ad multa mentisissimi: sicque nec frustra est, nec absolute dici potest frustrata, quamvis interdum finem aliquem inefficaciter intentum non assequatur. Et hac potest etiam esse recta Sactorum Patrum intelligentia.

Augustin. 51 Dedit hanc doctrinam Magnus Augustinus cap. 36. de Spir. & Litt. utens exemplo Principis nuper posito, sicque dicens, quod licet infideles non faciant quod Deus vult miseris; non tamen effugiunt quod Deus vult iudex. Consonant Boetius, & S. Thom. Ille lib. 4. de Consol. Prof. 6. dicens: Ordo enim quidam cuncta completur, ut quod ab assignata ordinis ratione decesserit, in alium tamen ordinem relabatur, ne quid in regno Providentia liceat temeritati. Ille 1. p. quaest. 19. art. 6. dicens: Cum voluntas Dei sit universalis causa omnium rerum, impossibile est, quod suum effectum non consequatur: sicut peccator, qui quantum est ex se recedit a divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinae voluntatis, dum per eius iustitiam punitur. Vide quam longe fuerit a S. Thoma retractare in 1. p. quod super hoc alibi docuerat, ut autumat Caietanus.

SECTIO VI.

An & quomodo Divina Providentia sit, & dicatur inevitabilis, aut evitabilis a libero arbitrio creato?

Caietan. 52 ANXIVS est valde Caietanus q. 22. art. 4. circa inevitabilitatem Providentiae divinae. Nam ex una parte, stante infallibili certitudine Providentiae, videtur debere dici omnino inevitabilis: ex alia vero parte videtur, quod, stante libertate nostrorum actuum, a quibus saepe dependent multi effectus divinae Providentiae, non potest hac esse inevitabilis, sed evitabilis pro libito arbitrii nostri. In quo dubio ait nihil scriptum se reperisse in S. Thom. & concludit se non ausum dicere esse evitabilem, nec dicere esse inevitabilem; sed esse quid aliud quasi abstrahens inter utrumque. Hoc tamen impugnat facile Suarez lib. 2. de Auxil. cap. 7. certe enim medium a parte rei dabile non est inter esse, & non esse evitabilem; aut esse, & non esse inevitabilem.

Suarez. 53 Quadruplex sensus excogitari po-

test circa evitabilitatem Providentiae. Primus: an possit creatura evitare, id est subterfugere Providentiam Dei: taliter ut pro libito sub nullam Dei Providentiam cadat? Et sic certum est, Dei Providentiam non esse a nobis evitabilem: nam, ut vidimus sect. preced. non possumus non incidere in aliquam Dei Providentiam circa nos. Secundus: an possimus tollere Providentiam, quae fuerit circa nos. Et sic est etiam certum, quod non: nam implicat, praescientiam, seu decretum definire esse postquam fuit, ut circa Dei immutabilitate explicuimus Tom. de Deo, disp. 14. sect. 1. id autem esset tollere praesentem Dei Providentiam. Tertius: an cum existentia Providentiae praesentis componi possit, sine intentum non obtineri? Et hoc est confundere minus bene evitabilitatem cum frustrabilitate: id enim, e re loquendo, potius esset Providentiam frustrari, quam evitari: esset utique impediri & evitari finem, vel effectum Providentiae, non impediri, vel evitari existentia Providentiae. Quartus, & opportunus: an possit creatura facere quod Providentia aliqua praesens, nunquam extiterit in Deo? Sepositis autem alijs, in hoc quarto sensu locum habet apud Theologos terminorum gnaros proposita difficultas, cuius praevia distinctio, & decisio multam lucis praestet ad Disputationes sequentes.

54 Conclusio. Providentia divina quantumvis efficax, circa effectus a nostro libero arbitrio pendentes, non est a nobis inevitabilis; sed absolute evitabilis: circa effectus vero necessarios non pendentes a libero arbitrio nostro, non est a nobis evitabilis; sed inevitabilis. Posterior pars est extra controversiam: effectus enim a libero arbitrio nostro minime pendentes, sicut non sunt pro libito nostro, ita nec pendunt a libito nostro in sui non esse, seu quoad evitari: atque adeo non est inde divina Providentia circa illos dici possit a nobis evitabilis.

55 Prior vero conclusionis pars, quae est veluti cardo verae doctrinae a nobis in sequentibus sustinendae, & sapius usurpanda, declaratur, & probatur. Quia effectum aliquem esse nobis liberum, involvit essentialiter posse a nobis pro libito non poni, diciturque in nobis potestatem antecedentem illum non ponendi: ergo & potestatem impediendi, seu evitandi quidquid essen-

Tom. de Deo disp. 14.


tialem habet connexionem cum positione talis effectus: nam evitato, impedito, seu non posito effectu, infallibilissimum est, evitari, impediri, seu non poni id quod illo non posito non poneretur. Atqui in Providentia divina sunt praedicata illam constituentia, quae essentialiter dicunt connexionem cum positione actuum nostrorum liberorum, quaeque certissime non sic essent in Deo, si a nobis non ponerentur actus liberi, qui de facto ponuntur: ergo eandem potestatem constitutivam nostrae libertatis, quam habemus ad eiusmodi actus, sive effectus non ponendos, habemus ad evitandum, sive impediendum, ne talia praedicata sic extiterint in Deo: quod est esse a nobis evitabilia, seu impedibilia. Consequentia haec est manifestissima. Minor in quacumque Sententia Theologorum admittenda est. Si namque constituatur Dei Providentia per actus divinae voluntatis, qui sint efficaces praefinitiones nostrorum actuum liberorum, haec quidem cum sint intrinsicè infrustrabiles, nunquam essent in Deo, nunquam posito nec ponendo tali actu nostro. Si vero constituatur per actus voluntatis, qui sint volitiones auxiliorum cum divina praescientia conditionata de positione actus nostri liberi sub collatione talium auxiliorum; stare nequit in Deo complexum ex tali decreto auxiliorum, & ex tali praescientia, cum eo quod collatis talibus auxilijs non ponatur talis actus liber: esset enim eo ipso falsa Dei praescientia. Innegabile igitur est, Providentiam Dei circa effectus nobis liberos constitutivos actibus Dei ita connexis cum positione nostrorum actuum, ut ijs pro libito nostro non positis, illi in Deo non existerent: ac proinde illos, & Providentiam per illos constitutam, esse a nobis evitabiles, eadem potestate qua liberi sumus ad non ponendum actum nostrum quem libere ponimus.

56 Non quod possimus facere, quod eiusmodi Dei actus senel extiterint, & postea non extiterint: neque quod possimus coniungere evitacionem, seu non positionem liberum actus nostri cum eiusmodi praedicatis Providentiae divinae de facto existentibus: had neutrum enim horum est in nobis, vix potestas, cum utrumque id sit nobis, qui etiam a Deo, proclus impossibile, sed quia, non ponendo actum

quem pro libito ponimus, faceremus, atque adeo facere possumus, ne unquam sic extiterint in Deo eiusmodi praedicata: eo scilicet modo, quo praedicata libera Dei, aliter ac omnino necessaria, ita sunt in Deo, ut potuerint sic denominando non esse, salva perfectione attributi divinae Immutabilitatis, prout explicuimus Tom. de Deo disp. 14. Id quod pra oculis semper haberi debet.

57 Atque hinc solvitur nodus Caietani, & occurrirur rationi dubitandi positae in 1. p. 52. Haec enim evitabilitas Providentiae, quam adstruimus nec opponitur infrustrabilitati divinorum decretorum efficacium; nec infallibilitati divinae scientiae certissimae: Non infrustrabilitati decretorum: quia decretum frustrari est decretum esse, & rem ab ipso intentari non poni: quod omnino repugnat: ad hoc autem non agnoscimus potestatem, nec in nobis, nec in Deo; decretum evitari esset nunquam fuisse: quod minime repugnat, cum libere fuerit: si autem nunquam fuisset nequaquam frustraretur; sed evitaretur, ne foret: & ad hoc agnoscimus potestatem in Deo, & in nobis constitutis a Deo in libertate. Non infallibilitati Scientiae: quia scientiam falli est, Deam cognoscere; rem sic evenire, aut eventuram; & evenire seorsus: quod similiter repugnat: ad hoc autem non agnoscimus ullam potestatem neque consequentem, neque antecedentem, nec in nobis, nec in Deo. Quod si dicitur in nobis liberis potestas ad impediendum eventum in rei, est simul potestas ad evitandum talem eventum in Deo: hoc est ad faciendum ne unquam fuerit sic cognoscens: quod non esset scientiam falli; sed nunquam sic extitisse, aut cognovisse sicque non falsificaretur. Stat ergo bene potestas ad evitandum scientiam sine potestate ad falsificandam scientiam; & evitabilitas scientiae potentis nunquam extitisse cum infallibilitate scientiae metaphysice repugnantis esse falsam; nam esse falsam dicit scientiam esse in Deo sic cognoscentem, & esse cum liberum taliter ac ipsa noverat eventum.

58 Quocirca dicitur eximie Suarez in 1. p. 58. Quocirca dicitur eximie Suarez infallibile, & evitabile distinguo: quia illud refertur ad cognitionem; istud ad causam potentem impedire non vero pugnat inter se: nam potest effectus simul esse infallibilis, & evitabilis: si nempe ita potest impe-



Suarez.



impediri, seu non fieri à sua causa, ut re vera efficiendus sit, & non impediendus: sic enim esset evitabilis, quatenus impediri potest; infallibilis verò, quatenus impediendus non est, nec est potens falsificare divinam scientiam de ipsius positione; quia nempe si non poneretur, nunquam extitisset in Deo talis scientia.

59. Insistunt imperitè nonnulli: Non est nobis liberum quòd res à divina Providentiâ disposita eveniant aliter, ac scite, ac à Deo disposita sunt: ergo Providentiâ Dei est à nobis omninò inevitabilis. Antecedens probatur: si enim id esset nobis liberum, & possibile, nulla foret implicantiâ si ad actum reduceretur, impedito videlicet re ipsa effectu Providentiâ: hoc autem est falsum, quia foret falsa, & à nobis falsificata Providentiâ Dei. Confirmatur. Qui stante ea Providentiâ divinâ dispositione faceret evitare effectum, & res aliter evenire, faceret Providentiâ esse falsam: ergo qui potest id facere, potest facere Providentiâ esse falsam: sed qui absolute potest evitare Providentiâ, potest id facere: ergo absolute facere potest, Providentiâ esse falsam. Sed hoc in terminis implicat: ergo & quòd Providentiâ Dei sit à nobis pro libito evitabilis.

60. Respondetur expedite, distinguendo antecedens: non est nobis liberum, quòd res à Providentiâ disposita eveniant aliter, ac à Deo scite, ac disposita sunt, stantibus cum eo alio eventu, eadem præsentis Dei dispositione, ac scientia, concedo; impeditis eo ipso, ne cum eo starent præsens dispositio, ac scientia, nego antecedens; si constituimus, ut supponimus, in casu libertatis. Ad probationem antecedentis, vltro concedimus, nullam implicantiâ fore, si id redigeretur ad actum, eo modo, quò concessimus esse nobis liberum & possibile: scilicet impedito pro libertate nostra effectu præsentis Providentiâ nobis libero, simulque impedita ne nunquam fuisset hæc dispositio, aut scientia præsentis Providentiâ. Hoc namque modo nec præsens Dei dispositio fuisset frustrata, nec præsens Dei scientia fuisset falsa; sed nunquam extitissent: quemadmodum scientiâ Dei cognoscens mundum fuisse ab æterno falsa non est, quia in Deo non esse nec falsa esse potest, quia in Deo sic esse non potest simul cum inceptio mundi.

61. Ad confirmationem, verisimiliam

est primum enthymema, negatur verò minor subsumpta cum subillatione. Sicut enim qui evitaret, seu impediret, ne extiterit præsens Providentiâ, nõ faceret, quòd, stante hoc ordine Providentiâ, effectus aliter eveniret, quia alius etiam esset ordo Providentiâ; ita qui potest evitare præsentem Providentiâ, non potest facere, quòd, stante hoc ordine præsentis Providentiâ, effectus aliter eveniat: ad id enim nulla datur potestas, nec in terra, nec in Cælo, nec antecedens, nec consequens: sed potest facere quòd effectus sibi liber aliter eveniat evitando, seu impediendo ne sic extiterit nunquam in Deo hic ordo Providentiâ: ex qua potestate sic reduta ad actum nec sequitur frustratio, nec frustrabilitas Providentiâ; nec falsitas, nec fallibilitas divinæ scientiâ, nec excogitabilis vlla contradictio: si termini ritè penitentur.

### SECTIO VII.

An, & quomodo Providentiâ Dei sit necessaria: & an ad Providentiâ Naturalem necessaria sit aliqua Supernaturalis?

62. **N**ON institimus quæstionem de necessitate quam rebus imponat Dei Providentiâ. Supponimus enim non imponere necessitatem causis liberis, imò potius earum libertati consulere, & cum illa rectè conciliari multiplici modo, quò in sequentibus explicabimus. Quidquid sacrilegè aberraverint antiquiores Philosophi, qui, iudice Augustino, ut homines facerent liberos, fecerunt sacrilegos: quippe frustra veriti, stare non posse hominum libertatem, præsciente Deo ab æterno eorum actus, ut hominum libertatem tueretur, eos impulerunt ut sacrilegè negarent Deum futuros eorum actus ab æterno præscire: rati per errorem, divinam præscientiam, & consequenter Providentiâ imponere rebus necessitatem. Adversus scripsere multi SS. PP. & Theologi Scholastici, imò & Hæretici multi, quoad hoc non errantes, nec male arguentes adversus Ethnicos. Non enim quidquid Hæretici dicunt, hæreticum est. Ut obiter notem quam inaniter carperet studeat Gonetus Authores nostros, videntes quandoque in hoc & similibus punctis rationibus, quæ leguntur apud Hæreticos: quasi quidquid legi-

legitur in Hæreticis hæresis sit, aut in Ethnicis ethnicismus. Hæc cursim. Quæstio præsens nobis est de necessitate, quâ Deo, & creaturis conveniat Providentiâ Dei.

63. Prima conclusio. Creaturis, dato quòd sint, necessaria est aliqua Dei Providentiâ. Quia nullum effectum sibi debitam secundum earum naturas sortirentur, si Deus non pararet media, & saltem non præpararet omnipotentiam ad illum consequendum: nequit autem Deus parare media, aut præparare omnipotentiam nisi provideret: alioquin pararet in incertum obnoxius fortunæ, & casui: quòd repugnat Gubernatori infinitè perfectò.

64. Secunda conclusio: Deo etiam necessaria est aliqua Providentiâ de creaturis ex suppositione quòd illas condiderit; non verò absolute, & secundum se. Ratio secundæ partis est: quia Deus nullus egens, sibi que sufficientissimus; potuit nullas condere creaturas: sicque manere absque cura, & providentiâ gubernationis ipsarum. Ratio verò primæ partis: quia ex suppositione, quòd Deus Opt. Max. creaturas condiderit deesset muneri Supremi Gubernatoris, si de illis nullatenus curaret, nec provideret media ad aliquem finem prudenter intentum. Huc Ambros. 1. de Offic. cap. 13. *Quis operator negligat operis sui curam? Cum aliquid non fuisset nulla iniuria sit; non curare quòd feceris; summa est inclementia.*

65. Hanc necessitatem extendit eodem iure Suarez lib. 3. de Attrib. cap. vii. ad Providentiâ moralem ex suppositione quòd condiderit Deus creaturas rationales. Non enim potuisset illas relinquere sine aliquo fine proportionato: nec illas non illuminare lumine saltem naturali concurrente ad recta discrimina legis naturalis, quæ reverà divina est: ac proinde nec illas proorsus sine lege relinquere. Huiusmodi autem media ad Providentiâ moralem naturalem pertinent.

66. Difficultas aliqua suboritur circa connexionem moralem Providentiâ Naturalis cum Supernaturali. Quocirca pro de facto certum est, iuxta præsentem Dei legem connexuisse, ac concatenasse Deum Providentiâ moralem naturalem cum supernaturali: quandoquidem non in fines dumtaxat naturales condidit homines, & angelos; verumetiam in supernaturalem finem elevatissimam Beatitudinis per intui-

tivam sui visionem, in eam finem providens mediâ gratiâ indebita naturæ ad supernaturaliter operandum; & ipsa mediâ entitativè naturalia ordinans in idipsum. Manet autem difficultas loquendo, non ex præsentem lege Dei, sed ex naturis rerum: an potuisset Deus relinquere creaturas rationales cum sola providentiâ naturali; absque vlla proorsus providentiâ supernaturali.

67. Ratio dubitandi pro parte negante, cui favere videntur nonnulli apud P. Quiròs disp. 2. de Provid. & Cardinalem Pallavicinum disp. 2. de Act. hum. quæst. 2. est in hunc modum. Nam ordo ipsè naturæ, quem respicit Providentiâ naturalis, continet preces ad Authorem suum munificentissimum, quas nunquam exaudire indignum esset. Preces autem esse possent de rebus indebitis naturæ: alioquin non possent in eo statu à Deo peti, nisi; quæ aliunde facere deberet ad exigentiam naturæ; v. gr. quòd Sol illuminaret; quòd ignis applicatus combureret, & ijs similia. Aut igitur Summus Naturæ Author constituendus esset talis, ut in eo statu nunquam posset annuere illis precibus; aut certè talis, ut posset, & interdum annueret. Si primum, constituitur Deus indecentissimè immitis, inclemens, & inexorabilis. Si secundum, iam ergo ad ordinem ipsam naturæ intra quem sunt dictæ creaturarum preces, pertinet patratiò aliquorum operum, quæ naturæ non debentur: sicque non est status naturæ omninò puræ, seu Providentiâ purè naturalis, sed mixtæ, & connexæ cum aliquo supernaturali.

68. Confirmatur. Quando in eo naturæ ordine peteret homo à Deo v. gr. pluviam; aut peteret, quòd nubes debite iam applicatæ, & proxime dispositæ pluerent; aut quòd sic debite applicarentur, & proxime disponerentur? Si primum, esset quasi peteret quòd ignis iam applicatus ligno disposito comburat; & omnes hominum preces eò reducere ut Deus miracula non faciat; sicut fecit in igne Babilonico. Si secundum: aut esset, aut non esset causa naturalis cui deberetur illa nubium dispositio? Si esset, preces non essent nisi de re aliâ debita. Si non esset; preces illæ naturales essent de re indebita naturæ: ac proinde de miraculo, & opere supernaturali præferente aliquid Providentiâ supernaturalis mixtæ & connexæ cum natu-

Quiròs.  
Pallavic.

Ambros.

Suarez.

Augustin.

naturali : quod est intentum.

69 Confirmatur secundò speciosius. In eo enim ordine rerum daretur in natura propensio petendi ab Authore suo clementissimo veniam peccatorum : & esset indecens, ac proinde Deo repugnans, quòd nunquam condonaret: quis namque Deum credat sic inexorabilem? Sed condonatio peccati est de ordine Gratia, & indebita natura, atque adeo pertinens ad Providentiam supernaturalem: ergo stare non posset Providentiâ Dei moralis naturalis circa creaturas racionales sine aliquâ Providentiâ supernaturali: ideoque ista Providentiâ necessariò sunt inter se connexa.

To. de Gra.  
disp. 10.  
Tom. de  
Deo disp.  
18.

70 Ob oculos haberi oportet quod tetigi disp. 10. de Grat. sect. vii. & otiosius ostendi disp. 18. de Attrib. sect. vii. Dei providentiam esse adæquatissimè supernaturalem haud secus ac divinam; solumque dici naturalem contrapositè ad supernaturalem, terminativè ratione terminorum seu effectuum creatorum, quorum alij sunt naturales, seu de ordine naturæ; alij supernaturales, seu de ordine Gratia. Sic, ut ex eadem Providentiâ materia rem à multis æquivocatione confusam declaremus, Providentiâ Dei alia dicitur physica, alia moralis: non quia utraque non sit in se moralissima, & laude morali digna; sed denominative à terminis creatis, quos respicit; alios purè physicos, ut illuminatio Solis, & caesectio ignis; alios morales & laude morali dignos, ut sunt actiones humanæ honestæ, ac meritoria. Præsens itaque difficultas nequit esse de Providentiâ Dei in se: cum omnis Dei providentiâ in se, omnisque Dei perfectio eo ipso supernaturalissima sit eodè iure, quò eo ipso est divinissima, ut contra Recentium abusum stabilivimus disp. cit. de Attributis: estque in re quærere: an ordo creatus rerum naturalium posset institui à Deo absque vilo effectu indebito naturæ; ponique à Deo iuxta aliam legem sibi possibilem status naturæ rationalis puræ absque vilo dono gratia supernaturalis?

Herize.  
Lefsi.  
Quiròs.  
Vazquez.  
To. de Deo  
disp. 18.  
sect. 9.

71 Observandum est insuper duplex genus supernaturalitatis, quod ex Herize, Lefsi, Vazquez, & Quiròs utiliter distinxit disp. cit. à num. 98. Quædam enim dicitur, ac verè sunt supernaturalia absolutè, & Theologicè: quæ quidem universam naturam superant, nullique omnino sub-

stantiæ creatæ entitati deberi possunt: ut sunt beatifica Visio, Gratia sanctificans, Unio Hypostatica, & alia quæ sunt de istarum Supernaturarum ordine, quæ propterea dicuntur specialiter ordinis divini. Alia dicuntur supernaturalia supernaturalitate Philosophica, & secundum quid: respectivè nimirum aliquarum naturarum quibus indebentur, quamvis alijs naturis deberi possint. Et sic dicuntur supernaturalia omnia miraculosa: quæ nimirum, quamvis in alijs naturis & circumstantijs evenire possent ex debito; sunt tamè in naturis, & circumstantijs in quibus nihil est cui talis effectus debeatur: ut si Cœlo sereno mitteret Deus sine nubibus pluviam abundantem.

72 Respondetur nunc ad rationem dubitandi sitam num. 67. admittendo preces Naturæ puræ in eo statu ad Authorem suum. Admitto etiam indignum fore quòd nunquam eas exaudiret: & quòd possent esse & interdum essent de rebus indebitis naturæ. Vnde ad disjunctum consequentiæ, dico in primis, quòd preces illæ possent esse de effectibus alioquin debitis naturæ. V. gr. de illuminatione Solis, & de combustione ignis: nec propterea essent ineptæ, aut incapaces experiendi liberalitatem Authoris: quippe in pœnam peccatorum posset Deus illos effectus cohibere, aut permittere Dæmoni, ut eos malevolè vi aliquâ non excedente potentiam suam naturalem, impediret: per quæ latè patet sphaera divinæ liberalitatis, & clementiæ in exauditione illarum precum. Dico deinde, quòd esse possent etiam preces illæ naturales de effectibus hic & nunc indebitis, quamvis intra sphaeram universæ naturæ absolutè contentis: quas preces exaudire posset, & interdum exaudiret benignus Author, elargiendo hic & nunc postulata: quæ, quamvis entitativè & absolute essent naturalia, utpote alicui naturæ saltem creabili debibilia, tamen hic & nunc respectivè ad præsentem circumstantias & cursum rerum essent indebita naturis existentibus, quibus indulgerentur ultra debitum ex Authoris largitate, ac beneplacito tanti Authoris. Univerſa namque naturæ Author dicitur respectivè ad universam naturam: quæ, ut suo loco vidimus, & ex professo discussimus, comprehendit omnes substantias creatas, & à Deo creabiles, earumque proprietates, & acciden-

entia proportionata. In hoc autem patentissimo Naturæ ambitu sunt aia alijs indebita, alia alijs violenta, imò & quoad modum miraculosa; non tamen excedentia universam Naturam, ac proinde nec respectum Authoris naturæ hoc suo iure sese extendentis ad universam collectionem naturæ. Dico tandem: quòd preces etiam naturales in eo statu puræ naturæ possent esse de effectu aliquo absolute supernaturali: quid enim veter quod homo mente quoquo modo apprehendens in statu illo puræ naturæ intuitionem Authoris sui, illam appeteret, & peteret? Huic autem petitioni posset, quamvis ex nullo debito teneretur, annuere Author idem sumus: non quidem ut Author naturæ, quia intuitio Dei est effectus supra naturam universam; sed ut Author Gratia supernaturalis, quam si naturæ elargiretur, eo ipso illam extraheret ab statu puræ naturæ: non ex debito eiusmodi precum naturalium, quibus nullo iure physico, nec morali deberi potest intuitio Dei, sicut nec Gratia Theologica; sed ex munificentia Authoris universalissimi. Sic ergo nec constituitur Deus immitis, & inclemens; nec sequitur impossibilis status puræ naturæ: qui scilicet dicit exclusionem elevationis ad Gratiam Theologicam entitativè supernaturalem; non verò exclusionem gratiarum Philosophicarum de ordine creationis: qui ordo universalissimus cõpatibilis est cū multis violentijs naturarum particularium, imò forte & cū miraculis à Deo ut Authore naturæ patribilibus, & quandoque patratibus: quæ quamvis non fiant ad exigentiam naturæ præsentis, non superant omnem naturam possibilem, cuius latissimum ambitum circumscribit Deus ut Author naturæ.

73 Ad confirmationem numeri 67. dico, quòd in eo statu, utroque illo modo, aut præscindendo ab utroque, posset homo petere pluviam à Deo: & utroque modo precibus humanis annuere: aut naturaliter concurrendo cū nubibus iam dispositis ad pluviam, non illam impediens in punitionem, ut facile posset, ut possent etiam Angeli, vel Dæmones: aut disponendo causas naturales alioquin indispositas, seu non satis dispositas. Quinimò & inferendo aliquibusdam naturis per alias aliquam etiam violentiam: hoc enim & ipsa natura fert, dum calescit aqua,

& sursum mittitur lapis contra innatas exigentias citra miraculum. Totam igitur hanc latitudinem amplectitur ordo rerum naturalis, totamque respiceret Providentiâ naturalis, Deusque ut Author naturæ in eo statu. Neque enim nunc in præfenti statu miracula petimus, aut Orbium cœlestium turbationem, quoties pro pluvia, aut serenitate, aut sanitate precamur. Videndus latè Suarez tom. 2. de Relig. lib. 1. cap. 18.

Suarez.

74 Ad secundam confirmationem num. 68. non placet, quòd satis communiter respondetur, posse Deum, ut Authorem naturæ, remittere peccata per condonationem extrinsecam, ob rationes Theologicas, quas contra id expendi disp. 13. de Grat. sect. 11. Dicendum igitur hic est: Deum, ut Authorem naturæ, non posse remittere peccata quoad culpam; sicut nec se intuendum præbere creaturis suis. Quid indè? Nec proindè constituitur Author immitis, inclemens, & inexorabilis: latissimus enim pateret campus clementiæ, benignitati, mansuetudini, ac munificentia tanti Authoris in elargitione liberalissimâ donorum de ordine creationis, in aversione providentissimâ multorum malorum, & in remissione multarum pœnarum culpis quotidie debitarum. Quòd autem nequeat, ut Author naturæ, culpas remittere, saltem lethales, sicut nec se intuendum præbere, non quidem est, ut videntur quidam imaginari, quia ad remittendum egeat ope alterius Dei se potentioris, aut benignioris, cū idem abs dubio sit Author Naturæ, & Gratia; sed quia ex argumento Pauli ad Roman. 5. quòd cum Antonio Perez expendimus loco nuper citato, remissio culpæ est opus per se supernaturale, & principijs Theologicis omnem superans activitatem, omnem exigentiam, omne meritum, omnem satisfactionem naturæ, tam creatæ, quam creabilis. Vnde quamvis natura rationalis indigeat Authore, qui possit illas remittere, sicut & qui possit se intuendum præbere, quia indiget Authore reali; non verò qui id possit, ut Author naturæ; sed eo ipso agens Authorem Gratia. Quòd autem sic agat, natura exigere non potest: precari posset; sed obtinere nullatenus mereretur, manens in statu puræ naturæ. Nec est repugnans, aut novum, quòd Respública conderet leges, à quarum transgressio-

To. de Gra.  
disp. 13.

Rom. 5.  
Perez.

tionibus solus Princeps Supremus absolute possit, ut miretur nemo, quod Deus, ut Author naturæ, possit condere leges, quarum transgressiones sui offensivas, & contemptivas remittere non possit, nisi ut Author Gratiæ. Ex ijs in forma ad confirmationem, concedo primam partem maioris, quod homines in pura natura possent petere veniam, sicut & intuitionem Dei: nego verò secundâ, quod Deus ullo iure teneretur annuere, sicut nec ad totius naturæ preces intuendi Authorem suum: nam utrumque id superat universam naturam. Et concessâ minori, negatur consequentia.

S. Thom.  
Scot.  
Suarez.  
Ripalda.  
Aguirre.  
Ta. de Gra.  
disp. 1.

75 Nihil igitur est quod nos cogat ad deserendam communem Sententiam, quam cum S. Thom. Scoto, & Suarez, & alijs compluribus, illustrant eruditè Ripalda tom. 3. disp. 8. & Cardin. de Aguirre tom. 3. disp. 105. & nos tenuimus ut certum, possibile fuisse Deo condere homines in statu puræ naturæ absque elevatione ad finem supernaturalem suæ amicitia, & visionis. Ex quo consequens est, stare potuisse in Deo providentiam naturalem sine supernaturali: quia status iste puræ naturæ rationalis non esset absque providentia morali Dei; nec esset ad illum necessaria providentia supernaturalis, ut vidimus in reipositionibus ad rationem dubitandi: statet ergo cum providentia morali purè naturali. Oppositum tenuit Baius Propositione inter damnatas. 21. 23. 24. 26. 34. 36. & 76. aut quatenus elevationem ad Gratiâ, & Gloriam numerat inter dona iure suo debita naturæ rationali secundum se, & solum indebita statui naturæ lapsæ propter indignitatem peccati: aut quatenus implicanter in terminis negat possibilem statum naturæ puræ, & providentiæ purè naturalis. Idemque tenent post Jansenium moderniores asseclæ ut videre est apud Ripalda, & Aguirre: à quibus oportet omnino discedere, & Bullis Pontificijs religiosè obtemperare.

Baius.

76 Ratio communis ac veræ Senten-

tia summata est: quia spectato toto ordine naturæ nihil est quod Deum obliget ad dona suæ Gratiæ supernaturalis, ut visum est in solutione fundamenti contrarij. Cur ergo non potuisset, si vellet, agere cum creaturis etiam rationalibus ut Author naturæ, cuius sphaera, ut vidimus, latissima est; quin ageret ut Author supernaturalis Gratiæ, illas non elevando, nec destinando ad finem supernaturalem specialissimum suæ amicitia, ac intuitionis? Dicere autem, huiusmodi elevationem deberi ipsi ordini naturæ rationalis; est, aut naturam facere supernaturalem; aut elevationem illam facere naturalem: est, statum naturæ puræ non agnoscere, dum id, per quod aiunt extrahi naturam ab eo statu, dicunt ex debito naturæ, ac proinde eam in ordine puro naturali implicanter relinquere: est, Gratiâ cum debito confundere, adversus Apostolum: est, ordines istos deordinare, ac pervertere: est, que cuncta naturalia constituere, aut ex adverso cuncta supernaturalia. Præterea id quod ex opposito inculcatur, constitui à nobis Authorem naturæ inexorabilem, siquidem non possit annuere precibus serijs suarum creaturarum sine recursum ad miracula; frustra dicitur, & contradictoriè: aut enim ea exorabilitas esset Authori necessaria, sicut nobis indigentia precum; aut non ita? Si non esset Deo necessaria; frustra arguitur, non posse Deum pro libito suæ Maiestatis, sic non exorari. Et quidem decentissimè: nam quod Deus decenter non potest, absolute non potest ea ratione, quâ dixit Augustinus lib. 1. contra Gaud. cap. 30. *Quod non potest iustus, non potest Iustus.* Si sic est Deo necessaria; ergo sic etiam spectaret necessariò ad Deum ut authorem naturæ exauditione talium precum, ac proinde operatio rerum sic postulatatum: nec id esset providentia supernaturalis; sed purè etiam naturalis. Baianorum, & Jansenistarum post Lutherum obiectiones afferunt ad longum

Ripalda, & de Aguirre cit.

(\* \* \*)

Ripalda.  
Aguirre.

## DISPUTATIO II.

DE PROVIDENTIA DEI QUOAD ACTVS PRÆSCIENTIAE DIVINI INTELLECTUS, quos includit.

**V**ENIT seorsim disputandum de Actibus divinis tam intellectus, quàm voluntatis, ex quibus Dei Providentia adæquatè constituitur. In præsentis Disputatione de actibus intellectus; in sequenti de actibus voluntatis. In utrisque difficultates occurrunt perutiles, ac celeberrimæ.

### SECTIO I.

Scientiæ simplicis intelligentiæ, Mediæ, & Visionis divisio, & explicatio prævia.

**H**ANC divini Scientiæ divisionem præliminarem non discutio, sed suppono ex communi Scholæ nostræ Iesuiticæ sensu. Quippe actus divini intellectus reducimus ad triplicem Scientiam. Ad Scientiam nimirum simplicis intelligentiæ; ad Scientiam Visionis, & ad Scientiam Mediâ. Explico voces, prout hic oportet, ex Tractatu de Scientia Dei, ubi ex professo res istæ elucidantur à Nostris.

3 Scientia simplicis intelligentiæ dicitur actus divini Sapientiæ de veritatibus necessarijs possibilium, & impossibilium, præcisim à iudicio absoluto de eorum existentia, & non existentia. Sic scit Deus hunc & alterum mundum esse posibles: Chymæram repugnare: hominem esse rationalem: Solem illuminaturum, si adsit; non illuminaturum, si desit: Omnipotentia concursus terminum extitutum, si existat actio: & non extitutum vnionem, si pereant extrema; & alia huiusmodi: quia quamvis multæ istarum veritatum explicentur conditionatè, sunt tamen sub conditione necessariò connexa cum conditionato; atque adeo veritatibus necessariæ: & spectant ad simplicem intelligentiam; quæ propterea dicitur etiam Scientia necessaria, seu necessariorum præcisim ab affirmatione, vel negatione ab-

soluta de eorum existentia.

4 Scientia Visionis sunt actus divini Sapientiæ absolute iudicantes de existentia, aut de non existentia rerum. Sic scit Deus se, & hunc mundum existere; alterum non existere; Abrahâm extitisse; Antichristum extitutum; & sic de reliquis. Cum hoc discrimine quod si versatur circa res contingenter existentes, ut enunciando hunc mundum existere, & secundum mundum non existere, dicitur Scientia libera, & contingens: si verò circa res necessariò existentes, ut quatenus affirmat Deum existere, dicitur Scientia necessaria: conveniens quoque ad hoc prædicatum cum Scientia simplicis intelligentiæ. Itaque ex parte obiecti omnia, quæ Deus attingit per Scientiam simplicis intelligentiæ, attingit per Scientiam visionis: quia circa quodlibet possibile, aut cognoscit existere, aut cognoscit non existere: & hoc suo modo contingenti attingit ex parte obiecti ipsas veritates necessarias omnium possibilium, quas alio suo modo necessariò attingit Scientia simplicis intelligentiæ. Unde non differunt penes obiecta, sed penes diversum modum attingendi eadem obiecta.

5 Scientia Mediâ sunt actus divini Sapientiæ conditionaliter versantes circa futura sub conditione contingentia. Sic scit Deus, non coniecturaliter, ut nonnulli volebant, sed certissimè & infallibilissimè, quod Tyrii convertirentur, si facta fuissent apud ipsos miracula, & virtutes, quæ apud Corozainos: quod Petrus fina-

liter esset impœnitens, & damnaretur, si taliter iterum tentaretur: quod Iudas finaliter pœniteret, si talibus, & alijs auxilijs vocaretur: & alia huiusmodi. Dixi, *sub conditione contingentia*: quia si futurum conditionatum non est sub conditione contingens, ob connexionem necessariam conditionis cum conditionato, non pertinet ad modum cognoscendi Scientiæ Mediæ; sed simplicis intelligentiæ, quasi veritas necessaria, cuius oppositum est impossibile, ut cernere est in exemplis positus *num. 3.* Unde omnis Scientia Media est conditionata; non tamen omnis conditionata est media.

6 Vocatur rectissimè *Media*. Quoniam aliquid participat de utroque extremo, scilicet, de Scientijs simplicis intelligentiæ, & Visionis: cum nec sit simplicis intelligentiæ, nec visionis. Aliquid de utraque participat: nam est in Deo contingens, in quo convenit cum scientia visionis de creaturis: & antecedit decretum liberum absolute existens in Deo, in quo convenit cum Scientia simplicis intelligentiæ. Non tamen est Scientia simplicis intelligentiæ: nam hæc est prædicatum omnino necessarium Dei, utpotè notitia veritatis necessariæ; Scientia verò Media est prædicatum contingens: eo enim ipso, quod contingens est, Petrum, si vocetur, converti; ita & Deum hoc sic conditionatè scire. Neque est Scientia Visionis: quia nec absolute affirmat, nec absolute negat rei existentiam; imò salvat totam suam veritatem, quin conditio, nec res unquam existant; quamvis enim talis vocatio, & conversio Iudæ nunquam extent, affirmatur verè, quod existeret conversio, si daretur talis vocatio.

7 Est quoque quodammodò *Media* inter Scientiam Dei Necessariam, & Liberam. In primis enim non est Necessaria, sicut Scientia simplicis intelligentiæ, aut necessariorum: quia contingens est, & de futuris sub conditione contingentibus. Deinde non est Libera, sicut Scientia Visionis contingentium: quia hæc habetur à Deo dependenter à decreto suo libero, actu exercente suam libertatem, & absolute pro libito Dei: ideoque non utcumque est contingens, verumetiam libera. Scientia verò Media, quamvis contingens sit, in quo convenit cum Scientia Visionis Deo liberâ; non tamen sic Deo libera

est; quia habetur à Deo independentè à decreto suo actuali: quamvis enim Deus nihil in re poni decerneret, esset verum, quod Petrus converteretur, si taliter vocaretur; aut esset verum, quod non converteretur, si taliter vocaretur: cum è contradictorijs necessè sit alterutram esse veram; quamvis sit contingens, affirmantem esse veram, dum versatur in materia contingenti. Unde notandum venit discrimen inter contingens, & liberum, quod omne liberum est contingens illi, cui liberum est; non verò omne contingens est liberum illi, cui contingens est. Patet: nam videri contingens est, non tamen liberum, parieti; videre est mihi liberum, & contingens: quandoquidem pro meo libito est, & non pro libito parietis, quod contingenter ego videam, & paries videatur.

8 Hæc mihi visa est dilucidior explicatio horum terminorum Nostris Authoribus familiarium. A qua, si fortè nonnulli discrepant, dissidium est ut plurimum vocale: de quo non multum contendam, dum rem in præcipua Societatis sententiâ unanimiter teneamus. Superflunt observanda tria. Vnum circa Scientiam simplicis intelligentiæ; aliud circa Scientiam Visionis; tertium circa Scientiâ Mediâ: ut iam insinuavi *dis. 8. de Attrib. sec. 4. n. 55.*

9 Circa Scientiam simplicis intelligentiæ est, quod, aliquando possibilitas rei hîc & nunc pendet ab aliqua re contingenter existente: taliter ut nequeat absolute affirmari aliquid hîc, & nunc esse possibile, quin videatur aliud existens, præteritum, aut futurum. V.g. possibilitas divinæ revelationis affirmatis hîc & nunc, Davidem peccavisse, & mundum existere: quæ quidem repugnaret hîc & nunc, si David non peccasset; aut si mundus non existeret, quod contingens fuit. Vt cumque hoc sit, non est contra quod diximus de necessitate simplicis intelligentiæ. Nam si modus ille affirmandi possibilitatem revelationis est eminenter conditionatus, dignoscens, revelationem esse possibilem in ijs circumstantijs, & non in alijs; necessarius est, & simplicis intelligentiæ plenè penetrantis naturas rerum. Si est omnino absolutus, pendens in sui verificatione à positione talium circumstantiarum contingentium, aliquid præfert admixtum Scientiæ Visionis: & penès hoc definit esse veritatis necessariæ.

Cir-

10 Circa Scientiam Visionis est, quod, quamvis hæc circa creaturas dicatur Deo non modò contingens, sed etiam libera, utpotè supponens decretum pro libito Dei positum; est tamen in Deo aliqua Scientia Visionis de prædicato aliquo existente in Deo, quæ, quamvis Deo contingens sit, non est Deo libera, v.g. scientia, qua videt absolute Deus, se scire per Scientiam Mediâ Tyrios convertendos, si apud illos facta fuissent, quæ apud Corozainos. Ea namque Scientia Visionis, cum non supponat decretum actuale Dei de tali obiecto, & innitatur existentiæ Scientiæ Mediæ, quæ contingens Deo est, non tamen libera Deo; non est undè sit libera Deo, quamvis sit contingens: quoad hoc enim morem gerit Scientiæ Mediæ, cui innititur.

11 Circa Scientiâ Mediâ est, quod, quamvis hæc circa eventus conditionatos libertatis creatæ sit Deo contingens, & nõ libera; datur tamen aliqua scientia Dei Media circa decreta Dei contingenter exitura sub conditione, quæ Deo & contingens, & libera est. V.g. scientia, qua conditionatè cognoscit Deus, quod si Paulus prædicasset apud Indos, Deus tot ex illis hominum millia converti absolute decerneret. Cum enim istud conditionatum sit exercitium libertatis divinæ pro libito tunc decreturæ tot conversiones, ea Scientia Media, quæ huic veritati conditionatæ innititur, est Deo libera, sicut esset Deo liberum tale decretum; non secus ac est libera nobis Scientia Media, quæ innititur veritati eventus conditionati, qui esset exercitium libertatis nostræ.

## SECTIO II.

*An, quomodo, & ad quam Dei Providentiam requiratur, & sufficiat Scientia simplicis intelligentiæ?*

12 **A**D nullam sufficit adæquatè constitutam, si loquamur de omni adæquatione; tam ex parte voluntatis, quam intellectus divini. Nam ut vidimus *disp. 1. sect. 2.* Providentia adæquatur essentialiter, & constitutivè ex actibus intellectus, & voluntatis: atque adeò ad nullam Dei Providentiam sufficere possunt actus soli scientiæ Dei. Loquimur ergò nunc de requisito, & sufficienti

te ex parte intellectus, loquuntur *disp. seq.* ex parte voluntatis.

13 Prima conclusio. Scientia simplicis intelligentiæ requiritur essentialiter ad omnem divinam Providentiam. Idemque est de Scientia aliqua visionis necessariorum Dei. Si enim aliqua notitia mediorum constituit Providentiam, ut supponimus *ex disp. præced.* ea saltem debet esse, qua scit Deus, hæc media esse possible, & ad finem conducentia: huiusmodi autem notitia est simplicis intelligentiæ, ut patet ex terminis. Et idem est de Scientia visionis necessaria, qua videt Deus se existere, & potentem esse ad applicanda talia media: nam absque huiusmodi notitia non nisi imprudenter decerneret, & eligeret media. Sic communiter.

14 Obstat tamen Herize *disp. 22. Herize. n. 58.* Quia ea ipsa possibilitas, & conducentia mediorum cognoscitur satis per Scientiam Mediâ: cognoscens enim media esse talia, quibus, si ponantur, obtinebitur finis, eo ipso cognoscit esse conducentia: & cognoscens, quod sub hac, aut illa conditione ponetur tale medium, quo finis obtinebitur, eo ipso cognoscit, tale medium esse possibile: ergo aliqua Providentia constituitur satis per Scientiam Mediâ seorsim à scientia simplicis intelligentiæ. In primis tamen respondetur, indè non inferri, dabilem, seu intelligibilem esse Providentiam non constitutam per notitiam possibilitatis, & conducentiæ intrinsecæ mediorum: modò ea notitia sit formaliter puræ simplicis intelligentiæ; modò eminentè imbibita in ipsa Scientia Media. Deinde nego absolute consequentiam: Nam per nullam ex illis Scientijs Medijs, quas opponit Herize, indicatur absolute, conditionem, sub qua, si poneretur, obtinebitur finis, esse re ipsâ possibilem, seu parificabilem: sed ex modo suo tendendi conditionali quasi præcindunt ab hoc: quod tamen, si non sciret positivè, & absolute Deus, procederet imprudenter, ideoque improvidenter in decernendo positionem, seu purificationem talis conditionis ad obtinendum effectum, sive finem.

15 Occurrit difficultas apud Ribade-  
neyram *disp. 16. cap. 1.* an ad quamlibet Providentiam divinam essentialiter requiratur non solum materialiter, & identice;

Ribaden.

ticè, quin etiam formaliter, & constitutive, tota scientia simplicis intelligentiæ; taliter nimirum, ut Providentia v. g. circa Petrum, præter scientiam de medijs, quibus dirigitur Petrus in finem suum, dicat in conceptu formali suo omnes cognitiones divinas essentielles de lapide, de Angelo, de arbore, de formica, & de quolibet obiecto ut possibili.

16 Affirmat Ribaden. cit. quem sequutus est P. Iunius *sect. 2. cap. 1.* quibus favisse videntur Ant. Perez, Card. Pallavicin. & Elparza citandi contra secundam conclusionem. Moventur: quia ad quamlibet Providentiam perfectissimam, qualis est divina, requiritur formaliter volitio mediorum perfectissimè voluntaria: sed ut Deus perfectissimè voluntariè velit hoc medium circa Petrum, requiritur formaliter scientia, non solum huius medijs, quin etiam rerum omnium: ergo. Probatur minor: quia hoc medium est æquiparabile cum rebus omnibus: cum alijs indifferentem ad coexistendum, vel non coexistendum; cum alijs, ut repugnans coexistere; cum alijs, ut exigenter coexistens: ergo ut Deus velit hoc medium perfectissimè voluntariè, debet illud velle, atque adeo & cognoscere penes omnes istas habitudines ad singula. Atqui nequit sic cognosci, quin cognoscantur singula, atque adeo res omnes: ergo ad providentiam de hoc medio requiritur formaliter constitutive cognitio simplicis intelligentiæ rerum omnium. Confirmatur primò. Deus volens hoc medium, vult hoc, ut distinctum ab omni alia re: ergo cognoscit illud, ut ita distinctum: hoc autem importat formaliter cognitionem omnium aliarum rerum. Secundò ex P. Iunio: Nulla relatio, comparatio, pertinentia, seu impertinentia huius medijs ad quamlibet aliam rem potest esse Deo improvisa, casualis, aut fortuita: ergo debet esse provisiva, & præcognita: sed non absque scientia omnium rerum: hæc ergo quanta est requiritur ad providentiam huius medijs. Tertio. Ad perfectionem divinæ Providentiæ spectat discernere ab alijs id, quod decernit: ad eam autem discretionem, ac proinde ad providentiam huius medijs requiritur scientia omnium aliarum rerum. Quarto. Providentia divina formaliter constitutive est perfectissimè libera: sed quamcumque divinam libertatem consti-

tuit essentialiter tota Dei scientia necessaria, seu naturalis rerum omnium: ergo & quamcumque Providentiam. Probatur minor: quia quælibet Dei libertas amplectitur amplitudinè motivorum de infinitis modis combinandi contingentia: ergo quamcumque Dei libertatem constituit tota Dei scientia; atque adeo quamcumque Dei Providentiam.

17 Non multum gravaverit, annuere huic discursui, si ad aliquid rei esset utilis, contra communem concipiendi modum. Verumtamen sine operapretio non me cogit ad deferendam communem sententiam. Non equidem dubito, quamlibet Dei providentiam ad sui perfectionem requirere omnem Dei scientiam necessariam, imò & omnem providentiam de quacumque re existenti: sicut divina potentia productiva cuiuslibet rei requirit Deum esse Omnipotentem, & omnium productivum: & quælibet Dei scientia de re qualibet, esse omnisciam. Cæterum hoc est quasi de materiali, & ex parte obiecti: quo non tollitur quominus ex parte modi nostri concipiendi præcindamus in divina Omnipotentia diversas eminentias pro diversitate rerum, ut concipiamus, verèque dicamus eminentiam productivam lapidis non dicere formaliter eminentiam productivam Leonis: scientiam divinam de uno obiecto non dicere formaliter omnium scientiam: nec unam providentiam alias omnes providentias: nec volitionem, seu decretum de una re non dicere formaliter constitutive volitionem omnium, quæ actu vult Deus, quamvis unico decreto etiam virtualiter indivisibili velit omnia, quæ vult, ut extra cõtroversiam præmonui *disp. 7. sect. 11. de Attrib. To. de Deo, disput. 7. sect. 11.*

18 Ad motivum oppositum *num. 16. distin-*

distinguenda est maior: requiritur formaliter volitio mediorum perfectissimè voluntaria circa id, quod formaliter spectat ad talem providentiam constitutâ per eam volitionem, concedo, circa alia omnia eò impertinentia, nego maiorem. Et similiter distinguenda est minor: ut Deus perfectissimè voluntariè velit hoc medium omni perfectione divinæ voluntarietatis circa omnia, requiritur formaliter scientia omnium, concedo: omni perfectione divinæ voluntarietatis circa hoc præcisè medium, nego minorem, & consequentiam. Ad probationem, concedo antecedens: ex quo solum sequitur, quod ut Deus velit hoc medium perfectissimè voluntariè, non solum ut conducens ad hunc finem, sed ut circumferens omnes illas habitudines ad alia omnia, debent omnia formaliter præcognosci; quod non negamus: solum dicimus, totum id non requiri formaliter constitutive, ut Deus velit hoc medium perfectissimè voluntariè ut præcisè conducens ad hunc finem securissimè consequendum. Sicque, concessâ minori subiunctâ, negatur vltima consequentia. Quin proinde negemus, quòd, si inter alia detur aliquid, cuius coexistentia specialiter obstaret conducentiæ, seu applicationi huius medijs, eius præcognitio requireretur formaliter ad providendum hoc medium. Quod dicimus, est, aliorum omnium præcognitionem habere se quasi de materiali ad voluntarietatem, & providentiam huius medijs ut conducentis ad hunc finem.

19 Ad primam confirmationem concedimus totum. Non enim negamus, Deum cognoscere & velle hoc medium ut distinctum ab alijs rebus; sed dicimus, eiusmodi cognitionem, & volitionem non spectare formaliter constitutive ad providentiam de hoc medio, quatenus est cognitio omnium aliarum rerum, sed ut est cognitio conducentiæ huius medijs ad hunc finem securè, ac infallibiliter consequendum. Quemadmodum volitio divina huius medijs, quamvis realiter sit volitio aliarum rerum, non spectat constitutive formaliter ad providentiam de hoc medio, ut est volitio aliarum rerum; sed ut est volitio huius medijs.

20 Ad secundam, concedo totum usque ad vltimam illationem, quæ nec legitima, nec vera est. Ex eo namque, quòd

illa omnia sint à Deo provisiva & præcognita, non sequitur esse provisiva per providentiam præcisè de hoc medio, sed per aliam formaliter diversam: ad quam, & non ad providentiam de hoc medio formaliter, & præcisè sumptam, & constitutam, spectat constitutive illorum præcognitio: sicut enim sunt apud omnes illæ diversorum præcognitiones formaliter ratione nostra diversæ; sic etiam & providentiæ. Providentia autem de hoc medio formaliter sumpta, sicut præcindit à Providentia de alijs; similiter & à præcognitione aliorum.

21 Ad tertiam: distinguendum est ex dictis: ad perfectionem divinæ providentiæ spectat id, quod decernit, ab alijs discernere per quamcumque divinæ scientiæ formalitatem, nego; per aliquam, concedo: sicut non omnia, quæ providet Deus, providet per quamlibet Providentiæ perfectissimè formalitatem; sed per aliquam. Unde, quamvis ad eiusmodi discretionem requiratur omnium cognitio, non inferitur, omnium cognitionem esse de constitutivo formali cuiuslibet providentiæ.

22 Ad quartam, concessâ maiori, negatur minor. Ad probationem negatur antecedens formaliter loquendo. Eo enim modo, quo sunt in Deo scientiæ, & providentiæ formaliter diversæ; sic etiam & libertates. Quamvis autem tota amplitudo divinæ libertatis circa omnia dicat formaliter constitutive cognitionem omnium; formalitas tamen huius libertatis circa hoc, non dicit formaliter omnium aliorum cognitionem; sed ab illa præcindit. Unde consequentia falsâ est.

23 Secunda conclusio. Ad Providentiam Dei purè physicam independentem ab eventibus creatæ libertatis sufficit ex parte divini intellectus scientia simplicis intelligentiæ, & naturalis, sive necessaria. Addidi: *Et naturalis, sive necessaria*: propter id quod etiam addidi in conclusione prima *num. 13.* Conclusio est satis communis inter nostros Authores. Et ratio: quia præcisim ab alijs scientijs, Mediâ scilicet, & Visionis de creaturis, haberetur per Scientiam simplicis intelligentiæ, & Visionis necessariorum Dei, notitia sufficiens ad certissimè, ac securissimè providendum rebus quoad illa, quæ se habent independentem ab exercitio liberi arbitrij creati: ea autem esset Providentia purè phy-

physica. Explicatur : quia per simplicem intelligentiam scit Deus certissimè naturas rerum, & quid sit possibile; quid non: per quæ media possit obtineri finis; per quæ non: quæ media finem necessariò inducant; quæ impedirent: hæc enim omnia, & ijs similia pertinent ad rerum essentias optimè penetratas per scientiam simplicis intelligentiæ. Ijs autem notitijs præconceptis esset Deus sufficienter instructus ad volendum securissimè applicare hæc, vel illa media; & hæc vel illa obstacula removere; eoque se modo gerendum, quo prænovit per simplicem intelligentiam, finem necessariò consequendum: nec enim in ijs periclitatur creata libertas, cum de actibus creatis liberis non agatur, quod est negotium Providentiæ moralis; nec infallibilitas divina; cum dictæ notitiæ certissimæ sint. Staret ergo cum hac sola scientia, præscientia, & præparatio mediorum quibus certissime, & infallibilissime Deus provideret creaturis media ad suos fines purè physicos obtinendos: ac proinde Providentiæ purè physica. Plura P. Ortega

*Ortega. Contr. 6. disp. 2. quasi. 2. certam. 2.*

24 Obijcitur primò. Quòd, si aqua relinquantur suæ naturæ, producat sibi frigiditatem, est scientia conditionata: sed ea notitia requiritur formaliter, & constitutivè, ut Deus sit certus quòd per hæc media relinquentia aquam suæ naturæ provideret aquæ, ut habeat finem suæ proprietatis physica: ergo ad Providentiæ purè physica non sufficit scientia simplicis intelligentiæ, sed requiritur etiam conditionata: ergo & Media. Respondetur, totum esse verum præter duas consequentias. Nam ut notabam *sect. 1. num. 3.* non omnis scientia conditionata est Media. Illa ergo notitia conditionata, de qua in maiori, involvitur in scientia simplicis intelligentiæ ex simplici penetratione naturarum.

25 Obijcitur secundò. Procurare ut agens liberum habeat requisita libertatis in actu primo, est Providentiæ purè physica: siquidem non curat de operatione in actu secundo libera: sed ea Providentiæ dicit essentialiter scientiam Mediam: ergo aliqua Providentiæ purè physica non satis constituitur per scientiam simplicis intelligentiæ sine lumine scientiæ Mediæ. Probat minor: quia sine scientia Media non sciret Deus, quid eveniret ex principijs

indifferentibus instrumentibus libertatem illam in actu primo, an esset homo bene, an malè operatus: ergo ea Providentiæ physica dicit essentialiter scientiam Mediam: quæ nempe Deus præscius de eventu futuro sub conditione talis libertatis illam provideret. Confirmatur: quia notitia talis scientiæ Mediæ posset, aut retardare, aut allicere Deum ad positionem talis libertatis in actu primo: ergo præcisiò à tali prænotitia non esset Deus sufficienter instructus ad providè decernendam talem positionem.

26 Sic discurreunt cum Antonio Perez, *Perez;* Cardinalis Pallavicinus, *Pallavic.* Eparza, *Eparza.* Ribadeneja *Ribaden.* *disp. 16. cap. 1. & Junius sect. 3. cap. 1.* ut sibi nobisque persuadeant, consequenter ad ea, quæ nobis obijciebant in simili *sect. 1. num. 6.* ad quamcumque Dei Providentiæ Physicam requiri scientiam Mediam, & ad nullam sufficere scientiam simplicis intelligentiæ. Quia, inquiunt, sub conditione positionis cuiuscumque rei physica, antedèter ad decretum absolutum talis positionis præcise Deus per scientiam Mediam quid liberè eveniret inde in arbitrio creato: multa enim physica valde congruunt, aut incongruunt varijs determinationibus liberis voluntatis creatæ: ergo nequit Deus satis providè decernere positionem ullius rei physica, nisi ex præilluminatione scientiæ Mediæ de eventibus illis liberis conditionatis: hæc igitur scientiæ Mediæ notitia constituit essentialiter Providentiæ etiam physica Dei de quacumque re. Probat hæc consequentia. Primò: quia tota ea notitia essentialiter requiritur ut positio talis rei sit Deo perfectissimè voluntaria penes omnes eius circumstantias & eventus ex ipsa inferibiles, & conditionatè inferendos, quorum multi liberi sunt. Quælibet autem Providentiæ Dei dicit essentialiter constitutivè perfectissimam voluntarietatem: ne quidquam præter intentionem, improvidè, & involuntariè Deo contingat. Secundò: quia positio rei, de qua ex defectu præviæ notitiæ posset agens postea poenitere, vel noviter gaudere, indigna est agentis perfectissimè providi, voluntarij, ac liberi. Sed talis esset positio cuiuscumque rei physica, si non esset formaliter ex prænotitia illorum eventuum conditionatorum liberorum, quorum utique præscientia conducere possit

possit ad aliter decernendum de positione talis rei physica: ergo ad providè de hoc decernendum requiritur essentialiter tota ea prænotitia scientiæ Mediæ.

27 Huc pertinet communior aliorum obiectio: quòd à multis effectibus purè physicis pendent sapere bonæ, vel malæ operationes liberi arbitrij. V. g. à fulmine physica è nubibus demisso conversio peccatoris exterriti: ergo Providentiæ illam physica circa emissionem fulminis constituit essentialiter scientia Media de eventu libero conversionis: Deus enim hac etiam notitia dirigitur ad volendam emissionem physica fulminis: ad quod non sufficit notitia simplicis intelligentiæ. Confirmatur: quia in eo, & similibus casibus non modò præcedit in Deo ad decretum emittendi fulmen scientia simplicis intelligentiæ de naturis agentium naturalium, & fulminis; verum etiam scientia Media de conversione peccatoris: ergo dirigitur, aut dirigi potest Deus ad volendam providè emissionem fulminis per suas causas ab utraque illa scientia: non est ergo cur Providentiæ etiam physica circa emissionem fulminis non æquè constituitur per utramque illam scientiam; aut cur dicatur formaliter constitui per solam scientiam simplicis intelligentiæ.

28 Respondetur, veram esse maiorem, nisi vocibus herere velimus. Nego autem minorem, Deus enim per simplicem intelligentiam novit certissimè naturas principiorum, quibus potest instruere voluntatem in actu primo, quæ conducant, quæ obstant, quæ necessitent, quæve non necessitent. Hæc autem notitia sufficit, si vult, ad finem præcisiò constituendi securissimè voluntatem in actu primo liberam: illæ autem aliæ notitiæ adfunt quidem Deo; sed de superabundanti, sicut tota amplitudo Omnipotentæ ad securissimè providendum de hoc fine constituti libertatè in actu primo; & de constitutivo ad aliam providentiæ ex fine operationis in actu secundo libero, quæ iam est providentiæ moralis essentialiter constituta per scientiam Mediam. Vnde ad probationem minoris, concesso antecedente, negatur consequentia: quia illa notitia scientiæ Mediæ esset de superabundanti ad finem illum præcisiò Providentiæ physica, & iam de constitutivo Providentiæ moralis ex fine operationis

talis libertatis. Ad confirmationem, concesso etiam antecedente, distingo consequens: præcisiò ab illa prænotitia scientiæ Mediæ non esset Deus sufficienter instructus ad providè decernendam talem positionem ex fine præcisiò constituendi libertatem in actu primo, quatenus spectat ad providentiæ purè physica, nego: ex fine liberæ operationis in actu secundo, quatenus iam spectat ad moralem, concedo. Sunt ergo in Deo variæ Providentiæ formaliter diversæ ratione nostrâ circa varios fines: quæ quamvis omnes in Deo reperiantur, & requirantur cum suis prænotitijs respectivè, ut in omnibus & per omnia sit Deus perfectissimè providens; vna tamen non est de conceptu alterius, nec prænotitia se habens formaliter constitutivè ad vnam, se habet sic ad aliam; quemadmodum notitia & eminentia productiva Angeli præcisiò in conceptu suo formali ab alijs notitijs scientiæ, & ab alijs eminentijs Omnipotentæ Dei realiter omniscientis, & Omnipotentis.

29 Ad discursum numeri 26. concesso antecedente, distingo consequens; nequit Deus satis providè decernere positionem ullius rei physica, nisi ex præilluminatione scientiæ Mediæ, constitutivæ formaliter providentiæ physica, qua talis ex fine præcisiò positionis talis rei physica, nego; constitutivæ alterius providentiæ moralis ex alijs finibus effectuum pendentium à libertate creata, concedo primam consequentiam, & nego secundam. Ad primam probationem paravimus responsum *sect. præced. num. 18.* quòd nempe, quamvis tota illa præilluminatione requiratur essentialiter ad perfectissimam voluntarietatem omnis divina Providentiæ circa eas omnes obiecti & eventuum circumstantias; non verò ad perfectissimam voluntarietatem præcisiò requisitam ex præcisiò conceptu Providentiæ circa hunc finem physicum securissimè consequendū. Vnde non sequitur, Deo contingere quidquam posse præter intentionem, improvidè, & involuntariè: nihil enim dicimus esse, quod omnem Dei Providentiæ subterfugiat, quamvis non omnia subint Providentiæ in varios conceptus ac respectus ratione nostrâ ita præcisiòbili. Ad secundam conceditur maior, & negatur minor. Quævis enim positio rei physica

non esset formaliter ut talis, ex prænotitia eventuum conditionatorum liberorum, non esset sine illa, quia non illam excludit, sed ab illa præscindit: & licet ad eam providentiam physicam ut talem formaliter nõ pertineret eiusmodi prænotitia, per tineret ad aliam: quod sufficit ut Deus omnium providentissimus omnia præsciat, nihilque illi improvisum, involuntarium, aut non liberum contingat. Vnde falsa est consequentia: quia ut eos eventus nõ nesciret Deus, nõ requiritur, quod eos sic norit per scientiam constitutivam providentiæ physicæ, dummodo noscat per aliam constitutivam alterius providentiæ: quemadmodum non est Deus impotens producere Angelos, quamvis non dicatur formaliter productivus Angelorum per eminentiam productivam lapidum, formaliter ratione nostra diversam.

30 Ad id, quod in idem additur nu. 27. concessio antecedente, distinguo consequens: Providentiam illam physicam constituit scientia illa Media, quatenus pure physicam, nego: quatenus ad illam iam accedit aliquid de Providentiâ morali circa eventus illos liberos, concedo. Vnde nihil contra nos: quippe non negamus, de facto esse in Deo concatenatam, & permixtam Providentiam physicam cum morali; sed præscindimus ratione nostra istos conceptus, seu respectus, & dicimus scientiam illam Mediam constitutivam formaliter Providentiam in ratione Providentiæ moralis: non sic in ratione Providentiæ physicæ. Ad confirmationem concedo antecedens, & distinguo consequens: dirigitur, aut dirigi potest Deus ab utraque illa scientiâ ad emissionem fulminis, ut providus utraque Providentiâ physicâ, & morali promiscuè, concedo; ut præcisè providus Providentiâ physicâ, nego. Videntur itaque in æquivoco versari nonnulli cum P. Ribas super hoc. Aliud est, dirigi Deum ad effectum illum physicum per scientiam Mediam constitutivam Providentiam, quâ Deus hic, & nunc disponit talem effectum physicum: & hoc, quod probat argumentum, fatemur: quia de facto Deus effectum illum physicum disponit Providentiâ physicâ simul & morali. Aliud est, quod præcisè a scientia Media non staret conceptus Providentiæ pure physicæ circa effectum illum pure physicum: hoc autem, quod potius con-

Ribas.

fundit, quàm probat argumentum, negamus. Ad hunc ergo conceptum præcisè, habet se de superabundanti scientia illa Media: sicut ad conceptum alia sciendi, & alijs rebus providendi.

31 Obijciunt alij alia, ut probent ad nullam Dei Providentiam sufficere posse scientiam simplicis intelligentiæ, eo quod constitui essentialiter debeat per scientiam visionis. His tamen occurrerimus oportunius *sect. seq.*

## SECTIO III.

An, & quomodo Scientia Visionis sit de constitutivo divinæ Providentiæ, & causa rerum?

32 SCIENTIAM Visionis mediorum constitutivam Providentiam de ipsis medijs, quæ videt, probant communiter Thomistæ. Primò: quia scientia Visionis est causa rerum, quas videt: ergo constituit divinam Providentiam ipsorum Mediorum, quæ videt. Cùm enim Providentia sit ratio rerum exequendarum, dicit essentialiter scientiam, quæ sit ipsarum rerum causa in genere saltem directivo. Pro antecedente citant Augustinum 5. de Trinit. 13. dicentem: *Universas creaturas, non quia sunt, ideo novit Deus; sed ideo sunt, quia novit.* Et lib. 6. cap. 10. *Non enim hæc, quæ creata sunt à Deo, ideo sciuntur à Deo, quia facta sunt; ac non potius ideo facta sunt, vel immutabilia, quia immutabiliter à Deo sciuntur.* Consonat Greg. Magn. 20. Moral. 24. dicens: *Quæcumque sunt, non ideo ab æterno videntur quia sunt; sed ideo sunt quia videntur.* Per quæ satis significatur causalitas scientiæ Visionis in res, quas videt. Respondetur tamen ex dicendis pro nostra Sententia, antecedens esse apertè fallum. Nec procedit ex doctrinis Augustini, quem conceptissimè pro nobis dabimus inferius. Ne igitur veritatè, ac sibi dicatur contrarius, sic capi debet in locis præallegatis, ut ibi neutiquam loquatur de scientia visionis; sed de scientia simplicis intelligentiæ omnino immutabili, & indefectibili, quæ Deus rerum omnium creaturarum, & creabilium naturas novit, independentem ab eo quod existant, vel non existant: de qua scientia verissimum est, quod ait, non à Deo res sciri quia sunt, sed potius sunt quia sciuntur: dirigente sci-

Thomist.

Augustin.

Gregor.

scilicet illæ Dei scientiæ ad decernendas existencias rerum, & indefectibiliter in Deo existente, quamvis res non exitura sint. Ad S. Gregorium respondent Vazquez, & Herize, solum ibi velle, quod Deus ab æterno rerum existencias videt per scientiam Visionis, quamvis res non ab æterno extiterint; atque adeo non quia ab æterno extiterint. Respondent alij, Gregorium Augustini studiosissimum idè voluisse, quod Augustinus: nisi quod minus Scholasticè usurpavit verbum *videre* pro *nosse*, seu *scire*, quod satis frequens est extra Scholas.

33 Probant secundò: Quia Providentia ut diximus ex Augustino est: *Præscientia, & Preparatio mediorum, &c.* Præscientia autem apud Augustinum sumitur pro scientia Visionis: hæc ergo est, quæ signantissimè constituit Providentiam. Respondetur minore asumi falsò, & gratis. Nam apud Augustinum sumitur sæpè Præscientia pro scientia Media, ut est apud Suarez lib. 2. de Scientia Condit. cap. 1. & sæpè etiam pro quavis Dei scientia tempore præcedente ad rerum existencias. Sicque nos in definitione Providentiæ posuimus *Præscientiam* ex Augustino, abstrahentes ibi à scientia sive præscientia, per quam constituitur Providentia, quod nunc agimus. Nec Augustinus in definitione Prædestinationis per *Præscientiam* intellexit potius scientiam visionis, quàm Mediam, ut observavit rectè Ribas *disp. 2. num. 9.*

Suarez.

Ribas.

34 Probant tertio: quia scientia constitutiva Providentiam debet esse scientia Approbationis: sed scientia Visionis, potius quàm simplicis intelligentiæ, est scientia Approbationis: ergo illa, potius quàm ista, constituit Providentiam. Aliter. Providentia est libera Deo; cum potuerit Deus nullam creaturam creare, sicque nulli providere: sed scientia Visionis, & non scientia simplicis intelligentiæ, quæ necessaria est, est libera Deo: ergo illa est quæ constituit Providentiam. Rursus; Providentia, cùm sit circa media, non est antecedenter ad intentionem finis: sed scientia simplicis intelligentiæ, cùm sit Deo necessaria, est antecedenter ad intentionem finis, quæ libera Deo est: ergo scientia quæ constituit Providentiam, non est simplex intelligentiæ; sed visionis, quæ non præcedit intentionem finis. Respondetur,

concessa maiori, negando minorem: quælibet enim Dei scientia circa obiectum Deo placens est scientia Approbationis; sive sit simplicis intelligentiæ, sive Visionis, sive Medii. Ad aliud dico, Providentiam esse quidem liberam Deo: quia quavis aliquid de illius constitutivo necessarium sit, dicit præterea de suo constitutivo ex parte voluntatis decretum Dei liberum, quò non stante, non staret Providentia. Quid liberius in Deo, quàm actus ipse liber? Et tamen essentialiter constituitur ex perfectione necessaria Dei. Ad ultimum, concessis præmissis, non inferitur consequentia: ex illis enim solum sequitur, quod adæquatum constitutivum Providentiæ non antecedit intentionem finis: quod est verissimum, cùm adæquatum eius constitutivum non sit sola scientia, sed simul electio mediorum; non verò sequitur, quod scientia, quæ antecedit intentionem finis, non sit inadæquatum constitutivum Providentiæ plenè constitutæ per actum intellectus præcedentem, & per actum voluntatis non præcedentem intentionem finis: & multò minus sequitur, propterea scientiam Visionis potius quàm simplicis intelligentiæ constituere Providentiam.

35 Probant quartò: quia Providentia est ordinatio mediorum: sed scientia Visionis, potius quàm simplicis intelligentiæ, est ordinatio mediorum: ergo illa, potius quàm ista, constituit Providentiam. Probatur minor: quia si esset ordinatio mediorum, ordinaret media antecedenter ad intentionem finis: quod implicat. Aliter: Ad dirigendam executionem operis requiritur in Deo quidquid est necesse ut non operetur inscienter quid sit absolute eventurum: sed hoc non sic scitur, nisi per scientiam visionis: ergo sine ista non constituitur sufficienter Providentia directiva executionis. Respondetur, concessa maiori, negando minorem: nam scientia Visionis, cùm non antecedit decretum mediorum, nullo modo est ordinatio mediorum; at scientia simplicis intelligentiæ, quamvis non sit ordinatio determinativa, est ordinatio representativa mediorum, ad quorum decretum se habet antecedenter. Hinc ad probationem minoris, dico ad hunc modum ordinationis representativæ, quæ nondum est tota Providentia, sed inchoativè, non obesse, imo prodesse ante-

D 2

ceden-

cedentiam ad intentionem. Ad aliud, negatur antecedens. Quia quamvis ea notitia absoluta requiratur, ne Deus quidquam nesciat; non requiritur constitutive ad infallibiliter dirigendam executionem mediorum, cum supponat decretum de positione mediorum: sola autem ea scientia quæ præilluminare ac dirigere infallibiliter potest ad decretum de executione mediorum, constituit Providentiam: atque adeo non scientia visionis eorumdem mediorum.

36 Probat quintò: Providentia, cum tendat ad operationem, est practica: ergo constitui debet per scientiam practicam: sed sola scientia Visionis est in Deo scientia practica: per hanc ergo constitui debet saltem inadæquatè Providentia. Probatur minor: quia sola scientia Deo libera est in Deo scientia practica: sed sola scientia Visionis est scientia Deo libera: ergo Probat maior: quia si scientia Deo necessaria, qualis est scientia simplicis intelligentiæ, esset scientia practica, ideoque causa rerum, omnia necessariò practice causaret: cum tamen certum sit, Deum non causare omnia quæ cognoscit per scientiam simplicis intelligentiæ. Confirmant: quia scientia Dei practica, utpote causativa rerum, terminatur ad absolutam existentiam rerum: sed sola scientia Visionis terminatur ad absolutam existentiam rerum: nam scientia simplicis intelligentiæ solum terminatur ad rerum possibilitates: ergo scientia Visionis, potius quam scientia simplicis intelligentiæ, est practica, & causa rerum, & constitutiva Providentiæ.

37 Respondetur, concessò primo enthymemate, negando minorem: scientia enim practica cum eatenus dirigat ad opus, & directivè causet opus, quatenus præilluminat, & dirigit decretum operantis ad effectiorem operis, potius aptatur scientiæ simplicis intelligentiæ, quæ antecedit decretum liberum, quam scientiæ Visionis quæ subsequitur, aut saltem non antecedit ad decretum, sed intuetur, & contemplatur decretum operis, & opus, ut ex terminis manifestum est. Ad probationem minoris, negatur sequela: quia, quavis scientia simplicis intelligentiæ sit Deo necessaria in essendo, & in representando, ideoque dicitur scientia necessaria; non

est tamen necessaria, sed liberrima in actu causando: quia relinquit Deum liberum ut decernat, aut non decernat pro libito suo positionem operis: & ab hac libertate divini decreti subsequenti ad representationem necessariam scientiæ simplicis intelligentiæ dicitur Providentia, & executio rerum existentium, præ alijs non extituras, Deo libera, quamvis aliquid de eius constitutivo necessarium in essendo sit: quod nempe solum non est Providentia; cum hæc adæquatè constituatur ex Præscientia, & ex decreto. Id quod ita manifestum est, sicut quod Omnipotentia est Deo necessaria in essendo, & non in causando: & quod Deus est absolutissimè liber, quamvis existat necessariò. Ad confirmationem iam præmonui *sect. 1. num. 4.* Scientias simplicis intelligentiæ, & Visionis non discerni ex parte obiectorum, nullum enim obiectum attingit vna, quod non attingat alia; sed ex modo attingendi seu cognoscendi eadem obiecta. Hinc concessa maiori nego minorem: nam scientia quoque simplicis intelligentiæ terminatur ad existentias: non quidem affirmando esse existentes, aut extituras, aut non extituras; sed affirmando esse possibiles, & illas intimè penetrando: hoc tamen suo modo cognoscendi, quo etiam cognoscit earumdem rerum possibilitates, non illo alio speciali scientiæ Visionis, tam possibilitates etiam, quam existentias rerum cognoscentis, affirmando, aut negando esse existentes, aut extituras. Vnde negatur consequentia.

38 In hac clarissimâ Luce caligat Gonetus vrgens sic, & se iudice, demonstrativè. Impossibile est, scientiam esse causam eius, quod non cognoscit: sed scientia simplicis intelligentiæ non cognoscit res ut existentes, & futuras: hoc enim præstat sola scientia Visionis, quæ propterea vocatur scientia futurorum, & existentium; illa verò, possibilem: ergo sola scientia Visionis est causa rerum. Vnde scientia Visionis, potius quam simplicis intelligentiæ, est constitutiva Providentiæ. Aliter. Scientia quæ non virtute tantum, sed actu est causa rerum, debet esse determinata, & præsupponere liberum Dei decretum: sed talis est sola scientia Visionis; quia scientia simplicis intelligentiæ non præsupponit decretum, nec determinatur à decreto libero, cum necessaria sit: ergo. Rursus. Scien-

Scientia simplicis intelligentiæ adhuc in sententia illam assente cautam rem, non actu causat, nisi ut coniuncta cum decreto, & per illud determinata: sed sic iam redditur scientia Visionis: ergo solum est causa rerum, & constituens Providentiam practice causantem, ut est scientia Visionis. Hæc è multis, quæ incassum multiplicat imbellis iste Clypeus Thomistarum.

39 Me tamen iudice, argumentatio prima Gonetii tā longe abest ab eo quod sit demonstratio, ut ne syllogismus quidem bonus, nec verus sit. Non bonus: quia reduplicat terminum in minori, qui cum ea reduplicatione nec in maiori, nec in consequentia reperitur. Cuius imperitiæ coniudicem volo quemlibet vel medicum Dialecticum; cum quo concessis præmissis licet negare consequentiam in mala forma deductam. Non verus: quia, quamvis maior vera sit de causa directivè, & illuminativè causante, ut est præsens sermo; minor non conceditur siue distinctione, quæ tollat æquivocationem reduplicationis adiectæ, & verum sensum à falso discernat. Si sensus reduplicationis sit, quod scientia simplicis intelligentiæ non cognoscit res secundum eorum existentias, est falsa minor ex dictis *num. 37.* tam enim essentia, quam existentia rerum sunt obiectum simplicis intelligentiæ: simpliciter enim de utrisque affirmat esse possibiles, quod sufficit ut nihil scientia causet, quod non cognoverit: sicut nihil intendit agens, quod non cognoverit, quamvis ex cognitione finis possibilis intendat fieri existentem. Si verò sensus sit, quod scientia simplicis intelligentiæ non cognoscit res absolute affirmando esse futuras, vel existentes, minor est vera: quia hic non est modus cognoscendi simplicis intelligentiæ, sed Visionis. Et in hoc sensu, non in alio, capiendum est dictum illud Theologorum, quod scientia Visionis est futurorum & existentium; & simplex intelligentia, possibilem: quatenus illius est absolute affirmare, aut negare res existere, aut extituras esse; istius verò de omnibus affirmare, aut negare, possibilem esse, aut existere posse. In utrolibet autem sensu consequentia demonstrationis egregiæ nulla est. Ad aliud, negatur complexio maioris: quamvis enim scientia, ut actu sit causa rerum, debeat determinari per decretum, non verò præsuppo-

nere decretum: sed determinatur per decretum subsequens: non quidem ad essendum, quia in essendo necessaria est; sed ad actu causandum: quia in causando libera est libertate divini decreti. In minori concedo, solam scientiam Visionis præsupponere decretum, quæ propterea est libera Deo in essendo sicut ipsum decretum; concedo etiam simplicem intelligentiam non sic determinari à decreto ad essendum, cum antecederet ad decretum necessariò sit: nego non determinari ad actu causandum à decreto non quidem antecedente ad scientiam, sed ad actualem rerum causationem. Ad postremum vera est maior; minor autem non solum falsa, sed vel mediocri Theologo, aut Philosopho indigna. Certè enim decretum subsequens non facit, quod scientia simplicis intelligentiæ fiat scientia Visionis: cum non immutet modum cognoscendi tali scientiæ essentialissimum, sed subinfert aliam scientiam, quæ est Visionis: quæque, cum ipsum nullatenus antecedit, nequit esse directiva illius ad causandas res: ideoque nec causa rerum, nec constitutiva Providentiæ, sicut scientia simplicis intelligentiæ. Vnde ultima consequentia falsa, & ineptè procedit.

#### SECTIO IV.

*Excluditur Scientia Visionis eorumdem mediorum à constitutivo Providentiæ, & à munere causæ rerum.*

40 **D**IXI: eorumdem: quia quod visio aliquorum mediorum posset esse constitutiva Providentiæ de alijs medijs, dicitur à multis, ut legere est ex Suarez apud Ribadeneiram *disp. 16. cap. 2.* Salvâ tamen veritate nostræ conclusionis: quæ in suis terminis est inter Nostros communis, & innegabilis adversus communem sensum Thomistarum. Dicunt ij, res ideo esse futuras quia Deus illas futuras videt; ideoque scientiam visionis esse causam earumdem, & constitutivam divini Providentiæ circa illas. Ediverſo dicimus nos, Deum videre creaturas esse futuras, quia futuræ sunt; ideoque scientiam Visionis esse non posse causam earumdem; nec constitutivam Providentiæ circa illas.

41 Nitimur apertissimis testimonijs SS. Patrum nobiscum, & pro nobis abs-



dubio loquentibus, ut adversus ethnicos defendant Deum ab æterno præscire omnia; & adversus Manicheos, Præscientiam Dei non tollere nobis libertatem. Hieronymus in cap. 26. Hieremiæ: *Non enim quod Deus scit futurum aliquid, idcirco futurum est; sed quia futurum est præscius novit.* Augustin. 5. de Civit. cap. 10. *Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum præscivit; imò ideo non dubitatur ipsum peccare cum peccat, quia ille, cuius præscientia falli non potest, ipsum peccaturum esse præscivit, qui si noluit, utique non peccat; sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præscivit.* Damascenus scribens contra Manicheos de divina Præscientia quâ illi putabant imponere rebus necessitatem, & humano arbitrio adimere libertatem: *Ipse, inquit, nequaquam est causa, cur omnino fiat quod futurum est; quin potius, quia hoc vel illud facturi sumus, idcirco præscit.* Iustinus q. 58. ad Gent. *Causa non est eius, quod futurum est, prænotio; neque enim prænotionem sequitur quod futurum est; sed quod futurum est prænotio.* Augustin. 2. de lib. arbitrio: *Sicut tu memoriam tuam non cogis facta esse quæ præterierunt; sic Deus præscientiam suam non cogit faciendam quæ futura sunt.* Similia scribunt Chrysostr. Gregor. Boet. Beda. Montoya.

*Hieronym.* *Augustin.*

*Damasc.*

*Iustin.*

*Augustin.*

*Chrysostr.*  
*Gregor.*  
*Boet.*  
*Beda.*  
*Montoya.*

Generalem Magistrum: qui *Veritate* 8. de libertate contestatur: *Si ad antiquos Doctores te convertas, reperies, ferè omnes in hanc unam consensisse Sententiam: non ex eo quod Deus scit aliquid futurum, idcirco futurum est; sed quid futurum est, Deus novit.* Certè si Sancti quoque Thomæ est hæc nostra Sententia, Sanctum Thomam deserunt Thomistæ; si opposita, illum Generalis Thomistarum Magister non solum deseruit, sed nec inter antiquos Doctores computavit. Quod quis credat?

42 In hac soliditate fundatur nostra Theologia. Si enim Deus, ex ore SS. Patrum, videt, rem esse, aut futuram esse, quia res est, vel futura est: ergo eiusdem rei visio non est causa, quod res sit, aut futura sit: imò quodammodo supponit, rem esse, aut futuram esse: ergo eiusmodi visio nequit constituere Providentiam talis rei. Nam Providentia de aliquo medio est ordinativa, directiva, & causativa

ipsum, atque adeo naturam præcedens ad executionem talis mediij: ergo scientia illa Visionis, quæ, ut constanter loquuntur Sancti Patres, non præcedit naturam, executionem, seu futurationem mediij, quinimò ideo res creatas videt quia sunt, seu futuræ sunt, supponit, ac proinde nullatenus constituit Providentiam talis mediij. Vim argumenti sentiunt Adversarij, sincerè stantibus loquutionibus SS. Patrum, quibus nitimur: ideoque, ut vim eludant, variè in earum intelligentia tergiversantur.

43 Respondent primò, Sanctos PP. dumtaxat voluisse contra Manicheos, divinam præscientiam non inferre necessitatem libero arbitrio creato. Fatemur quidem hunc fuisse scopum SS. Patrum. Certè tamen, ut id defenderent, & probarent, conclusionis nostræ rationem assumebant. quod nempe Deus ideo præscivit actus nostros esse futuros, quia futuri sunt; & non e converso, ideo futuri sunt, quia Deus præscivit esse futuros. Quæ ratio, si solum diceret, Dei præscientiam non inferre necessitatem, non esset doctrinæ ratio, sed inanis & imperita petitio principij, non nisi irreverenter adscribenda SS. Patribus doctrinaliter agentibus adversus Hæreses. Evanidum profectò foret Memoriam exemplum alioquin appositisimè adductum ab Augustino, si Gentilibus, & Hæreticis dantibus cū risu palmarem disparitatem, ex eo quod Memoria causatur à præteritis; præscientia enim verò Dei est causa futurorum; annueret Sanctissimus Doctor. Absit. Sensit ergo nobiscum, quod sicut memoria non est causa rerum præteritarum; sic præscientia divinæ Visionis non est causa rerum futurarum, ideoque non illis inferre necessitatem: quia non sunt futuræ ex eo quod Deus videt esse futuras; sed ex eo Deus illas videt esse futuras quia futuræ sunt.

44 Respondent alij secundò, per eiusmodi loquutiones solum voluisse Sanctos PP. significare bonitatem illationis ab obiecto existente, vel futuro ad eius præscientiam Visionis. Contra tamen manifeste: quia illatio quoque bona est à præscientia ad futurum: valet enim: Deus videt hunc esse peccaturum; & alium bene operaturum: ergo hic peccabit, & alius bene operabitur. Nihilominus hunc admittunt Patres: Deus videt hunc peccaturum,

rum, quia hic peccabit: & hanc negant: hic peccabit, quia Deus videt peccaturum: ergo per hoc quod ijs loquutionibus admittunt, & negant, aliquid volunt significare præter bonitatem illationis utcumque; nempe rei existentiam, seu futurationem esse rationem à priori scientiæ Visionis divinæ; scientiam verò Visionis non esse rationem à priori, nec ullo modo causam rerum. Nec officit quod S. Thom. *quest. 14. art. 8.* simili utatur responsione ad verba Origenis. Non enim ibi sermo est de scientia Visionis; sed simplicis intelligentiæ.

S. Thom.

45 Respondent alij tertio; ex prædictis Patrum loquutionibus inferri ad summum, scientiam Visionis non esse causam rerum, sed ut coniunctam cum divino decreto. Contra tamen: præterquam quod hoc est alterare loquutiones SS. Patrum, quibus de sola præscientia erat tunc disputatio cum Manicheis; aut hoc est, totam rationem causæ rerum refundere in decretum; vel est admittere scientiam Visionis concausam rerum simul cum decreto. Si primum: ergo penes scientiam Visionis præcisim à decreto nulla manet ratio causæ rerum; nec ratio cur res existant, aut extiturae sint, quia Deus videt: quod est nostra Sententia conformis loquutionibus SS. Patrum. Si secundum, nihil conficiunt Sancti PP. contra Manicheos: quibus perinde foret, libertatem arbitrii creati tolli per præscientiam, quæ seorsim esset causa rerum; ac per præscientiam, quæ simul cum decreto à nobis inevitabili esset concausa. Præterea, quando ibidem dicunt SS. Patres, Deum præscire res esse futuras, quia futuræ sunt; capi non possunt de præscientia simul cum decreto; quia nec in Nostra, nec in Thomistarum Schola rerum existentia, aut futurius est ratio à priori decreti divini: ergo cum dicunt e converso res non esse futuras quia videntur, capi non possunt de præscientia simul cum decreto. Simili enim modo loquuntur Patres, & esset ridiculè ineptire, eundem terminum in eadem loquutione captiosâ varietate usurpare: quod impropere Hæreticis.

Godoy.

46 Respondent alij quarto; distinguentes cum Godoy in scientia Visionis de actu nostro libero formalitates scientiæ speculativæ, seu merè repræsentativæ; & practicæ, quæ sit imperium intellectu-

le. Secundum priorem illam formalitatem dicunt scientiam visionis non esse causam actus nostri liberi, sed potius actum nostrum liberum esse rationem à priori illius: & sic satis se facere Sæcis Patribus: secundum posteriorem verò esse causam actus nostri liberi. Vix ij discrepant ab alijs, qui paulò aliter rogantur dicentes, Sanctos PP. solum voluisse, scientiam visionis ex præcisio conceptu scientiæ non esse causam rerum; sed ex conceptu talis scientiæ. Norunt abs dubio prudentiores Thomistæ veritatem nostræ Sententiæ, & retentis ad speciem suis vocibus, rem nostram tenere aggrediuntur; quod in alijs similiter quæstionibus exagitatissimis animadvertimus. Contra imperium intellectuale, cui se subijcit prædicta responsio, disputabimus ex præfessò *sect. 4.* De cætero velle ad eiusmodi formalitatus revocare gravissimas Sanctorum PP. loquutiones, est, ut verum fatear, in serijs ludere. Profectò Sancti Patres eodem verborum tenore dicunt, res sciri quia sunt; & non esse quia sciuntur; sed dum dicunt sciri, quia sunt, non loquuntur de scientia Dei utcumque; cum apud omnes scientia simplicis intelligentiæ non sit in Deo, quia creaturæ sunt, vel erunt: nec loquuntur de scientia ut est imperium intellectuale; cum apud Thomistas hoc, utpote causans res, non sit in Deo, quia res sunt, vel erunt; imò potius res sunt, vel erunt, quia tale imperium est: ergo loquuntur de scientia Visionis ut tali; & non ut imperium est: ergo de scientia Visionis ut talis, & ut seorsim à formalitate imperij intellectualis sunt sincerè intelligendi: sicque scientia Visionis ut talis non est causa rerum, sed potius res videt esse vel futuras esse, quia sunt, vel futuræ sunt. Quod si nobis conceditur, rem conficimus: quidquid vocibus tergiversentur noviores Thomistæ. Nec est è re, quod sub formalitate scientiæ non sit in Deo quia res sunt, cum simplex intelligentia sit scientia Dei, & non quia res sunt: sic enim nec sub formalitate actus vitalis scientia est; cum actus voluntatis sint actus vitales, quin scientia sint. Quid ad rem præsentem huiusmodi præcisivæ logicorum, quod sermo est de scientia Visionis specialiter ut talis?

47 Vellet uti Gonetus interpretatione quam nos adhibuimus testimonijs cõ-

Gonet.

tra nos obiectis *num. 32*. Cur inquit similiter responderi non possit oppositis, ea similiter intelligendo de scientia simplicis intelligentiâ. Sed inutiliter. Nam in ijs loquuntur apertè SS. Patres de scientia qua Deus scit res esse, aut futuras esse: que signatissimè scientia visionis est. Præterea loquuntur contra errorem dicentium præscientiam divinam adimere libertatem humanam: qui error de scientia Visionis futurorum erat. Rursus, quia si sic intelligerentur, dupliciter à verò deviasent: semel, negando scientiam simplicis intelligentiâ esse causam rerum: iterum, affirmando existentiam contingentem rerum esse causam scientiâ Dei necessariâ, qualis est simplex intelligentiâ. Denique interrogatori interrogacionem opponitur similiter non intelligatur à Gonetio Sanctus Thomas de scientia simplicis intelligentiâ, ubi dicit scientiam Dei esse causam rerum? Unde Thomistæ id affirmantes de scientiâ Visionis, desituti manebunt autoritate Sancti Thomæ. Quod si nos *num. 32*, aliqua Patrum testimonia largè interpretati sumus de scientia simplicis intelligentiâ, aut cum fundamento in ipsis verbis Sanctorum PP. iuxta subiectam materiam, aut ut ipsos sibi metipsis alibi indubitanter pro nostra Sententiâ loquuntis conciliarem.

48 Ratio autem, qua nostra Sanctorumque PP. Sententiâ præsertim nititur, est huiusmodi. Divina scientia Visionis existentia mundi nec immediate per se, nec mediâtè, nec physicè, nec moraliter intentionaliter, aut directivè influit in existentiam mundi: ergo nullatenus est causa mundi ab ipsa per se absolutè visitaque adeo nec constitutiva Providentiâ de existentia mundi. Antecedens probatur & explicatur per partès. In primis enim non immediate physicè: hoc enim nec decreto per se competit, sed Omnipotentia, quæ est in Deo virtus ad extra omnium effectiva, quo modo cognitiones, aut volitiones nostræ causant quidem physicè suos habitus, de qua causatione non loquimur; non verò res cognitæ, aut volitæ: de quo est quæstio. Deinde nec mediâtè intentionaliter, aut directivè, quod est Providentiâ munus: quia scientiâ eatenus sic influit intentionaliter, moraliter, & mediâtè in existentiam rei, quatenus dirigit Deum ut decernat, & per suum æternum

decretum applicet, imperet, aut executivè applicet omnipotentiam suam ad efficiendam in tempore existentiam rei. Sed id nequit præstare formaliter ex modo suo cognoscendi scientiâ Visionis existentia ipsius rei: ergo nec mediâtè, nec immediate, physicè, nec moraliter, intentionaliter, aut directivè. Maiorem indubitatam explicuit conceptissimè S. Thom. *quæst. 2. S. Thom. de Verit. art. 14.* docens: *A scientiâ nunquam procedit effectus, nisi mediante voluntate, quæ de sui ratione importat influxum quemdam in volito; sicut à substantiâ nunquam existit actio, nisi mediante virtute. Unde inter scientiâ Dei, quæ est causa rei, & inter rem causatam invenitur duplex mediûm: unum ex parte Dei, scilicet divina voluntas, &c.*

49 Minor, in qua stat difficultas, probatur. Modus enim cognoscendi scientiâ Visionis est absolutè cognoscere rem existisse, rem existere, rem futuram esse: ineptè autem dirigeretur Deus ad absolute decernendam existentiam rei, quia videt rem existere, vel existuram: sicut ineptè decerneret, rem producere quia producta est, seu quia videt esse productam, vel producendam: & ineptè moveretur quis ad desiderandam existentiam rei ex oculari Visione rei existentis. Quorum ratio est: quia decretum Dei, ad instar desiderij nostri, est tendentia intentionalis affectiva per modum motûs, seu viâ ad existentiam rei, tanquam terminum ad quem propensionis suæ: contradistinctim scilicet à gaudio quiescente in re existente & possessa taliter cognita, & visâ: implicat igitur in terminis decretum de existentia rei, quam decretum ipsum visâ, ut existentem supponit. Quemadmodum ergo indignum est homine cordato, seridè statuere, quod nunc fiat, quod iam factum videt; similiter repugnat Deo, decreto suo directo per scientiam Visionis de re, & quæ propterea diceretur causa rei, decernere existentiam eiusdem rei: supponeret enim scientiam, quæ est causa rei, & visio rei ut causata, & existentis.

50 Præterea. Ut scientiâ Visionis de rebus constituat divinam Providentiâ, dicaturque propterea causa rerum medio decreto, duo requiruntur: quod nempe decretum ab ea visione directè quodammodo influat in res: & quod ea visio quodammodo influat in decretum: sine

ijs

## SECTIO V.

*Alia via defendendi Scientiâ Visionis esse constitutivam Providentiâ, & causam rerum præcluduntur; & modus, quo res antecedunt ad sui Scientiâ Visionis, exponitur.*

ijs enim in intelligibilis est mediata illa causatio rerum per scientiam medio decreto ab ipsa directo. Atqui ea duo requisita sibi repugnant: non igitur nisi implicanter dici potest Scientiâ Visionis rerum constituere Providentiâ Dei, ut causa rerum. Probatur minor. Si enim decretum existentia mundi dirigitur à scientiâ Visionis existentia mundi, quomodo prima influit in existentiam mundi, quam absolutè iam prævisam supponit per scientiam Visionis illud dirigentem. Aut, si ea visio existentia mundi, utpotè Deo libera, supponit decretum liberum, quomodo influit in decretum, quod præsupponit? Nequit ergo rationaliter conciliari mediata illa causatio rerum à scientiâ Visionis ipsarum rerum per influxum decreti in res, & scientiâ Visionis in decretum: quæ prorsus inconciliabilia sunt.

51 Denum. Si Scientiâ Visionis existentia mundi directivè causaret existentiam mundi; vel illam primò causaret antecedenter ad omne decretum de mundo: & hoc non: sic enim prima mundi causatio, & absoluta visio, non esset Deo libera, utpotè nullum supponens decretum liberum de mundo. Vel subsequenter ad omne decretum, executivum etiâ, si velis, de mundo: & neque hoc: sic enim iam non causaret mundum medio decreto per ipsam directo; cum omne decretum ad ipsam præsupponatur; & de cætero nihil tali scientiâ supersit, nisi speculari, contemplari, & intueri existentiam mundi iam etiam executivè prædecretam, quod non est causare existentiam mundi. Vel in signo, ut aiunt, medio inter decretum intentivum, & executivum mundi: & neque hoc: frustra namque diceretur causa rerum scientiâ supponens iam decretum intentivum præcausativum rerum. Vel tandem existentiam mundi causaret concomitanter cum decreto executivo: & neque hoc: quia iuxta S. Thom. cit. *num. 48.* Scientiâ in res scitas non aliter influit, nisi mediante voluntate: ergo non nisi medio decreto ad quod directivè præcedat: ac proindè non concomitanter cum decreto. Nullus ergo superest modus, quo scientiâ Visionis rerum, posset esse causa rerum, ac proindè non constitutiva divinæ Providentiâ earumdem.

52 **R**elictâ in re Thomistarum Sententiâ alijs vijs corati sunt alij morem gerentes loquuntur ibus Sanctorum Patrum, quas pro nobis adduximus, utcumque defendere, Scientiâ Visionis esse constitutivam divinæ Providentiâ, & causam rerum. Triplex occurrit dicendi modus.

53 Primus aliquorum, quos sequutus est è nostra Provincia unus, vel alter, dicendo in signo antecedenti ad existentiam divini decreti, videri à Deo virtualement eiusdem decreti futuritionem, non quidem realem formalem, cum divina decreta sint ab æterno existentia, sed virtualem: per eiusmodi autem scientiam visionis futuritionis virtualis decreti posse dirigi Deum ad existentiam decreti, sicque ad causandas res medio decreto: sicque prædictam scientiam visionis aptè posse constituere Providentiâ de rebus. Virtualement istam decretorum futuritionem exposui *disp. 13. de Attrib. sect. 7.* ibidemque illam, ut chymericam reieci: quo ruit horum Authorum excogitatio. Illâ tamen permissâ, nondum obtinent inrentum. Nam decreta eo modo futura dici possent, quo in posteriori signo sunt existentia. Vel ergo in signo illo permissæ futuritionis videntur futura dependenter à scientiâ visionis; vel independenter? Si independenter: ergo nec in signo existentia essent dependenter à scientiâ visionis: quia non existunt, nisi modo quo erant existura. Si dependenter: ea scientiâ non esset scientiâ libera ratione decreti: tam enim pro statu futuritionis, quam actualitatis præcederet ad decretum. Clariùs. Vel ea decreta prævidentur futura dependenter à Scientiâ Visionis præsuppositâ ad ipsorum existentiam; vel non? Si sic: ergo non existit in Deo ex determinatione decreti; impotius, tam futuritio, quam existentia decreti ex determinatione scientiâ: quænam igitur manet in Deo immediata libertas in decernendo, nisi fundata in libertate scientiâ, quæ si non supponit

E

nit

To. de Deo  
disp. 13.

nit decretum, nequit esse libera Deo. Si non: ergo decreta videntur futura, quin in signo futuritionis, & actus primi ad ipsa videatur existere scientia visionis: ergo in signo etiam existentia existunt, quin dicant pro signo sui actus primi scientiam visionis: existunt enim modo, quo visa fuerunt extitura, & ex iisdem principijs, à quibus visa sunt extitura: Sic igitur non aptè disponitur ea scientia visionis, ut possit dirigere decreta: quini- mò sic videt ea fore sine sua directione.

Montoya.

54 Secundus aliorum dicendi modus est ex Montoya, esse constitutivam Providentiâ, causamque rerum aliquam scientiam visionis: non quidem ipsarum rerum: has enim, ut loquuntur Sancti Patres, videt Deus existere, seu extituras esse, quia existunt, vel extiturae sunt; sed scientiam visionis intentionis finis, & electionis mediorum. Quoniam, inquit, divina Providentiâ dicit essentialiter prudentem determinationem Dei ad ponenda media: sed ea Dei determinatio dicit essentialiter iudicium, quo Deus videat, se intendisse finem, & elegisse media; quod iudicium est scientia visionis: ergo hanc saltem dicit essentialiter Providentiâ: ac proinde ad nullam Providentiâ sufficit sola scientia simplicis intelligentiâ. Confirmant: quia volens, & promittens dare, non censetur obligatus ad dandum, nisi cognoscat se voluisse, & promississe: sic ergo Deus non censetur prudenter, ac providè, nec providenter determinatus ad ponenda media, donec per scientiam visionis indicat se finem intendisse, eaque media elegisse.

55 Verumtamen hæc ratiocinatio nec satis attingit scopum veritatis, ne quidem quæstionis. Non quæstionis: quia quæstio est de scientia visionis directâ rerum ad extra providendarum; non de reflexâ supra ipsos actus Dei. Non veritatis: quia determinatio libera Dei ad ponenda media; non est actus intellectus, sed voluntatis: estque electio ipsa mediorum, & apud me ipsam quoque intentio divina libera finis ob indivisibilitatem etiam virtuales divini decreti: non transeuntis sicut frequenter in nobis, ideoque novis actibus roborandi; sed constantissimè permanentis. Undè sequuntur duo. Vnum, quod electio mediorum cum notitia scientia simplicis intelligentiâ, aut

Media præcedente, tam ad liberam intentionem finis, quam ad electionem mediorum, est sufficientissima ad prudentissimam, & securissimam electionem mediorum. Alterum, quod scientia visionis electionis mediorum non est apta dirigere decretum electionis, cum ad ipsum nullâ ratione præsupponatur; nec ad aliud, cum nullum aliud decretum subsequatur, ut constabit ex impugnatione ulterioris decreti exequentivi *sect. 7.* Nullo igitur ex capite ingredi potest eiusmodi scientia visionis constitutivum Providentiâ, utpotè iam adæquatè præconstitutæ.

56 Ad rationem contrariam facile responderetur, concessâ maiori, negando minorem. Quamvis enim eiusmodi iudicium adsit in Deo, ut omnia norit, non tamen ad dirigendam prudentem determinationem mediorum, quæ est ipsa mediorum electio præsupposita ad tale iudicium, quamque iudicium ipsum videt, non solum esse, sed antecedenter ad ipsum prudentem esse, cum non nisi prudenter esse possit in Deo. Undè negatur consequentiâ. Ad confirmationem dico ex antecedente, quod procedit de obligatione morali, seu legali, consequentiam esse nullam. Nam ea Dei determinatio ad ponenda media, non est ad modum obligationis moralis, seu legalis; sed per modum intrinsecæ connexionis cum positione mediorum, quam seorsim, ac præcisim ab huiusmodi iudicio de ipsius existentia, habet efficax electio divina mediorum, qua constanter in Deo permanente, infallibilissimè ponitur media sicut illa vult: non enim desistit Deus ab eo, quod semel voluit, ut sæpè nos ob imperfectiones nostras, à quibus longè seponendus est modus decernendi, eligendi, intendendi, & providendi divinus.

57 Tertius propterea dicendi modus universalior est aliorum apud Iunium *Iunius. sect. 4. cap. 1.* opitulantis Montoya, & Quiròs, qui volunt esse constitutivam Providentiâ, causamque rerum scientiam visionis ipsarum rerum, non in se ipsis, ut quoquomodo salvent loquutiones Sanctorum pro nobis adductas; sed in decreto ipsarum: ad quod decretum, & ad modum videndi res in illo subsequitur modus videndi res in se ipsis, quæ visio non est constitutiva Providentiâ, nec causa rerum; imò sic res videt existere, vel

exti-

extituras, quia existunt, vel extiturae sunt, ut loquuntur Sancti Patres.

58 Dissolvent tamen primò. Quia huiusmodi distinctionem visionis rerum in se, vel in alio non patitur sincera, & genuina intelligentia Sanctorum Patrum universaliter, & indistinctim loquentium. Quos tamen latere non potuit connectio divini decreti cum existentia creaturarum, & videri à Deo, ut dependentes à decreto, ac proinde in decreto: & tamen absolute negant eas extituras esse, quia videntur. Accedit, quod, si non id dicerent de visione creaturarum, etiam in decreto nihil conficerent contra Gentiles, & Hæreticos, qui, ne libertatem nostram denegarent, omnem divinam prævisionem æternam liberam Deo denegabant: atque adeo tam liberorum in se, quam in decreto: ipsis enim ad intentum perinde erat: ergo frustra SS. PP. modo dicto contra illos pugnarent; si in suis illis loquutionibus non loquerentur de divina visione rerum tam in decreto, quam in se ipsis. Præterea Thomistæ contra nos sentientes in hoc puncto loquuntur præcipue de Visione rerum in decreto: si ergo de hac conceditur esse causam rerum, & constitutivam Providentiâ, actum est de præsentis controversia.

59 Dissolvent secundo. Quia nequit res videri à Deo in alio, scilicet in decreto, quin eadem ipsissima visione videatur in se: ergo si visio rei in se nequit esse causa rerum, nec constitutiva Providentiâ earundem, pariter nec visio rerum in decreto. Antecedens, quod evertit totum fundamentum contrariorum, probatur. Qualibet veritas statim ac veritas est, id est in primo signo suæ cognoscibilitatis est nota Deo non solum per aliud, sed ex suis etiam terminis ob infinitam, ac omnium veritatum comprehensivam divinæ mentis intellectivitatem, quæ Deo est loco speciei propriæ cuiuscumque rei ad intuendum omne scibile: ergo nulla veritas potest pro ullo signo videri à Deo in alio, quin eadem ipsissima visione, & pro eodem signo videatur in se. Et hæc sine dubio est ratio, cur SS. PP. huius distinctionis non curarunt. Confirmatur. Quamvis enim res non sit formaliter, & physicè pro signo decreti, sed solum obiectivè, & terminativè, alioquin nec in decreto cognosceretur; attamen in signo visionis om-

nino simul sunt obiectivè res, & decretum: ergo pro eo signo visionis æquè primo est cognoscibilis res in se, & quia futura est, ac in decreto, & quia decreta est. Patet antecedens, quia per vos in eo signo videt Deus rem extituras esse, quia decernitur: ergo omnino simul pro eo visionis signo utrumque id verum est, & rem extituras esse, & rem decretam esse: nequit enim esse verum, rem extituras esse, quia decernitur, quin verum sit, rem extituras esse, ut est ex terminis patentissimum: ergo pro signo visionis, quo res est à Deo cognoscibilis in decreto, est etiam cognoscibilis in se.

60 At cur, inquit, intellectus divinus non potest cognoscere rem in alio, quin in se; potest tamen intellectus creatus? Disparitatem claram iam cursim attingimus. Quia divina mens infinitissima est, & sufficientissima ad omne verum eo ipso quod verum sit, ac propterea non eget ope speciei à se distinctæ ad cognoscendas res in se: sed ipsa sibi est loco speciei ad omnem veritatem cognoscendam, & in se cognoscendam. Intellectus verò creatus indiget speciebus à se distinctis complementibus eius insufficientiam, & limitationem: ideoque, cum possit habere speciem unius rei, quin habeat alterius, potest unam cognoscere sine alia; si autem res istæ sint inter se connexæ, cognoscens unam, cuius habet propriam speciem, cognoscit aliam, cuius non habet propriam speciem: illam in se utpote per speciem propriam, aliam non in se, quia non per speciem propriam, sed per alienam: ideoque dumtaxat in alio. Deus autem per se omniscientissimus non sic.

61 Nec obest, quod decretum sit prius re decreta: ergo prius cognoscibile, quia cognoscibilitas sequitur esse: ergo veritas rei decretæ prius est cognoscibilis in decreto, quam in se. Alioquin sequeretur, quod Deus per visionem, qua cognoscit Filium in Patre, cognosceret Filium in se; imò etiam & Patrem in Filio æquè prius: cum tamen Pater sit prior Filio, & ratio cur à priori sit Filius; & non e contra. Responderetur enim negando consequentiam, nam ex antecedente consequentiam, nam ex antecedente consequentiam inferitur, quod decretum est cognoscibile esse prius, cum verè sit prius: & hoc est in quo cognoscibilitas intrinseca sequitur esse, cum re ipsa sit ipsum esse rei: non

autem in eo quod res non sit cognoscibilis antequam sit: cum ad hoc sufficiat posse terminare obiectivè tendentiam intentionalem cognitionis essentis pro priori, & pro eodem priori affirmantis tale obiectum esse pro posteriori, sicut re vera est: Vade pro priori Visionis decreti non est cognoscibilitas intrinseca rei, quæ quidem est ipsa res; ea tamen intrinseca cognoscibilitas rei, sicut & ipsa res, quam vis pro priori non sit, pro priori tamen est obiectum visionis essentis pro priori: ut est clarum in scientia Dei ab æterno actuali cognoscente res futuras in tempore: respectu cuius res futuræ non sunt ab æterno, quando ipsa est, quamvis ab æterno, quædo ipsa est, res futuræ sint obiectum ipsius. Id quod firmat potius quam impugnat illud de Patre æterno, & Filio. Conceditur enim meritiisimè sequela: quod nempe cognoscantur æquè prius, quia æquè prius sunt obiectum cognitionis; non tamen cognoscantur esse æquè prius: quia non æquè prius sunt; sed Pater pro priori originis, & Filius pro posteriori: & sic cognoscantur esse cognitione pro priori se habente: sicque Pater est ratio à priori cur sit Filius; at nō Filius cur sit Pater: neuter verò sit ratio à priori cur sit cognitio divina, absoluta & essentialis utriusque; quæ prædicatum absolutum necessarissimum est non subsequens ad relativa. Quod mihi ita pervium est, ac est omnibus pervium, quod cognitio verissima cognoscit omnino simul fumum & ignem, qui simul omnino sunt ipsius obiectum; non verò cognoscit fumum & ignem esse omnino simul, cum omnino simul non sint; sed naturâ prius, & posterius.

62 Displacent præsertim tertio, & mihi quidem specialius. Quia, ut ex S. Thom. vidimus nu. 48. Scientia non aliter constituit Providentiâ, aut est causa rerum; nisi mediante actu voluntatis, quatenus nempe dirigit decretum Dei circa res. Sed Scientia Visionis sive rerum in se ipsis, sive rerum in decreto nullum dirigere valet Dei decretum de rebus ipsis: ergo tam scientia Visionis rerum in se, quam in decreto nequit esse constitutiva Providentiæ; nec causa rerum. Probat minor, in qua est difficultas: quia non potest dirigere decretum, in quo res videt, ut nobis conceditur: quia scientia

visionis rerum, sicut nec decreti non antecedit decretum quod videt: non enim Deus res decernit, quia videt se decernere; sed videt se decernere quia decernit; ideoque libere videt, quia liberè decernit: neque potest dirigere aliud decretum subsequens scilicet executivum earundem rerum, quia tale decretum superfluit, & repugnat Deo, non solum, quia repugnat Deo multipliciter decretorum, ut diximus disp. 8. de Deo sect. 4. verum etiam quia decretum pare executivum eiusdem rei diversum ab intétivo vacat sufficienti fundamento, ut ex professo videbimus disp. seq. sect. ... Nullum ergo Dei decretum est excogitabile quod dirigí possit à scientia Visionis rei per ipsum decretæ: atque adeo nec scientia visionis rerum in se ipsis, nec rerum in decreto potest esse constitutiva Providentiæ, nec causa rerum.

To. de Deo disp. 8.

Infrâ disp. 3.

## SECTIO VI.

*Difficultas emergens circa modum, quo res ipse contingentes sunt ratio à priori divinæ Scientiæ Visionis potius quam e contra.*

63 **MANET** ex dictis, Scientiam Visionis non esse constitutivam divinæ Providentiæ, nec causam rerum, quas videt, iuxta sinceram intelligentiam Sanctorum PP. Ingemnantium, ut supra, actus nostros liberos non esse futuros quia videntur à Deo; sed inò videri à Deo, quia futuri sunt; qui modus loquendi aliqualem præfert antecedentiâ & quasi causalitatem rerum ad absolutam sui visionem. Hinc nata difficultas, quam nobis præsertim objiciunt Thomistæ: quænam esse valeat causalitas, seu quasi causalitas, quænam prioritas, seu antecedentiâ rei creatæ temporariæ ad divinam Scientiam Visionis æternam, increatam, & improductam? Ratione cuius valeant esse veræ propositiones illæ causales: *Scientia Visionis videt res quia res existunt, vel extituras sunt;* & non e contra: *res existunt, vel extituras sunt, quia Scientia Visionis illas videt.*

64 Ratio autem dubitandi est potentissima. Quia in primis rerum creatarum existentia, nec futuritio non antecedit tempore divinam Visionem, quæ quidem ab

ab æterno est. Deinde nec antecedit natura, origine, nec causalitate: quia divina Visio utpote prædicatum Dei absolutum incausatum, & improductum, nec nascitur, nec oritur, nec causatur à veritate creata, quæ in sui existentia est tempore posterior, semperque impotens influxum aliquem physicum exercere in prævisionem divinam. Nulla ergo antecedentiâ, aut causalitas competere potest rebus creatis respectu Scientiæ Visionis divinæ, ratione cuius scientia Visionis sit in Deo, quia ipsæ sunt, sive quia futurae sunt. Sequeretur enim, quod scientia Dei depederet quoad intrinsecum sui à veritatibus creatis. Sequeretur secundò, quod mensuraretur per res creatas, quas præsupponeret, ut rationem à priori existentiae suæ, contra quod ait S. Thom. Dei scientiam esse mensuram omnis veritatis creatæ. Sequeretur tertio, quod eodem modo se haberent veritates creatæ ad intellectum divinum, ac ad angelicum, & humanum: nec esse rationem, cur similiter angelicus, & humanus aliud requirant ad cognoscenda futura contingentia, præter esse verum quod erunt.

S. Thom.

65 Difficultas est ex suis terminis satis implexa, & implexior ex variâ usurpatione, & explicatione terminorum. Quocirca fatendum in primis est, quod rectè supponitur in vestibulo rationis dubitandi, res creatas existentes, aut futuras non antecedere tempore ad divinam scientiam visionis, quæ ab æterno est, & ex hac saltem temporis præcedentiâ dicitur optimè præscientia, & prævisio; utpote infinite, & æternè prior omni ente creato. Est mihi quoque verum, veritates creatas non esse priores Scientiâ Visionis Dei prioritate propriâ naturæ, originis, aut causalitatis physicæ. Hoc enim repugnat eius incausabilitati, & aserati, essentialiter incausabili & improductibili per modum influxus physici in ipsam.

66 Cæterum præter influxum physicè causativum agnoscunt Philosophi influxum alium minus proprium, scilicet intentionalem, quo res, quæ non existit, causat, seu inducit antecedenter tempore existentem: ut omnibus fateri necesse est in causa, & motione finali. Finis enim nondum physicè existens movet & inducit ad intentionem actualem sui, & ad positionem mediæ physicè existentium

ante ipsam: non quidem per influxum & causalitatem physicam, quæ requirat finem physicè influentem; sed per influxum & motionem intentionalem. Ad hunc ergo modum dicitur, quod veritates creatæ nondum existentes sunt ratio, cur existat in Deo scientia visionis earundem, & inducunt eiusmodi scientiam divinam: non physicè in illam influendo; sed intentionaliter eam inducendo: quatenus nempe Deo repugnat aliquam veritatem nescire, eo ipso quod absolutè verum sit, creaturam extituras, debet absolutè scire, quod existet; & eo ipso quod verum sit conditionate, consensum liberum extituras, si homo constitueretur in tali libertate, debet conditionatè scire, quod existeret consensus, si homo in tali libertate constitueretur: alioquin aliquam veritatem nesciret Deus omniscius.

67 Porro, quod hoc genere motionis, seu inductionis intentionalis à termino creato habeat Deus aliquid sibi intrinsecum, ipsique quoad denominationem contingens, nec dedecet Deum æternum, nec repugnat termino creato nondum temporaliter existenti. Non dedecet Deum, quia non dedecet æterna prædicata intrinseca Dei intentionalia tam intellectus, quam voluntatis actu terminari ad obiecta creata actu non existentia, ut est omnibus innegabile: quod autem inter hæc Dei prædicata intentionalia intrinseca alia sint omnino necessaria; alia libera, seu contingentia in denominando, quidditas ipsorum est, ut Dei saltem libertas lumine naturæ nota consistere possit. Vnde venit, quod erga prædicata Dei contingentia modo aliquo diverso habere se possint obiecta creata ad quæ intentionaliter terminantur, ac erga prædicata Dei etiam intentionalia omnino necessaria, ut creata quoque libertas similiter nota consistere possit. Nec repugnat termino, seu obiecto creato nondum temporaliter existenti: quia hic modus intentionaliter inducendi æternum prædicatum Dei non tam est extendi virtutem obiecti creati à suo tempore ad æternitatem, cum eius virtus non existat nisi in suo tempore, & fortè in nullo, nihilque physicè influat in prædicatum Deo coæternum; quam extendi virtutem cognoscitivam aut volitivam divinam ab æterno ad omne tempus & ad omne obiectum sive existens, sive etiam non

non existens in tempore. Vnde totum hoc refunditur in infinitissimam divinâ mentis perfectionem.

68 Dices: quid est quod ex parte rerum re ipsa inducit, & infert in Deo eiusmodi scientiam actualem? & medio quod exercetur actualiter ea inductio? Responderetur contra aliquorum existimationem id, quod ex parte veritatis creatæ dicitur inducere in Deo ab æterno eiusmodi scientiam contingentem, non esse aliquid actuale creatum, quod sit rerum possibilitas, seu futuritio aut absoluta respectu scientiæ visionis, seu conditionata respectu scientiæ Mediæ; sed esse ipsas res creatas: non quæ actu existant, sed quæ tempore suo existant; aut quæ existant si poneretur talis conditio. Hunc enim modum infinendi seu inducendi intentionalem, sicut & terminandi actus divinos intentionales habent res actu non existentes, ut dictum est; cum propterea physicè nihil agant, sed purè obiectivè terminent operationes intentionales divinâ mentis. Medium autem, quo exercetur formaliter in actu secundo ea inductio, est ipsa actualis tendentia divinâ mentis in obiectum: ita quod veritas obiecti creati non existentis, simul cum infinitate divinâ mentis, sit quasi in actu primo quod inducit eiusmodi prædicatum æternum visionis contingentis in Deo; ipsa vero visio sit quo formaliter inducitur. Ad modum quo bonitas finis est quod movet voluntatem ad sui volitionem, exercitium vero, quo in actu secundo movet, est volitio finis, quæ nimirum est ipsa formalis finalizatio, seu causalitas causæ finalis: & veritas obiecti est quod terminat & movet assensum nostri intellectus, id autem, quo formaliter exercitè, & in actu secundo terminat, est ipsamet intentionalis tendentia assensus nostri, ut est tritum in Philosophicis.

69 Dixi: Simul cum infinitate divinâ mentis: quia ad inducendam visionem aliquis veritatis obiectivæ, non sufficit id in obiecto esse verum, nisi accedat perfectio virtutis cognoscitivæ omnisciæ non potentis nescire quidquam veri, qualis est vnicè divinâ ex se necessario determinatissima ad sciendum omne verum, si verum est, & eo ipso quod verum sit: sicque ut actu sciat, & videat quod obiectum existit, aut existet, nihil aliud requirit quam quod obiectum existat, aut existiturum sit:

nam eo ipso est verum, quamvis contingenter, quod existit, vel existet. Atque hinc est manifesta disparitas divinam inter & creatam mentem: utpote non ex intrinsecis suis emittiam, cum multæ veritates possint ipsam latere, ideoque ulterius ad intuendum indigentem concursu physico obiecti, vel per se, vel per speciem sui vicariam.

70 Superest decisio suborientis dubij ad puriorem loquendi modum in re lubricâ magna ex parte pertinentis: an propterea, & in quo genere prioritatis dici valeat veritas obiecti creati absolute futuri contingentis prior scientiâ visionis? Et idem est de veritate obiecti creati conditionatè futuri respectu scientiæ Mediæ: quæ nimirum contingenter ideo etiam est in Deo, quia tale obiectum futurum est sub tali conditione.

71 Communis est loquutio, veritatem obiecti contingentis prædicto modo inducentis in Deo scientiam visionis ab æterno contingentem, esse priorem prioritate naturæ respectu divinâ scientiæ. Hoc tamen impugnat Ribaden. *disp. 16. cap. 3.* Quia prioritas naturæ est prioritas nativitatis, seu causalitatis, ut ex ipso vocabulo notat optime P. Suarez: ideoque nequit inveniri nisi inter ea, quorum unum est causa, principium, seu origo alterius: nequit autem dici quod res creatæ in tempore evenientes sint causa, principium, seu origo divinâ visionis æternæ, quod ista ab illis oriatur, & nascatur: ergo nec quod illæ sint istâ priores, & ista illis posteriori prioritate, & posterioritate naturæ. Accedit quod ex Haunoldo monstravi *disp. 5. de Incarn. à num. 145.* in terminis implicare, quod res tempore posterior sit naturâ prior respectu tempore prioris: scientiam autem visionis Deo coæternam esse tempore priorem quolibet creato evidentissimum est. Præterea: de ratione obiecti non est esse naturâ prius intuitionè sui: ut patet in ipso Deo sui omnipotentiam intuente, quin omnipotentia sit naturâ prior intuitionè divinâ: patet etiam in creaturis possibilibus, quæ non sunt natura priores ad scientiam simplicis intelligentiæ, cuius sunt obiectum. Et patet in cognitione divinâ necessariâ intuente Filium, & Spiritum Sanctum origine posteriores ad Patrem, quæ quidem non est illis posterior, cum nec sit posterior Patre, imò in Patre con-

Ribaden.

Suarez.

Haunold.  
To. de Christi  
sto *disp. 5.*  
*sect. 11.*

constituat pro priori ad Filium principium Filij. Ergo quod creaturæ existentes, aut futuræ sint obiectum scientiæ visionis earum, non est sufficiens ratio, cur dicantur naturâ priores ad sui Visionem.

72 Propter hæc invaluit apud multos alia explicatio, seu constitutio prioritatis naturæ: ad quam aiunt non requiri causalitatem, seu influxum prioris in posteriori; sed sufficere independentiam à dependente; independentiam scilicet inconnexionis, seu minoris connexionis cum magis connexo. Sicque dicunt veritatem obiectivam contingentium esse quid naturâ prius scientiâ visionis, & hanc esse naturâ posteriorem, quia scientia est dependens, seu magis dependens, id est magis connexa cum obiecto, quam econtra. Quæ specialiter faciunt contra hoc de scientia Mediâ resolventur alibi.

73 Hanc sive explicationem, sive constitutionem, seu reformationem prioritatis naturæ, falsam & ineptam indicat & meritò Ribadeneyra. Quia hic numero terminus minus indigenter connectitur cum hac numero actione, quam econtra: hæc enim actio omnino nequit esse sine hoc termino; bene verò hic terminus sine hac actione: nemo tamè prudens dixerit, nisi per summam Philosophiæ perversitatem, terminum esse naturâ, vel origine priorem actione, quæ est via ad ipsum: hæc numero causa necessaria instructa cum omnibus requisitis in actu primo ita connectitur cum effectu, ut nequeat esse naturaliter sine illo: qui tamen naturaliter esse potest sine hac causa sic instructâ, scilicet ab alia primò productus, seu conservatus. Quis autem dixerit propter hanc maiorem independentiam inconnexionis intrinsecæ effectum esse naturâ priorem causâ: & actum primum esse natura posteriorem actu secundo? Est viam aperire ad dicendum, physicas prædeterminationis non necessitare antecederet: quia connexior est hæc prædeterminatio cum hoc consensu, sine quo nullatenus esse potest, quam econverso; cum hic consensus esse possit sine hac numero prædeterminatione. Placetne? Profectò vox est, & sensus Scholasticorum omnium, dependentiam dividere in vnam à priori & aliam à posteriori: quo igitur pacto ex ratione dependentiæ arguere volunt posterioritatem respectu independentis, aut in hoc priori-

tatem respectu dependentis, nisi accedat titulus alius v. g. causalitatis ad prioritatem naturæ; aut alius similis ad aliud prioritatis, & posterioritatis genus?

74 Ex ijs ad summum dici posset; veritates creatas existentium, seu futurorum esse priores naturâ ad scientiam visionis earumdem negativè; id est, non esse naturâ posteriores, quia non causantur à sua scientia visionis directivè, cum dirigere nequeat divinum decretum de ijsdem. Cæterum, quamvis hoc sufficere fortè posset ad oblitendum Thomistis asserentibus scientiam visionis esse causam rerum; neququam tamen ad faciendum fati Sanctis Patribus: quippe non solum negant res futuras ideo esse futuras, quia Deus scit eas futuras; verumetiam affirmant econverso, ideo Deum scire esse futuras, quia futuræ sunt: quo videtur indicari non solum scientiam visionis non esse causaliter priorem; verumetiam aliquando subiequi ad veritatem illam obiectivam aliquo prioritatis genere antecedentem.

75 Nec planè satisfacit P. Ribadeneyra per prioritatem rationis. Fateor equidem, in creatis res intuitivè visas antecedere prioritate naturæ ad nostram sui visionem, quam utique, sive per se, sive per species physicè causant, partam, ut aiunt, ab obiecto; & potentiâ; & nos assuetos concipere divina ad instar creaturarum, umbram quandam prioritatis ratione nostra, ubi prioritas à parte rei non est, appingere posse ex modo quodam concipiendi nostro. Haud tamen crediderim, per id fieri satis ad prædictas loquutiones SS. Patrum: quæ quidem veræ, vel falsæ non sunt ex eo quod nos sic, aut sic res concipiamus; sed ex eo quod res est, vel non est, sicut asseritur: ut ergo verum absolute sit quod aiunt, res non ideo futuras esse, quia videntur à Deo; sed ideo videri à Deo, quia futuræ sunt; aliquid prioritatis discrimen dari necesse est ex parte rerum ad divinam sui visionem: potius quam econtra, seorsim, & independenter à quacumque consideratione nostra, nostroque modo concipiendi.

76 Resolutio sit: veritatem absolutâ futuri contingentis non esse priorem naturâ scientiâ visionis per ea quæ diximus nu. 71. nec istâ prioritate rationis ex modo nostro concipiendi divina per analogiam

ad

ad creata per ea quæ diximus *num. præc.* esse verò non solum negativè, verum etiam positivè priorem aliquali prioritate, ut ex loquutionibus SS. Patrum confecimus *num. 74.* prioritate scilicet determinationis? Hanc sic ab sapientissimis Magistris cognominatam cum Ant. Perez sic explicò. Ex Aristotele 5. *metaph. cap. 11.* numerante inter alias prioritates istam, quæ vocat eligentis ad ea quæ sequuntur, hoc est, ad ea quæ se accomodant, seu attemperant ad eius electionem, seu attemperantionem. Quando unum secundum se indifferens ad sic existendum vel non existendum determinatur ab alio ad sic existendum, istud determinans est ratio à priori, prioritate scilicet determinationis, & solius determinationis, ubi locum non habet prioritas causalitatis, cur illud sic existat; ut dici verissimè possit, ideo illud existere quia istud existit, vel existet, potius quàm e converso. At Scientia visionis Dei, quæ prædicatum Deo contingens est, secundum se indifferens est, ut existat, vel non existat in Deo sic denominans videntem mundum existere, aut conversionem Petri extituras esse; cum possit esse Deus quin sic videret, sicut & quin existerent unquam mundus, & conversio Petri. Cum autè Deus omniscius necessitatissimus sit ex suis intrinsicis ad sciendum omne verum, ac proinde ad videndum mundum existere, si existit, & conversionem extituras, si existet; eo ipso quòd verum sit mundum existere, determinatur ad absolute videndum mundum existere; & eo ipso quòd verum sit conversionem extituras, determinatur ad absolute videndum conversionem extituras. Qui modus determinandi, cum non sit per modum influxus physici, sed inductionis intentionalis, & obiectivè, nullatenus repugnat creaturæ nondum existenti, nec dedecet Deum incausabilem, imò refunditur in infinitissimam Dei perfectionem terminatam etiam à se, & per se ad non existentia absque ullo istorum physico influxu, & adiutorio, ut vidimus *num. 67. & 68.*

77. Restat duplex scrupulus ex datis doctrinis facile deponendus. Primus: cur similiter dici nequeat, veritates purè possibilium esse rationem à priori, prioritate scilicet determinationis, respectu Scientiæ simplicis intelligentiæ? Secundus: cur obiecta intuitionis creatæ angelicæ, vel

humanæ dicuntur priora prioritate naturæ respectu illius; & non sic obiecta existentia, vel futura creata respectu divinæ Scientiæ visionis? Ad primum enim respondetur, rationem claræ disparitatis esse, quia scientia simplicis intelligentiæ non est contingens, & secundum se indifferens; sed ex se absolute determinatissima ad denominandum Deum sic intelligentem, non minus quam obiectum sit ex se determinatum ad sic se habendum, sicut ab illa cognoscitur: atque adeò non comparatur cum veritate obiectiva rerum, tanquam quid secundum se indifferens ad sui determinativum: ideoque deest inter illa, & obiectum ordo prioritatis, & posterioritatis determinationis, quem observamus inter scientiam visionis, & veritatem sui obiecti. Ad secundum respondetur, rationem esse disparitatis æquè claram, quam iam attigimus *num. 69. & 75.* quòd nempe intellectus creatus insufficientis per se solum ad actu intelligendum indiget adiutorio physice coeffectivo, tenente se ex parte obiecti, aut vice obiecti, ex quo adiutorio obiectivo, & ex intellectu paritur & causatur physice notitia, & intuitio obiecti: ideoque adest titulus causalitatis, ut obiectum dicatur prius prioritate naturæ respectu intuitionis creatæ: qui titulus procul abest respectu mentis divinæ per se sufficientissimæ ad videndum omne verum, eo ipso quòd verum sit, per visionem omnino increatam, & incausabilem.

78. Ex hucusque dictis diluitur expedite tota ratio dubitandi sita *num. 64.* concessio toto antecedente, & distinguendo consequens: nulla antecedentia temporis, naturæ, causalitatis, seu originis competere potest rebus creatis respectu scientiæ visionis divinæ, concedo: nulla antecedentia puræ determinationis, nego: hanc autem antecedentiam sufficere, ut à priori verè dicatur, eam Dei scientiam esse in Deo, & videre res creatas existere, aut futuras esse, quia ipsæ existunt, quia futuræ sunt, & non e converso, explicuimus *num. 76.* Hinc prima sequela falsa est de dependentia propriè dicta & à priori, quæ Deo repugnat: respectus autem essentialis ad obiecta creata tanquam ad puros terminos extrinsecos, nec repugnat, nec indecet perfectiones intrinsicas Dei. Negatur etiam secunda sequela: ratio enim

men-

mensuræ, de qua S. Thom. est ratio primæ veritatis: cui quidquid verum est, conformari debet; sicut divinæ voluntati, ut primæ regulæ bonitatis, quidquid in creaturis bonum est. Id autem competere nequit creaturæ, quomodocumque resolvatur præsens quæstio. Negatur quoque tertia: quia intellectus creatus ob sui limitationem non est per se determinatus ad cognoscendum omne verum eo ipso quòd verum sit: sicut de mente divinâ infinitissimè omnitiâ certum est. Unde est quòd diximus *num. 77.* mentem angelicam, & humanam; secus verò divinam; præter obiecti veritatem, indigere concursu coeffectivo obiecti, seu vice obiecti ad actu intelligendum.

79. Objicies. Divina Scientia Visionis, utpote Deo etiam quoad denominationem coæterna, est ab æterno actu determinata ad videndam veritatem rei contingenter futuræ: sed non à veritate obiectiva rei futuræ: ergo veritas obiectiva rei futuræ non est, ut resolvimus, determinativum divinæ scientiæ visionis: atque adeo cessat titulus prioritatis, quam adstruximus, in genere determinativo in rebus respectu scientiæ visionis: & corrumpit tota nostra resolutio. Maior est certa. Minor ostenditur. Veritas obiectiva rei futuræ non actu determinat ab æterno divinam scientiam visionis: ergo hæc non actu determinatur ab æterno à veritate obiectiva rei futuræ: implicat enim scientiam actu determinari à veritate, quæ actu ab æterno non determinat. Antecedens parere videtur ex terminis: quia quòd actu ab æterno non est, actu ab æterno non determinat: determinare namque est actus secundus, qui sine suo actu primo determinativi nec esse, nec intelligi potest: sed veritas obiectiva rerum futurarum ab æterno non est, quia sunt ipsa prædicata intrinseca rerum, quæ ab æterno non sunt: ergo veritas obiectiva rei futuræ non actu determinat ab æterno divinam scientiam visionis.

80. Speciem habet difficultatis obiectio; sed difficultatem in re modicam, nisi apud illos qui terminorum abusiones non animadvertunt. Certa est maior: & falsa minor cum tota consequentia. Ad ostensionem minoris negatur antecedens: ad cuius probationem distinguo: quòd actu ab æterno non est, non actu ab æterno de-

terminat, influendo physice in id, quòd determinat, concedo: inducendo intentionaliter & obiectivè id, quòd determinat; nego: hoc enim non est aliud, nisi id quòd ab æterno nō est, esse ab æterno obiectum scientiæ æternæ, quæ est ipsa formalis determinatio in actu secundo habens ab æterno pro termino obiectivo rem creatam non existentem; quæ quidem ab æterno non est; at ab æterno est obiectum scientiæ æternæ, quatenus actu cognoscitur ab æterno: quo non significatur actualitas rei, quæ existat ab æterno, sed actualitas cognitionis, qua videtur ab æterno: quæ est ipsa determinatio, qua res determinat, & scientia formaliter determinatur ad actu cognoscendam rem actu non existentem, nisi intentionaliter & obiectivè in mente Dei æterna. Hinc, concessa minori, nulla est consequentia: quia, ut veritas obiectiva rei creatæ dicto modo intentionaliter, & obiectivè determinet ab æterno, non requiritur quòd ab æterno sit, seu existat; sed quòd ab æterno sit obiectum actualiter attactum à scientia Dei ab æterno existente. Sic dies crastina actu non est; est tamen hodie obiectum cognitionis hodiernæ: quòd nihil est aliud, quàm esse hodie actu cognitum: significata scilicet actualitate hodiernæ cognitionis; non verò rei cognitæ. Sic finis nondum actu existens, nec forte extiturus, actu movet, & finalizat: quòd nihil est aliud quàm actu intendi, significatâ scilicet actualitate intentionis, non verò finis intenti. Aliqua ijs similia adnotavi *disp. 9. To. de Deo de Attrib. à num. 24.* Plura, & optima P. *disp. 9. sect. Herrera quest. 74. de Scientia Dei sect. 3. 5. 4. & 5.* disputans de determinativo creato Scientiæ Mediæ: contra quòd sibi objicit alias difficultates *sect. 6.* de quibus nos suo in loco agentes de directione Scientiæ Mediæ.

## SECTIO VII.

An de constitutivo Divinæ Providentiæ sit actus Imperij intellectualis, medius inter electionem, & usum

81. AD hunc actum intellectualis Imperij reducunt noviores Thomistæ Scientiam Visionis practicam constitutivam divinæ Providentiæ, ut ex Godoy, & Goneto vidimus *sect. 4. num. 46.* Huiusmodi

To. de Deo  
disp. 9. sect.  
5.  
Herrera,

Godoy;  
Gonet;

modi autem imperiant intellectuale sic sibi constituunt ex Ioanne à Sancto Thomâ *Ioann. à S. Thomâ. quest. 23. disp. 2. art. 3.* Dicunt primò, quod, voluntate intendente finem, datur circa media actus intellectus, qui est consilium, consultatio, seu inquisitio: deinde actus voluntatis, qui est electio acceptans medium aptum: deinde circa tale medium alius actus intellectus dirigens, ordinans, seu imperans executionem talis medij: & in hoc stat imperium: post quod datur tandem alius actus voluntatis executivus, qui est usus activus & applicatio potentie executricis talis medij. Dicunt communiter secundò; talem actum intellectus, qui est imperium, neque esse apprehensionem, neque iudicium, neque discursum; sed impulsum quemdam, & intimationem præceptivam, explicabilem per hæc verba: *fac hoc*: tametsi cit. Ioannes eum imperij actum reducat ad iudicium. Dicunt tertio, esse simpliciter necessarium, ut moveatur voluntas ad actum executivum, seu usus activi: quinimò & ad omnem actum liberum voluntatis illud necessarium iudicat docti Thomistæ apud *Godoy disp. 59. §. 7.* Dicunt quartò, esse taliter determinativum voluntatis, ut nequeat non coniungi cum actu voluntatis, quem imperat.

82 Atque hinc est, quod prædoctus Thomistæ Dominicanus Magister Iosephus Vita in Volumine iusto, quod evolvi, de hoc puncto, strenuè respuens prædeterminationes alias physicas, quibus docent Sui, voluntatem creatam prædeterminari à Deo; nervosè contendit, non à Deo, sed ab imperio intellectuali prædeterminari: enervans; & comminuens eruditè ac sigillatim fundamenta rationis, & autoritatis, quibus communiter Sui pugnantur hucusque frustra pro physicis à Deo prædeterminationibus ad actus liberos nostros, indignè que ferens quod compulsi fuerint id extendere contra ius, & fas ad peccaminosos. Displicebit multis, sed ab omnibus legendus cum fructu.

83 Imperium istud intellectuale sic explicatum, ut minus tutum pro constitutivo divinæ Providentiæ, inficiatur communiter Authores nostri cum Schoto, & suis apud Aldrete *disp. 1. sect. 2.* Primò, quia supervacuum. Non enim requiritur, ut dirigat voluntatem Dei ad decretum executivum mediorum: nam præ-

terquamquod, ut videbimus *disp. seq.* tale decretum executivum subsequens electionem & diversum ab intento inaniter affingitur Deo; iam ante illud supponitur in Deo scientia practica, aut simplicis intelligentiæ, aut etiam Media præcedens, qua Deus præcitat, & sufficienter illuminatur, ac securissimè dirigitur circa media, & circa modum, quo executioni mandari possunt, ac debent. Nec requiritur, ut determinet potentias executrices ad exercitium operis: nam posita, & persistente electione mediorum intrinsicè efficaci, per necessariam connexionem, subordinationem, seu sympathiam ponentur media determinatissimè absque ulteriori imperio: sicut si efficaciter volumus movere manum, aut pedem, non egemus novo actu intellectus, qui nos determinet ad talem motum. Nec requiritur in Deo ad applicandam Omnipotentiam executioni passivæ: iam enim est antecederet præparativè applicata per electionem, quæ est volitio efficax adhibedi media non nisi cum concursu Omnipotentie ponibilia. Ad quid ergo imperium illud intellectuale subsequutum ad electionem mediorum? Dices fortè, ut voluntas, quæ est potentia rationalis, determinetur ad opus ductu rationis, scilicet ab actu intellectus prævio per modum imperij monastici. Contra tamen: nam eadem rationalis voluntas determinatur ductu rationis ad electionem, & iuxta meliorem & saniorum Thomistarum partem apud *Godoy cit.* absque prævio alio imperio intellectuali, ne procedatur in infinitum, ut monuit S. Thom. *1. 2. quest. 17. art. 5. ad 1. & ad 3.* ergo ex eo quod voluntas, utpote potentia rationalis, determinatur ad opus ductu rationis, frustra arguitur imperium intellectuale. Et ratio est: quia voluntatem determinari ductu rationis, non est determinari, seu prædeterminari à ductu rationis, quod vocant imperium; sed ipsam, ducente ac præilluminante ratione, determinare se, & imperare quæ vult fieri.

84 Inficiantur secundò, quia pervertens munera potentiarum intellectus, & voluntatis. Imperare namque, sicut eligere voluntatis est; quæ propterea ex prerogativa libertatis sibi propriæ dicitur actionum domina: ineptè igitur statuitur imperium istud intellectuale Thomisticum pro constitutivo divinæ Providentiæ.

An-

Scot. Henric. Aldrete.

Antecedens, quod est doctrina Scoti, Henrici, & aliorum apud Aldrete cit. traditur idemdem à Sancto Thomâ *1. p. quest. 25. art. 5. Potentia intelligitur, ut exequens voluntas, ut imperans; intellectus, ut dirigens. 2. 2. q. 4. art. 2. Oportet, iustum esse preceptum ad sequendum imperium voluntatis.* Et *q. 58. art. 8. voluntas movet per suum imperium omnes alias potentias.* Et in *1. dist. 38. q. 1. art. 2. ex scientia Dei non procedit opus, nisi mediante voluntate imperante.* Et *dist. 44. q. 1. art. 1. Voluntas se habet ut imperans ad opus, quod potentia exequitur.* Nihilominus tamen minus displicet multis hæc ratio, & negant eius antecedens: quia, inquiunt, sicut alijs imperare politicè, seu æconomicè, est loqui ad alios, sic imperare sibi monasticè est loqui ad se, intimando sibi executionem: loquitur autem ad se ipsum actus intellectus est, non voluntatis. Vnde politicum imperium statui potius solet in actu intellectus iuxta S. Thom. & alios apud *Suarez lib. 1. de Leg. cap. 5.* pariter ergo & monasticum, quod dicitur ad similitudinem, & per analogiam quamdam ad politicum. Verùm, quidquid sit de politico, & æconomico, imperium certè monasticum, ut rectè supposuit *Suarez cap. 4. de num. 11.* merito constituitur in actu voluntatis. Quamvis enim ad intimandum alijs quod volumus, sit opus loquutione, non ita ad movendas potentias nostras executrices: hæ enim non sunt per se preceptivæ imperij, & stante efficaci volitione voluntatis moventur ad opus per naturalem subordinationem, ac sympathicum impulsu. Non nego, posse imperantem ad se intellectualiter loqui, sicque denuò excitari ad opus: sed dico, id non esse necesse, & sine hoc stare satis in actu voluntatis imperium monasticum, fatisque constitui providentiam absque ulteriori imperio intellectuali. Nec quod imperium monasticum constituendum sit ad instar politici, probat similitudinem & analogiam debere esse quoad omnia. Certè monasticum præfert necessitatem coniungendi se cum opere imperato; non ita politicum, quod dumtaxat facit necesse, ne licitè opus imperatum omittatur: quin hæc diversitas tollat analogiam inter vtrumque.

S. Thom. Suarez.

Godoy.

S. Thom.

lis nature constituitur à suis Assertoribus, ut connexissimè antecedit ad actum executivum voluntatis, qui est usus activus, & sine illo non possit usus exerceri: quod est physicè prædeterminare voluntatem cum manifesta iactura libertatis. Hæc tamen ratio quamvis urgeat illos ad quemlibet actum liberum voluntatis, prærequirètes eiusmodi imperium intellectuale, ut bene vidit *Godoy*; ideo deferens universalem hanc multorum Thomistarum doctrinam, quam olim tenuerat; non verò sic alios, qui ante prædictum imperium præcedens actum usus, ponunt actum electionis eiusdem voluntatis non similiter imperatum: quippe, si aliunde non claudicat libertas electionis, in ea fundari potest libertas usus, cum impedimentum imperij intellectualis non adsit, nisi pro libito voluntatis libere eligentis. Labor ijs erit in reddendâ ratione, cur possit determinari voluntas ad actum electionis sine prædicto imperio intellectuali; & non ad actum usus. Noster Antonius Perez *disp. 1. de Provid.* ut quoquo modo defendat libertatem usus imperati post imperium intellectuale, docet ex Bellarmino (quem tamen longe aliter exponit *Ribadeneyra disp. 18. num. 33.*) imperium supponere actionem amatoriam qua liberè exercetur voluntas, & antecedere amorem. Mihi tamen perinde est amor, & actio amandi. Deinde non facile percipio, quomodo voluntas determinans se ad actionem amandi sine prævio imperio intellectuali, illo indigeat ad determinationem amoris.

Godoy.

Perez.

85 Inficiantur quartò, quia chimericum. Quamvis enim aliqui in se reversi illud reduxerint ad actum iudicij scientiæ visionis; loquela tamen Thomistarum communior fuit, esse actum intellectus, qui nec est apprehensio; neque iudicium, neque discursus: quod perinde videtur esse, ac dicere, esse actum intellectus, qui non est actus intellectus; cum alias intellectus operationes præter apprehensiones, iudicia, & discursus non agnoverit Philosophia. Hanc tamen rationem non approbant *Arriaga, & Quirós, & Herrera*, dicendo, intellectum esse potentiam non solum perceptivam; verumetiam præceptivam, precativam, interrogativam, suspicativam, &c. interrogatio autem, oratio, & suspicio nec sunt apprehensiones, neque

Arriaga Quirós. Herrera.

iudicia, neque discursus. Insunt nihilominus alij in assumpta ratione. Quamvis enim interrogatio non sit iudicium de re interrogata, est iudicium de desiderio eam sciendi: oratio, seu precatio interna est fortè potius actus voluntatis desiderantis ab alterius ope consequutionem boni; quatenus verò est loquutio intellectualis ad alterum, præfertur actum iudicij significativum prædicti desiderij, & declaratum per illa verba *da hoc*: ut declarat optimè Suarez tom. 2. de Relig. lib. 1. cap. 3. Per hæc igitur minimè probatur dari actum intellectus, qui non sit apprehensio, nec iudicium, nec discursus: & manet ista ratio in sua vi. Benè tamen notat Ribadeneyra num. 3. aliquos actus intellectus, qui omnes signatè sunt aut apprehensio, aut iudicium, aut discursus, præbere interdum exercitè ex natura sui modi tendendi varias denominationes obiectis; quæ nec sunt denominatio apprehensio, nec iudicium; v. g. denominationem interrogati, suspicati, orati, consulti, & alias huiusmodi. Plura Iunius sect. 1. cap. 7.

87 Conclusio. Providentia stare nequit in actu imperij intellectualis superioris à Thomistis expositi. Quamvis enim eiusmodi imperium permitteretur ut Deo minime repugnans, præsupponeret Providentiam constitutam, prout eam à Sanctis Patribus didicimus: nam præsupponeret præsentiam & iuxta ipsos Thomistas, electionem mediatorum ad finem, in quibus Sancti PP. præsertim Augustinus, ut in superioribus vidimus, agnoscunt conceptum definitivum Providentiæ: neutiquam ergo constituitur per eiusmodi imperium. Opitulatur abs dubio. S. Thom. 1. p. quæst. 22. art. 1. sic effatus: *Quamvis etiam dici possit, quod ipsa ratio rerum agendarum consilium in Deo dicitur: non propter inquisitionem; sed propter certitudinem cognitionis, ad quam consilium perveniunt.* Igitur ratio agendorum, quæ in ore S. Thom. est ipsissima Providentia, stat ex parte intellectus in actu consilij, seu consultationis, sublati vocabulorum imperfectionibus, ut scitè monet Sanctus ipse Thom. præcedente ad electionem; nullatenus verò in actu imperij ad electionem subsequuto. Ibidem ad 2. responderet. *Ad curam duo dantur, scilicet ratio ordinis, quæ dicitur Providentia, & dispositio, & exequutio ordinis, quæ dicitur gubernatio.* Dispositio ergo

executiva, in qua Thomistæ suum collocant imperium intellectuale, secernitur ex Sancto Thoma à ratione ordinis, quæ apud ipsum est Providentia: & quidem ordine suo præsupposita ad dispositionem executivam, atque adeo ad imperium intellectuale, quamvis hoc permitteretur.

88 Depulso sic rigido Thomistarum imperio, aliud mitius imperium intellectuale, in quo constituentur Dei Providentiam, amplexantur nonnulli ex Scriptoribus Societatis, ut Montoya disp. 3. de Provid. sect. 9. Quiròs disp. 4. sect. 3. & Herize disp. 22. cap. 4. de quo nostrum etiam sub brevibus feremus iudicium remissivè ad PP. Iunium cit. & Ortegam Controv. 5. disp. 1. cert. 3. horum etiam imperiorum impugnatores.

89 Montoya, & Quiròs illud constituent in iudicio Scientiæ Visionis subsequuto ad electionem mediatorum, quo Deus videt se intendisse finem, & eligere media: & in hoc iudicio constituentur essentiam Providentiæ, ut iam ex parte retulimus sect. 5. num. 54. Fatemur, eiusmodi iudicium esse in Deo; negamus tamen in primis esse imperium nisi in laxissimo aliquo sensu, quo iudicium quodlibet de re agenda dici posset imperium, ut exponemus S. Thom. sect. seq. Deinde, quoquo modo fuerit imperium, negamus in eiusmodi iudicio stare posse rationem Providentiæ. Tum quia illam supponit constitutam scilicet per anteriores notitias scientiæ simplicis intelligentiæ, & Mediæ, & per electionem mediatorum. Tum quia ineptum est ad dirigendum divinæ voluntatis decretum circa media, cum illud supponat in ipsa electione mediatorum, ut vidimus sect. 5. cumque non nisi imaginarium sit ulterius decretum; quod vocant purè executivum, seu usum activum, ad quod dicitur directivè præsupponi.

90 Herize quasi magnum quid rei esset, aliter retinere conatur nomen falsum imperij intellectualis pro constitutione Providentiæ. Pro quo duo distinguit imperia intellectualia. Vnum, quod est iudicium ante electionem præscribens intendenti, quid fieri conducatur ad consequendum finem: aliud est iudicium, quod post electionem iudicat se elegisse, infertque actum usum activi, seu decretum exequutionis: & explicatur aptius per imperativum: *fac hoc.* Quid respondeat in

mente ijs verbis externis imperativis, dicitur sect. seq. Nunc circa duo illa iudicia iudicium meum est, illud prius non esse nisi dictamen practicum simplicis intelligentiæ de conducentia mediatorum: quod vocari potest imperium eadem dumtaxat proprietate, seu impropriate, qua iudicium de bonitate finis potest vocare imperium intentionis. Quod si ea rationis dictamina vocare velis imperia intellectualia, in aliquo certe illorum consistet Providentia inaduatè: & manebit vocalis quæstio de nomine imperij. Aliud verò posterius subsequitur electionem, ac proinde supponit Providentiam plene constitutam, ut vidimus num. præced. ut aliquod decretum dirigat debet admitti in Deo decretum purè executivum usum activi diversum ab intento; & subsequens ad electionem: quod mihi frustraneum & purè imaginarium est in Deo cuius perfectionem dedecet modus iste frustratim, & quasi cunctabundè decernendi. Denique posterius istud iudicium vel ponitur præcisse, ut Deus iudicet se elegisse: & sic est scientia visionis supponens, & non constituens Providentiam; ut probatum est in superioribus: vel, ut ulterius iudicet non expedire retrahere electionem. At hoc non veritè Deus per simplicem intelligentiam, cum noverit necessariò suorum decretorum irtractabilitatem: vel, ut iudicet, expedire progredi ad exequutionem, & usum: at hoc noverit ante electionem mediatorum; cum non eligat nisi plenè præcise omni conducentiæ mediij, quod legit ad finem: vel per modum exhortationis ad non torpendum in exequutione: at hoc indignum est Deo vitij torporis, ac pigritiæ prorsus incapaci. Ad quid ergo?

## SECTIO VIIJ.

### Obiectiones pro Imperio intellectuali Thomistico.

91 **O**BIICITUR primò series illa actuum intellectus & voluntatis consultationis, electionis, imperij, & usus, sive exequutionis, quam sibi coordinant Adversarij ex Aristotele & Sancto Thom. varijs in locis, ut locum faciant imperio suo intellectuali inter electionem, & usum ad constituendam Providentiam. Respondetur in primis, ex ea serie, & coor-

dinatione actuum permissa nondum sequi, Providentiam aduatè stare debere in interiecto illo actu imperij, cum antèriùs, aptius, & rationabiliùs constitui deberet in actibus præscientiæ dirigentis electionem, & in ipsa electione mediatorum. Deinde semel ab omnibus animadversum velim, non omnia quæ S. Thom. 2. 2. & Aristoteles in Ethicis observant de actibus humanis, quibus nos ob limitationem nostram utimur in operando, aptari debere, aut posse modo operandi perfectissimo divinæ mentis. Quinimo Theologorum est, Deum secernere à sordibus, quæ nobis ob imperfectionem nostram in operando adhærescunt. Quod nos docuit S. ipse Thom. in verbis recitatis num. 87. quod enim ibi dicit de actu consilij, qui sine imperfectione inquisitionis seu consultationis concipi debet in Deo; hoc de actu imperij, hoc de actu usus seu de decreto exequutionis, & hoc de multis alijs pariter dicendum est; alioquin imperfectiones modi nostri operandi cunctabundi, & pedetentim procedentis affingemus Deo summo: quod est, Deum nobis ad modum nostrum effingere, potius quam limpidiùs Dei perfectiones, quoad pro modo nostro possumus, digne speculari: in quo plus nimio peccari doleo à multis Theologis, cum in præsentem, tum in alijs materijs. Non est igitur cur existimemus, dari in Deo diversitatem illam; adhuc virtuales, actuum tam intellectus, quam voluntatis, ex eo quod eam ut plurimum in nobis observaverint Aristoteles, Sanct. Thom. aut alij Philosophi.

92 **O**BIICITUR secundò S. Thom. q. 22. art. 1. dicens: Prudentiam, cuius pars est Providentia, esse præceptivam eorum; de quibus Eubulia rectè consiliatur, & Synesis rectè iudicat. Eubulia namque est recta consiliatio; & Synesis, rectum iudicium ex communibus legibus, ut ex S. Thom. 1. 2. q. 17. art. 6. observat Ovied. 1. 2. tract. 3. Controv. 2. p. 5. Et q. 23. art. 4. repetit, Providentiam, sicut & Prudentiam, esse rationem in intellectu existentem præceptivam ordinationis mediatorum in finem. Sentit ergo, Rationem, id est intellectum præcipere, id est imperare, ordinationem mediatorum: & in eiusmodi imperio consistere Providentiam. Accedit quod 1. 2. q. 17. art. 3. ad L. ait: *Voluntas eligit, & post electionem ratio imperat ei.*

Suarez.

Ribadeneyra.

Iunius.

Augustin.

S. Thom.

S. Thom.

Montoya;  
Quiròs.  
Herize.Iun.  
Ortega.S. Thom.  
Aristotel.

S. Thom.

Ovied.



ei, per quod agendum est quod eligitur: & tunc demum voluntas alicuius incipit uti exequendo imperium rationis. En quam clarè constituat S. Thom. imperium rationis seu intellectuale, de quo loquimur, inter duos actus voluntatis, electionis, & vsûs.

93 Respondetur, sæpius quoque S. Thom. munus imperandi attribuisse voluntati, ut ex eius verbis didicimus num. 84. Unde nomen præcepti, seu imperij monastici applicuit indifferenter intellectui, & voluntati: semper tamen longissime à sensu Thomistico: quia in Deo agnoscendum sit aliud imperium voluntatis, quàm decretum suum electivum; nec aliud imperium intellectus, quàm scientia prædictam decretum antecedens, & practicè dirigens. Dico ergo, quod in duobus prioribus locis tam Prudentiam, quàm Providentiam vocat S. Thom. *præceptivam*, quatenus dicitur practicè quid agi expediat. Eiusmodi autem dictamina intellectualia iudicia rationis sunt, & saltem inadæquatè constitutiva Providentiæ: & bene vocantur præcepta, seu præceptiones: non quidem in sensu imperij Thomistici: absit: sed in eo sensu quo regulas artis vocamus præcepta artis, Grammaticæ scilicet, & Diæreticæ, Architecturæ, & similia. Sic dixit, appositè S. August. 8. *Confess.* ex Aristot. 3. *de Anim.* sæpe rationem imperare, & concupiscentiam non obedire: quod intelligi nequit de Imperio, prout à Thomistis intruditur; sed de dictamine pratico rationis propositivo. Locum ex 1. 2. intelligo de imperio quodam intellectuali, non quidem rigido Thomistarum; sed sumpto in humanis pro iudicio, seu dictamine rationis repræsentante nobis sæpe in executione torpentibus post electionem, expedire valde mediocriorum executionem. Hoc autem locum habere nequit in Deo; nec semper in nobis est necesse, sed prout in plurimum.

94 Obijcitur terriò illud Dei quasi præceptum Genes. 1. *Fiat lux: & facta est*: quo significatur actus imperij divini, quo Deus applicuit Omnipotentiam ad producendam lucem. Ea ergo verba imperativa Dei: *Fiat lux*: sunt imperium: *Fac hoc*: quo significatur aptissimè imperium intellectuale Thomisticum. Mirum mihi est, Illustrissimum, & gravissimum Godoy apprehendere, aut sperare potuisse, huic

obiectioni inesse quidquam roboris pro Thomistico imperio contra nos. Quippe facile respondemus, illa verba *fiat lux*: neutiquam denotare imperium intellectuale, sed actum, seu decretum divi. a voluntatis de producenda luce tali tempore. Nec per verba ista: *Fac hoc*: indicatur in nobis imperium inteilectuale, prout construitur à Thomistis; sed modo vnum, modò alium actum internum pro diversitate personæ sic loquentis, & varietate circumstantiarum. V. g. volo, desidero, rogo, consulo, suadeo, impero, ut hoc facias.

95 Obijcitur quartò ex Gonet. *Providentia est principalis Prudentiæ pars*: sed actus principalis Prudentiæ est imperium: hoc est ergo quod constituit omnino Providentiam. Minorem probat ex Aristot. 6. *Ethic.* 9. dicente: *Prudentia præceptiva est: finis enim ipsius est, quidnam sit agendum, aut non agendum præcipere.* Unde S. Thom. in præfati, art. 1. ad 1. ait: *Præcipere de ordinandis in finem, quorum rectam rationem habet, competit Deo secundum illud Psalm. præceptum posuit, & non præcæbit: & secundum hoc competit Deo Providentia.* Confirmat: quia Prædestinatio, quæ specialis est Providentia, stat in actu imperij intellectualis subsequuto ad electionem: non est ergo cur in eo similiter non stet omnis Providentia. Probatur antecedens: quia Prædestinatio est efficax ordinatio: iudicium autem antecedens electionem non est efficax; bene verò imperium subsequutum. Respondetur, minorem esse fallam de imperio intellectuali Thomistico: veram de imperio latè sumpto pro pratico dictamine rationis: & nullam consequentiam. Nec aliud significarunt ibi Aristoteles, & S. Thomas, ut dictum est: nisi velint Thomistæ, quod venerit in mentem S. Thom. Deum aquis imposuisse proprium præceptum. Ad confirmationem, negatur etiam antecedens de imperio Thomistico: quavis verum sit de dictamine rationis pratico dirigente electionem mediocriorum. Ad probationem dico Prædestinationem esse quidem ordinationem efficacem: non ratione dumtaxat iudicij practici præcedentis electionem mediocriorum; sed ratione complexi ex illo; & ex actu electionis: in quo complexo stat adæquatè Providentia etiam prædestinativa.

96 Vrget. Iudicium antecedens electionem

tionem diversum quid est ab imperio: nam in genere moris spectant ad diversas species, & opponuntur diversis vitijs, ac peccatis: scilicet iudicium illud ad virtutem iudicativam, cui opponitur vitium inconsiderationis; imperium ad præceptivam, cui opponitur negligentia & inconstantia in exequendo: frustra ergo iudicium illud cum imperio confundimus, & in illo præ isto consistere Providentiam respondemus. Si de imperio intellectuali Thomistico loquatur antecedens, negamus suppositum: nec enim datur, nec dabile est eiusmodi imperium, præsertim in Deo; nec ad ullam virtutis speciem spectare potest, nisi ad chimeras. Falsum etiam est dari in Deo virtutem præceptivam monasticam ad se ipsum in sensu rigido Gonet. Illis verò duobus vitijs inconsiderationis, inconstantia, vel negligentia satis opponitur iudicium certum, & immutabile præcedens electionem: quod non aliter est, nec vocari potest præceptum, sive imperium, nisi sumpto præcepto laxius pro dictamine pratico rationis regulantis electionem, ut explicuimus S. Thomam num. 93.

## SECTIO IX.

*An ad constitutum essentielle Divinæ Providentiæ moralis ingrediatur Scientia Mediæ?*

97 **DIXI**: *Moralis*. Nam ad Providentiam purè physicam non se habere constitutivè Scientiam Mediæ; sed sufficere ex parte divini intellectus Scientiam simplicis intelligentiæ, & necessariam, diximus, & probavimus *sect. 2. à num. 23.* Lis ergo præsens est de Providentiâ morali providete per auxilia actus liberos creaturæ in ordine ad finem. Hæc moralis Dei Providentiâ, alia dicitur Præfinitiva, importans decretum divinum absolutum intrinsecè efficax de positione alicuius actus nostri liberi. Quod decretum an & quomodo repugnet, aut non repugnet libertati nostræ, discutietur affatim *disp. 4.* Alia est Prædestinativa ad coronam Gloriæ: & hæc importat decretum conferendi auxilia efficaciam Prædestinato ad actus meritorios, ac proinde liberos, quibus perducatur ad Gloriam. Alia est non Prædestinativa, in finem tamen coro-

næ Gloriæ, quamvis tandem non adipiscendum, ac proinde non efficaciter volitum, seu intentum à Deo homini non prædestinato. Et hæc importat decretum conferendi auxilia intrinsecè indifferentia, quibus constituatur sufficienter potens exercere actus meritorios, ac proinde liberos, quos tamen ex culpa sua non exercet; ideoque Gloriæ finem non assequitur, & reprobus efficitur. His sic distinctis claritatis gratiâ pro terminorum intelligentia:

98 Conclusio mihi prorsus indubitabilis est: Scientiam Mediæ esse de formali constitutivo omnis divinæ Providentiæ moralis præparatis ex aliquo fine cõ-principia ad actus liberos conducentes ad ipsum consequendum. Hanc vnam reputo è fundamentalibus Scholæ Nostræ veritatibus à Principibus Societatis Magistris adstructam, simul ac pariter cum veritate Scientiæ Mediæ: ad hoc potissimum adversus strenuos Impugnatores à nostris Doctoribus propugnata; ut divinam Providentiam moralem dignè certam constituerent; non obstante indifferentiâ auxiliorum ad actus liberos. Ab ea discessit cum Arriaga vnus, aut alter ob difficultatem aliquarum obiectionum, quasi contra veritates aliquoquin certas non occurrant sæpe difficultates implicatissimæ. Ego quidem, me ob ignorantiam deflectere interdum à veritate mihi non satis notâ, de tenuitate mea facile crediderim: ob difficultatem tamen à veritate aliquoquin notâ nunquam deflecto, animosè confusus, necnon & experienciâ edoctus, quod intento ad veritatem, adhibitis studio, & oratione, prout oportet, Deus veritatis non deerit.

99 Ratio conclusionis est. Quia, si Providentiâ moralis est Præfinitiva volens efficaciter positione actus liberi per auxilia indifferentia, essentialiter dicitur notitiam, qua Deus noverit quod ponetur actus liber, si adhibeatur hoc auxilium: quæ, seclusâ intrinsecâ connexionem auxiliij cum positione actus liberi, non habetur à Deo nisi per Scientiam Mediæ, ut fassus infra agendo de Præfinitionibus. Si Providentiâ est Prædestinativa ad certum gradum Gloriæ ut coronæ per certam determinatam mentem, ut securè ac infallibiliter provideat Deus auxilia, per quæ certò ponentur talia merita, essentialissimi-  
mum

Augustin.  
Aristotel.

Genes. 1.

Godoy.

Gonet.

Aristotel.

S. Thom.

Psal. 148.

Arriaga.

mū est, certò & nō solum coniecturaliter cognoscere, quod si conferat hæc auxilia, ponetur talia merita: quæ similiter est purissima Sciētia Media, stando, ut opus est, doctrinæ caracteristica Scholæ nostræ de indifferentia intrinseca auxiliorum, utpote minimè prædeterminantium, ut fufius inferius agendo de Prædestinatione. Si Providentia nec sit Præfinitiva, nec Prædestinativa, qua in parte videntur hæere contradictores, probatur etiam conclusio, ut univèrsaliter verum sit Scientiam Mediam essentialiter debere constituere ex parte divini intellectus omnem omnino Providentiam moralem.

100 Omnis enim Providentia divina moralis est essentialiter procuratio sive efficax, sive inefficax; sive Præfinitiva, sive Prædestinativa; sive nec Præfinitiva, nec Prædestinativa, mediorum, qui sint actus liberi arbitrii creati: sed eo ipso dicit essentialiter, & constitutivè Scientiam Mediam: omnis ergo dicit essentialiter Scientiam Mediam, si aliquam Scientiam essentialiter dicit, ne ex capite Præscientiæ claudicat Divina Providentia; quæ ut *disp. 1.* vidimus ex Augustino, æquè essentialiter est Præscientia, & Præparatio mediorum. Minor, in qua est difficultas, probatur: quia formalis certitudo, & infallibilitas talis Providentiæ, stat formaliter in eo quod noverit Deus, quid eveniet per determinationem liberi arbitrii creati, si instruat hoc auxilio indifferenti? quid si alio? quid si hoc modo vocetur? quid si aliter? voatione tamen divina intrinsecè indifferente, & inconnexâ cum humano cōsensu, ut per quamcūque Scholæ Societatis viam stet humana libertas cum certudine Providentiæ divinæ. Certum autem nobis est, eiusmodi notitias non haberi à Deo nisi per Scientiam Mediam, quam tuemur: alioquin de medio tollenda esset Scientia Media: ergo eo ipso quod divina Providentia moralis provideat de nostris actibus liberis per auxilia indifferentia, cum illa digna Deo sit, dicit essentialiter, & constitutivè Scientiam Mediam, si aliquam Scientiam dicit.

101 Confirmatur. Providentia perfectissima, qualis est divina, cum non patriatur notitias coniecturales, & opinativas conducentiæ mediorum, quas humana providentia patitur, dicere essentialiter debet notitiam certissimam totius con-

ducentiæ mediorum, quibus utitur: alioquin nullam essentialiter diceret. Atqui versans circa præparationem actuum liberorum nostrorum per auxilia intrinsecè indifferentia, ut supponimus, eiusmodi notitiam certam non habet nisi per Scientiam Mediam: hanc ergo essentialiter dicere necesse est; aut certè nullam. Probatur minor: nam auxiliorum conducentia ad positionem actus liberi, non solum est quod sint talia, quibus voluntas poterit consentire; verum etiam, & maximè, quod talia quoque sint, quibus, si conferantur, voluntas re ipsâ consentiet: hoc enim per vitale absdubio est ad positionem actus liberi in finem gloriæ ut coronæ. Atqui nosse, auxilia secundum se indifferentia & intrinsecè inconnexa cum positione actus liberi, esse talia, per quæ, si conferantur, ponetur re ipsâ actus liber à voluntate, est notitia solius Scientiæ Mediæ, si Scientiâ Mediam est, ut necesse, amplectamur: ergo eiusmodi notitiâ conducentiæ talium mediorum non habet Deus nisi per Scientiam Mediam. Sine qua profectò adhiberet ea media, infcius an taliter conducant, ut per illa obtineatur re ipsâ consensus, necnè: haud secus ac piscator qui mittit hamum, infcius an re ipsâ capturus sit Rhombos an Soleas.

102 Dicere autem, his minimè obstantibus, non inservire Deo prædictam Scientiam Mediam pro constitutivo suæ Providentiæ, quia id impossibile est, estque solum, negare divinæ Providentiæ perfectionem impossibilem; est dicere impossibile esse quod est necesse: estque viam aperire improbè negantibus Deo certam Scientiam futurorum contingentium; possent enim similiter se tueri dicendo, se nullam proinde perfectionem aut Scientiam possibilem Deo denegare, cum id impossibile sit: quibus tamen quasi sic in simili respondentibus imponit onus probandi eam impossibilitatem meritissimè Suarez *tom. 1. de Gratia Prolog. 2. cap. 7. num. 24.* Nobis eam divinæ Providentiæ moralis constitutionem per Scientiam Mediam non esse impossibilem, constabit ex solutionibus nostris ad objectiones, quibus eam sibi impossibilitatem vltro persuadent Adversarij.

103 Obijciunt primò. Per Scientiam simplicis intelligentiæ novit sufficientissimè Deus conducentiam mediorum ad finem

finem Providentiæ moralis; cum finis huius Providentiæ sit ponere voluntatem creatam in manu consilij sui. Ad quid igitur Scientia Media de consensu futuro? Preterea: Scientia hæc Media purè suspensivè attingit hypothesim, seu conditionem sui obiecti, utpote nec affirmans, nec negans eius positionem, quæ continet media ad finem, scilicet auxilia: ergo non est apta dirigere Deum ad positionem mediorum. Insuper: exhibitio mediorum, seu auxiliorum ad finem Providentiæ moralis non requirit ex parte Dei Scientiam Mediam de consensu; cum possent exhiberi dissensuro: quo in casu non esset Scientia Media de consensu sub illorum conditione. Denique: si non sufficeret Scientia simplicis intelligentiæ, & requireretur Scientia Media; Deus procederet improvidenter: nam sæpè ex modo providendi daret ea media sive auxilia, præsciens ad finem re ipsâ consequendū non profutura: casu scilicet quo voluntas creata præsciretur dissensura. Respondetur negando ex dictis antecedens, eiusque rationem: nam potissima circumstantia conducentiæ, vtilitatis, & congruitatis mediorum Providentiæ moralis, utpote procurantis sive efficaciter, sive saltem inefficaciter actus liberos creaturæ, est, media, sive auxilia esse talia, ut si ponatur exerceatur re ipsâ actus liber, qui procuratur. Id autem, cum veritas contingens sit, non cognoscitur per simplicem intelligentiam; sed per Mediam. Falsum deinde est, finem Providentiæ moralis esse dumtaxat ponere voluntatem creatam in manu consilij sui: hæc enim esset *sect. 2. à nu. 25.* sed vltèrius intendit saltem inefficaciter operationem moralem: ut indicatur satis *Eccles. 15.* ubi post illa verba: *Reliquit illum in manu consilij sui:* subditur: *Adiecit mandata, & præcepta:* quæ respiciunt ad operationem. En ergo ad quid Scientia Media: ut nempe Deus perfectissimus providens, ponens hominem in manu consilij sui in finem operationis moralis, noverit in comprincipijs, per quæ illum constituit in manu consilij sui, conducentiam ad operationem moralem: quæ conducentia ex eo maximè pensatur, ut talia sint, quibus voluntas non solum possit consentire, quod est negotium simplicis intelligentiæ; verum etiam, quibus re-

ipsa consentiet, quod est negotium Scientiæ Mediæ.

104 Obijciunt secundò: quod Deus potius ageret improvidenter, utpote non beneficè in collatione auxiliorum, si Providentia constitueretur per Scientiam Mediam: quippè sapius illa conferret præsciens hominem illis abusurum. Addunt: quod Scientia Media purè suspensivè attingit hypothesim, seu conditionem sui obiecti, utpote nec affirmans, nec negans eius positionem, nempe collationem talis auxilij: inepta igitur est dirigere Deum ad collationem auxilij ex fine operationis. Addunt insuper, quod collatio auxilij ex fine operationis non requirit Scientiam Mediam de consensu; cum sæpè conferatur auxilium dissensuro: ergo nec illam requirit Providentia collativa auxiliorum. Respondetur, objectionem non solum agere contra constitutionem Providentiæ moralis ex Scientia Media; verum etiam contra existentiam Scientiæ Mediæ in Deo. Sed quidquid agat obiectio, nos iam egimus de falsitate sequelæ contra Jansenianos *disp. 9. de Gratia sect. 6.* Ad primum additamentum, concessio antecedente, inepta est consequentia. Quamvis enim Scientia Media non affirmet positionem suæ hypothesi, affirmat quid si illa poneretur, eveniret: quod sufficit ut illuminet, & dirigat ad collationem auxilij decernendo positionem suæ hypothesi. Sicut apud adversarios illuminat ad id Scientia simplicis intelligentiæ, quamvis suspensivè se habeat non affirmans, nec negans quod ponetur auxilium. Ad secundum, concessio libenter antecedente, nego consequentiam: quia ex antecedente solum sequitur, ad Providentiam collativam auxilij, sicut & ad collationem auxilij non requiri Scientiam Mediam de cōsensu; non verò, non requiri Scientiam Mediam de cōsensu, casu quo voluntas est consentura: & de dissensu, quando dissensura.

105 Obijciunt tertio. Si divina Providentia moralis constitueretur per Scientiam Mediam; aut certè per hanc numero Scientiam Mediam determinatam; scilicet de positione consensus liberi sub tali conditione; aut per indeterminatam; scilicet vel per hanc, vel per aliam disjunctim de non positione consensus: sed per neutram: ergo per nullam: atque adeo impossi-

Tom. de  
Grat. disp.  
9.

possibilis est, & implicatoria constitutio divinæ Providentiæ per Scientiam Mediam. Probat minor quoad primum de Scientiâ Mediâ determinatâ: quia collatio auxiliorum indifferentium potest esse sine hac determinatâ Scientiâ Mediâ de consensu, casu nempe possibili quo poneretur dissensus: ergo providentiâ de consensu per hæc auxilia non constituitur per Scientiam Mediam determinatam de consensu: alioquin in eo casu possibili dissensus esset illorum auxiliorum collatio sine providentiâ; quia esset sine Scientiâ Mediâ de consensu. Probat eadem minor quoad secundum de Scientiâ Mediâ indeterminatâ: quia Providentiâ Dei habet suum constitutivum determinatum: ac proinde nequit constitui per Scientiam Mediam indeterminatam, hanc vel illam disjunctim. Respondetur perquam facile, concessâ maiori, dicendo ad minorem, & ad eius probationes, quod determinatâ Dei Providentiâ constituitur per determinatam Scientiam Mediam; & indeterminatâ per indeterminatam hanc, vel illam disjunctim sive de consensu, sive de dissensu. Vnde casu quo per hæc auxilia re ipsa ponitur consensus, Providentiâ, qua conferuntur auxilia, constituitur per Scientiâ Mediâ de consensu; casu autem possibili quo per hæc auxilia non poneretur consensus, Providentiâ, qua conferuntur hæc eadem auxilia, constitueretur per Scientiam Mediam de dissensu; non tamen hæc eadem Providentiâ; sed alia quæ esset in illo casu dissensus, per Scientiam oppositam constituta: sicque nec sequitur, in illo casu conferri auxilia sine Providentiâ, nec sequitur, hanc determinatam Providentiâ moralem constitui per indeterminatam Scientiam Mediam hanc, vel illam, nec in isto, nec in illo casu.

106. Urgent, & obijciunt quartò: Si igitur in casu positionis consensus liberi Providentiâ divina disponens auxilia ad consensum constituitur per hanc determinatam Scientiam Mediam de consensu; ergo hæc determinatâ Scientiâ Mediâ de consensu in casu positionis consensus haberet se, sicut se habet divina Providentiâ, ex parte actus primi nostræ libertatis ad consensum. Sed hoc est implicatorium: ergo & nostra responsio. Probat minor. Primo, quia actus primus libertatis est signum indifferentiæ, implicat autem, in

signo indifferentiæ importari aliquid determinatum essentialiter connexum cum vno extremo libertatis, qualis est determinatâ Scientiâ Mediâ de consensu positâ conditione talium auxiliorum. Secundò: quia Providentiâ est requisitum ex parte actus primi, ut ponatur consensus: sed requisitum ex parte actus primi, ut ponatur consensus liber, nequit esse connexum cum consensu; cum debeat esse indifferens ad vtrumlibet extremum libertatis: ergo Providentiâ Dei requisita, ut ponatur consensus liber, nequit esse connexa cum positione consensus: esset autem connexa, ut vidimus, si constitueretur per determinatam Scientiam Mediam de consensu: implicat ergo sic constitui. Tertio: quia sequeretur, libertatem nostram nunquam esse plenè in actu primo constitutam ad vtrumque extremum. Patet: quia nequit esse plenè constituta ad vtrumque sine Providentiâ necessariò requisitâ ad vtrumlibet: sed nunquam esset cum Providentiâ requisitâ ad vtrumlibet: nam ad vnum nepe ad consensum requiretur Scientiâ Mediâ de consensu; & ad aliud nempe ad dissensum requiretur Scientiâ Mediâ de dissensu: quæ Scientiæ simul non sunt, nec possunt esse: ergo nunquam esset nostrâ libertas in actu primo plenè constituta ad vtrumque. Quarto: quia in causâ libertatâ proximè constitutâ ex parte actus primi nequit videri certò & determinatè consensus: ut tenemus communiter cum S. Thom. Si autem in actu primo nostræ libertatis importaretur determinatâ Scientiâ Mediâ de consensu, connexa cum consensu, positâ collatione talium auxiliorum, in eo actu primo sic constituto connexissimè cum consensu, videretur certò, & determinatè consensus: implicat igitur sic constitui determinatam Providentiâ in casu consensus per Scientiam Mediam de consensu.

107. Respondetur distinguendo primum consequens: hæc determinatâ Scientiâ Mediâ haberet se ex parte actus primi ad consensum constitutive, nego; causative, concedo. Et sic quoque se habet divina Providentiâ. Neque enim Scientiâ Mediâ de consensu, neque Providentiâ per ipsam essentialiter constituta, constituunt actum primum nostræ libertatis, sed illud directivè, seu dispositivè, seu si velis etiâ effective, aut saltem ad modum efficientis

cau-

causant: quæ diversissima sunt, sicut est clarum divinam Omnipotentiam causare hominem, quod est verum, & constituere hominem, quod est falsum. Quamvis ergo Scientiâ Mediâ determinatâ de consensu constituat divinam Providentiâ circa consensum in casu positionis consensus; & vtraque suo modo causet actum primum nostræ libertatis; non tamen propterea Scientiâ illa Mediâ, nec Providentiâ per illam constituta constituunt actum primum humanæ libertatis ad consentiendum. Hæc enim ex terminis patet esse diversissima. Non proinde nego, Scientiam illam Mediam habere se pro priori & antecedenter ad consensum, imò & ad actum primum consensus, cum Scientiæ Mediæ directionem negare non possim, de quo latè inferius disp... sect... quod nunc dico, est, neque illam Scientiam Mediam, neque Providentiâ ex illa constitutam, constituere actum primum nostræ libertatis ad consensum; sicut neque ipsum consensum; & sicut actus primus libertatis non constituit consensum, quavis illum causet, & ad illum antecedit. Nego autem minorem, quod hoc sic explicatum implicet.

Infra  
disp...

108. Ad primam probationem minoris, possem ex latè scriptis disp. 15. de Gratia præsertim sect. 3. & disp. 22. sect. 9. à num. 106. in primis distinguere: signum libertatis est signum indifferentiæ, indifferentiâ coniungibilitatis omnium principiorum adæquatâ libertatis cum vtrolibet extremo, nego: indifferentiâ sive coniungibilitatis cum vtrolibet, sive evitabilitatis, si quod est comprincipium inconiungibile cum alterutro, concedo: hæc autem indifferentiâ; quæ quidem sufficientissima est ad libertatem, rectè stat cum eo quod aliquod è constitutivis libertatis sit connexum cum vno extremo, scilicet cum consensu, dummodo tale comprincipium seu constitutivum sit evitabile pro libito voluntatis: ut multis adstruxi loc. cit. Hac tamen solutione quamvis verissimâ, nondum egemus in præsentî. Negamus enim obijcentibus quod falsò supponunt, scilicet aut Scientiam Mediam, aut Providentiâ de consensu per hæc auxilia constituere signum actus primi libertatis nostræ ad consensum: cum solum illud extrinsecè causet; non verò intrinsecè constituent, ut vidimus num. præced.

Vnde falsum est, quod signum indifferentiæ, quod est signum libertatis creatæ constitutum per comprincipia immediata, quibus instruitur voluntas in actu primo proximo ad vtrumlibet, includat Scientiâ vllam Mediam, aut Providentiâ ex illa constitutam: quamvis illam ut sui causam supponat.

109. Ad secundam, vera est maior de requisito ex parte actus primi causative; non de requisito constitutive, ut nuper explicuimus: & in sensu saltem concessâ maioris, nego minorem: si enim tale requisitum est pro libito voluntatis evitabile, ut est hæc Scientiâ Mediâ, & hæc Providentiâ per illam constituta, non tollit indifferentiam, quam dicit essentialiter libertas nostra ad vtrumlibet extremum: indifferentiam scilicet aut coniungibilitatis cum vtrolibet, quam habent aliqua comprincipia; aut evitabilitatis pro libito, quam habent alia: quocumque enim ex ijs modis est voluntas expedita, aut pro libito expedita ad consentiendum, vel dissentiendum. Vnde consequentia est falsa: nam quamvis Providentiâ per Scientiam Mediam determinatam de consensu constituta sit connexa cum consensu; est pro libito voluntatis evitabilis: quatenus non sic esset in Deo, si pro determinatione voluntatis positus ijs auxilijs non poneretur, nec ponendus esset consensus. Id quod in Scientiâ Visionis de consensu ab omnibus dicendum est. Nec refert quod Scientiâ Visionis de consensu non antecedit adhuc causaliter directivè ad consensum absolute, sicut Scientiâ Mediâ. Nam certè antecedit tempore; & tamen est evitabilis pro libito, & determinatione voluntatis tempore posterioris, evitacione scilicet intentionali, ad quam non requiritur præexistentia, nec existentia physica evitantis, seu evitativi; sed sufficit obiectiva: quæ, sicut exerceri intentionaliter potest ad scientiam antecedentem prioritate temporis per potestatem faciendi quod nunquam extiterit; sic etiâ ad scientiam antecedentem prioritate temporis, & naturæ, faciendi quod nunquam, ac proinde nec tempore, nec natura prius extiterit: & sicut cum posterioritate physica temporis, stat prioritas determinationis in liberis creatis respectu Scientiæ Visionis, quia est prioritas in alio genere intentionali, ut explicuimus sect. 6. à num. 76. sic

G 2

ob

ob eandem rationem cum posterioritate physicâ temporis, & naturæ. Profectò media, & tempore, & natura sunt executione physicâ priora sine, quem physicè causant; qui tamen prioritatem intentionali rectè dicitur prior medijs in intentione.

110 Ad tertiam negatur sequela. Ad probationem negatur maior. Nam ad libertatem plenè constitutam sufficit Providentia requisita ad vnum extremum, faciens nobis veram potestatem habendi pro libito Providentiam requisitam ad aliud. Iam verò potestas ipsa dissentendi, quam in nobis reipsa causat Providentia requisita ad consentiendum, sicut est potestas faciendi pro determinatione nostra, quòd non extiterit in Deo hæc Scientia Media, nec visionis de consensu; sic & quòd extiterit ab æterno Scientia Media de dissensu constitutiva Providentiæ requisitæ ad dissentiendum. Hoc autem sufficere ad plenissimam libertatem patet ex latè dictis *disp. 15. de Grat. sect. 8.* Quia si mihi liberè hinc & nunc eruo oculos, liberrimè desino videre hic & nunc: quavis hic & nunc desint oculi requisiti, & prærequisiti ad videndum: quia nempe pro libito meo desunt. Vnde, concessâ minori, negatur consequentia.

111 Ad quartam permissâ maiori, nego quòd deinde subsumitur, quòd nempe Scientia Media determinata constitutiva Providentiæ, sicut & quòd ipsa Providentia per ipsam constituta, importetur in actum primo nostræ libertatis, quem vti que directivè infert, & causat; non verò constituit. Vnde nulla est consequentia: quia quamvis verum sit, quòd in complexo ex actu primo proximo libertatis nostræ, & ex Scientia Media divinâ de consensu videtur certò & determinatè consensus absolutus; non tamen in actu primo proximo libertatis nostræ seorsim, aut præcisim à tali Scientia, & Providentia. Dixi: *permissâ maiori*: quia nec est inconveniens, nec contra doctrinam illam communem cum S. Thom. intelligendam prout in plurimum, & regulariter loquendo, quòd in aliquo casu possibili videri possit actus liber in eius causis proximè constitutis in actu primo: quando nempe inter principia actus datur aliquod conexum cum actu, & non tollens libertatè actus propter eius evitabilitatem pro libito voluntatis. V. gr. in casu actus liberi

præcepti pro instanti determinato, ad quem influeret Gratia Sanctificans, aut in casu actus imperati similiter liberi; quem efficaciter inferret actus imperans, ut defendimus *disp. 15. & 22. de Gratia.*

Tom. de  
Grat. disp.  
15. & 22.

## SECTIO X.

*Principalis obiectio expenditur, & diluitur.*

112 **V**LTERIORA his consimilia *Infra disp. dabimus opportunè disp. 9. à 9.*

*sect. 4.* agendo de præcedentia, & directione Scientiæ Mediæ ad providenda auxilia, maximè Prædestinatis. Nunc oportet expedire nos à difficultate potissimâ, quæ in quæstione præsentis Arriagam & nonnullos alios deviare fecit.

113 Obijciunt ergo quintò. Deus habens hanc Scientiam Mediam: *Si dederò Petro hoc auxilium, consentiet*: vel scit, quòd Petrus consentiet, si detur illi hoc auxilium cum Providentia requisita ut consentiat; vel scit, quòd consentiet, si detur hoc auxilium sine providentia requisitâ, ut consentiat. Hoc posterius dici nequit: quia sicut implicat, Petrum consentire, aut consenturum esse sine providentia requisita ut consentiat, ita & quòd Deus sciat Petrum consentire, aut consenturum sine providentia requisita ut consentiat: dicendum igitur est illud prius, nempe, scire Deum, Petrum consenturum si detur illi hoc auxilium cum Providentia requisita ut consentiat. Ex quo sic: ergo Providentia requisita ut Petrus reipsa consentiat per hoc auxilium non constituitur per hanc Scientiam Mediam determinatam, qua scit Deus, Petrum consenturum, si detur illi hoc auxilium.

114 Probatur hæc consequentia. Si hæc Providentia constitueretur per hanc Scientiam Mediam de consensu, *si detur auxilium Petro cum providentia requisita ut consentiat, consentiet*, Deum sic scire, esset scire quòd Petrus consentiet, si detur hoc auxilium cum Scientia Media de consensu: sed hoc implicat: sic enim Scientia Media haberet se ipsam pro obiecto ex parte suæ hypothesi: sicque esset, & non esset Scientia Media: esset quidem; ut supponitur: non esset, quia eiusmodi veritas

tas conditionalis, ut pote sub conditione essentialiter connexâ cum consensu, est veritas omnino necessaria pertinens ad Scientiam simplicis intelligentiæ, ut animadvertimus *sect. 1. num. 5.* Etenim, quòd Petrus consentiet auxilio dato cum Scientia Media de consensu si datur auxilium, est ita necessariò verum, ut contradictoriū sit prorsus impossibile: implicat enim dari auxilium cum Scientia Media de eo quòd, si detur, consentiet Petrus, & dato auxilio Petrum non consentire, sicut implicat, Scientiam illam esse falsam.

115 Confirmatur. Quia sequeretur, statum conditionatum, qui est obiectum illius Scientiæ Mediæ, importare, & non importare ex parte suæ conditionis ipsam Scientiam Mediam. Importaret, quia ex parte suæ conditionis importaret Providentiam requisitam ad positionem consensūs, & involventem constitutivè Scientiam Mediam. Non importaret: quia si ex parte suæ conditionis importaret Scientiam Mediam de consensu; iam eo ipso eiusmodi notitia, utpote veritatis conditionatæ sub conditione essentialiter connexa cum eventu, pertineret ad Scientiam simplicis intelligentiæ, & non ad Mediam.

116 Confirmatur secundò. Eo ipso quòd purificetur, & ponatur conditio illa, quæ si poneretur novit Scientia Media consensum fore; consensus fiet absolutus: sed non fieret improvidenter, & fortuitò respectu Dei: ergo providèter, atque adeo cum ea saltem Providentia, quæ simpliciter requiritur ut consensus fiat, & ne improvidenter fiat. Maior patet: alioquin falsa fuisset notitia præsciens, quòd, si poneretur ea conditio, fieret consensus. Minor est certa: implicat enim, quidquam evenire Deo improvidenter, & fortuitò. Vnde consequentia liquida est. Atqui in illa conditione non importatur Scientia Media: si enim importaretur, iam esset conditio essentialiter connexa cum consensu: ergo fieret consensus à Deo providenter seorsim seu præcisim à Scientia Media: & consequenter hæc nequaquam constituit Providentiam moralem requisitam ut fiat consensus liber.

117 Confirmatur tertio. Deus habens hanc Scientiam: *Si Petro detur hoc auxilium, consentiet*: tam longè abest ut sub ea conditione involvat obiectivè Scientiam Mediam; quin potius scit, Petrum consen-

surum si detur auxilium, etiam si per impossibile daretur absque Scientia Media: sed sub illa conditione involvitur Providentia requisita, ut Petrus consentiat: ergo hæc non dicit essentialiter, & constitutivè Scientiam Mediam. Probatur minor: Primum: quia sub ea conditione involvitur collatio auxilij à Deo: non quidem improvida: ergo cum Providentia requisita, ut Petrus consentiat. Secundò: quia, si Deus in statu absoluto daret auxilium, & induceret consensum sine Providentia, esset improvidus, & imperfectus: ergo si cognoscit consensum fore, etiam si ipse improvidè daret auxilium, cognoscit se improvidum, & imperfectum in eo statu conditionato. Tertio, quia status conditionatus debet dicere ex parte hypothesi quidquid postea requiritur ad absolutum: alioquin falsa fuisset notitia in conditionalis: ergo si ad statum absolutum positionis auxilij, & consensus esset necessaria Providentia constituta per Scientiam Mediam, hanc ipsam dicere deberet conditionatus ex parte hypothesi. Sed hanc nequit dicere, quia iam esset status conditionatus spectans ad Scientiam simplicis intelligentiæ, & non ad Mediam: ergo quia Providentia moralis requisita ad statum absolutum consensūs non constituitur per Scientiam Mediam.

118 Prætermisissis varijs variorum responsonibus videndis apud Authores; alijs, quia non satis veris; alijs, quia insufficientibus; alijs, quia minimè necessarijs, illam ex omnibus recolligam, quâ mihi visa est solidius dissolvi, & explanari difficultas.

119 Respondeo itaque prænotando duo. Vnum ex P. Antonio Perez *tom. 1. Perez. disp. 5. num. 3.* quòd conditio illa: *Si detur hoc auxilium*; quamvis ex usu sic exprimitur, significat tamen: *Si constituitur Petrus hic & nunc in hac libertate.* Posset enim esse verum, quòd Petrus consentiret per hoc auxilium, quo constituitur cum cæteris constitutivis hæc libertas; non consenturus per hoc idem auxilium constituens cum alijs principijs aliam libertatem. Vnde est, quòd conditio illa dicit sub se essentialia constitutiva huius libertatis. Aliud contra Patrem Borrull *Borrull. disp. 14. de Scient. Med. sect. vii.* incautè distinguentem ibi duas Scientias Medias: vnam directam: *Si Petro detur hoc auxilium,*

lium, consentiet: aliam reflexam: Si Petro detur hoc auxilium cum Scientia Media de consensu, consentiet: & dicentem, quod hæc secunda Scientia Media attingit sub hypothefi sua Scientiam Mediam. Verum enim verò: hæc posterior, quamvis Scientia conditionata sit, Scientia Media non est, ut bene probat obiectio. Iam ergo in forma ad maiorem obiectiois, dico, quod Deus habens hanc Scientiam Mediam: Si dederit Petro hoc auxilium, consentiet: scit quidem quod consentiet, si detur auxilium cum Providentia requisita ut consentiat; nego tamen id sic scire per illam Scientiam Mediam; id enim cum sit veritas necessaria, utpote sub conditione essentialiter connexa cum eventu, quamvis conditionaliter cognoscibile sit, non spectat ad Scientiam Mediam; sed ad simplicem intelligentiam. Concedimus itaque pro consequentia primæ partis dilemmatis, Deum optime scire, quod si Petro detur hoc auxilium cum Providentia requisita ut consentiat, consentiet; negamus autem, id scire Deum formaliter per Scientiam Mediam, quia nec muneris, nec modi tendendi Scientiæ Mediæ id est. Et nego absolutissimè consequentiam ex ea dilemmatis parte deductam.

120 Ad probationem consequentiæ dispositam num. 114. nego suppositum maioris, quod nepe hæc Scientia: Si detur auxilium Petro cum Providentiâ requisitâ, ut consentiat; sit Scientia Media: cum non sit nisi verissima Scientia simplicis intelligentiæ ob connexionem suæ conditionis cum eventu. Ad minorem concedo, id implicare sic cognosci per Scientiam Mediam; nego tamen implicare id à Deo cognosci per simplicem intelligentiam; quinimo id dicimus necesse esse, sicut & Deum esse Deum. Itaque quod hæc Scientia sic cognoscens habeat pro obiecto ex parte suæ hypothefis Scientiam Mediam, sicut & quod illam habeat pro obiecto Scientia simplicis intelligentiæ cognoscens hanc Scientiam Mediam esse possibilem; non infert, quod Scientia Media habeat pro obiecto ex parte suæ hypothefis se ipsam. quia hæc Scientia sic cognoscens sub prædicta hypothefi non est Scientia Media. Quod si supponitur esse Scientiam Mediam, non nisi falsissimè supponitur.

121 Hinc ad primam confirmationem, si loquatur, ut debet, de actu veræ Scien-

tiæ Mediæ, quæ primò proposuit obiectio, nego sequentiam, quod scilicet illa Scientia Media importet ut obiectum ex parte suæ conditionis Scientiam Mediam. Et nego similiter in probatione, quod importet Providentiam requisitam ad positionem consensu: sicut nec importat consensum, quo nihil est magis requisitum ad consentiendum. Si dicas, non importare consensum; quia consensus non se tenet ex parte actus primi libertatis ad consensum, & solum attingit ex parte suæ conditionis quæ se tenent ex parte actus primi; similiter dico, non importare ex parte suæ conditionis Scientiam Mediam, neque Providentiam requisitam ad consentiendum; quia neutra se tenet constitutivè, sed causaliter ex parte actus primi libertatis; & solum attingit ex parte suæ conditionis constitutiva creatæ libertatis in actu primo. Quod si loqui velis extra rem de actu alio Scientiæ conditionatæ & non Mediæ: Si Petro detur hoc auxilium cum Providentiâ requisita ut consentiat, consentiet; fateor, sub huiusmodi hypothefi importari Providentiam, & Scientiam Mediam de consensu: sicut etiã in hoc alio actu verissimo Scientiæ conditionatæ, & non Mediæ: Si Petro detur hoc auxilium & consentiat, consentiet: attingitur ipse consensus ex parte talis conditionis: quin tamen exinde sequatur, divinam Providentiam, neque Scientiam Mediam, sicut nec ipsum consensum, attingi ex parte conditionis per actum veræ Scientiæ Mediæ: quia neutra illarum est Scientia Media, quamvis conditionata sit.

122 Ad secundam concedo libentissimè rotum usque ad ultimam consequentiam, quam, nullo iure dialectico, aut Theologico deductam, constantissimè nego. Ex eo namque quod positâ re ipsâ eiusmodi conditione, quæ sub se non involvit Scientiam Mediam, neque providentiam de consensu, ponetur consensus; non bene infertur quod ponetur consensus absque Providentiâ, & absque Scientia Media; quemadmodum ex eo quod posita eiusmodi conditione, quæ quidem sub se non involvit Scientiam Visionis de consensu, non bene inferretur, poni consensum absque Scientia Visionis de consensu. Aliud itaque est poni consensum absque eo quod sit in Deo Scientia Media & Providentia de consensu; quod effet

chi-

chimera; sicut & poni absque eo quod sit in Deo Scientia Visionis de consensu: aliud est, & quidem diversissimum, poni consensum absque eo quod Scientia Media, & Providentia, sicut & Scientia Visionis de consensu sit in Deo attacta formaliter sub hypothefi illa Scientiæ Mediæ: quod est verissimum: & hoc est quod dicimus, & quod ab ipso Deo verissimè cognoscitur. Sic etiam similiter aliud est, esse in Deo Patrem absque eo quod sit Filius, quod est adynaton; & aliud est, esse in Deo Patrem absque eo quod pro prioris originis sit Filius, quod est veritas necessaria.

123 Ad tertiam vera est maior, quia Deus cognoscit omnem veritatem, omnemque modum imperfectum, quo nos eam cognoscimus, quamvis non eam cognoscat omni eo modo redolente imperfectionem, unde cognoscit omnem hominem esse rationalem, & modum confusum, quo nos id cognoscimus facientes univertale; non vero id cognoscit eo modo, quo nos, sed clarissimè, ac distinctissimè & non efficiens apud se univertale. Unde habens hanc Scientiam Mediam: Si Petro detur hoc auxilium, consentiet: scit quidem, Petrum consensurum, etiam si hoc idem auxilium, eademque libertas per ipsum constituta daretur per impossibile absque Scientiâ Mediâ, quin etiam & absque scientia simplicis intelligentiæ: sicut similiter scit quod poneretur homo à parte rei, si poneretur corpus, & anima rationalis unitim, etiam si per impossibile poneretur absque Scientia, & Providentiâ Dei; quamvis hæc & similia non cognoscat per has circumloquutiones proprias imperfecti nostri modi cognoscendi; sed per perfectiorem penetrationem, & comprehensionem naturarum rerum eminentissimè superexcedentem omnes notitias. Sic explicatâ, & concessâ maiori; nego minorem: imò similiter scit Deus, Petrum sub illa conditione talis libertatis consensurum, etiam si per impossibile eadem libertas sic constituta poneretur absque Providentiâ, sicut & si absque scientia simplicis intelligentiæ, & sicut scit quod poneretur homo constitutus per corpus, animam, & unionem, si hæc ponerentur à parte rei, etiam si per impossibile ponerentur absque vlla Scientia, & Providentiâ Dei. Sicque negatur consequentia;

sicut negant adversarij, debere propterea dici, non constitui divinam Providentiam per Scientiam simplicis intelligentiæ.

124 Ad primam probationem minoris, concessis maiori, & minori, negatur consequentia. Nam sub ea conditione attactâ per actum veræ Scientiæ Mediæ attingitur collatio auxiliij cum alijs constitutivis talis libertatis creatæ in actu primo, nec involvendo providentiam, quia non pertinet constitutivè ad actum primum libertatis; nec illam excludendo positivè, quia de illa non loquitur Scientia Media ex parte talis hypothefis; sed præcisim circa id se habendo ex vi talis modi cognoscendi. Unde nec dicit: si collatio illa auxiliij sit provida: nec dicit: si sit improvida: sed præcisim dicit: si sit collatio auxiliij, seu libertatis: abstrahendo ex vi talis modi cognoscendi ab eo quod sit provida, & quod sit improvida, & hanc notitiam, utpote non pertinentem ad Scientiam Mediam, relinquendo alteri Scientiæ divinæ. Ad perfectionem autem Dei perinde est id scire per unam Scientiam, ac per aliam, dummodo id à se certissimè sciat, & nullam prorsus nesciat veritatem. Atque hinc sedulo notatum velim, quod, cum dicimus, divinas cognitiones præcindere, abstrahere, seu præcisivè se habere respectu alicuius veritatis, non dictum iri, sicut de nostris. Nostræ quidem sic sunt præcisivæ ex modo suo concipiendi, ut non secum identificent realiter omnem modum perfectè cognoscendi obiectum: divina verò cognoscens uno modo obiectum, quamvis ex eo modo cognoscendi dicatur præcindere ab aliqua veritate, secum tamen realiter identificat omnem modum perfectè cognoscendi omne verum. Itaque non tam est ipsa ex modo suo cognoscendi præcisiva sui obiecti, sicut nostra; quam præcindiibilis in ipsa ex modo nostro concipiendi modus cognoscendi divinus, aut virtualiter, aut ratione nostrâ multiplex: sicque penes unum dicitur præcindere ab aliqua veritate penes alium formaliter cognitâ. Quemadmodum in cognitione nostrâ exprimitur in Petro rationem hominis, simulque rationem differentialem individuum Petri, quamvis ipsa ex toto suo modo concipiendi non præcindat à differentia individuali, possumus nos in ipsa ex modo

no-

nostro præscindere rationem cognoscendi hominem à ratione cognoscendi differentiam individuam; sicque dicere quod penes primam illam rationem à nobis in illa præscissam, præscindit à ratione cognoscendi differentialiter individuum.


125 Ad secundam eiusdem minoris probationem, totum, quod in illa dicitur, est verum: at nihil contra nos. Quippe nec dicimus, quod Deus in eo casu impossibili, & chimerico, quo daret auxilium, & induceret consensum sine providentia, non esset improvidus & imperfectus; sicut apud omnes, in casu impossibili, quo non esset sapiens, aut immensus: nec dicimus, quod pro eodem casu conditionato chimerico, non cognoscat Deus, quod, si per impossibile sic esset, esset improvidus, & imperfectus; sicut apud omnes pro casu, quo per impossibile foret insipiens, aut causaret peccatum. Quid, precor, inde? Cum Deus, & nos cognoscamus, casum esse chimericum & impossibilem: & non nisi sub conditione impossibili & repugnante, dici, aut cognosci posse, Deum fore improvidum, sive constituatur, sive non constituatur eius Providentia per Scientiam Mediam, Ex similibus figmentis, similia inferes perquam facile: sed sine operæpretio, & nullâ cum laude.

126 Ad tertiam concedo antecedens de aliquo statu conditionato; non de omni: nam status conditionati diversi sunt pro diversitate conditionum, sub quarum hypothese affirmatur, aut negatur eventus. Est ergo status conditionatus consensus liberi correspondens huic Scientiæ conditionatæ verissimæ: Si Petro detur hoc auxilium cum Scientia Media, & Providentiâ de consensu, consentiet: est & alius, correspondens huic Scientiæ æquè veræ: Si Petro detur hoc auxilium cum omnibus, ex parte actus primi, tam constitutivè, quam causaliter prærequisitus, consentiet: datur & alius: Si Petro detur hoc auxilium & Petrus velit consentire, consentiet: datur etiam & alius, correspondens huic scientiæ æquè veræ, quamvis non æquè necessariæ: Si Petro detur hoc auxilium, & constituitur in hac libertate, consentiet. Ex ijs, inquam, quatuor statibus conditionatis, ad quorum instar possunt alij logicè efformari, verèque intentionaliter attingi, primus, & secundus dicunt sub hypothese Scientiæ correspondentis, Dei Providen-

tiam, & Scientiam Mediam, tenentes se ex parte actus primi creatæ libertatis non constitutivè, sed causaliter: Scientia verò sic illis correspondens non est Media, sed simplicis intelligentiæ, ut sæpè diximus in superioribus: tertius dicit præterea sub hypothese Scientiæ sibi correspondentis, solum actum secundum, & exercitium libertatis creatæ: Scientia verò sic illi correspondens non est Media, sed necessarissima simplicis etiam intelligentiæ: quartus dicit præcisè sub hypothese Scientiæ sibi correspondentis, constitutivè actus primi huius libertatis creatæ: & hic est status conditionatus correspondens modo cognoscendi Scientiæ Mediæ constituentis Providentiam divinam, nec requirentis attingere sub hypothese suâ omnia utcumque requisita ad consensum.

127 Sic igitur distincto & explicato antecedente, distingo consequens: si ad statum absolutum consensus esset necessaria Providentia constituta per Scientiam Mediam, hanc ipsam dicere debet conditionatus ex parte hypothese: aliquis, inquam, status conditionatus, concedo; omnis, nego: & præsertim quod illam debeat dicere ex parte suæ hypothese status conditionatus correspondens Scientiæ Mediæ constituentis Providentiam: is enim status conditionatus præcisè dicit ex parte suæ hypothese constitutivè actus primi libertatis creatæ, inter quæ non numeratur Providentia, nec Scientia Media, sicut nec simplicis intelligentiæ: quæ scilicet quamvis, sive ad Providentiam, sive ad libertatem divinam se habeant constitutivè; ad libertatem tamen creatam non nisi prærequisitivè, & causaliter; sicut ad constitutionem hominis, & Angeli. Hinc, concessâ minori subsumptâ de statu conditionato ex parte suæ hypothese, correspondente modo cognoscendi Scientiæ Mediæ, negatur tandem ultima consequentia. Quo modo solido, & expedito respondendi præoccupantur impugnationes, quibus alios minùs firmos impetit Arriaga: præsertim quem desunt aliqui per distinctionem requisitorum ex parte causæ, sive ex parte effectus.

DIS-



## DISPUTATIO III.

DE PROVIDENTIA DEI QUOAD ACTUS PRÆPARATIVOS, quos includit, divina Voluntas.

**R**ELINQUITUR ex Disp. præcedenti; Providentiam purè Physicam ex parte Præscientiæ divini intellectus constitui per actus Scientiæ simplicis intelligentiæ, & necessariæ de utilitate mediorum; Moralem verò, sive Prædestinativam, sive non Prædestinativam, constitui præterea per Scientiam Dei Mediam: neutram tamen per actum stricti imperij intellectualis, nec per Scientiam Visionis liberam, nisi fortè, ut monui *sect. 4. num. 40.* prævisio aliquorum mediorum dirigere deberet ad aliorum præparationem. Cum autem Providentia æquè sit Præscientia ex parte intellectus, & Præparatio mediorum ex parte voluntatis; succedit nunc disputatio, ut vidimus *disp. 1. Supr. disp. sect. 3.* circa actum voluntatis qui sit intètio finis; & reliquos eiusdè actus circa media. De ijs actibus voluntatis veniunt nunc aliqua vestiganda, & resolvenda. Finem enim solet intendere voluntas modò efficaciter, modò ineffaciter: & circa media dicuntur versari multi actus, ut electio, & vsûs; decreta, quæ vocant ordinis intentivi, & exequentivi; modò inefficacia, modò efficacia; apud aliquos præfinitiva; apud alios non præfinitiva: de quibus omnibus in sequentibus seorsim disputandum est.

## SECTIO I.

An intentio finis prærequisita ad Providentiam debeat esse semper efficax de fine consequendo?

Godoy.  
Ribaden.

Fasolus.

2. **D**OCTRINA plurium Thomistarum apud Godoy eos sequentem *disp. 65. §. 2.* & apud Ribadeneyram eos insequentem *disp. 14. cap. 3.* est; ex præintentione inefficaci finis posse efficaciter eligi media inefficacia ad illum; non verò efficacia: atque adeo ad Providentiam præparantem media efficacia ad finem, prærequiri intentionem intrinsecè efficacem finis. Sic etiam Fasolus *1. p.*

*9. 23. art. 1.* Hoc ultimum limitant Lessius, & Herize, quando media efficacia eliguntur, ut efficacia, hoc est, quia efficacia sunt: in quo cõsentiant Aldrete *disp. 3. & 6. de Prædest.* & Quiròs *disp. 12. Quiròs. sect. 3.* quos sequitur P. Aranda in accuratissimis suis Manuscriptis prælo dignis.

3. Convenimus in eo, quod electio si ve inefficax, sive efficax mediorum inefficacium ad finem, potest esse sine præintentione efficaci finis. Sic Deus, volens omnes homines salvos fieri, sine intentione efficaci finis Gloriæ reprobatorum, præparat, disponit, & sæpè confert illis media utilia, ut salventur. Hæc autem mediorum præscientia, & præparatio est vera Provi-

H

den-

dentia circa illos; atque adeo sine præintentione efficaci finis datur electio mediorum inefficacium ad finem, sufficiens ex parte voluntatis ad Providentiâ. Dissidium est de electione efficaci mediorum efficacium: præsertim, quæ sit efficax volitio illorum, quia efficacium in quo puncto cum magno discrimine discurrendum mihi videtur de Deo perfectissimo, ac de nobis, quorum modus intendendi, eligendi, ac providendi multas patitur imperfectiones: & consequenter de Providentiâ Dei, ac de nostra, seu præcisim à divini & humanâ sic censeo.

4 Prima conclusio. Præcisim & in genere loquendo, ex præintentione non intrinsecè efficaci finis, dari potest electio efficax mediorum efficacium. Hæc videtur esse communis nostrorum doctrina contra Thomistas, quam post Vazquez adstruunt Ribadeneyr. cit. & Herrera q. 1. sect. 4. nec puto in dubium revocari à P. Suarez de possibili. Ratio est: quia præhabenti intentionem finis non intrinsecè efficacem potest occurrere medium, quod videt fore efficax ad finem, & ex illa præintentione moveri ad eligendum, & applicare tale medium. Non enim video, quid in hoc repugnet. Si enim ex ea inefficaci præintentione moveri posset homo ad eligendum tale medium in eum finem, si non esset efficax, cur non item, quamvis sit, & videatur efficax: efficacia enim prodest ad finem, & ei præintentioni finis & electioni medij nequaquam officit, ut per se patet.

5 Dices, officere inefficacitati intentionis: cum enim finis amatus sit ratio amandi media, debet dari proportio inter amores finis, & mediorum: non autem servant debitam proportionem amor efficax medij efficacis cum amore inefficaci finis: ideoque hic non posset ad illum movere. Contra tamen. Primò: quia si teneret ista ratio, probaret nimis contra Adversarios, nec media inefficacia posse efficaciter eligi ex præintentione inefficaci finis: ob improportionem præintentionis inefficaci cū electione efficaci. Secundò: quia proportio amorum finis ut objecti formalis, & medij ut materialis, stat satis in eo, quod medium non ametur propter finem, nisi iuxta vires motivas bonitatis finis, quæ est objectum formale: quæ proportio iam servatur, quamvis non præin-

tendatur efficaciter finis; præintentione enim efficax non addit, nec inefficax minuit bonitatem finis sic & sic præintenti: ergo quod præintentione finis non sit intrinsecè efficax, & electio medij, sive efficacis, sive inefficaci, sit intrinsecè efficax, impertinens quid est ad proportionem requisitam inter amores finis, & medij. Pertinet quidem ad hoc, ut fortius impellatur voluntas ad eligendum medium à præintentione efficaci, quam ab inefficaci; non tamen ad hoc, ut non possit voluntas, quamvis minus impulsâ, liberè moveri ad eligendum medium propter eandem bonitatem finis.

6 Obijciunt Albelda, & Godoy. Electio medij supponit intentionem finis: alioquin eligeretur casu, & fortuitò, ac minime providenter: ergo electio efficax medij efficacis supponit intentionem efficacem finis: alioquin medium, quoad circumstantiam efficaciam, casu, & improvidè eligeretur. Probatur consequentia: quia ex præintentione inefficaci non nisi fortuitò & peraccidens procedi potest ad electionem medij efficacis: ergo Deo saltem, cui repugnat fortuitò, & casualiter operari, repugnat exinde eligere medium efficax ex præintentione inefficaci. Antecedens probant: quia intentio inefficax stare posset cum non consequitione finis; cum qua stare non posset electio efficax medij efficacis: ergo ex illa non nisi peraccidens, & fortuitò procedi potest ad istam.

7 Multa probanda supponit obiectio, generaliter, & indistinctim involvens plura distinctione digna. In primo antecedente scire vellem, quonam genere prioritatis intelligant, quòd electio medij præsupponere debeat intentionem finis? Intelligunt saltem prioritatem causalitatis, vel naturæ, sibi statuendo, quòd in nobis debeant esse actus distincti realiter; sicut & in Deo virtualiter. At hoc multiplici ex capite falsum est. Primò: quia, quamvis terat imperfectio nostra, distingui sæpè realiter intentionem finis ab electione mediorum, istamque tunc realiter antecedere, & causare; at semper sic esse, nihil est quod persuadeat: agenti namque creato, nullâ præcedente intentione finis, possent simul representari bonitas finis, & utilitas medij efficacis: cur autem tunc non posset vno ductu prorumpere in actum, quo

quo simul efficaciter vellet finem & medium efficax propter finem. Ea ergo volitio esset simul intentio, & electio: tuncque nec tempore, nec natura præintentione antecederet, nec causaret electionem, nec electio supponeret intentionem, sed esset simul electio medij, & intentio finis. Huc respexit P. Junius *sect. 14. cap. 6.* rectè dicens, tam longè abesse, quòd electio medij efficacis debeat præsupponere efficacem præintentionem finis, quin potius nec inefficacem præsupponere debeat, quia nempe, nullâ suppositâ præintentione finis, posset esse electio medij, quæ simul esset intentio finis: quid enim hoc vetet? Secundò: quia in Deo perfectissimo operante sic semper esse, necesse est, cui iuxta Theologiam nostram stabilitam in disp. de Essentia & Attributis, & iterum atque iterum in *disputationibus de Incarnatione*, & inferius eisdem adstruendam de indivisibilitate decreti, repugnat omnino multiplicitas decretorum, & consequenter omnis distinctio intentionum, & electionum. Tertio: quia nec in nobis, si aliquando vno actu eligimus, & intendimus; nec in Deo, qui semper; intentionem condistingui oportet virtualiter nec obiectivè ab electione; sed solù ex modo nostro concipiendi: atque adeo nec antecedere, nec causare virtualiter electionem: hæc enim virtualis causalitas, & prioritas supponit virtuales distinctionem, quam ibi negamus, ex nostris doctrinis suo in loco disputatis. Quarto: quia ut non improvidè, fortuitò, & casu eligatur medium, sufficit quod eligatur scienter propter finem cum notitia sufficienti de ipsius utilitate: ad quod non requiritur intentio, quæ præcedat electionem; sed quæ vel præcedat, vel simul sit ipsa electio: hoc enim sufficit, ut electio & executio medij, aut consequutio finis, non eveniant cæco modo, & præter intentionem.

8 Respondeo nunc, permittendo nihilominus antecedens, & negando consequentiam: quia illa ipsa circumstantia efficaciam medij eligeretur scienter & consuitò, & ex præintentione quamvis non intrinsecè efficaci: atque adeo non præter intentionem, & improvidè: quod non sic esset in casu permisso antecedentis, in quo cum nulla foret intentio finis, evenirent reliqua præter intentionem. Ad probationem consequentiæ, negatur antecedens:

non enim proceditur fortuitò ad efficaciam medij, ubi ex intentione, & cum notitia proceditur: nec peraccidens, quando electio illa per se vult efficaciam medij, quavis libere & absque essentiali connexionem ex illa intentione ad electionem procedatur: nam etiam ad electionem inefficacem & ab actu primo libero ad secundum, sic inconnexè proceditur; & tamen non peraccidens: nisi per accidens dicatur extrarem pro inconnexione intentionis prævia cum electione liberè subsequatâ. Ad probationem antecedentis, concessio antecedente, negatur consequentia: solum enim inferitur, ex illa intentione inefficaci ad electionem efficacem medij efficacis non procedi per se, per seitate connexionis, sed per accidens, hoc est inconnexè, quod fatemur; non tamen fortuitò, quia non præter intentionem, nec inconsultò; nec per accidens, hoc est, casualiter, & incogitantè.

9 Obijciunt aliter. Tam supponit electio efficax mediorum efficacium præintentionem efficacem finis, quam consequutio finis electionem mediorum: sed consequutio finis supponit electionem efficacem mediorum: ergo electio mediorum intentionem finis. Respondetur negando maiorem, quam probare deberet obiectio. Et disparitas est in aperto: quia consequutio physica finis pendentis à medio supponit existentiam medij, ad quam existentiam requiritur volitio medij quod si efficax est, eo ipso coniungit secum, & cum sui volitione consequutionem finis; quin sit opus alio actu voluntatis ut à volitione medij efficacis procedatur ad consequutionem finis: ideoque illa volitio debet esse efficax medij. At ab intentione ad electionem procedit voluntas per ipsam electionem, quæ est novus actus voluntatis ad quem potest se liberè determinare ex intentione non intrinsecè efficaci, quæ quamvis posset esse sine electione medij efficacis, inclinatur sufficienter ad illam: sicut etiam complacentia simplex, & iudicium suavisivum de bonitate finis ex se non intrinsecè efficax, inclinatur, quavis inconnexè, ad intentionem efficacem finis. Atque hinc, datâ minori, negatur consequentia.

10 Obijcit Fasolus. Tam pendet electio ab intentione, quam assensus conclusionis ab assensu præmissarum: sed assensus

sus evidens conclusionis prærequirit non quemcumque, imò evidentem assensum præmissarum: ergo electio efficax mediij efficacis, non quamcumque, imò efficacem intentionem finis. Hæc etiam obiectio æquè facit contra id, in quo convenimus omnes, iuxta *num. 3.* Respondetur, concessis præmissis, negando consequentiam, quæ ut legitime deduceretur, egeret, quod in præmissis concederetur non solum *tam*, verum etiam eodem dependentiâ modo pendere; eamque præcisè dependentiam esse rationem, cur assensus evidens conclusionis prærequirat evidentem assensum præmissarum: quod negabitur. Et ratio est: quia assensus conclusionis, si vel ex terminis, vel aliunde non est evidens, eatenus duntaxat potest esse evidens, quatenus per assensus prævios præmissarum taliter proponitur intellectui veritas præmissarum, eiusque connexio cum veritate conclusionis, ut hic evadat absque formidine: quod non stat absque evidentiâ præmissarum. At, quamvis solum inefficaciter voluntas præintenderit finem, eiusmodi intentio, si non determinat, inclinât saltem voluntatem liberam, ut pro libito eligat medium etiam efficax: quæ inclinatio sufficientissima est, ut vidimus, ut voluntas pro sua libertate determinet se ad electionem efficacem mediij etiam efficacis: sicut ad intentionem efficacem finis ex inefficaci complacentiâ bonitatis.

**II** *Secunda conclusio.* Tenet doctrina quoad electionem efficacem mediij efficacis, sive quia efficacis ex præintentione non intrinsecè efficaci. Ratio est eadem: Quod enim electio efficax mediij efficacis, ut efficacis, sive quia efficacis, sive ex motivo efficacis, propter finem, sit simul ex suis intrinsecis volitio seu intentio efficax finis propter se, quod facillè concedam; hoc tamen non prohibet quominus, apud nos qui operati per operationes minus perfectas procedimus ut plurimum ad magis perfectas, totum hoc procedere possit à præintentione non intrinsecè efficaci eiusdem finis: ergo ex præintentione non intrinsecè efficaci finis haberi à nobis optimè potest electio efficax mediij efficacis, ut efficacis, & quia efficacis. Quod si hoc sic explicatum negent nobis Authores citati ad finem *numeri 2.* quoad hoc planè dissentimus. Cæ-

tera benè. Nec contra hoc quidquam probant.

**12** Arguunt enim sic. Qui eligit medium, quia efficax, propter finem, manet ex amore finis cum affectu erga finem impossibili cum nolitione finis: nam ex amore finis manet cõnexus cum adeptione finis: sed effectus erga finem actus affectivè fini impossibilitè cum efficaci nolitione finis est affectus efficax erga finem: non enim aliter dignoscitur efficacia affectuum: ergo qui eligit medium, quia efficax, propter finem, vult, amat, seu intendit eo ipso efficaciter finem: est enim sic affici erga finem, & sic propendere, seque impendere in eius assequutionem, & existentiam, ut superet ex se difficultatem omnem obersistentem assequutioni finis. Quid igitur aliud est amare, velle, & intendere finem efficaciter? Probat, inquam, ad summum iste discursus, haberi non posse electionem efficacem mediij, quia efficacis, sine volitione, seu intentione eo ipso efficaci finis, quæ saltem sit ipsa talis electio efficax mediij, ut efficacis: non verò quod totum hoc convenire nequeat in nobis à præintentione eiusdem finis, secundum se non intrinsecè efficaci. Quid enim hoc vetet? Quidquid succedat deinde volitio, & amor intrinsecè efficax eiusdem finis, qui sit electio efficax mediij efficacis, ut efficacis. Cum quo stat optimè quod in nobis ex præintentione finis non intrinsecè efficaci haberi possit electio efficax mediij, etiam ut efficacis. Quo autem rationis ordine haberent se tunc illo vno actu voluntatis sic eligentis ratio intentionis finis, & electionis mediij, dicemus alibi.

**13** *Tertia conclusio.* Teneret eadem doctrina duarum præcedentium conclusionum etiam quoad Deum providentem, quantum est ex ratione generica intentionis, & electionis; nisi aliunde ex ratione differentiâ divinâ, Deo repugnaret. Repugnat tamen Deo: non solum ex universaliori nostrâ doctrinâ de indivisibilitate divini decreti, quæ multipliciter eiusmodi volitionum, seu decretorum minime patitur; verum specialius etiam, quia infinitissimæ divinæ mentis capacitati in cognoscendo, & in volendo, essentialiter repugnat, inefficaciter potius decernere, quod postmodum efficaciter decreturus est. Non enim in modo suo operandi procedit

cedit ad instar nostri à minus perfectâ operatione ad magis perfectam; sed vno ductu & sine cunctatione præstat, quod præstiturus est. Itaque non nisi fingendo concipere possumus ex præintentione inefficaci finis procedere ad efficacem electionem mediij efficacis: id enim in nobis possibile est, quamvis non necesse, in Deo autem summè perfectissimo prorsus impossibile. Ad quid enim volitio inefficax obiecti, quod tandem efficaciter voliturus est?

## SECTIO II.

*An, & qualiter electio mediiorum constituens Providentiâ distingui debeat ab intentione finis: & ab actu vultus actus voluntatis mediiorum.*

**14** *S*upponimus ex hactenus dictis, electionem, quæ quidem est volitio mediiorum in ordine ad finem, esse de constitutivo Providentiæ. De quo non est dubium inter eos, qui actum voluntatis ponimus de constitutivo Providentiæ. Circa intentionem finis seorsim, quid sit dicendum, vidimus *disp. 1. sect. 3.*

*Supr. disp. 1.*

**15** Dubium nunc est: an eiusmodi electio mediiorum debeat distingui ab intentione finis? Præmissis varijs variorum sentiendi, & loquendi modis, resumam cum distinctione, quæ pridem docui in Animasticis.

**16** Generatim loquendo reperitur sæpè actus electionis mediiorum realiter distinctus ab intentione finis; reperitur interdum & indistinctus. Neutrum saltem horum repugnare mihi equidem persuado: quia in primis non est, unde fieri non possit, sæpeque fiat, quod aliquis vno actu intentionis amet prius etiam tempore finem propter se; & postea alio actu electionis amet medium, quod agnoscit esse utile ad finem præintentionem. Deinde nec est etiam, unde fieri non possit, interdumque à nobis quoque fiat, quod præcedente ad intentionem notitiâ bonitatis finis, & utilitatis mediiorum, eodem simul actu velimus finem propter se, & media vilia propter finem. En ergo priori modo actus intentionis, & electionis mutuo distinctos; & posteriori indistinctos realiter. Quo in casu actus ille, qui realiter esset intentio, & electio, erit de formali constitutivo Providentiæ, ut electio est; non

ut intentio est, ut iam monuimus *disp. 1. Supr. disp. num. 22. & in simili num. 28. 1. sect. 2.*

**17** Loquendo autem specialiter de Deo duo sunt certa. Vnum, quod ij actus divini non distinguuntur realiter. Secundum, quod saltem in actu realiter vno discernimus nos ex modo nostro concipiendi rationes quasi duas, vnam intentionis circa finem, aliam electionis circa media, per comparisonem saltem, & analogiam ad eiusmodi actus realiter in nobis distinctos. Addo, nec eos esse, nec esse simul posse in Deo actus virtualiter distinctos; iuxta doctrinam nostram de indivisibilitate divini decreti, cui ex propria perfectione repugnat multiplicitas etiam virtualis, ut cum Theologis primæ notæ adstruximus *disp. 8. de Attrib. & 6. de Incarn. & sæpè alibi.*

*To. de Deo disp. 8. To. de Christo disp. 6.*

**17** Aliud dubium est: quo prioritatis, & posterioritatis ordine se habeant, in Deo semper, & in nobis quando actus idem est intentio, & electio; conceptus illi realiter identitati intentionis, & electionis. Respondeo, ex parte rerum nullo: cum enim formaliter illæ nec realiter, nec virtualiter, nec ex natura rei, nec formaliter obiectivè in re realiter eadem distinguantur, ut suppono ex mea Philosophia, & ex scriptis *disp. 7. de Attrib. à sect. 4.* nec realem, nec virtualem, nec formalem ex natura rei, aut obiectivè, prioritatis, aut posterioritatis servare possunt ordinem inter se. Præcinduntur à nobis ex modo duntaxat modi nostri concipiendi; & iuxta eundem modum concipiuntur quasi intentio præcedat electionem, ad similitudinem scilicet, & analogiam horum actuum, quando in creatis realiter distinguuntur, influente actu intentionis priori, in actum posteriorem electionis. Quod si etiam quando identificantur, dicitur verè, quod eligimus quia intendimus, potius quàm e converso, intendimus quia eligimus; non certè est propter distinctionem vllam, aut prioritatem ex parte rerum inter tale intendere, & tale eligere; sed propter specialem modum realissimum attingendi, diversa illa obiecta eiusdem actus, volentis vnum propter aliud, & non e contra. Sic vno actu possumus amare pariter sanitatem, & deambulationem; alio, sanitatem propter deambulationem; alio deambulationem propter sanitatem, nullâ ex parte rerum interveniente diversitate



fitate, nisi in modo tendendi speciali re-  
aliter diverso illorum affectuum aliter, &  
aliter versantium circa eadem obiecta.

19 Tertium dubium. An, & quatenus  
actus electionis mediorum distinguatur  
ab actu vsûs activi, qui est etiam actus  
voluntatis circa media electa exequenda.  
*Activi, inquam*: nam vsûs passivus, seu  
obiectivus, qui est ipsa executio exerci-  
ta, & positio obiectiva mediorum; cum  
sæpe actus voluntatis non sit, sed alterius  
potentiæ executivæ; certum est, quod  
distinguitur ab electione, quæ est actus  
voluntatis, & ab vsu etiam activo, qui  
actus etiam voluntatis est.

Supr. disp.  
2. sect. 7.

Godoy.

20 Inter hos duos actus voluntatis  
electionis, & vsûs activi, versantes circa  
media, ponunt Thomistæ communiter  
actum Imperij sui intellectualis, ut ab ip-  
sis exponi vidimus *disp. præced. num. 81*.  
Et consequenter dicunt ad præsens du-  
bium, actum electionis esse per se distin-  
ctum ab actu vsûs activi: in nobis nimi-  
rum realiter, & in Deo virtualiter, ut vi-  
dere est apud Godoy *disp. 59. de Prædest.*  
§. 2. Eos autem actus in eo diversificant,  
quod actus electionis, quamvis velit me-  
dia; non tamen per se movet hic & nunc  
facultates executrices ad passivam exe-  
cutionem, & positionem mediorum;  
quod præstat actus vsûs activi, per se im-  
mediate movens, & applicans facultates  
executrices sibi subordinatas ad exe-  
cutionem passivam mediorum: ideoque vo-  
catur etiam executio activa, sive actus  
voluntatis executivus, & in Deo decre-  
tum de ordine executionis, contraposi-  
tè ad decreta de ordine, ut aiunt, inten-  
tionis, ad quem ordinem reducunt actum  
electionis mediorum.

Supr. disp.  
2. sect. 8.

21 Hæc actuum compaginatio, quam  
ex humanis transferre prorsus ad divina  
frustra conantur, magnam interrubar  
Theologiæ partem: quasi de Deo nec sen-  
tire, nec loqui fas sit, nisi appingendo divi-  
næ menti cuncta ferè, quæ in modo, & or-  
dine nostro imperfectissimo operandi præ-  
ut in plurimum observata nobis relin-  
quunt Philosophi, & Theologi de humanis  
actibus minutatim differentes, ut iam  
animadverti *disp. præced. num. 91*.  
22 Dicam breviter quod sentio. In  
nobis aliquando distinguuntur realiter  
actus puræ electionis, & actus vsûs activi;  
aliquando non. Ratio posterioris partis

est: quia urgente hic, & nunc orandi præ-  
cepto, si efficaciter orare volo, possum ex  
hoc orandi fine, illico velle aperire li-  
brum, quem ad manum habeo, & oculos  
ut legam: qui actus abs dubio electio est,  
utpote ex intentione finis versans primò  
directè circa media: & actus vsûs activi  
est, quia per se nulla interiecta morâ, est  
hic & nunc applicativus potentiarum sub-  
ordinatarum ad executionem passivam,  
quin opus sit alio actu voluntatis non nisi  
supervacaneè interposito ad illam: ad quid  
enim? Tunc ergo non est cur actus ille  
electionis mediorum sit in nobis realiter  
vsûs activus. Ratio prioris est: quia sæpe  
nos ob inconstantiam, desidiam, torporem,  
aut aliam imperfectionem à nobis non  
alienam, postquam intendimus finem v.g.  
sanitatem, eligimus efficaciter hoc me-  
dium non statim exequendum; sed postea,  
hoc vel illo modo re maturius considera-  
tâ: eiusmodi autem prima electio, saltem  
quæ forsân evanuit, succedente aliâ, non-  
dum est vsûs activus cum non determinet  
pro hic, & nunc potentias executrices  
ad executionem passivam: postea tamen  
habemus novum actum voluntatis, quo  
volumus, hoc medium hic & nunc exequi,  
& re ipsa applicamus potentias execu-  
trices. Hic autem novus actus, iuxta da-  
tam explicationem, est vsûs activus sup-  
ponens alium actum puræ electionis: his  
ergo in casibus nobis ob imperfectiones  
nostras frequentissimas, est in nobis actus  
electionis puræ realiter distinctus ab actu  
vsûs activi. Dixi: *Electiois puræ*: quia lis  
esse de voce posset, an tunc novus ille actus,  
quem diximus vsûs activi, sit etiam ap-  
pellandus nova electio, sive reelectio, cum  
verè sit volitio efficax mediorum propter  
finem: quod facillè concedam: sicque  
nullus in nobis erit actus vsûs activi, qui  
eo ipso electio non sit.

23 Quartum dubium: an in casu quo  
ij actus circa media distinguuntur, Provi-  
dentia ex parte voluntatis consistere di-  
cenda sit in primo, qui esset pura electio;  
an in secundo, qui esset vsûs activus; an in  
vtrouque? Respondeo, quod pariter in vtro-  
que: nam vtrumque pariter est præparatio  
mediorum ex parte voluntatis. Nec obest,  
quod per primum, qui iam est voluntaria  
præparatio mediorum, supponatur iam  
providentia antecedenter constituta ex  
parte voluntatis. Nam supponitur vna  
Pro-

Providentia constituta minus perfectâ, ut  
esse potest in nobis; ex illa verò & ex  
actu vsûs subsequuto, constituitur alia  
perfectior, inadaquatè essentialiter ab illa  
diversa.

24 Quintum, & gravius dubium, ut  
ad institutum nostrum propiùs acceda-  
mus, est; an in Deo providente distingu-  
endus sit circa media actus electionis, &  
actus vsûs activi; aut sub notioribus ter-  
minis decretum intentivum, & decretum  
executivum circa eadem media, eo scilicet  
genere distinctionis virtualis, quo di-  
cuntur communiter divina decreta diver-  
sorum obiectorum inter se condistincta?  
Hoc tamen, quia maximè controversum  
inter Theologos, & ad multas Scholarum  
doctrinas hinc inde stabiliedas deserviens,  
discutietur seorsim operosiùs sectionibus  
sequentibus.

## SECTIO IIJ.

An, & qualiter in Deo providente distin-  
guantur actus electionis, & actus vsûs acti-  
vi: seu decreta ordinis intentionis,  
& executionis circa eadem  
media

Ribaden.  
Vazquez.  
Legion.  
Huriad.  
Monceus.  
Pennot.  
Bernal.  
Montoya.  
Gran.

25 Percipere equidem nunquam po-  
tuit, fortè præ insipientiâ meâ,  
possibilitatem, nedum utilitatem distin-  
ctionis horum actuum, seu decretorum in  
Deo summo: ideoque semper eam, quan-  
tumvis communi plausu receptam, per-  
tæsus sum: non solum ex univertiali meâ  
Theologia, negante virtualem multipli-  
citatem, & distinctionem decretorum in  
Deo; sed quia, adhuc istâ alioquin per-  
missâ circa varia obiecta, repugnare iudi-  
co perfectissimo modo volendi, & decer-  
nendi divino decretum executivum vir-  
tualiter diversum ab intentivo eorundem  
mediorum: quidquid sit de diversitate ex  
modo dumtaxat modi nostri concipiendi,  
quæ extra præsentem quæstionem est, ut  
benè prænotat Ribadeneira citandus. Au-  
thor nobis est sapientissimus Vazquez  
1. p. disp. 89. quem sequuti sunt Basil. Le-  
gion. *Variat. q. 6. Scholast. Hartad. disp.*  
13. de *Incarn. sect. 9. Monceus in Select.*  
disp. 4. cap. 4. Pennot. lib. 6. de *Auxil.*  
cap. 21. Bernal disp. 17. de *Incarn. Mon-*  
toya disp. 12. de *Prædest. sect. 7. Gran. hic*  
disp. & sect. 4. & disp. 5. à num. 10.

Esparza q. 15. de *Incarn. R.P.N. Genera-*  
lis Thyrius tom. 1. disp. 31. & fusiùs tom. R.P.N.G.  
2. disp. 7. Iunius sect. 6. cap. 11. & remis- Thy s.  
sivè P. Aranda lib. 3. de *Incarn. disp. 1. à Iunius.*  
num. 73. & prædecti Neotherici. Arand.

26 Ratio mihi sufficientissima esset:  
quod in nobis non aliter admittimus sæ-  
pè distinctionem electionis ab vsu, & mul-  
tiplicitatem volitionum ordinis intentivi,  
& executivi, nisi ob imperfectiones,  
quas patitur limitatus noster modus vo-  
lendi, & operandi: ut perspeximus *sect.*  
*præced.* quæ tamen Deo summo repug-  
nant: ergo & distinctio prædicta decreto-  
rum ordinis intentionis, & executionis.  
Quidquid enim imperfectionem redolet,  
studere debet recta Theologia à Deo pro-  
cul amandare, potius quàm defectus crea-  
turarum adaptare perfectissimo Condito-  
ri. Quoniam verò veritas conclusionis  
nostræ oppugnatur acriter à multis, eni-  
xiùs constabilienda nobis est.

27 Ostenditur autem à priori, Quod-  
libet decretum Dei æternum intrinsecè  
efficax, volens efficaciter medium in tem-  
pore poni, & est intrinsecè invariabile,  
quatenus in Deo persistit semper irretra-  
ctabiliter; & est intrinsecè infrustrabile,  
quatenus cum illo componi nequit non  
positio, seu non executio passiva talis  
medij pro tempore & modo, quo poni  
voluit, seu decrevit Deus efficaciter: sed  
eo ipso est formaliter executivum talis  
medij: ergo quodlibet decretum Dei ef-  
ficaciter intentivum, est formaliter exe-  
cutivum, quin ad hoc opus sit novo de-  
creto executivo eiusdem mediij. Maior  
est ex terminis certa. Minor probatur:  
nam eo ipso habet quidquid efficacitæ,  
quidquid infrustrabilitatis, quidquid in-  
trinsecæ connexionis cum positione me-  
diij, tribui solet decreto similiter æterno  
executivo rerum in tempore. Consequen-  
tia liquida est: ad quid enim novum aliud  
decretum executivum eiusdem rei po-  
tius quam novum intentivum, cum illi  
speciale munus inassignabile sit, non  
competens eodem iure formaliter decre-  
to intentivo, electivo, seu quomodocum-  
que volitivo efficaciter positionis talis me-  
diij. Hæc vis, meo videri ineluctabilis,  
disfrahit Adversarios in varias responsio-  
nes.

28 Respondent aliqui, speciale mu-  
nus decreti executivi esse velle effectum,  
eius-

eiusque actionem productivam : nam intentivum vult effectum seorsim ab actione, quâ postea ponitur. Contra tamen manifestè : quia, præterquam quòd hoc iam est variare obiecta horum decretorum contra statum quæstionis ; locum habere nequit, quando obiecta à Deo volita, ut media suæ Providentiæ, sunt actus nostri vitales; qui aut sunt ipsa vitalis actio, aut illam essentialiter involvunt : in ijs enim decernere, velle, seu præfinire hunc amorem nostrum modò liberum, modò necessarium, est similiter decernere, seu præfinire actionem. Sicque nec habebit locum quod attentarunt alij, decretum intentivum in eo differre, quòd illud vult directè effectum, & indirectè actionem; istud vero econtra. Præterea: vel ante decretum istud volens efficaciter hanc actionem, præcessit aliud hanc actionem volens efficaciter & directè: vel non præcessit? Si præcessit; illud igitur erit decretum intentivum; directè tamen & efficaciter volens hanc actionem: quòd aut responsio esse speciale munus exequutivi. Si non præcessit; hoc igitur primò volens efficaciter & directè hanc actionem, quòd aut responsio esse exequutivum, est intentivum respectu huius actionis; cum non supponat aliud efficaciter intentivum huius actionis.

29 Respondent multi, speciale munus decreti exequutivi esse, respicere obiectum non præcisè per modum unionis affectivæ cum obiecto, quia obiectum bonum est; hoc enim est purè intendere; sed ut effectum exequibilem, quia factibile est. Hanc responsionem; quam ex P. Suarez amplectitur Machin, tenet etiam Godoy *disp. 59. num. 19.* dicens, media comparari ad finem ut effectum finis in genere finali; quòd pertinet ad ordinem intentionis: & ut causam finis in genere effectivo; quòd pertinet ad ordinem executionis: unde est quòd decretum ordinis intentivi vult media ex motivo bonitatis finis; decretum verò ordinis exequutivi ex motivo factibilitatis: sufficit autem ad diversitatem decretorum, velle rem eandem sub rationibus diversis.

30 Insufficiencia tamè, & insubstantia huius responsionis facilè conspicitur. Verum est, decretum intentivum id per se habere quòd respiciat obiectum per modum unionis affectivæ. At hoc utcumque

comperit omni actui prosequutivo voluntatis, ac proinde & decreto ineffaciter intentivo conveniret: aliquid ergò addit decretum intentivum per se intrinsecè efficacem, vitra præcisè vniri affectivè; quòd alijs affectibus ineffacibus non competit. Hoc autem proprium decreti intentivi intrinsecè efficacis aliud revera non est, nisi taliter vniri affectivè cum obiecto volito, ut cum obiecti sui existentia, & positione pro tempore, & modo volito intrinsecè connectatur, illamque ex intrinsecis suis inducat, eo certè modo, quo obiectum ponibile, seu factibile est: quòd concipi nequit absque respectu non solum ad bonitatem, quin etiam ad factibilitatem, & ad obiectum ut factibile, ut ponibile, ut exequibile est: ergo in essentiali conceptu decreti intentivi intrinsecè efficacis, ut efficacis, vitra rationem unionis affectivæ cum obiecto communem etiam ineffacem, involvitur adæquata ratio decreti exequutivi: propterea non nisi gratis, & frustra de novo superaddendi.

31 Nec est è re duplex illa consideratio, seu comparatio mediorum ad finem: à quo nimirum finaliter causantur, quemque effectivè in ordine executionis causant. Hæc enim causatio in ordine executionis passivâ, quando media in re posita causant positionem finis, in cuius gratiam, & ex cuius intentione ab æterno electa sunt, & suo tempore exequuta: non ergo cogit duplex illa consideratio, seu comparatio, admittere novum in Deo decretum ordinis executionis, distinctum ab electione efficaci mediorum ex intentione finis: cum aptissimè salvetur, & intelligatur absque fulcro novi decreti exequutivi, per decretum intentivum efficacem æternum electivum mediorum, & per executionem passivam temporalem, quam ex efficacia sua intrinsecè connexissimè infert intentivè simul ac semel, & exequutivè. Id, quòd additur, decretum exequutivum respicere obiectum quia factibile, momenti non est: Quia vel est quòd explicat Godoy *ex motivo factibilitatis*: at hoc est omnino falsum: tum quia tam decretum efficacem intentivum, quam exequutivum, est volitio efficacem mediorum propter finem, & ex motivo finis: tum quia pura medij factibilitas non est motivum dignum decreto divino; cū nec hominem dece-

decretum rem velle ex hoc dumtaxat motivo, quia factibile est: vel est respicere obiectum, ut factibile, id est, cum noticia factibilitatis, alioquin minimè volendum efficaciter; at hoc cuilibet decreto efficaci ordinis intentivi competit; cum nequeat à Deo haberi sine prænotitia factibilitatis rei creatæ efficaciter volitæ, ut per se patet. Nullum ergo ex prædicta responsione quomodolibet explicatâ speciale munus elucet decreti exequutivi distincti ab intentivo intrinsecè efficaci positionis mediorum. Sic non manet locus in Deo, perfectissimè operante ad interjiciendum imperium intellectuale, quòd inter electionem & usum, sive inter decretum intentivum, & exequutivum frustra moliantur Auctores reiecti *disp. pr. ed. sect. 5.* de quo usurpari liceat Augustinianum illud: *Primò locum invenit, ubi sedcas; & sic te Psalm. 86. minare indicaturum.*

Supr. disp. 2. August. ad Psalm. 86.

32 Respondent satis communiter alij, speciale munus decreti purè exequutivi esse, per se ipsum immediatè applicare potentias exequutrices, atque adeo divinam Omnipotentiam, ad positionem medij per electionem voliti: quòd purè intentivo minimè competit; quia non est immediatè potentiarum, nec Omnipotentia applicatio. Hæc tamen responsio, nisi quæstionem reddat pro ratione, fundamento rationis omnino caret.

33 Certum omnibus esse debet; nec decretum intentivum, nec exequutivum, nec vllum aliud divinæ voluntatis decretum esse taliter applicativum potentia physice factricis, qualis est Omnipotentia, ut sit ipsa passiva exequutio rerum, ipsavè applicatio, seu determinatio physica in actu secundo; cum hæc sit actio ipsa productiva temporaria rerum: nec taliter, adhuc in actu primo, ut hæc actio physice immediate fluat in tempore à decreto vllò æterno, nisi per suas causas physicas, interdum creatas, semperque per Attributum divinæ Omnipotentia, quæ est virtus increata physica omnium factibilium omnifactiva, eodem modò condistincta à decreto libero intentivo, atque ab exequutivo, quomodolibet istud ab illo distinguatur, vel indistinguatur: ut ex communi Theologorum sensu explicuimus *disp. 9. de Attrib. sect. 2.* discernendo Attributum Omnipotentia ab Attributis Scientia, & Voluntatis adversus paucos

To. de Deo disp. 9.

Doctores. Itaque, cui malueris divinæ voluntatis decreto, tribuere prædictam munus applicandi Omnipotentiam cum alijs interdum causis secundis exequutricibus ad executionem, intelligi dumtaxat potest de applicatione expeditivâ virtutis physice in actu primo, non physice inflaxivâ in actum secundum, nisi eo mediato modo, quo quælibet Dei perfectio realiter producit omnia ad extra. quatenus realiter est Omnipotentia: ut colligitur indubitanter ex P. Suarez *lib. 5. de Grat. cap. 24. & vlt.* apud R. P. N. G. Thyrs. *tom. 2. disp. 13. sect. 6.* aliâ tamen viâ procedentem in ratione probandi.

34 His extra controversiam suppositis, evanescit, ni fallor, communis ea responsio. Munus enim, seu modus applicandi potentias exequutrices, atque adeo & Omnipotentiam, quæ tribuitur decreto exequutivo mediorum, eo ipso pari iare, parique immediatione competit cuicumque volitioni divinæ intrinsecè efficaci; atque adeo decreto efficaciter intentivo, seu electioni efficaci eorundem mediorum: ad id ergo muneris frustra constringitur decretum aliud purè exequutivum, seu vsûs activi, distinctum ab intentivo, seu ab electione, efficaci mediorum. Probatur antecedens. Eiusmodi applicatio in eo dumtaxat consistere valet, quòd potentia voluntati in operando subordinata, ipsaque Omnipotentia, habeant à voluntate potente pro libito impedire opus, aut determinationem, aut impulsum, aut imperium, aut consensum, aut permissum, aut quoquo modo pro diversitate potentiarum, & operum liceat appellari, requisitum ut operentur; non enim aliter aut à voluntate nostrâ nostræ potentia, aut à divinâ voluntate Omnipotentia applicari in actu primo dici possunt; nec alius videtur excogitabilis rationabilis modus applicationis potentiarum in actu primo per voluntatem. Hoc autem satis superque per se immediatissimè præstat electiva volitio efficacem positionis mediorum, quæ positio est illorum productio idemificata realiter cum concursu Omnipotentia. Quam enim maior applicatio Omnipotentia ad operationem ex parte voluntatis, quam efficacem volitio operationis omnipotentia; cum quâ volitione stare non potest omnipotentiam pro tempore sic volito non operari? Aut quoniam, præ-

Suarez. R.P.N.G. Thyrs.

Suarez. Mach. Godoy.

eor, alio modo Omnipotentiam applicat in actu primo ad operandum in tempore decretum aliud æternum, quod diversum ponunt, & purè vocant executivum, nisi volendo efficaciter Omnipotentiam in tali differentia temporis operari.

35 Hanc vim non possunt non sentire defensores ordinum diversorum decreti intentivi, & executivi activi, illamque varijs tergiversationibus student eludere potius quam infringere. Pater Ripalda, cui accesserunt post Arriagam, Herrera, & Borrull, ait, decretum ordinis intentivi, quantumvis efficax, non esse formaliter executivum, quia non est per se & immediate applicativum Omnipotentia; non autem esse immediate applicativum Omnipotentia; quia non per se vult illam applicare, nisi medio alio decreto per se immediate applicativo.

36 Hoc tamen dicitur gratis, & aliam non exhibendo rationem, nisi quaestionem ipsam pro responsione. Contendimus, istud secundum decretum esse supervacaneum ad applicandas potentias in actu primo; unde non nisi supervacaneè supponitur prius illud intentivum efficax esse volitionem secundi: ad quid enim secundum, & quod primum sit volitio secundi; cum primum per se habeat superabundè, quidquid requiri potest ad prædictam applicationem? Pari profecto libertate, & iure possit, qui colludere vellet dicens, inter decretum primum intentivum, & executivum interijci, aut aliud decretum denovo intentivum, aut imperium intellectuale, non ex alia ratione nisi quia illud primum hoc vult: & similiter primum executivum non per se immediate esse applicativum Omnipotentia; quia non vult eam applicari, nisi mediantibus quinque vel sexcentis decretis à se volitis. Quæ quis non rideat? Certè, si mediatio dumtaxat novi decreti executivi obstat, quominus decretum illud prius efficax intentivum per se & immediate applicet Omnipotentiam in actu primo, tollatur de medio novum illud decretum, quod vocant purè executivum, & sic prius illud intentivum immediate per se erit applicativum Omnipotentia; quin sit volitio novi decreti executivi, & applicativi omnino superflui: quæ ad modum per se & immediate dicitis applicare divinam voluntatem, ut habeat novum aliud decretum executivum.

37 Præterea: iuxta datam ab ijs Authoribus rationem, prædictum decretum efficaciter intentivum esset immediate applicativum Omnipotentia; ideoque formaliter executivum, nisi obstat mediatio novi decreti purè executivi ab ipso voliti: sed hoc nihil obstat: ergo, quamvis mediet aliud executivum, est per se immediate applicativum Omnipotentia; simulque per se etiam formaliter executivum: atque adeo omnino superfluit aliud purè executivum. Minor, in qua res vertitur, probatur: quia bene stat causam seu formam causare effectum mediâ aliâ causâ, aut formâ, simulque eundem immediate causare: ut patet in duobus ignibus, quorum alter primò produxerit alterum, & posset simul immediatissimè producere tertium, quem scilicet primus ignis medietè per alium, quem primò produxit, & immediate per se produceret: in duobus amoribus obiecti, quorum alter imperaret alium, & vterque per se & immediate amaret obiectum: & in iisdem decretis intentivo & executivo eorundem mediatorum: non enim desinit intentivum esse per se & immediate amor efficax mediatorum, quamvis inducat apud Adversarios aliud decretum, qui sit amor etiam efficax eorundem: ergo quod decretum intentivum inducat, velitque aliud executivum, quod immediate applicet Omnipotentiam, non obstat, quominus per se etiam, & immediate simul applicet omnipotentiam. Dicere autem, quod non per se, & immediate applicat, quia vult quod solum applicetur per aliud, est in ipsis terminis implicitorium, ut bene notat Ribadeneyra: haud secus ac in terminis implicat, quod decretum intentivum quod per se & immediate est volitio efficax mediatorum, vellet, quod solum executivum esset volitio efficax mediatorum: esset enim sibi efficaciter velle non esse quod in actu exercito per se essentialiter est: quo quid implicantius?

38 Idcirco P. Ribadeneyra cum Aldrete aliter fugam meditatus est, dicens, ex eo decretum intentivum non esse immediate applicativum, nec per se formaliter executivum, quia ad rei positionem eget principijs alioquin se solis sufficientibus ad illam; executivum verò, quamvis egeat aliquibus principijs, at non se solis sufficientibus ad rei positionem. Vide-

Ribaden.

Ribaden.  
Aldrete.

tur tamen longius petita ratio: nam egere comprincipijs se solis sufficientibus ad effectum non obstat immediationi causæ in effectum: ergo multò minus immediationi decreti ad applicationem causæ. Antecedens probatur multis. Primò: quia quamvis actus noster v. g. Charitatis imperans actum religionis non sit per se ipsum immediata applicatio ad opus externum adorationis, cum mediet actus internus imperatus religionis; est immediata applicatio voluntatis ad actum imperatum internum religionis, quos inter alius non mediat: & tamen ad actum internum religionis requiruntur comprincipia, quæ sola sufficerent ad eliciendum actum internum religionis. Secundò: quia decretum ipsum efficax intentivum est immediata voluntatis applicatio ad executivum, ad quod posset alioquin habere voluntas principia per se sola sufficientia. Tertio: quia quamvis ignis A, ad producendum calorem, egeret igne B. ex se sufficiente producere calorem, posset immediate cum igne B. producere calorem. Quarto: quia causa secunda immediate influit in effectum indigens causâ primâ, quæ sola sufficeret. Quintò ex Iunio fusius id impugnante *sect. 6. cap. 11.* quia causæ creatæ, sive necessariæ, sive liberæ, plene sufficienti ad actum, posset Deus superaddere comprincipium connexum cum actu, & cum potentia sufficiente ad actum sive moraliter, sive physicè inductivum actus, sive tollat, sive non tollat libertatem: quin tamen propterea desineret influere in actum immediatissimè. Ea igitur sufficientia, vel insufficientia aliorum principiorum ratio nec prodest, nec obest immediationi applicationis Omnipotentia; per decretum.

Iunius.

Herrera.

39 Minus videtur è re quod innuit P. Herrera: Decretum intentivum efficax ideo non esse executivum, nec immediate applicativum Omnipotentia; quia cum dirigatur à Scientia Mediâ efficaciz auxiliorum, attemperatur huic Scientia; quæ principia relinquat indifferentia, ac proinde Omnipotentiam inapplicatam. In primis quaestio de distinctione decretorum ordinis intentivi, & executivi generalis est, tam pro Providentiâ physicâ circa effectus necessarios; quam de Morali circa liberos: prædicta verò doctrina inepta est pro necessarijs, quamvis esset apta pro li-

beris. Deinde nec pro liberis apta est: quia scientia, quæcumque ista sit, quæ per se non applicans Omnipotentiam dirigit decretum executivum, quodcumque hoc sit, per se applicativum Omnipotentia; pro liberis, quamvis attemperatè ad indifferentiam libertatis creatæ, non obstat, quominus per illud applicetur immediate Omnipotentia: alioquin per nullum decretum immediate applicaretur: ergo nec Scientia Media dirigens, & per se non applicans, nec attemperatio decreti intentivi ad illam, & ad libertatem nostram obstat potest, quominus per decretum intentivum immediatissimè applicetur: Aut cur non ita?

40 Nec minus displicet, quod distinguunt alij, hoc verum esse pro applicatione Omnipotentia; ad operationes creatas à solo libito Dei pendentes, & non à libito creato v. gr. ad productionem Angeli; secus verò quoad operationes nobis liberis: quoad istas enim decretum intentivum istarum non vult Omnipotentiam ex se prorumpere in operationem nisi ex determinatione creaturæ, ideoque non per se immediate illam applicat, sed medio alio decreto executivo. In primis enim hoc iam est magis à ex parte succumbere argumento nostro, & negare necessitatem decreti executivi distincti ab intentivo pro applicatione ad operationes nobis non liberis. Deinde & succumbere quoque de cætero necessum est: quia quodcumque istud sit novum decretum executivum, applicativum Omnipotentia; ad operationes nobis liberis, aut nocere debet libertati, aut velle, Omnipotentiam non ex se prorumpere in actum, nisi ex determinatione creaturæ: Nulla igitur obstat ratio cur etiam quoad operationes nobis liberis nequeat decretum ipsum intentivum esse per se immediate applicativum Omnipotentia; in actu primo, atque adeo formaliter executivum sine novo decreto profus superfluo ordinis quod vocant purè executivi.

## SECTIO IV.

Objectiones Sententia; communis  
affirmantis.

41 **E**AM amplectuntur univèrsim Thomistæ apud Illustrissimum Godoy Godoy.

Suarez.  
Arrubal.  
Arriaga.  
Ribas.  
Ripalda.  
Quiròs.  
Salazar.  
Aldrete.  
Ribaden.  
Borrull.  
Herrera.  
Izquierd.  
S. Thom.

disp. 59. §. 2. Itéque Pater Suarez, Arrubal, Arriaga, Ribas, Ripalda, Quiròs, Salazar, Aldrete, Ribadeneira, Borrull, Herrera, Izquierdo, & apud istum complures alij: Qui obijciunt in primis Axioma vulgatum: *Quod est prius in intentione, est posterius in executione*: quod sine diversitate ordinis intentionis, & executionis, atque adeo decreti. intentivi ab executivo intelligi nequit. Deinde Authoritatè S. Tho. 1. 2. q. 15. & 16. & sæpè alibi distinguèntè actum consensûs, qui post consultationè intellectûs est electio voluntatis pertinens ad ordinem intentivum, ab actu vsûs activi, qui est novus actus executionis activæ. Atque insuper necessitatem distinctionis horum decretorum in Deo, ad multas doctrinas Theologicas alioquin inexplicabiles, de Præfinitionibus divinis; de electione Prædestinatorum ad Gloriam; de decreto applicativo divinæ Omnipotentia; de decreto Christi Redemptoris; ac de ipsius meritis, ac præmijs; de Præservatione, & Immunitate Matris ex meritis Filij; in quibus, & alijs similibus recurri necesse est ad hos ordines diversos decretorum intentionis, & executionis.

46 Mihi tamen hæc levia sunt. Ad Axioma dico, præferre genuinum, planum, verumque sensum absque distinctione decretorum, seu volitionum diversarum ordinis intentionis, & executionis activæ: intellectum scilicet, ut abs dubio debet, de ordine intentionis qui se tenet ex parte voluntatis, & de ordine executionis passivæ qui se tenet ex parte rerum. Sic, inquam, perspicuum est, quod in executione rerum media præcedunt finem, v. gr. medicamenta sanitatem; in intentione verò & modo volendi intenditur sanitas ut finis, & medicamenta, quæ sunt media, eliguntur ex fine sanitatis, & propter sanitatem, quæ est ratio finalis eligendi media vtilia: ideoque iuxta modum volendi præfertur & anteponitur finis medijs: sicque dicitur esse planissimè prius in intentione, & posterius in executione, scilicet passivâ. Cætera, quæ huic explanationi adduntur ab obijcientibus, ambages infructuosæ & interminabiles sunt.

47 Ad S. Thom. dico ex ijs, quæ iam observavimus in simili disp. præced. num. 91. loqui ut plurimum cum Aristotele de actibus humanis; qui plerumque solent intervenire in nostro modo operandi cum-

stabundo, limitato, & imperfectionibus pleno. Quocirca diximus sect. 2. num. 22. in nobis distingui plerumque, quamvis non semper, actum electionis, & actum vsûs activi, quem potius vocarem reelectionem, seu repetitam electionem, ob limitationem nostram multis obnoxiam imperfectionibus, quas amandare procul à Deo debemus, & cum illis modum illû operandi & volendi frustatim per diversitatem illam frustraneam decretorum intentionis, & executionis puræ: cum per idem suæ voluntatis decretum æternum id præstet formaliter, & supereminentissimè divina Mens.

48 Ad postremum de necessitate dicimus esse non posse necesse quod est impossibile: & per distinctionem eorum decretorum implicari potius, quam explicari, veras doctrinas Theologicas, quæ in objectione recolliguntur. Nostrium erit negotium, eas, & alias suis in locis exponere, & tueri, prout oportet, absque inutili recurso ad istos ordines diversos decretorum divinorum intentionis, & executionis: ut de decreto Christi Redemptoris præstitimus disp. 6. de Incarn. ibidemque sect. 12. & 13. de Præservatione Matris: de Meritis, ac Præmijs Christi disp. 5. & 17. de Præfinitionibus divinis; & de Electione ad Gloriam, ut coronam, præstabimus inferius disp. 10. sect. 8. & de applicatione Omnipotentia; sect. seq.

49 Obijciunt secundo. Si minus semper, at sæpè in nobis distinguuntur realiter actus electionis, qui dicitur de ordine intentionis; & actus vsûs activi, qui dicitur de ordine puræ executionis: ergo in Deo virtualiter decretum intentivum, & executivum, per æquivalentiam ad duos actus nostros realiter distinctos. Respondetur, quòd simili ratiocinatione suadere quis frustra contenderet; in actu creato, realiter eodem, qui in creatis foret interdum intentio & electio, ac interdum electio & vsus activus, distingui debere virtualiter has rationes propter æquivalentiam. Longè alia est præfens quæstio, dum de multiplicitate, & diversitate decretorum Dei disputamus: non enim inutiliter hærendum nunc nobis est in præcisunculis formalitatum eiusdem rei ratione nostrâ repertis in actibus etiam creatis iuxta varios nostros modos concipiendi ob æquivalentiam ad multa; sed altius agimus

mus de diversitate decreti intentivi, & executivi divini, ea speciali ratione à parte rei, & seorsim à considerationibus nostris, quâ, sine distinctione, & multiplicitate reali formali, diversificari perfectiones suas liberas patitur divina simplicitas. Itaque concessio antecedente, negatur consequentia de virtuali distinctione propria divinorum, de qua est quæstio. Nam ex antecedente solum infertur, in eiusmodi actibus tam divinis, quam creatis, æquivalentibus sæpè ad multa realiter distincta, esse à nobis præcindibiles ex vario modo nostro concipiendi formalitates varias: eamque æquivalentiam ad realiter distincta posse quodammodo vocari virtualementem, seu eminentialem eiusdem rei multipliciter: de quo non curamus, ut in genere monuimus disp. 7. de Attrib. sect. 4.

To. de Deo  
disp. 7.

50 Obijciunt tertio. Obiectum, seu medium à Deo providente volitum est bonum, ideoque amabile à voluntate; & est factibile ab Omnipotentia, & ab alijs causis, ideoque etiam volibile: ergo penes duas istas rationes, & secundum hæc varia motiva terminare valet duo Dei decreta; unû scilicet intentivum amans, seu eligens medium ut bonum; & aliud executivum illud amans ut factibile, seu executibile. Hoc tamen à nobis præoccupatum iam est num. 31. Concedimus antecedens, & negamus consequentiam: nam vtraque illa ratio bonitatis, & factibilitatis, ut bonâ, & ut factibilis amari valet per unum decretum à Deo, & à nobis: & quamvis à nobis amari possit etiam per duos actus ob imperfectiones nostras; non tamen à Deo, qui non nisi perfectissimè amare, & decernere potest.

51 Obijciunt quarto. Decretum saltem disjunctivum Dei, ut ad executionem perveniat, requirit novum decretum volens determinatè unam partem disjuncti: ergo in hoc casu præcederet decretum purè intentivum, & subsequeretur aliud purè executivum. Permissâ possibilitate decretorum disjunctivorum in Deo, damus antecedens; & negamus consequentiam improbè deductam. Nam ex antecedente solum infertur, quòd post illud decretum disjunctivum requireretur aliud simul intentivum & executivum alterius partis disjuncti determinatè: aut quòd requireretur aliud exclusivum, seu

volitivum unius partis: nam eo ipso illud prius esset iam intentivum simul, & executivum alterius. Vnde fit potius pronobis, prius illud decretum ea ratione, qua intentivum effiçax est circa unam partem, scilicet sub conditione quod excludatur altera; esse quoque executivum sub eadem conditione.

52 Obijciunt quinto. Decretum ita invalidum ad positionem medijs seu effectûs, ac si nullam haberet vim causativâ, non influit immediatè in positionem medijs, ideoque non est executivum illius: sed tale est decretum intentivum; quantumvis intentivè effiçax: ergo non est eo ipso executivum. Probat minor: quia decretum intentivum tale est, ut ad obtinendum effectum, postulet ex se, dari plenam sufficientiam, & adæquatam virtutem causativam effectûs: ut patet in Præfinitione intentivâ actûs liberi creati: quæ ut coniungatur cum actu, illumque obtineat, perit essentialiter talem sufficientiam, & virtutem in causis, ut præcisissimè etiam, aut seorsim à præfinitione ponetur actus: ergo est ita invalidum ad effectum, ac si nullam haberet vim causativam effectûs.

53 Hæc obiectio, ut iam observabam num. 33. eam vim causativam medijs seu effectûs, tribuere vult, aut tribuendam falsò supponit divinis decretis in effectus creatos, quæ nec decreto intentivo, nec executivo, quantumvis effiçaci, competere potest: neutrum enim est causâ physicè effectiva; nec immediata effectûs creati; sed mediata, & mediantibus scilicet Omnipotentia, & interdum causis secundis, à quibus immediatè producitur effectus. Dicuntur autem decreta causâ mediata, sicut etiam cognitiones præilluminantes, quatenus istæ directivè, & illa applicativè disponunt per suas causas physicè effectivas immediatas effectum, quem cognoscunt, & volunt. Nec aliud equidem genus, aut modum causandi creatos effectus agnoscere valeo in Scientijs, seu decretis divinæ Providentiæ respectivè constitutivis.

54 Respondetur itaque ad objectionem, aliqua involvi in maiori, animadversione digna. In primis loquendo de vim physicè effectivâ, immerito vocatur invalidum decretum sic immediatè non influens in effectum ac si nullam haberet vim

vim causativam : omnia enim decreta Dei sic sunt , & tamen invalida non sunt : sunt enim in alio genere causæ ordinativæ , & dispositive operationum immediatè physicè fluentium ab omnipotentia , & alijs causis. Profectò suasiones nostræ , & consilia ad aliorum opera , invalida non sunt , quamvis non habeant vim physicè effectivam immediatam alienæ operationis. Deinde falsò supponitur , *ideo decretum non esse executivum* : quia si ad rationem decreti executivi requireretur alius modus causandi effectum immediatè , nullum in Deo esset , nec esse posset decretum executivum nec distinctum , nec indistinctum ab intentivo. Hoc itaque suppositum maioris nego : & ad minorem dico , tale quidem esse quale explicuimus decretum Dei efficax intentivum ; nego tamen , esse propterea invalidum , omni genere causandi effectus à se sic volitos destitutum ; ideoque à ratione decreti executivi deficiens ; si quæ sunt admittenda in Deo decreta verè potiùs quam imaginariè executiva. Vnde consequentia nulla est. Ad probationem minoris , admissò toto antecedente , de quo multa in sequentibus : & distinguo consequens : ac si nullam haberet vim causativam effectus immediatè per se effectivam , concedo ; ac si nullum omnino , nego : haberet enim in suo genere notissimo causandi ordinativo , & dispositivo vim causandi effectum per suas causas immediatas , prout requiritur , & sufficere debet ad rationem decreti executivi ; ideoque non invalidi ; nec ab intentivo efficaci distinguendi.

Ribaden.

55 Vrgent ex Ribadeneira *disp.* 12. num. 27. Quod essentialiter connexum est cum principio proximo adæquato effectus , non est principium immediatum adæquatum effectus ; quia non se solo , sed cum alio , cum quo connectitur , causat effectum : nec est principium inadæquatum ; quia si esset inadæquatum , non egeret alio principio adæquato , sed alio inadæquato ad causandum effectum : sicut pars non eget toto , sed alia comparte ad constituendum totum. Atquæ decretum intentivum connectitur cum principio proximo adæquato effectus : ergo non est principium adæquatum , nec inadæquatum effectus : ergo nullatenus est executivum. Respondetur ; maiorem in multis esse

falsam , loquendo de adæquatione virtutis : nam causæ secundæ connectuntur cum prima ; quæ quidem secundum se adæquata virtus est ad effectus creatos , quos posset sola causare : quin propterea desinant per se etiam & immediatè causari à causis secundis. Actus efficaciter imperans connectitur cum imperato , atque adeo cum principijs ex se sufficientibus ad imperatum : cum quibus tamen & ipse immediatè physicè influit , ut principium inadæquatum. Sec nec ijs egemus : quia permissâ totâ maiori , cum sua minori , non variatis terminis principij immediatè physicè effectivi ; distinguere potest , ac debet consequens : decretum intentivum non est adæquatum , nec inadæquatum principium physicè per se immediatè effectivum , concedo ; non est principium directivum , præparativum , aut ordinativum , aut dispositivum eiusdem effectus per suas causas immediatas effectivas , nego consequentiam : & absolutissimè subillationem : frustra namque requireretur ad rationem decreti activè executivi alius modus per se causandi immediatè physicè effectivè effectus potentiarum passivè executivarum , ut sæpe diximus : nec enim aliter illos causat per se formaliter divina Providentia constituta per præcipientiam mediorum , & per decretum executivum , sive diversum , sive non diversum ab intentivo.

56 Obijciunt sextò. Decretum divinum efficaciter præfinitivum actus liberi nostri est intentivum consensus nostri : sed non est executivum consensus nostri : ergo dabile est decretum efficaciter intentivum , quod eo ipso non sit executivum. Probatur minor. Primò : quia si esset executivum consensus nostri , tolleretur nobis libertatem consentiendi. Secundò : aliter & aliter se habet respectu auxilij , quod nobis providet ut consentiamus , ac ad consensum nostrum : ergo quia est intentivum , & executivum collationis auxilij ; non executivum , quamvis sit intentivum consensus nostri. Probatur hæc consequentia : quia si esset executivum consensus nostri , determinaret voluntatem nostram ad consensum : sed hoc esse non posset nisi tollendo libertatem : ergo. Probatur hæc maior : quia natura decreti executivi ea est ; ut determinet potentias executrices ad operandum : nec enim aliter volitio nostra

nostra executiva habet se respectu operationum aliarum potentiarum sibi subordinatarum.

Infrà disp. 5.

57 Respondetur , concessâ maiori , negando minorem ; eiusque primam probationem : de qua fusiùs *disp.* 4. *sect.* 6. contra Patrem Iunium , aliosque Recentiores. Ad secundam probationem , concedo antecedens , & nego consequentiam : quòd enim decretum præfinitivum aliter se habeat respectu collationis auxilij , aliterque respectu consensus liberi nostri , non est ex eo quòd ad illam sit executivum , & ad istum non ; sed quia ad illam est executivum vno modo , non se attempans quoad habendum auxilium determinationi potentie subordinatæ , cum habeatur à nobis sine nobis ; ad consensum autem nobis liberum , alio modo , attemperanter ad determinationem creatæ libertatis : qui modus nequaquam obstat rationi decreti executivi , sicut nec efficaciter intentivi ; ut videbimus *disp.* 5. Nunc ad probationem consequentiam , negatur maior , cuius falsitatem videbimus *loc. cit.* Ad eius probationem , nego eam esse naturam decreti executivi respectu omnium potentiarum ; sed talem , ut essentialiter connectatur cum operatione potentiarum subordinatarum , aut eas determinando si propriam determinationem non gaudent ; aut non determinando , quamvis connectatur cum earum determinatione , si propriam determinationem pro libito suo gaudent. Atque hinc sumemus ibidem palmarem disparitatem ad id , quod dicitur de potentijs nostris voluntati nostræ executivæ subordinatis.

## SECTIO V.

*An , & qualis divina Omnipotentia applicatio per divinam Voluntatem ad executionem mediorum , sit constitutiva divina Providentiæ ?*

58 INTER facultates executrices mediorum à Deo Providente eligibilium in suos fines , potissima est Omnipotentia divina , sine cuius concursu quidquam in rebus fieri repugnat omnino. Cum autem Omnipotentia ex absoluta necessitate nihil efficiat , necesse est applicari ad effectus creatos per aliquod libitum exercitum voluntatis Dei agentis li-

beri. Hoc Dei libitum est aliquod divina voluntatis decretum omnino requisitum , ut Omnipotentia ex se indifferens ad operandum , seu non operandum , intelligatur applicata : non quidem in actu secundo , hæc enim applicatio in actu secundo est ipsa operatio creata , seu executio passiva temporaria mediorum ; sed in actu primo per volitionem Dei increatam , & æternam.

59 Hanc divinam applicationem æternam Omnipotentie circa positionem mediorum in tempore , esse de constitutivo divine Providentiæ , constans est apud eos , qui Providentiam ex actibus voluntatis constituimus. Est enim volitio Dei spectans ad executionem mediorum. Difficultas autem est maxima : qualis debeat , aut valeat esse ea Dei volitio applicativa Omnipotentie in actu primo , constitutiva Providentiæ ? A quo puncto multa pendent in varijs controversijs Theologicis , ac Philosophicis , & præsertim in sequentibus Disputationibus.

60 Actum agerem , si de hoc instituerem ex professo tractationem cum examine ad longum variarum sententiarum , postquam id ubertim præstiti *disp.* 9. de *To. de Deo Attributis*. Resumam quod necesse est , & aliqua ibi consultò prætermissa otiosius perscrutabor pro utilitate , & necessitate doctrinæ. Ibi *sect.* 9. reliquimus Prædeterminatarum sententiam , qui applicari dicunt Omnipotentiam ad operationes nobis liberas per decretum prædeterminativum ; contra quos agemus *disp.* 4. & aliorum , qui per condeterminativum , contra quos *disp.* 5. Vbi videbimus huiusmodi decreta stare non posse cum nostra libertate ; atque adeo apta non esse ad applicandam Dei Omnipotentiam ad operationes nobis liberas. *Sect.* 10. reiecit communiorem Nostrorum sententiam opinantem , ad operationes nobis liberas applicari Omnipotentiam per decretum Dei indifferens generale conditionatum , seu quasi conditionatum , volendi concurrere cum voluntate , si ipsa se determinet. Quæ sententiam , quatenus admittit in Deo positivam volitionem indecentissimam & repugnantissimam concurrendi nobiscum ad mala ; quamvis non nisi inefficacem , & quasi conditionatam , impugnatam denovo meritisimè lego à R. P. N. G. Thyrs.

Infrà disp. 4. &amp; 5.

R. P. N. G. Thyrs. Borrull. tom. 1. *disp.* 11. *sect.* 3. contra P. Borrull. cu-

cuius & aliorum graves obiectiones solvimus ibidem. *sect. 13.* Aliam Iuniorum sententiam opinantium, Omnipotentiam applicari ad operationes nobis liberas per decretum disparatim disjunctivum, ut minus aptam reiecit ibidem *sect. 9.* Et tandem *sect. 10.* nostrum iudicium in hoc puncto protulimus: quod in presenti prosequemur.

61 Quocirca discrevimus ibi, & nunc etiam discernere oportet varia genera operationum creaturarum, ad quas omnes concurrat Omnipotentia Dei dependenter à sapientiâ, & à liberâ suâ voluntate. Aliæ sunt à solo Deo, ut productio Angelicæ à Deo, & creaturâ, ut calefactio à Deo & à Sole: aliæ liberæ creaturæ, ut conversio Petri; aliæ non liberæ, ut collatio auxiliij actualis, quod fit in nobis sine nobis, quamvis actus noster vitalis sit; aliæ moraliter bonæ, ut actus virtutum, aliæ pravæ, ut peccata: aliæ pro quibus præparatur Omnipotentia & re ipsa ponuntur, ut conversio Petri, & impenitentia Iudæ; aliæ quæ re ipsa non ponuntur, quamvis non ex defectu præparationis Omnipotentia, ut impenitentia Petri; & conversio Iudæ. Cùm autem non eodem modo habere se possit divina voluntas circa omnia, aliter, & aliter habere se necesse est in modo liberè præparandi, & applicandi in actu primo Omnipotentiam, utpote non ex absolutâ necessitate, sed ex prævio divinæ voluntatis libito exercentem se ad extra in operationibus creatis sive seorsim, sive simul cum causis secundis, sive liberè, sive necessariò iuxta naturas suas aliter & aliter operantibus.

62 Circa operationes, seu effectus à solo Deo pendentes nullam est in presenti dubium: cùm sit certum, in actu primo applicari pro illis Omnipotentiam, quæ est vnica illarum causa, per volitionem liberam, seu per decretum Dei æternum, quo vult apud se Deus efficaciter ab æterno, talem operationem fieri ab Omnipotentia tali tempore. Quod decretum est abs dubio intentivum simul, & executivum talis operationis, seu effectus, & per se liberè applicativum Omnipotentia in actu primo ad illam: cùm non nisi frustra, & ex nimia cupiditate multiplicandi, ac diversificandi divina decreta pro modulo nostro, requiratur in id ipsum diversum Dei decretum, quod vocant pu-

rè executivum, seu usum activum, ut per otium expendimus *sect. 3.*

63 Circa operationes seu effectus pèdentes à Deo, & à causis secundis, duplex consideranda venit præparatio, seu applicatio Omnipotentia in actu primo. Vna intrinseca, & necessaria; alia extrinseca, & libera. Illa est ipsa quidditas essentialissima Omnipotentia ex intrinsecis suis necessitatissimâ ad concurrendum, si creatura operatur: haud secus ac immensitas Dei est ex intrinsecis suis necessitatissimâ ad præsentem essendum cuicumque creaturæ, si existat à parte rei Omnipotentia namque formaliter repugnat, quidquam fieri, ipsâ non concurrente; sicut immensitati, quidquam existere, ipsâ non præsentem. Nec respuere potest quoad rem, nec quoad modum loquendi hanc intrinsecam Omnipotentia præparationem, seu applicationem in actu primo, communis sententia Nostrorum; qui decreto indifferenti præparativo, & applicativo, quod defendunt pro effectibus liberis, nihil attribuant, nisi velle, quod Omnipotentia concurrat, si voluntas se determinat ad operandum: quibus dico hanc præparationem, seu applicationem conditionatam, seu quasi conditionatam, iam imbibit in intrinsecis prædicatis Omnipotentia antecedenter ad omnem volitionem liberam Dei; non minus ac in intrinsecis divinæ Immensitatis necessitas præsentem essendi cuicumque creaturæ, si à parte rei existat: ad id ergo gratis apponitur eiusmodi decretum; cuius oppositum est prorsus impossibile. Alia igitur est applicatio, seu præparatio Omnipotentia Deo libera, & contingens: quæ quidem non consistit in intrinsecis Omnipotentia; cùm pro libera Dei voluntate posset, aut hæc, aut alia, aut plura, aut pauciora, aut omnia, aut nihil ad extra producere; sed dicit actum liberum divinæ voluntatis applicantem, pro libito Dei, virtutem physicam Omnipotentia suæ in actu primo, pro ijs potius quam pro alijs operationibus creaturarum sine concursu suo inexercibilem. Et de hac applicatione Deo liberâ procedit quæstio: modica quidem quoad operationes physicas arbitrio creato minimè liberas: maxima verò, quoad morales & liberas.

64 Quoad operationes physicas nobis non liberas dicerem, suppositâ naturâ divinæ Omnipotentia, & positione Deo libe-

liberâ agentis creati, nihil aliud ex parte divinæ voluntatis requiri pro applicatione liberâ Omnipotentia in actu primo ad operationem sibi, & agenti creato communem, nisi decretum, seu volitionem exhibendi causæ secundæ necessariæ omnia creata requisita in actu primo; & non patrandi miraculum cohibendo divinitus operationem: ut cohibuit combustionem ignis Babilonici. Nam eo ipso causa creata necessaria non posset non operari, cum ex natura sua determinatissima sit ad agendum positus omnibus requisitis in actu primo, nisi divinitus à prædominio causæ primæ, cui essentialiter subest, cohibeatur: atque adeo sic est in actu primo applicatissima ad operandum dependentissimè à libito divinæ voluntatis. Cùm autem natura sit Omnipotentia concurrere si creatura operatur, & prorsus impossibile creaturam operari, non concurrente Omnipotentia, eo etiam ipso Omnipotentia est sufficientissimè præparata, & applicata in actu primo ad eiusmodi operationes sibi, & creaturæ communes. Quoniam verò nihil est incommodi in eo quod ad eiusmodi operationes physicas creaturæ necessarias præparetur, & applicetur Omnipotentia per decretum directæ, & efficaciter illas volens, hanc directam Dei volitionem intentivam simul & executivam earum operationum liberè admittimus pro applicatione Omnipotentia in actu primo quoad ipsas.

65 Quoad operationes autem morales Deo, & creaturæ communes, & arbitrio creato liberas, ut sunt actus humani nostri meritorij, aut demeritorij, opus & labor est in assignando Dei decreto Omnipotentia convenienter applicativo. Triamihim sunt fixa. Primum, esse non posse decretum prædeterminativum voluntatis creatæ ad operationes liberas; cùm in terminis repugnet, decretum de medio tollens libertatem voluntatis applicare aptè Omnipotentiam ad exercitium libertatis, quam de medio tollit. Secundum; insufficientis, & incongruum ad id muneri esse decretum, quod vocant generale, & indifferens, volens Omnipotentiam concurrere, si voluntas creata se determinet: quia frustra adhibetur liberum Dei decretum ad id quod de suo habent prædicata intrinseca, & necessaria Omnipotentia: hoc autem quod est non posse Om-

nipotentiam non concurrere, si voluntas se determinat ad operandum, est prædicatum omnino necessarium Omnipotentia; sicut Immensitatis; non posse non adesse cuicumque rei, si ponatur in rerum natura, ut remissivè innuimus *num. 63.* & expendimus latè *disp. illa 9. de Attributis sect. 10. de Deo* Tertium, id esse non posse decretum ullo modo volens operationem creatam peccaminosam, seu, quod idè in re est, volens concursum divinum in actu secundo ad illam: quia divinæ sanctitati omnino repugnat quæcunque volitio sua sive efficax, sive inefficax, sive absoluta, sive conditionata, sive determinata, sive disjunctiva concursus, qui est idem realiter cum actione intrinsecè peccaminosa creaturæ, sive quoad formale, sive quoad materiale peccati: ut rectè expendit R. P. N. G. Thyrsus *num. Thyrs.* per allegatus.

66 Conclusio tandem in hoc difficili puncto hæc est. Decretum ex parte divinæ voluntatis constituens Providentiâ, & præparativum, seu applicativum Omnipotentia Dei ad operationes nobis liberas, est actus liber divinæ voluntatis volens absolutè, & efficaciter constituere hominem in manu consilij sui liberè ponendo in manu voluntatis creatæ principia sufficientia ad utramque partem libertatis, & liberè excludendo omne prædeterminans ad unam, & omne impedimentum ad alteram, quod non sit pro ipsius voluntatis evitabile; nolensque operationem voluntatis nostræ cohibere, ut pro suo absolutissimo prædominio potest. Hoc fiet ex dictis perspicuum cuicumque debite penetranti, ac discernenti indolem agentis creati necessarij, ac liberi. Ad utriusque enim operationem, & ad quodlibet exercitium liberam divinæ voluntatis præcedit Omnipotentia divina cum applicatione illa intrinseca conditionali, sibi que necessariâ, quam explicuimus *num. 63.* cùm de suo necessariò habeat concurrere ad omnem operationem causæ creatæ sive liberæ, sive necessariæ, si creatura operatur. Vnde est, quod, servato servando semper discrimine inter causas creatas necessarias, & liberas; quemadmodum diximus *num. 64.* Omnipotentiam Dei satis intelligi liberè à Deo præparatam, & applicatam in actu primo necessariò ad operationes physicas necessarias causarum secundarum necessaria-

rū per quodlibet decretū liberum efficac illas constituendū cum omnibus requisitis in actu primo ad unam partem, & non impediendū miraculosè operationem quā exigunt determinatè; sic dicimus satis intelligi liberè à Deo præparatam, & applicatam in actu primo libero ad operationes homini liberas per quodlibet decretum liberum efficac illas constituendū in manu consilij sui ad utramlibet partem, & non prædeterminandū ad unam, nec impediendū inevitabiliter ad alteram, nec quinquò cohibendū eius operationem, seu determinationem: nam eo ipso ponitur à libito Dei in manu hominis se in alterutram determinare; ac proinde & Omnipotentiam, ex intrinsicis suis determinatissimā ut nulla fiat determinatio creaturæ, nisi ipsa physicè concurrente.

67 Si quærat ex me: an huiusmodi decretum applicativum Omnipotentia in actu primo pro liberis sit efficac; an inefficax? An intentivum, an exequivum? An velit ipsam operationem nostram liberam? An sit, aut possit esse præfinitivum operationis nostræ liberæ? An, quando est præfinitivum, requirat secum decretum aliud indifferens coniungibile cū utraque parte libertatis in actu secundo, ut salvet libertatem in actu primo? Respondeo quinque per vtilia, quæ bonam tangunt huius nostræ Theologiæ partem.

68 Primò: huiusmodi decretum esse intrinsicè efficac respectu constitutionis causæ secundæ in actu primo liberæ. Secundò: esse intentivum simul, & exequivum respectu constitutionis libertatis nostræ in actu primo. Tertio: necesse non esse ex natura rerum, quod velit ipsam operationem nostram in actu secundo: de facto tamen illam velle si bona est; nullatenus tamen si est peccaminosa: quia illud prius est Deo dignum, & pro de facto constat ex scripturis attestantibus, Deum velle, ac procurare, ut bene operemur, etiam quando non bene operamur; id verò posterius Deo repugnat, qui non Deus volens iniquitatem est, adhuc quando iniquitas, seu peccatum reipsa fit: unde respectu operationis nostræ peccaminosæ nec est intentivum, nec exequivum, quia nec illam intendit, nec exequi vult, nec à se, nec à nobis; respectu autem operationis honestæ, quæ fit, est intentivum simul, & exequivum modo dicto, citra ullam

determinationē ipsius. Quartò: posse esse, imò & de facto esse præfinitivum respectu operationis nostræ liberæ bonæ, quæ reipsa fit; ipsiusque intentivum, & exequivum, principiorū illius; respectu autem operationum turpium, quamvis sit etiam præparativum Omnipotentia, ne utriquam verò esse, nec esse posse illarum præfinitivum, nec intentivum, nec ullo modo exequivum; cum nullatenus esse possit illarum ullo modo volitivum, sed permissivum: at respectu operationum nostrarum bonarum, quæ sæpè non fiunt, sed liberè omittuntur, non est præfinitivum, nec etiam ullo modo exequivum; sed inefficax intentivum, & volitivum ipsarum, & Omnipotentia pro ipsis præparativum ad constituendam nostram libertatem sufficienter in actu primo pro ijs etiam operationibus, quæ sæpè non fiunt in actu secundo. Quintò: minimè requiri decretum aliud generale indifferens & inefficax simul cum præfinitivo efficaci, pro munere præparandi Omnipotentiam divinam & pro fulcro sustinendæ libertatis creatæ. Quid plura? Hoc postremum probabitur plenius *sect. 7.* post solutam difficultatem sequentem.

## SECTIO VI.

*Solutione gravis difficultatis opposita utilissima hæc veritas firmiter stabilitur.*

69 **H**VIC nostræ resolutioni quoad præcipua ac postrema ipsius capita refragantur magno nisu multi è Nostris præclari Magistri, quibus nimium favet quoad hoc R. P. N. G. Thyrsus *tom. 1. disp. 11. sect. 3. & fusius tom. 3. præsertim disp. 12. & sæpè alibi: Quippe docent decretum Dei efficac præfinitivum consensūs nostri liberi esse non posse per se applicativum Omnipotentia, nec stare cum libertate nostra, nisi fulciatur alio divino decreto efficaciter collativo principiorum; non tamen intrinsicè efficaciter volitivo consensūs in actu secundo; sed constitutivo libertatis in actu primo, & ex se indifferenter coniungibili cum utralibet parte libertatis in actu secundo pro determinatione voluntatis ad libitum nostrum.*

70 Obijciunt autem sic. Non salvatur arbitrij creati libertas in actu primo, nisi totus

totus actus primus libertatis sit coniungibilis cum utrolibet extremo actūs secundi, quod eligat voluntas: sed non sic esset, si applicatio Omnipotentia esset decretum efficaciter intentivum, exequivum, & præfinitivum consensūs: ergo decretum applicativum Omnipotentia pro liberis in nullo casu potest esse decretum præfinitivum consensūs; sed aliud decretum indifferenter coniungibile, sive cum consentu, sive cum dissentu, pro libito, & determinatione voluntatis. Maior supponitur ex noto discrimine causæ necessariae & liberæ: illa enim, positis omnibus requisitis, in actu primo non potest; ista verò potest non operari quod operatur, cum possit operari oppositum: ergo debet posse coniungere totum actum primum cum utrolibet extremo suæ operationis. Minor autem probatur: quia applicatio Omnipotentia divinæ est de constitutivo actūs primi libertatis creatæ; cum sine applicatione causæ primæ nulla causa secunda sit proximè potens operari: ergo si ea applicatio esset decretum præfinitivum efficaciter intentivum, & exequivum consensūs, non esset totus actus primus libertatis creatæ coniungibilis cum utrolibet extremo actūs secundi: cum certum sit præfinitionem consensūs non esse coniungibilem, sed omnino repugnantem cum dissentu. Hæc summa difficultatis.

71 Summa responsionis est, maiorem, sic generaliter, & indistinctim prolatam, esse omnino falsam, ut patefecimus agentes de libertate actūs præcepti, influente in ipsum Gratiâ iustificante *disp. 15. de Grat. à num. 17. & de libertate actūs efficaciter imperati disp. 22. de Merito sect. 8. & 9.* Nec illam probat notum discrimen causæ liberæ à necessaria. Nam indifferentiâ causæ liberæ præ necessariâ ad hanc operationem, & ad oppositam, positis omnibus requisitis libertatis in actu primo, nõ stat in eo quod se & omnia requisita actūs primi possit coniungere pro libito, & determinatione sua cum utrolibet extremo sui actūs secundi; sed in eo quod se pro suo libito & determinatione possit coniungere cum utrolibet extremo, quod eligat; aut coniungendo etiam cum isto omnia alia comprincipia, seu prærequisita sui actūs primi; aut, si quod est ex natura sua inconiungibile cum extremo quod eligit, illud pro libito etiam suo

amovendo, seu evitando. Quamvis enim omnia comprincipia, seu prærequisita, seu constitutiva actūs primi libertatis debeant esse indifferentiâ, non tamen eodem modo indifferentiâ: sed quædam indifferentiâ coniungibilitatis cum utrolibet extremo, sicut ipsa voluntas in utrolibet influens; quædam indifferentiâ evitabilitatis, utpote ad libitum ipsius voluntatis amovibilia, aut evitabilia, si ratione suæ connexionis cum uno extremo, sint inconiungibilia cum altero: utroque namque hoc modo manet potentia libera indifferenter domina suæ determinationis, prout opus est ad discrimen causæ liberæ à necessaria.

72 Hinc ad minorem, eiusque probationem concedo libenter, applicationem Omnipotentia divinæ tam intrinsicam necessariam, quæ, ut vidimus *num. 63.* est ipsa quidditas Omnipotentia; quam contingentem, & quasi extrinsecam, quæ est libera voluntas Dei, prærequiri necessariò ad constitutum libertatis creatæ in actu primo. At non eodem modo: nam illa requiritur omninò determinatè, & constitutivè, ut vera virtus immediatè physicè concurriva ad quamcumque operationem creatam; ista verò non ut virtus immediatè physicè concurriva, sed ut pura expectatio, virtutis alioquin adæquatæ: nec una determinatè; sed disjunctim una vel alia; cum pro libito suæ voluntatis possit Deus aut hoc, aut aliud decretum liberè adhibere ex parte suæ voluntatis ad Omnipotentiam applicandam, & ad hanc numero libertatem creatam in nobis constituendam: ad modum quo eadem numero virtus ignis combustiva, eademque numero combustio erit, sive ignis applicetur passio hoc, sive alio modo extrinsecò, sive per hominem, sive per angelum, sive per belluam: quia applicatio non est virtus combustiva; sed aliter prærequisita, ut virtus combustiva operetur combustionem. Itaque distingui potest antecedens: applicatio intrinsicè necessaria Omnipotentia est de constitutivo actūs primi libertatis creatæ, concedo: contingens & quasi extrinsecà, subdistinguo: hæc una numero, & ut virtus physica in operationem, nego: una vel alia, & non intrinsicè constitutiva, nec adæquativa virtutis in operationem; concedo antecedens: illa enim applicatio non est per se virtus, sed

To. de Gra.  
disp. 15.  
sect. 3. &  
disp. 22.

R. P. N. G.  
Thyrsus.

expeditiva virtutis nihil operari potens nisi Deo pro prædominio suo liberè consentiente, seu permittente: sive hoc, sive alio decreto, seu modo volendi. Et tandem distinguo consequens: si ea applicatio esset decretum præfinitivum consensus, non esset totus actus primus libertatis coniungibilis cū utrolibet extremo, nempe cum dissensu, sumpto toto actu primo cum hoc modo præfinitivo consensus, & applicativo virtutis, concedo; evitando hunc modum seu decretum præfinitivum, nego. Hæc autem est indifferentia sufficientissima libertatis.

73 Urgent. In casu præfinitionis, unicus modus applicationis pro hac libertate est decretum ipsum præfinitivum: ergo hic modus deberet esse coniungibilis cum dissensu: quod tamen repugnat: atque adeo necesse est adesse simul aliud decretum taliter applicativum Omnipotentia ad dissensum, ut sit coniungibile cum dissensu. Probatur consequentia: quia essentia libertatis constituta est posse operari pro libito consensus, seu dissensum: ergo tali modo debet constitui, ut hic ipse modus, quo de facto constituitur per applicationem Omnipotentia ad utrumlibet, possit pro libito voluntatis coniungi cum utrolibet, ac proinde cum dissensu, si velit voluntas dissentire. Confirmatur: quia voluntas solum est potens operari dissensum modo quo re ipsa existens & in libertate constituta est: sed si datur ei auxilium, & applicatur unice de facto Omnipotentia per decretum præfinitivum consensus, non alio modo existens, & de facto constituta est, nisi per eiusmodi decretum connexum cum consensu, & inconiungibile cum dissensu: ergo solum est potens operari consensus ac proinde non liberè, utpote sine potestate ad dissensum.

74 Respondetur verum esse antecedens de modo applicationis contingentis, & quasi extrinsecæ: nam præter, & ante hunc est extra quæstionem modus necessarius intrinsecæ applicationis supra explicatus. Negatur autem consequentia: vel claritatis gratia distinguitur: hic modus deberet esse coniungibilis cum dissensu, si alioquin esset inevitabilis pro libito voluntatis creatæ, concedo; si evitabilis pro libito voluntatis, nego consequentiam. Ad cuius probationem, concessio antecedente, negatur consequentia. Nam ex eo quod

voluntas in libertate constituta possit operari pro libito consensus, seu dissensum, prout opus est ad essentiam libertatis, non sequitur quod debeat posse coniungere cum dissensu omnem modum, quo de facto constituitur in libertate; sed quod verè, quocumque modo extrinsecò, id fiat, constituitur in libertate consentiendi, quâ possit pro libito aut coniungere cum dissensu modum illum, quo de facto pro casu consensus in libertate constituitur; aut illum modum pro libito evitare, eoque evitato dissentire. Huiusmodi autem indolis est decretum præfinitivum consensus, directum per Scientiam Mediam, ut explicabitur otiosius *disp. 6. sect. 6.* sive unice sit applicatio Omnipotentia, prout de facto, ut contendimus; sive non sit, sed ad hoc egeat alio decreto aliter indifferenti coniungibili cum dissensu, ut frustra volunt Adversantes; quod nempe, quamvis coniungibile non sit cum dissensu, est tamen evitabile pro libito voluntatis: atque adeo ne utiquam obstat veræ libertati: ut velint nolint dicant necesse est quotquot nostras amant præfinitiones in omnium sententiâ inconiungibiles cum dissensu, quantumvis de suo apponant pro applicatione Omnipotentia illud aliud decretum coniungibile cum dissensu.

75 Ad confirmationem, maior sedulo distinguenda est, scilicet vel cadente modo supra operari dissensum; qui dissensus non est de constitutivo libertatis: sive supra potens operari dissensum; quod posse est de constitutivo libertatis. In priori sensu falsa est maior: quia nec in voluntate creatæ, nec in divina est illo modo potestas ad operandum dissensum modo quo de facto existens, & constituta est: non enim est ulla potestas coniungendi præfinitionem consensus cum operatione dissensus, sicut nec consensus, nec scientiam visionis, nec datâ hac libertate, Scientiam Mediam de consensu cum operatione dissensus: at potestas hæc chimerica nequit esse de essentia veræ libertatis. In posteriori sensu vera, quia modus, quo voluntas re ipsa existens, & in libertate constituta est, quamvis sit modus præfinitivus consensus, bene stat cum posse operari dissensum; quia præfinitio consensus, sicut nec ipse consensus, non opponitur veræ potestati dissentendi; quæ est de constitutivo libertatis; sed dissensui, qui de constitu-

tivo

tivo libertatis non est. Sic exploratâ maiori, distinguo minorem: non alio modo extrinsecò, & applicativo, concedo; quia in hoc casu non conferuntur comprincipia creatæ, nec applicatur omnipotentia per aliud decretum, nisi per præfinitivum: non alio modo intrinsecò, & constitutivo potestatis, seu virtutis in actu primo ad utrumlibet extremum actus secundi libertatis, nego: nam iste modus intrinsecè constitutus virtutis est ipsum esse voluntatis, & comprincipiorum respectivè ad actum secundum: quod esse diversum est à modo ipsis extrinsecò cuiuslibet decreti divini, utpote ponibile sive per hoc, sive per aliud decretum. Unde consequentia falsa est, & omnino nulla.

76 Urgent ulterius. Modus iste conferendi de facto hæc comprincipia, & applicandi Omnipotentiam per decretum præfinitivum consensus, est antecedens ad consensus, quem saltem mediâ quamvis non per se, sed per comprincipia à se collata, seu applicata causat; & ad potestatem consentiendi, quam confert; estque insuper connexus essentialiter cum consensu, & essentialiter incompossibilis, ac proinde impeditivus dissensus: ergo non relinquit in manu voluntatis potestatem antecedentem dissentendi: atque adeo nec libertatem consentiendi. Probatur consequentia: quia cum antecedente essentialiter connexo cum consensu, nec cum impedimento essentiali dissensus, stare nequit potestas ad dissensum, nec libertas ad consensus: alioquin cum physica prædeterminatione ad consensus stare posset in manu voluntatis vera potestas ad dissensum, & libertas ad consensus. Confirmatur: quia pro priori ad comprincipia constitutiva libertatis creatæ, nempe ad auxilia, daretur incompossibilitas cum uno extremo libertatis, nempe cum dissensu, scilicet decretum præfinitivum consensus, collativum auxilij, & unice applicativum Omnipotentia: ergo existeret auxilia, essetque applicata Omnipotentia pro priori incompossibiliter cum dissensu: nullum ergo maneret pro priori signum indifferentia, & libertatis.

77 Difficultas huius instantia non tangit specialiter punctum applicationis Omnipotentia, quod nunc discutimus; sed generaliter quæstionem de possibilitate divinarum Præfinitionum, sive sint, sive

non sint per se applicativa Omnipotentia, agitandam *disp. 6.* ubi de hac re futius ad tuendam doctrinam Societatis de Præfinitionibus divinis cum palmari discrimine à decretis Prædeterminativis.

78 Respondetur pro nunc concedendo totum antecedens, & negando consequentiam: & distinguendo eius probationem: si tale connexum, & impeditivum, sit evitabile pro libito voluntatis, nego stare non posse cum illo potestatem ad dissensum, quæ scilicet eo ipso esset potestas evitandi pro libito præfinitionem faciendo, quod nunquam extitisset: si non esset pro libito voluntatis evitabile, concedo, ex sæpe dictis, sæpiusque dicendis. At prædeterminationes, nisi eo ipso definant esse prædeterminationes, sintque simul, & non sint id quod ex natura sua sunt, non sunt pro libito voluntatis creatæ amovibiles, nec evitabiles: cum à solo Deo inattemperanter ad liberum hominis arbitrium conferantur, aut denegentur, ut videbimus *disp. 4. & 5.* Ad confirmationem,

distinguo antecedens: pro priori daretur ea incompossibilitas cum dissensu inevitabilis ex determinatione nostræ voluntatis, nego; evitabilis pro libito ex determinatione nostræ voluntatis, concedo antecedens: & similiter distinguo consequens: incompossibiliter incompossibilitate pro libito nostro inevitabili, nego; evitabili, concedo consequentiam: & nego subillationem. Signum enim indifferentia & libertatis creatæ non est signum illud pro priori causarum libertatis; sed signum posteriori constitutorum libertatis, posteriori, inquam, ad causas; prius tamen ad suum effectum, nempe ad consensus, & determinationem, quæ est actus secundus voluntatis in libertate constitutæ: quod signum, sicut non dicit constitutivè suum effectum, nempe consensus; sic nec suas causas non influxivas per se & immediate in consensus, nec in dissensum, quale est divinum decretum collativum auxilij, & præparativum Omnipotentia; sed dicit constitutivè entitates voluntatis creatæ; & comprincipia immediata respectivè ad suum actum secundum cum exclusionem cuiuscumque ipsam prædeterminantis, & inevitabiliter impediens ad alterutrum extremum sui actus secundi: quocumque modo extrinsecò hæc constitutiva adhibeatur seu causentur: sicut quocumque modo

*Infra disp. 6.*

*Infra disp. 4. & 5.*



do extrinseco ponantur, seu causentur constitutiva hominis, dabitur homo.

79 Insistunt adversus prædictam evitabilitatem, cui constanter innititur. Videtur enim imperceptibile, quod impedimentum illud essentialiter dissensus, nempe decretum præfinitivum consentum, conferens auxilium, & applicans Omnipotentiam, ideoque naturâ prius creatâ libertate, ipsiusque libito, sit evitabile pro libito voluntatis creatæ in hac libertate constitutæ: ergo imperceptibilia, & repugnantissima dicimus, dum id dicimus; & viam damus ad conciliandam cum prædeterminationibus libertatem. Respondeo difficile quidem id esse, sed non imperceptibile; nec mihi magis difficile, quàm quod ab omnibus dici necessesse est, ut vidimus *disp. 2. voluntatem seu libertatem nostram tempore posteriorem evitare pro libito posse scientiam visionis Dei tempore priorem de suo peccato: quatenus nempe potest non peccare, sicque facere, ne Deus ob suam perfectionem in cognoscendo habuerit ab æterno scientiam visionis de tali peccato. Hoc percepto, ut explicuimus loco cit. & quæ perceptibile mihi est, libertatem nostram naturâ posteriorem decreto præfinitivo consensûs, & applicativo Omnipotentia ipsam causante, posse evitare tale decretum, quatenus nempe potest dissentire, sicque facere, quod Deus ob suam perfectionem in decernendo nunquam habuerit tale decretum, ac proinde nec pro illo priori. Vnde nec dicimus imperceptibilia, nec repugnantia. Quod autem hæc doctrina non sit applicabilis qualitati, nec decreto prædeterminanti, venit à naturis prædeterminationis, & notitæ præfinitivæ exponendis *disp. 4. & 5. & 6.* non obstante utriusque connexionem, & præcedentiâ, in qua conveniunt.*

*Infra disp. 4. 5. & 6.*

80 Si dicas: qua potestate id potest de facto evitare voluntas? Num sic constituta cum præfinitione ad consentiendum? Respondeo, potestate ipsâ, qua potest dissentire. Instant: hæc potestas, qua de facto sic constituta potest dissentire, est per hanc præfinitionem applicativam Omnipotentia: ergo nequit esse potestas ad faciendum, ne extiterit eiusmodi applicatio: ac proinde nec esse potest vera potestas ad dissentium. Confirmant: quia, si poneretur dissensus, non daretur hæc ap-

plicatio, utpote essentialiter repugnans coniungi cum dissensu: nec pro libito nostro daretur alia; quia applicare Omnipotentiam est pro libito solius Dei, nec est in nostra manu acquirere nobis applicationem Omnipotentia: ergo in manu & libito voluntatis sic constitutæ, nec est ponere dissensum cum hac applicatione Omnipotentia, cum qua est inconiungibilis; nec cum alia, quia aliam non habet, nec potest pro libito suo illam habere: ergo nullo modo datur actu potestas ad dissentium: nisi simul cum applicatione præfinitiva, detur actu alia non præfinitiva, quæ sit decretum indifferens coniungibile cum dissensu. Hæc tota contrariæ sententiæ vis.

81 Responderetur ad instantiam, distinguendo antecedens: hæc potestas dissentendi de facto est per hanc præfinitionem applicativam constitutivè, nego; causativè & extrinsecè, concedo: unde hæc eadem potestas esset per aliam applicationem, stantibus iisdem comprincipijs immediatis per se influentibus in effectum: sicut idem homo, stantibus iisdem corpore, anima, & unione, quomodocumque causatis; eademque virtus combustiva & combustio stante hoc igne ad hoc passum applicato, sive hac, sive alia applicatione. Nego autem consequentiam: quia cum hæc eadem potestas secundum quod dicit constitutivè, manere posset, non stante hac applicatione, est verè potestas ad causandum pro libito effectum, nempe dissensum: qui, si pro libito, & ex determinatione voluntatis fieret, nunquam nec pro priori, nec pro posteriori extitisset hæc applicatio Omnipotentia præfinitiva consensûs.

82 Ad confirmationem, concedo primam partem antecedentis; & reliquum nego. Quia casu quo poneretur dissensus, staret constitutivè hæc libertas: cum autem stare non possit nisi causata à Deo uno, vel alio modo, nec sine uno, & alio decreto applicativo Omnipotentia; si non staret sic causata, staret aliter causata; & si Omnipotentia non esset applicata per hoc decretum, esset per aliud non præfinitivum consensûs, quod in casu consensûs non est: non quidem pro libito dumtaxat nostro; sed præsupposito libito Dei dandi creaturæ hanc libertatem. Quippe Deus necessitatus ex intrinsecis suis disjunctim est, aut ad non dandam, aut ad dandam nobis

nobis hanc libertatem. Si pro libito ac prædominio suo supremo non vult dare, non erit in nobis libertas. Si vult dare, necesse est, id velit, aut per unum decretum, aut per aliud; quâ tamen sive per unum, sive per aliud datâ, eadem potestas constitutiva huius libertatis nobis pro Dei libito datæ, quâ possumus dissentire, est potestas faciendi, ne data fuerit per decretum præfinitivum consensûs, & quod data fuerit per aliud aliter applicativum Omnipotentia: itaque datur in nobis sic in libertate constitutis & re ipsa consentientibus potestas acquisitiva decreti applicativi non præfinitivi consensûs: quamvis non nisi præsupposita liberrimâ dignatione Dei dâdi nobis hanc libertatem, quam posset pro prædominio suo nullo modo dare. Vnde nego posteriorem partem consequentia. Suppositâ enim constitutione voluntatis in hac libertate pro libito Dei, est in manu & libito voluntatis ponere dissensum, & acquirere sibi aliam applicationem Omnipotentia, quæ non est, sed esset, si ipsa dissensus foret: quemadmodum Scientiam Mediâ, & Visionis de dissensu, Subillationem ultimam nego.

*Infra disp.*

83 Substantiam harum responsionum refugere potest nemo in vera Theologia bene versatus. Et, ut omittam doctrinam de Præfinitionibus, præcipuis nostris Authoribus pergratam, quæ ad hunc modum defendenda est; & doctrinam de directione Scientia Mediâ, cunctis dignè sentientibus de scientia Mediâ placituram, quæ angustius eger ijs modis respondendi, ut videbimus *disp. 3.* nemo certe nostrorum est, qui negare possit, ad nostrum consensum salutarem obtinendum requiri saltem ex parte divinæ voluntatis decretum aliquod conferendi nobis auxilium, & ex parte divini intellectus notitiam scientia Mediâ de consensu, si detur auxilium. Profectò hoc coniunctum ex tali decreto sive intentivo, sive exequutivo, sive applicativo, sive non applicativo Omnipotentia, & ex scientia Mediâ de consensu, connexissimum est cum consensu, non minus quàm decretum præfinitivum, applicativum, intentivum, & exequitivum: nec minus incompossibile cum dissensu dato auxilio; nec minus antecedens ad consensum absolutum; nec excogitabile est genus aliquod prioritatis determi-

nationis nostræ respectu talis coniuncti, quæ aptari eadem ratione non possit respectu decreti præfinitivi, ut urgebimus *disp. 6. sect. 3.* & tamen stat apud omnes cum potestate dissentendi requisitâ ad libertatem consensûs, quam ipsum confert; atque adeo cum potestate evitativâ talis coniuncti, & acquisitivâ scientia Mediâ de dissensu. Ecce tibi totam difficultatem nobis obiectam, non nisi ex doctrina nostrarum responsionum expedibilem, quocumque te vertas.

*Infra disp. 6.*

## SECTIO VIJ.

*Stabilitur ulterius eadem veritas refutato decreto indifferenti, aut applicativo Omnipotentia, aut collativo auxilij.*

84 **N**EC novum decretum entitative indifferens præparativum Omnipotentia, & collativum auxilij, coniungibile cum dissensu, quod operosè architectantur multi Theologi, illud superaddentes decreto præfinitivo consensûs pro concordia nostræ libertatis, quidquam ad rem, me iudice, prodesse potest. Quinimo illud, sive ponatur antecedens, sive subsequens ad aliud decretum efficax; sive ad præparandam indifferenter Omnipotentiam, sive ad conferendum indifferenter auxilium, iudico nec ad id necessariû, nec utile, nec possibile: ideoque aut contra, aut præter mentem graviorum Scholarum nostræ Theologorum.

85 Non quidem possibile: quia Deo sapientissimè, ac simplicissimè decernenti repugnat multiplicitas virtualis decretorum: cum de ipsius infinitâ perfectione sit unius decreti ductu indivisibili cuncta decernenda decernere, volenda velle, & nolenda nolle, ut cum primoribus ætatis nostræ Magistris post Patrem Molinam adstruximus *disp. 8. de Attrib. sect. 4.* & prosequuti sumus *disp. 6. de Incarn. sect. 7. & seqq.* & specialiter repugnant ea decretorum duplicitas, seu pluralitas circa idem obiectum.

*To. de Deo disp. 8. To. de Xpo. disp. 6.*

86 Non necessarium: quia unicum decretum efficax intentivum, & exequitivum auxiliorum, sive sit simul præfinitivum, sive non præfinitivum consensûs nostri liberi, præstat formaliter indifferentiâ sufficiente ad iura libertatis, id est contra-

trâpositâ determinationi ea omnia, quæ præstari dicuntur per duo, aut per plura decreta: aliud ergo necessarium non est, quamvis alioquin possibile simul esset. Antecedens constat affatim ex supra disputatis. Vnum enim & quodlibet Dei decretum eo ipso, quod intrinsicè sit efficax, & infructabile de positione obiecti à se sic voliti, est intentivum & exequutivum circa tale obiectum, si fit à Deo determinabile, ut probatum est *sect. 3*. Deinde, cum, circa subiectam materiam, velit efficaciter media, scilicet comprincipia constitutiva libertatis creatæ in ordine ad operationes creatas nobis liberatas, sive simul efficaciter volitas, aut præfinitas, sive non, eo ipso vult, ponit & exequitur principia, per quæ novit, & vult, ut constitutur arbitrium nostrum in manu consilij sui: atque adeo excludit per se essentialissimè, omnem prædeterminans, & omnem impedimentum non amovibile, seu evitabile pro libito nostro. Hoc autem libero Dei decreto, sive simul præfinitivo consensus, sive non, suppositâ intrinsicâ ac indefectibili expeditione divinæ Omnipotentia ad concurrendum cum omni causa secunda operante, applicatur etiam libere & absolute pro divino prædominio in actu primo in ordine ad operationes, seu determinationes voluntatis creatæ, ut vidimus *sect. 5. præsertim num. 63. & 66*. Vnico ergo ac indivisibili Dei decreto cum præstari dignissimè possint hæc omnia, ad nihil prorsus necessarium est decretum aliud, nisi ad plurificanda Dei decreta ad similitudinem nostrarum imperfectionum sine operæ pretio.

87 Nec quidem utile. Quia si foret utile, maximè, ut aiunt, ad concordiam libertatis creatæ cum Providentiâ divinâ per indifferentiam auxiliorum: sed ad hoc utile non est: ergo ad nihil omnino. Probat minor. Primò: quia, si decretum istud indifferens collativum auxiliorum subsequitur, ut volunt multi, ad decretum præfinitivum consensus, vel efficaciter præelectivum ad gloriam, à quo quasi imperatur; quâvis hoc novum decretum secundum se & ex modo suo intrinsicè volendi collatione auxiliij, sit indifferenter coniungibile cum dissensu, sicut & entitas auxiliij; non tamen prout tali modo quasi extrinseco imperatum à decreto connexo cum consensu, & inconiungibili cum dissensu; sicut nec entitas au-

xilij, prout extrinsecè volita per decretum præfinitivum consensus, ut nos diximus: eo igitur ipsissimo modo, quo cum eo decreto indifferenti, etiam imperato per decretum efficax, stat iuxta istum Theologizandi modum libertas creatæ ad consensum, per potestatem scilicet evitandi eum modum extrinsecum decreti sic imperatis; stabit etiâ, sublato novo illo decreto, per potestatem evitandi decretum præfinitivum per se & sine intermedio alio decreto collativum auxiliij, & applicativum Omnipotentia: id enim ipsum, quod nos dicimus de auxilio secundum se indifferenti collato per decretum inconiungibile cum dissensu, dicere tenentur de decreto illo indifferenti volito, seu imperato per decretum inconiungibile cum eodem dissensu. Nullam ergo secum affert utilitatem superfluitas ista novi decreti pro concordia libertatis.

88 Si verò dicatur cum alijs, eiusmodi decretum secundum se indifferens collativum auxiliij & applicativum Omnipotentia non subsequi, sed præcedere, aut comitari volitionem aliam divinam efficacem consensus, eandem subiri difficultatem necesse est: quia quæcumque & pro quocumque signo sit ista volitio divina efficax consensus liberi creati, non potest non esse volitio efficax auxiliij, seu libertatis in actu primo: cum dari nequeat consensus liber creatus in actu secundo, sine libertate in actu primo, non nisi à Deo conferendâ. Vnde duo inferuntur liquidissimè. Primum; de superfluo poni priorem illam voluntatem inefficacem eiusdem rei, cuius habet Deus simul aliam efficacem: estne forte Deus ad instar nostri qui ob limitatum & cunctabundum modum operandi gradimur ab imperfectioribus ad perfectiora? Absit tam sinistra de Deo existimatio. Secundum; eiusmodi decretum indifferens secundum se coniungibile tam cum consensu, quam cum dissensu, in quocumque signo præconcipiatur, non excludere à reali secum coexistentiâ decretum aliquod inconiungibile cum dissensu, aut saltem scientiam Mediam de consensu, aut de dissensu, sive dirigatur per illam, sive non: cum omnino necesse sit, verum esse, quod voluntas sub conditione talis decreti, & auxiliij consentiet, aut quod dissentiet: ergo sicut non potest coniungi cum utraque, ita non potest

test non esse realiter coexistens, & coniunctum cum alterutra, scilicet aut cum Scientia Media de consensu; aut cum Scientia Media de dissensu. Cum autem utralibet realiter coniungatur ab æterno, coniunctum ex tali decreto, auxilio, & scientia non est indifferenter coniungibile cum utrolibet extremo libertatis: ergo recurri necesse est ad realem potestatem nostram evitandi tale coniunctum. En ergo difficultatem totam nostri decreti.

89 Dices: disparitatem esse manifestam ex triplici capite. Primò: quia scientia Media de consensu non est principium, nec quid naturâ præcedens ad consensum; bene verò decretum præfinitivum. Secundò: quia decretum præfinitivum intentivum, & exequutivum, & per se applicativum Omnipotentia, est principium immediatum consensus; omnia autem principia immediata debent esse indifferenter coniungibilia cum utrolibet extremo libertatis; nec possunt esse pro libito nostro evitabilia: quæ non procedunt in Scientia Media, quæ aut non est principium, aut saltem non est principium immediatum, nec est applicatio Omnipotentia. Tertio: quia decretum collativum auxiliij, aut applicativum Omnipotentia ad operationes nostras liberatas, debet cognosci sub hypothese scientia Media sive de consensu, sive de dissensu: non autem scientia ipsa Media de consensu, nec decretum præfinitivum consensus, ne hypothesis sit connexa cum eventu, sicque correspondens scientia Dei necessaria, & non Media. Ex nullo tamen ex ijs capitibus subsistit disparitas ad intentum.

90 Quoad primum caput, peccatur in principijs; quia quamvis scientia Media supponat consensum conditionatum, non tamen absolutum: quod etiam habet præfinitio. Neutra est principium physicum immediatum consensus, nisi per realem identitatem cum Omnipotentia immediate physicè productivâ ad extra: principium autem mediatum utraque est respectu consensus absoluti: illa in genere directivo, & illuminativo; ista in genere preparativo: nisi omnino negetur scientia Media virtus præilluminandi, & dirigendi ad collationem auxiliorum, contra elementa Scholæ Societatis, de quo disp... quod absurdum extorsisse à nonnullis doctrinas nostras, argumentum veritatis est,

cum innegabile absolute sit, quod sine absurdo negari non potest.

91 Quoad secundum caput: præterquamquod nec universaliter verum est, omnia principia immediata constitutiva alicuius libertatis, debere esse coniungibilia cum utrolibet extremo exercitij liberi, ut de Gratia habituali physicè influente in actum præceptum, & de actu imperante imperatum diximus *disp. 18. & 25. de Grat.* non nisi falso supponitur decretum præfinitivum, quamvis simul sit intentivum, & exequutivum, & formaliter præparativum Omnipotentia, esse principium immediatum consensus: non est enim nisi mediatum, medijs scilicet auxilijs, quæ vult conferre, & Omnipotentia, quam vult applicare, & in actu primo applicat: applicatio autem virtutis immediate influentis in effectum non est principium effectus: non enim applicatio ignis ad passum est principium immediatum, aut virtus per se calefaciendi, nec quidem virtutem constituit, sed aut inducit, aut expedit, ut sæpe diximus in superioribus, & repetemus, quoties opus fuerit. Dicere autem quod constituit virtutem est colludere; quia hoc ipsum non est nisi esse applicationem virtutis. Ex hoc ergo secundo capite nulla redditur disparitatis ratio.

92 Quoad tertium caput, à quo Auctores contrarij inceperunt ire contra nos, ut vidimus *disp. 2. sect. 9.* propterea compulsi negare, scientiam Mediam esse de constitutivo divinæ Providentiæ moralis, & utilitates præcipuas scientia Media Scholæ nostræ Iesuiticæ caracteris; perperâ etiam, falsoque supponitur decretum collativum auxiliij, aut applicativum Omnipotentia debere cognosci ex parte suæ hypothese per scientiam Mediam, sicut nec divinam Providentiâ, ut latè vidimus ibi *sect. 10.* vera namque scientia Media non attingit ex parte suæ hypothese nisi constitutiva creatæ libertatis in actu primo non essentialiter connexa cum eventu contingenti, quem enunciat sub hypothese, scilicet entitatem voluntatis creatæ, auxilia indifferentia, entitatem Omnipotentia, & alia comprincipia sufficientia respectivè in utramque partem; cum exclusione cuiuslibet ineluctabiliter prædeterminantis, & inevitabiliter impediens alterutram: inter quæ

To. de Gra.  
disp. 18.  
& 25.

Supr. disp.  
2.

nec est scientia Dei, quæ scilicet constituit libertatem Dei, non verò nostram; nec est decretum divinum, quod scilicet est exercitium divinæ libertatis, non intrinsecè constitutum, sed extrinsecè causativum nostræ, quæ quidem, ut sæpè dixi, eadem numero maneret, cæteris manentibus, quamvis per possibile loco præsentis decreti daretur aliud; aut si per impossibile nullum decretum, nullaque scientia foret in Deo: sicut daretur hic homo, si per possibile vel imposibile, omni alio sublato, darentur hoc corpus, hæc anima, & hæc unio, quibus intrinsecè constituitur, undecumque veniant.

93 Quod si velis construere aliam hypothesein, involuentem præterea decretum applicativum Omnipotentia, præfinitivum consensus, facies hypothesein non correspondentem scientiæ Mediæ, sed simplicis intelligentiæ: an vero sub eiusmodi hypothesei cognoscatur consensus liber, necnè; pendet ex eo quod talis præfinitio Dei tollat, vel non tollat libertatem creaturæ: scientia enim verissima cognoscit in objecto quod est, non vero ponit quod repugnat. Si construas aliam hypothesein, involuentem decretum indifferens, coniungibile secundum se sive cum consensu, sive cum dissensu; facies quidem hypothesein possibilem, & ut talem cognitam à Deo, si tale decretum possibile Deo est; impossibile verò, si tale decretum frustraneum, ut contendimus, Deoque indignum, & repugnans: an autem tale sit, necnè, aliunde resolvendum est, ac proinde, quale cognoscatur à Deo cognoscente res, ut sunt: scientia enim Dei non constituit, sed supponit quidditatem talis decreti. V. clarè pateat quam frustra advocent sibi Adversarij præsidium ullum à scientiis Dei sive pro decreto suo indifferenti, sive contra nostrum præfinitivum ad applicationem Omnipotentia: cum scientia nulla Dei cognoscere possit objectum aliter ac est: ut potest inscitia nostra. Contendimus, Deum scire eiusmodi decretum indifferens esse superfluum, & inutile in consortio alterius efficacis, & decretum præfinitivum esse apertissimam pro applicatione Omnipotentia sine iactura libertatis creaturæ: quia sic verum est. Nulla igitur ex divinis scientiis adhibetur ad intentum nostrum disparitatis ratio, quæ questionem ipsam non supponat, & ob-

trudat importunè pro ratione. Plura dabimus ijs similia *disp. seq. agentes de Præfinitionibus.* *Infra disp. 4.*

94 Nunc ex ijs omnibus formo rationem à priori pro nostra doctrina contra novi decreti coniungibiliter indifferents machinamentum. Totum constitutum, quod est tota essentia libertatis creaturæ, salvatur in potestate immediatâ positâ in manu hominis indifferenter ad utrumlibet pro determinatione sua, secluso omni prædeterminante, & inevitabiliter impediente ad alterum: sed totum hoc stat cum decreto applicativo Omnipotentia, quod de facto sit præfinitio consensus, sine novo alio decreto indifferenti aut applicativo Omnipotentia, aut collativo auxiliij, coniungibili cum dissensu: ergo sine eiusmodi novi decreti fulcro applicatâ Omnipotentia, & collatis auxilijs per decretum præfinitivum consensus, stat tota essentia libertatis, ac proinde creatura libertas. Probat minor, in qua lis vertitur. Nam in primis ex præciso defectu illius decreti indifferents, cæteris manentibus, nihil deficit ex prædictis constituti is libertatis: cum nullum decretum Dei sit immediata potestas nostra, nec Dei ad operationes nostras: deinde illo sublato nihil additur; quia decretum præfinitivum iam cum illo erat; & quamvis adderetur, præfinitio essentialiter supponens Scientiam Mediæ, & determinationi libertatis nostræ debitè attemperata, non prædeterminat voluntatem nostram ad consensum quem prædefinit, nec impedit inevitabiliter dissensum cum quo est inconiungibilis, ut latè defendemus & exponemus *disp. seq.* ergo tota essentia libertatis, ac proinde libertas nostra constituta in actu primo, & contenta sub hypothesei veræ, ac genuinæ Scientiæ Mediæ, stat sublato novo illo decreto indifferenti: ac proinde frustra superadditur ad omnino nihil.

95 Dices non stare: quia de constitutivo libertatis in actu primo proximo est applicatio, seu expeditio Omnipotentia, seu Omnipotentia non utcumque, sed ut applicata: hæc autem applicatio nequit esse, nisi decretum illud indifferens coniungibile cum dissensu, dissensus enim nequit esse nisi coniunctus cum potestate proxima dissentendi, ac proinde non nisi cum Omnipotentia ut applicata, atque adeo cum applicatione Omnipotentia.

Con-

96. Contra tamen. Primò: quia si vis ista applicativa stat in eo, quod decretum istud indifferens velit, Omnipotentiam concurrere, si voluntas se determinet; in primis non potest sic esse circa peccatum: quod scilicet nullo modo potest velle Deus, nec inefficaciter, nec conditionatè, ut latè monstravi contra P. Borrull, & alios *disp. 9. de Attributis sect. 10. & 13.* in quo nobis opitulatur R. P. N. G. Thyrsus *tom. 1. disp. 11. sect. 3.* Deinde est ponere decretum ad id, quod ex intrinsecis suis habet iam Omnipotentia, cui utique repugnantissimum est non cooperari, seu concurrere, si creatura se determinat, sicut & quidquam fieri ipsa non concurrere, ut ostendimus ibidem: ideoque diximus huiusmodi applicationem intrinsecam de suo iam competere omnipotentia seorsim, seu præcisim ab omni decreto: ergo ad id muneris omnino superfluum esset decretum. Si verò vis ea applicava stat, ut opinor, in volitione Dei libera efficaci ponendi in manu creaturæ comprincipia immediata ad se determinandum in utrumlibet, cum exclusione prædeterminationis, & impedimenti inevitabilis ad alterum; quocumque Dei decreto id velit Deus, stabit essentia libertatis cum toto suo constitutivo, & dabitur applicatio libera, & absoluta Omnipotentia in actu primo. Cum ergo id multò melius præstet decretum præfinitivum consensus, hoc ipsum decretum si alio ex capite non repugnat, libera est eo ipso applicatio Omnipotentia: quo stante, ad quid, precor, decretum illud aliud indifferens, sive præcedens, sive subsequens ad præfinitionem?

97. Contra secundò: quia, quamvis de constitutivo libertatis in actu primo sit applicatio Omnipotentia, iam adest semper applicatio intrinseca, quæ est ipsa Omnipotentia virtus; extrinseca verò, Deoque libera, quæ per se non est virtus ad operationem, sed preparatio, & expeditio virtutis, quamvis requiratur ad constitutum libertatis, non tamen hæc determinata, sed una vel alia, per unum, aut, hoc non stante, per aliud decretum è multis, quibus potest Deus res aliter, & aliter disponere pro prædominio. & libito suo. Unde, quamvis libertas hæc proxima in actu primo dicat Omnipotentiam applicatam, & ut applicatam; non tamen applicatam per hanc determinatè applica-

tionem Dei liberam; sed per aliquam, per unam scilicet, aut aliud decretum; sicut virtus ignis ut applicata, non dicit essentialiter hanc numero applicationem, seu approximationem determinatè; sed hanc, vel aliam, qua variatâ, eadem esset virtus, & potestas ignis. Ex eo igitur, quod potestas dissentendi sufficiens ad libertatem consensus, dicat Omnipotentiam ut applicatam, non fit, debere esse applicatam per applicationem, quæ sit decretum indifferens coniungibile cum dissensu; sed aut per hoc, aut per aliud collativum virtutis immediatæ dissentendi, expediens voluntatem creatam ab omni prædeterminante ad consensum; & ab omni inevitabiliter impediente dissensum: hoc enim ipso est Omnipotentia liberè à Deo sufficientissimè applicatâ, & præparata absolutissimè in actu primo, suppositâ ipsius applicatione intrinsecâ, & necessariâ, ut diximus *sect. 5. à num. 66.* Quod autem dicitur dissensus esse non posse nisi coniunctus cum potestate proxima dissentendi, atque adeo non nisi coniunctus cum applicatione Omnipotentia, verissimum est: at non cum applicatione extrinsecâ Omnipotentia existente in casu consensus; sed cum alia, quæ per aliud decretum esset in Deo in casu dissensus: quemadmodum non potest esse dissensus nisi coniunctus cum Scientiâ Mediâ cognoscente, quid foret sub hypothesei talis libertatis; at non cum Scientia Mediâ quæ est in casu consensus; sed cum alia, quæ esset in casu dissensus.

#### SECTIO VIII.

*An electio mediorum constitutiva Providentiæ debeat esse efficax; possitque esse præfinitiva actuum liberorum?*

98. PRO dictis, & dicendis observandum est notabile discrimen inter Providentiam, intentionem, electionem, seu volitionem divinam, & humanas. Divina, eo ipso quod sit intrinsecè efficax quoad affectum, est etiam efficax quoad effectum. Decreta namque divina intrinsecè efficacia, cum sint essentialiter infrustrabilia & habeantur à Deo præscientissimè, & omnipotentissimè, non possunt efficaciter velle rem, cuius executio non sit Deo possibilis, & ponenda. Non sic

L 2

Pro-

Providentiâ, decreta, seu volitiones humanæ, quamvis intrinsecè quoad affectû efficaces: quia nec sunt essentialiter infructabiles, nec semper versantur circa res, quarum exequutio sit possibilis pro facultate hominis volentis; imò sæpe volumus affectu vehementer efficaci effectus nobis impossibiles. Unde est, quòd, habitâ notitiâ mediõrum ad finem quem intendimus, possumus efficaciter affectivè velle exequi aliqua media, quæ tamen re ipsâ non exequimur, sive quia non possumus; sive quia desistimus inconstanter à prima volitione efficaci mediõrum. Quo in casu fuit in nobis humana providentiâ cõsistens in nostris actibus intellectûs & voluntatis circa media: deficit tamen providentiâ obiectiva, id est, exequutio passiva exercita. Quod de Deo perfectissimò providente dici nequit, quando decreto, seu electione intrinsecè efficaci quoad affectum semel voluit media. Hoc posito.

99 Circa primam difficultatem respondeo tria. Primum, electionem mediõrum constitutivam divinæ Providentiæ non debere esse efficacem omnium mediõrum, quæ occurrunt. Secundum, debere esse efficacem aliquorum. Tertium, absolute loquendo apud Scholasticos non dici Providentiâ efficacem, quamvis efficaciter eligat aliqua media, nisi re ipsâ finis intentus obtineatur.

100 Patet prima pars: Deus enim plura novit media utilia ad fines, quos intendit: quæ tamen noluit adhibere, providens fini satis per alia media. Sic, ut homines consequantur finem gloriæ quem intendit, omnes volens salvos fieri, consulit, suadet, & præcipit nobis, ut media, actus liberos gloriæ meritorios: qui sæpe non fiunt: quod non sic eveniret, si efficaciter quoad affectum illos vellet Deus.

101 Secunda pars probatur, quæ supponi videtur ab Authoribus. Quia non diceretur absolute providens, nec intendens absolute finem, nec absolute præparans media, qui benè cognoscens multa media utilia ad finem, sibi nullo ferè

negotio exequibilia, nullum quantumvis facillimum vellet ferri, & efficaciter applicare. Hinc est, quòd volens Deus, omnes homines salvos fieri, quamvis non omnibus efficaciter velit finem gloriæ, neque omnibus auxilia omnia; omnibus tamen & singulis vult efficaciter aliqua media vel auxilia, ut expendimus *disp. 9. de Grat. sect. 7. 8. 9. & 10. To. de Gra. disp. 9.* Quòd si velit aliquis non omnino importunè, præparationem mediõrum, quæ respectu nullius mediõrum esset efficax suppositâ præscientiâ ex parte intellectus, sufficere ex parte volutatis ad aliqualem rationem Providentiæ, non multum contendam de voce.

102 Tertia pars spectat ad modum loquendi Theologorum. Quippe non dicimus Providentiâ Dei efficacem absolute, sed secundum quid, nisi quatenus assequitur finem, quamvis efficaciter præparet multa media ad finem inefficacia. Atque hinc est quòd diximus *disp. 1. inter supra disp. 1.* Providentiâs morales supernaturales solum Prædestinativam dici absolute efficacem, quia assequitur re ipsâ finem Gloriæ; reprobativam verò dici è diverso pure sufficientem.

103 Circa secundam difficultatem, cum unum è mediõs ad finem gloriæ, quæ intendit Providentiâ divina moralis supernaturalis, sint actus nostri liberi meritorij, hæc media eligi à Deo intendente prædictum finem, certum est. An verò huiusmodi media possit Deus eligere, velle, seu decernere per decretum efficax præfinitivum talium actuum nostrorum liberiorum, pendet à difficillima controversia: an eiusmodi Præfinitiones stare possint incolumi nostrâ libertate circa tales actus præfinitos; necne: quòd erit negotium gravissimum sequentium disputationum, magnam partem Theologiæ transcédens, & inter Scholasticos hinc & inde perceptibile, si quòd aliud. Ex dicendis ibi constabit, posse id Deum per decretum efficax præfinitivum, prout à nobis defendentur possibile *disp. 6.*

*Infra disp. 6.*

DE


D E  
P R A E F I N I T I O N I B V S  
D I V I N I S.



1 P R A E F I N I T I O divina dicitur in præsentibus apud Theologos decretum intrinsecè efficax, quo statuit Deus fieri à nobis operationem liberam. De eius possibilitate est concertatio gravis, in qua P. Vazquez cum acerrimis Sæctatoribus strenuè defendit Sententiam omnino negantem possibilitatem eiusmodi decretorum, utpote sibi ipsis repugnantium, volendo efficaciter signatè actum liberum, & exercitè tollendo eius libertatem. Pro contrariâ defendente eorum possibilitatem, incolumi creatâ libertate, stant Eximius Suarez, & communis nostri cum Scholis Thomisticâ, & Scotisticâ. Quoniam verò vijs incedunt primò diversis in modo id constituendi, & defendendi, seorsim de varijs Præfinitionum speciebus disputandum est.

D I S P U T A T I O I V.

D E P R A E F I N I T I O N I B V S P R A E D E T E R M I N A T I V I S,  
independentè à præsidio Scientiæ Mediæ.



2 P R A E D E T E R M I N A T I V A defenduntur communiter à Thomistis; contra quos instituitur hæc disputatio: in qua abstrahimus, ut par est, ab impugnatione qualitatis creatæ prædeterminativæ omnium in tempore actuum volutatis creatæ: & solum agimus de decretis increatis Dei ab æterno prædeterminantibus ad illos. Plura omitemus tam ab Autoritate, quàm à ratione, ne in immensum abeamus. Illa reperiens ubertim apud Suarez *tom. 2. de Grat. lib. 5. & per totum ferè Posthumum de vera intellig.* apud Montoyam hic & per plures disputationes de Sciëntia: apud R. P. N. G. Thyrsium *tom. 1. & 4.* & Henricum Scorff in singulari volumine.

SE-

Suarez.  
Montoy.  
Scorff.  
R. P. N. G.  
Thyrsus.  
Aldret.  
Fajol.

## SECTIO I.

*Præfinitiones Prædeterminativæ confutantur ex capite læsæ libertatis humana.*

3 DOctissima Thomistarum Schola tenet communiter, esse possible, & de facto haberi à Deo decreta præfinitiva prædeterminativa cuiuslibet operationis liberæ creatæ. De quibus docent quinque potissima. Primum: eiusmodi Dei decretum æternum inducere in tempore qualitatem physicè nos prædeterminantem ad quamcumque operationem. Secundum: esse intrinsecè efficax, & in-  
frustrabile, essentialiter connexum cum operatione nostrâ sic præfinita, & prædeterminatâ, nempe eum consensu; & æquè essentialiter impossibile cum dissentio. Tertium: esse ita requisitum ad quamlibet operationem nostram, ut implicet omnino, hanc à nobis sine illo poni. Quartum: haberi à Deo in dependenter à Scientiâ Mediâ de consensu nostro, non posse à nobis pro libito, seu determinatione nostra evitari seu impediri; nec pro libito nostro adquiri; seu comparari: quia non volentis, neque currentis; sed misentis est Dei, illud habere, vel non habere. Hæc summa istius doctrinæ. A qua tamen non pauci Thomistæ apertè discesserunt, eam non immeritò rati alienam à S. Thom. Pro quo legendus doctissimus Cisterciensis Petrus a S. Josepho in Apologia S. Thomæ disp. 1. sect. 3. Sed quid clarius testimonio ipsius S. Thom. in 2. dist. 39. quæst. 1. art. 2. attestantis: *Ipsa quidem potentia voluntatis quantum in se est indifferens est ad plura; sed quod determinatè exeat in hunc actum, vel in illum, non est ab alio DETERMINANTE.* Sic Textus verax S. Thom. ab aliquibus corruptus; noviter tamen restitutus in editione Parisien. an. 1659. ex correctione Magistri Ioan. Nicolai doctissimi Dominican. Alij cautiùs deflexerunt, sic emollientes fundamentales Prædeterminatistarum doctrinas, vix iam ut eas nisi voce tenus retineant: de quibus minùs curo, in scopum solidæ doctrinæ Societatis intentus contra decreta re & nomine prædeterminativa.

4 Reijci solent à nostris triplici ex capite: scilicet ex capite læsæ libertatis humanæ; sanctitatis, & æquitatis divinæ. Ex

capite læsæ sanctitatis divinæ agemus specialitè *disp. 6. à sect.* Ex capite læsæ æquitatis divinæ *sect. seq.* In præsentia; ex capite læsæ libertatis humanæ. Quo circa ex definitione Innoc. X. contra Jansenium supponendum inter Catholicos est, ad merendum, & demerendum non sufficere nobis libertatem à coactione, quæ quidem compatitur cum necessitate ad unum actum; sed requiri libertatem à necessitate, quæ cum necessitate potentiæ ad unum actum stare nequit, ut contra Jansenistas evicimus *disp. de Merito sect. ...* Quo dogmate supposito.

5 Reijcitur primò, ut destructivum libertatis à necessitate decretum prædeterminans supra explicatum, à priori ex definitione notissima potentiæ liberæ ad differentiam necessariæ. Ea est: *quæ positis omnibus prærequisitis ad agendum, potest agere, & non agere.* Sed posito eo decreto Dei prærequisito præfinitivo prædeterminante voluntatem nostram ad actum, nempe ad consensum, voluntas non manet potens agere & non agere: ergo non manet in esse potentiæ liberæ; cum maneat necessitata ad agendum; atque adeò sine libertate requisitâ ad merendum, vel demerendum per talem actum, sive consensum. Torquet Prædeterminatistas syllogismus iste. Consequentia namque liquidissima est.

6 Maiorem, quam negant Baiorianse-  
niani, eam potentiæ liberæ definitionem ut inventum Iesuitarum, & Nominalium detrectantes, esse SS. Patribus, & Theologis ex ipso naturæ lumine familiarem, monstrant eruditè Suarez *Poilog. 1. de Suarez. Grat. cap. 3. Montoya disp. 50. de Scient. Montoy. Ripald. tom. 3. disp. 35. sect. 12. & ex ip- Ripald. sis Eminent. de Aguirre tom. 3. disp. 35. Aguir. sect. 3.* Eam non negare, sed reformare conatus est Alvarez: apud quem potentia libera non est nisi, *Facultas voluntatis & rationis ad utrumlibet*: scilicet ad agendum, & non agendum; vel ad unum, aut alterum agendum. Aliter noviores Thomistæ: *Compositio facultatum agendi; & non agendi*: Quia, inquit, notionem liberi arbitrii agnoverunt Calvinus, & Jansenius; qui tamen nostram definitionem detrectant. Hoc tamen vereri debuissent opponere tantæ antiquitatis: est enim in Calvino, & Jansenio quasi agnoscere & fateri in aliquo notionem ho-

hominis, & negare, esse animal rationale. Videant, si fortè ob simile deliramentum detrectanda esset, aut reformanda definitio hominis per animal rationale.

7 Impugnantur manifestè: quia vel istæ definitiones castigatæ recidunt in communem nostræ maioris; vel non sapiunt Doctrinam S. Thomæ; vel à vero prorsus exerrant, ut iam notavit Capreolus in 1. dist. 6. quæst. 1. art. 4. ad arg. Scoti contra 4. conclus. Primò namque certum est, quòd *facultas ad agendum, & non agendum*; seu si mavis, *compositio facultatum agendi, & non agendi*, nihil est aliud nisi facultas, quæ potest agere, & non agere. Certum deinde est, posse agere, seu facultatem ad agendum non stare sine prærequisitis ad agendum. Præterea pervium est in S. Thom. facultatem agendi sitam in definitione potentiæ liberæ, esse potestatem expeditam, seu posse expeditum ad agere: ait enim 1. p. quæst. 83. art. 2. ad 2. *Facultas nominat quandoque potestatem expeditam ad operandum: & sic facultas ponitur in definitione liberi arbitrii.* Non autem stat expedita potestas sine prærequisitis ad operandum. Qui ergo nihil horum negare possunt, dicere coguntur cum definitione communi, potentiam liberam eam esse, quæ positis omnibus prærequisitis ad agendum potest agere, & non agere, nisi discedere velint à vero in Doctrinas Calvini, & Jansenij; & ne, ut contendit Aguirre cit. cæcutire forsitan videamur in luce Sæcti Thomæ. Qui 1. 2. quæst. 1. art. 1. dat rationem: quia libera facultas est qua fit homo suarum operationum dominus: dominium autem est facultas utendi re pro libito, positis prærequisitis ad usum, vel non usum: nam re non uti ex defectu potiùs alicuius prærequisiti, quam electivè pro libito, non esset non uti ex dominio, sed ex defectu dominij. Et 1. p. quæst. 42. art. 2. ait, in agentibus voluntarijs, aliter ac in necessarijs, effectum esse posteriorem principio *propter electionem: sicut enim in agentis voluntarij potestate est eligere formam, &c.* scilicet quia carere formâ, effectum, vel actu non electione agentis, sed ex defectu alicuius prærequisiti, agenti etiam necessario competit, ut quando ignis non comburit ex defectu applicationis. Stat ergo, potentiam liberam eâ esse debere, quæ positis omnibus prærequisitis ad

agendum potest agere & non agere: scilicet pro libito, & ex electione sua. Hæc pro maiori indubitanda.

8 Probatur iam minor primi Syllogismi. Quia, posito cum voluntate nostrâ prædeterminatâ decreto Dei præfinitivo sic prædeterminante prærequisito ad consensum, essentialiter connexo cū dissentio, & impossibilem cū dissentio, voluntas non manet potens dissentire, seu non agere consensum: ergo non manet potens agere, & non agere. Probatur hæc minor: quia non habere tale decretum, sicut & illud habere, non est electivè in manu voluntatis; cum sit solius Dei sic prædeterminantis: illud habere & non consentire, omnino repugnans est, sicut & decretum frustrari: ergo voluntas sic prædeterminata non est electivè & pro libito potens non agere talem consensum, prout opus est ad facultatem potentiæ liberæ. Hoc satis esset ad convincendos animos prorsus pccatos. Quoniam verò insistant Prædeterminatistæ; ut varijs tergiversationibus declinent hanc vim, eos ulterius insectari pro veritate utilissimâ communiendâ, operæ pretium est.

9 Solemnis tergiversatio est per distinctionem *sensûs compositi & divisi*, aliàs utilem; sed suæ defensionis importunissimè applicatam. Dicunt, voluntatem sic prædeterminatam ad agendum non posse non agere, seu dissentire *in sensu composito*; posse tamen *in sensu diviso*: idque sufficere ad libertatem: adduntque hanc distinctionem necessariam quoque nobis esse pro nostris præfinitionibus; imò & pro Scientiâ Mediâ de consensu, qua positâ, & posito auxilio, non possumus dissentire in sensu composito, hoc est coniunctim cum præfinitione; bene verò divisim ab illa.

10 Quod, ut iam monuit Illustrissimus Alvarez, noli sic intelligere, ut voluntas prædeterminata, seu præfinita, possit dissentire *in sensu diviso*, hoc est, dum non habet prædeterminationem; non *in sensu composito*, hoc est, dum est composita, seu coniuncta cum prædeterminatione. Hoc enim esset impugnationi succumbere. Nam esset dicere, posse dissentire, quando non est prædeterminata; non tamen posse, quando est: & fateri quòd prædeterminatio, dum est, tollit à voluntate posse dissentire, ac proinde liber-

Rom. 9.

P. à Sanct. Joseph. S. Thom.

Nicolai.

Infra disp. 6.

Innoc. X.

To. de Gra. disp...

Capreol.

S. Thom.

Iansen.

Suarez.

Montoy.

Ripald.

Aguir.

Alvar.

Alvar.

bertatem; non verò dum non est. Quis autem dixerit, quòd dum non est, tollit libertatem: quòd nec de Visione beatifica auditum est.

Alvar.

11 Sic ergo exponit distinctionem Alvarez, ut voluntas prædeterminata, & dum habet prædeterminationem ad consensum, non possit dissentire in seculo composito, hoc est, componendo dissensum cum prædeterminatione consensus, sicut nec cum ipso consensu; posse verò dissentire in sensu diviso, hoc est, ponendo dissensum divisim à prædeterminatione consensus; cum certe aliter possibilibus non sit. Rem explicant in ipsis consensu, & dissensu: nam apud omnes dum actu consentimus, liberè consentimus: alioquin nunquam liberè consentiremus, cum certum sit, neminem consentire, nisi dum consentit: tuncque possumus dissentire, non quidem componendo dissensum cum consensu, sed ponendo dissensum divisim à consensu; cum aliter ponibilis non sit. Sic etiam dum liberè sedemus, possumus ambulare, non componendo ambulationem simul cum sessione; ad hanc enim simultatem non datur potentia; sed dividendo ambulationem à sessione, aut sessionem ab ambulatione: ad hos enim actus divisim ponendos datur simultas potentia: in qua stat libertas. Et hoc est acumen potentia, quod aiunt, *simultatis, & simultatis potentia*.

12 Caterùm in primis, ne à doctrinis veris subsidium aliquod falsæ doctrinæ parari videatur, exempla illa declaratoria potius quam probatoria consensus, & sessionis, inapplicabilia sunt decreto prædeterminati: hoc enim oppositum dissensui nec ponitur in nobis pro libito nostro, nec est pro libito nostro amovibile; seu evitabile, ipsis sententiis Thomistis: at consensus oppositus dissensui, & sessio libera opposita ambulationi ponitur in nobis pro libito nostro, cuius loco possumus pro libito etiam nostro ponere dissensum, seu ambulationem: ideoque possumus pro libito nos & dissensum dividere à consensu; sicque nobis facere pro libito nostro sensum divisum. Dicant hoc tandem aliquando, si audent, veri Thomistæ, & decretum noviter constitutum erit prædeterminativum, ut aiunt; & non erit prædeterminativum, sed determinativum in sui existentia, vel non existentia à libito creatura.

13 Sensit hanc disparitatem, & difficultatem Doctissimus Godoy, & fatetur Godoy. ingenuè, non omnino parificari exempla apposita consensus, & sessionis ad rem præsentem suæ prædeterminationis. Nam in prædictis exemplis sensus divisus est exclusivus, quatenus à voluntate consentiente potest pro libito poni dissensus, excludendo pro libito consensum, sicque dividendo se, & dissensum à consensu: quia tam dissensus, quam consensus est, aut non est pro libito ipsius voluntatis. At in prædeterminatione non sic, cum ipsa non sit, aut desinat esse pro libito voluntatis nostræ, sed *miserentis Dei* eminenter continentis in suâ libertates nostras: ideoque quoad prædeterminationem sensus divisus non est exclusivus, sed præcisivus, quatenus voluntas prædeterminata ad consensum potest pro libito ponere dissensum, non excludendo pro libito suo prædeterminationem consensus; sed secundum se, & præcisim excludente Deo pro libito suo ac prædominio divino, ac supremo prædeterminationem. Hunc libiti divini liberi recursum missum facere debet Godoy contendens *disp...* salvandam per prædeterminationes divinas libertatem humanam, etiam si Deus ex necessitate naturæ operaretur. Vainam tunc resideret libitum liberum divinum continens supereminenter libitum creatum? Sed quidquid de hoc sit.

14 Produnt se penitus in hac explanatione implicationum plenâ Prædeterminationistæ. In primis enim evanescit paritas & speciositas illorum exemplorum: cum ipsi diffiteri nequeant palmarem disparitatem, cui totum negotium innititur: quasi nimirum perinde foret, prædeterminationem excludi seu evitari posse pro libito Dei, ac pro libito nostro: cum certe id posse pro libito Dei faciat ad libertatem Dei; & pro nostro ad nostram. Deinde nec prædominium divinum supereminens sufficit ad dominium nostrum, sicut nec sanctitas aut beatitudo supereminens Dei ad sanctitatem, aut beatitudinem nostram eminenter in Deo contentam: nec crediderim solatium fore Homini-bus non bene operantibus, quòd in Deo, supereminenter operante bene, contineantur bonæ ipsorum operationes nunquam futuræ; aut damnatis ad inferos, quòd eorum beatitudo nunquam futura

con-

contineatur eminenter in Deo supereminenter beatè. Præterea quisquam, precor, est sensus ille divisus præcisivus? Certè enim voluntas à parte rei, sicut nullum habet reale posse ad dissensum, quòd non sit exclusivum consensus, quocum dissensus incompossibilis est; sic nec quòd non sit exclusivum prædeterminationis consensus, quacum dissensus æquè essentialiter incompossibilis est. Sensus autem ille divisus præcisivus potestatis ad dissensum præcisim à compositione, & exclusione prædeterminationis consensus, est purè per rationem; cum à parte rei ponibilis non sit dissensus, nisi aut cum, aut sine prædeterminatione consensus, ut est exterminis evidens. Vnde potestas ad aliter ponendum dissensum præcisivè, cum solum sit per rationem sic concepta, vel constituta, è re nequit esse ad constituendam hic & nunc libertatem realem, quam tueri debemus adversus Calvinum & alios Hæreticos: tam enim repugnat poni à parte rei consensum præcisim à compositione, & exclusione prædeterminationis consensus, quam compositè cum tali prædeterminatione. His veritatis gratiâ prælibatis.

15 Argumentor ita. Voluntàs per eiusmodi decretum prædeterminata ad consensum non potest pro libito suo dissentire in sensu composito, nec in sensu diviso exclusivo, nec in præcisivo: ergo nullam prorsus retinet libertatem. Primam partem antecedentis concedunt ultro: reliquum probo. Ideo non potest pro libito dissentire in sensu composito, quia non est in voluntate facultas ponendi pro libito dissensum, componendo illum cum eiusmodi decreto prædeterminate ad consensum: sed neque ponendi dissensum, dividendo illum exclusivè ab eiusmodi decreto, nec præcisivè ab illius compositione, & exclusione: ergo nec potest pro libito dissentire in sensu diviso exclusivo, nec præcisivo. Probatur minor quoad priorem partem: ponere pro libito dissensum, dividendo illum exclusivè ab eiusmodi decreto prædeterminate ad consensum, est ponere pro libito dissensum, excludendo eiusmodi decretum: sed non est in voluntate sic prædeterminatâ facultas ponendi pro libito dissensum, excludendo eiusmodi decretum: ergo non est facultas ponendi dissensum in sensu diviso exclu-

sivo. Minor hæc patet: quia sicut non est in voluntate nostrâ facultas ponendi pro libito eiusmodi decretum, sic nec illud excludendi, aut non ponendi; cum solius Dei miserentis sit illud ponere, vel non ponere pro libito suo, antecedenter ad libitum nostrum: ergo non est in voluntate sic prædeterminatâ facultas ponendi pro libito dissensum, excludendo eiusmodi decretum. Probatur eadem prima minor vrgentiùs quoad posteriorem sui partem de sensu diviso præcisivo: quia ponere pro libito dissensum præcisivè à compositione, & exclusione prædeterminationis consensus, esset ponere pro libito dissensum nec cum, nec sine tali prædeterminatione: hoc autem sub nullius libitum cadere potest: ergo non est in voluntate sic prædeterminatâ facultas ponendi pro libito dissensum in sensu diviso præcisivo.

16 Confirmatur. Æquè implicat voluntatem prædeterminatam ad consensum ponere pro libito dissensum, ac prædeterminatam ad consensum non esse prædeterminatam ad consensum: utrumque enim implicat per vos in sensu composito; neutrum in diviso, aut exclusivo, aut præcisivo: ad utrumque stat simultas potentia, ad neutrum potentia simultatis. Atqui, quia implicat, voluntatem esse prædeterminatam ad consensum, & ponere dissensum, non potest sic prædeterminata ponere pro libito dissensum in sensu composito, scilicet illum componendo cum prædeterminatione consensus: ergo ob eandem rationem, neque in sensu diviso exclusivo, nec præcisivo, illum dividendo, aut præcisivè. Probatur hæc consequentia. Ut ponatur dissensus divisim exclusivè à prædeterminatione consensus, debet poni non positâ prædeterminatione consensus: si enim hac positâ ille poneretur, iam fieret sensus compositus: Ut autem ponatur dissensus divisim præcisivè à prædeterminatione consensus, debet poni abstractè à positâ, vel non positâ prædeterminatione consensus: Sed voluntatem prædeterminatam ad consensum ponere pro libito dissensum, non positâ prædeterminatione consensus; aut præcisim à positâ & non positâ prædeterminatione consensus, æquè implicat, ac poni dissensum compositum cum prædeterminatione consensus: sicut ergo in voluntate prædeterminatâ ad consensum non datur po-

M

te-

testas ponendi pro libito dissentum in sensu composito prædeterminationis; sic etiam neque in sensu diviso, sive exclusivo, sive præcisivo. Probatur hæc minor: quia voluntatem prædeterminatam ad consensum ponere pro libito dissentum, non positâ exclusivè prædeterminatione consensûs, dicit talem prædeterminationem esse positam & non esse positam, quod est manifesta contradictio: voluntatem verò prædeterminatam ad consensum ponere pro libito dissentum præcisim à positâ, & non positâ tali prædeterminatione, dicit præcisivè poni dissentum, quin ponatur cum illa, & quin ponatur sine illa: quod est non minus implicans; ideoque sub nulla potestate reali cadere potens, nec constituere libertatem nisi chimericam, aut effectam ad instar idoli Platonici, & certè, quæ sit libertas de solo titulo, & titulus sine re, ut obloquuntur Calvinistæ.

17 Argumentor deinde. Qui non habet facultatem ponendi pro libito consensum, ut essentialiter est, non habet facultatem ponendi pro libito dissentum: & similiter nec pro libito dissentum, qui non habet facultatem ponendi dissentum, ut essentialiter est: nihil enim potest à parte rei poni nisi ut essentialiter est, ut est luce clarius. Atqui voluntas prædeterminata ad consensum, nullam habet facultatem ponendi pro libito suo dissentum, ut essentialiter est: ergo nullam habet facultatem, neque antecedentem, neque consequentem, nec in ullo vero sensu composito, nec diviso, exclusivo, aut præcisivo ponendi dissentum. Hac ratione præoccupantur cuncta Prædeterminatarum effugia. Probatur minor. Quia, quomodo cumque se habeant eiusmodi prædeterminationes, sive antecedenter, sive consequenter, sive comitanter ad nostrum actum secundum, sive extrinsecè, sive intrinsecè, sive ex parte virtutis, sive ex parte concursûs prævij, sicut consensus est essentialiter coniunctus, seu compositus cum prædeterminatione ad consensum propter essentialem eorum connexionem, sic dissentus est essentialiter seiunctus, seu divisus exclusivè à prædeterminatione consensûs propter essentialem eorum repugnantiam coexistendi à parte rei: ergo qui nullam habet facultatem ponendi pro libito à parte rei dissentum seiunctum, &

exclusivè divisum à prædeterminatione consensûs, nullam habet facultatem ponendi pro libito dissentum, neque antecedentem, nec consequentem, nec in nullo sensu, qui non chimericus sit. Sed voluntas per eiusmodi decretum divinum prædeterminata ad consensum, nullam habet facultatem ponendi pro libito suo à parte rei dissentum seiunctum, seu divisum à prædeterminatione consensûs: ergo nec ponendi pro libito suo à parte rei dissentum, ut essentialiter est: cum non sit possibilis à parte rei, nisi seiunctus, & exclusivè divisus à prædeterminatione consensûs. Probatur hæc minor: quia voluntas prædeterminata pro libito Dei ad consensum, non habet in sua manu non esse Dei decreto prædeterminatam ad consensum: prædeterminare enim, seu non prædeterminare, Dei solius sic decernētis est, & non pro libito creaturæ: ergo non habet in sua manu ponere pro libito à parte rei dissentum seiunctum, seu divisum à prædeterminatione consensûs: nam poni pro libito dissentum seiunctum, à tali prædeterminatione, est poni dissentum non stante tali prædeterminatione: ut est ex terminis manifestissimum.

18 Quod si contra vrgentiam istam ausint concedere voluntatem prædeterminatam ad consensum habere in sua manu ponere pro libito suo dissentum seiunctum à prædeterminatione consensûs, est ponere in manu & libito creaturæ, quod in Deo non detur decretum prædeterminativum consensûs: est, rem nobis dare retento ad speciem vocabulo prædeterminationis: est decretum prædeterminans non prædeterminare, imo potius in sui existentia, aut non existentia determinari à libito creaturæ: est facere, quod volentis, & currentis sit prædeterminari, seu non prædeterminari: est fateri necessitatem Scientiæ Mediæ, ut Deus antecedenter & independentè à tali decreto præciat, an voluntas consensura sit, necne: est potius corrigere, quam tueri, aut lenire sententiam decretorum prædeterminantium: est que acrioribus se difficultatibus implicare.

19 Quod si refugiant, id nobis aperte concedere, urgentur sic. Voluntas posita pro libito Dei cum decreto prædeterminante ad consensum, habet in aliquo vero sensu aliquam veram potestatem dissentendi; alioquin actum esset penitus de liber-

libertate: ergo habet in aliquo vero sensu veram aliquam potestatem ponendi pro libito dissentum, ut est ponibilis à parte rei. Consequentia hæc est innegabilis, & intergiverabilis: ergo habet in aliquo vero sensu veram aliquam potestatem ponendi pro libito dissentum sive cum, sive sine decreto prædeterminante ad consensum: non enim ponibilis est à parte rei dissentus; nisi aut cum, aut sine tali decreto, ut evincitur ex principio metaphysico: *quodlibet est, vel non est*. Atqui nulla potest esse vera potestas in voluntate creatâ ad ponendum pro libito dissentum cum decreto prædeterminante consensum: quia hoc ipsum esset frustrari pro libito voluntatis creatæ divinum decretum intrinsecè efficax, & essentialiter infrustrabile: Deinde neque ad ponendum pro libito dissentum sine tali decreto: quia hoc ipsum esset non existere seu evitari pro libito creaturæ divini decreti pro solius Dei libito exiltens, aut non existens, & æquè essentialiter pro libito creaturæ inevitabile, ac infrustrabile. In nullo igitur vero sensu relinquatur in voluntate sic præfinitâ & prædeterminatâ, ulla vera potestas ponendi pro libito suo dissentum à parte rei, nisi dicatur eadem illa potestas evitativa pro libito suo talis decreti, & tale decretum evitabile pro libito voluntatis: quod si nobis conceditur, iam decretum non est prædeterminans, sed potius determinatum in sui existentia, vel non existentia à libito creaturæ: & actum erit re ipsa de Thomisticis prædeterminationibus.

20 Argumentor rursus paulò aliter. Nullus antecedenter necessitatus ad non dissentendum est liber ad dissentendum; libertate scilicet à necessitate; qualem ad merendum & demerendum tueri debemus post Innocentianam contra Jansenium, ut adstruximus *disp. 25. de Grat. sect. 2. 3. & 4.* Sed voluntas præfinita, & prædeterminata ad consensum, est antecedenter necessitata ad non dissentendum: ergo non libera à necessitate ad dissentendum, prout opus est ad meritum, seu demeritum. Syllogismus est in serio. Maior certa ex Innocentiana. Minor ostenditur: omnis antecedenter necessitatus ad habendum impedimentum essentialis sui dissentus, est eo ipso necessitatus ad non dissentendum: sed voluntas sic præfinita, & prædeterminata ad con-

sensum, est, antecedenter necessitata ad habendum impedimentum essentialis sui dissentus: ergo est antecedenter necessitata ad non dissentendum. Syllogismus est in darij: ac proinde consequentia legitima.

21 Maior patet ab inductione evidentissima. Sic enim necessitatus antecedenter ad habendam Gratiam inconiungibilem cum peccato esset eo ipso antecedenter necessitatus ad non habendum pro eo instanti peccatum. Necessitatus antecedenter ad esse circumscriptivè præsentem Romæ, esset eo ipso, iuxta Thomistas, quibus repugnat circumscriptiva corporis bilocatio, antecedenter necessitatus ad non esse præsentem Matriti: quia nempe Gratia est impedimentum essentialis peccati, & præsentia Romana, iuxta ipsos, præsentia Matritensis. Et hoc quidem, sive impedimentum essentialis se teneat ex parte virtutis, sive ex parte concursûs, sive ex parte termini. Similiter enim antecedenter necessitatus ad habendum consensum, esset antecedenter necessitatus ad non habendum dissentum: & antecedenter necessitatus ad productionem sui consensûs, in quocumque illa consistat, esset eo ipso antecedenter necessitatus ad non dissentendum: quamvis productio non se teneat ex parte virtutis, & consensus se teneat ex parte termini: & sic de alijs innumeris. Ergo universalissimè verum est, quod omnis antecedenter necessitatus ad habendum impedimentum essentialis sui dissentus, est antecedenter necessitatus ad non dissentendum: & innegabilis maior Syllogismi.

22 Minor autem ostenditur. Decretum prædeterminativè præficiens consensum est impedimentum essentialis dissentus: tale nimirum, quocumque dissentus componi omnino repugnat, sicut & tale Dei decretum frustrari. Sed voluntas sic præfinita, & prædeterminata ad consensum, est antecedenter necessitata pro libito Dei ad habendum eiusmodi decretum: nam habet illud non pro libito suo, sed ineluctabiliter, & antecedenter ad libitum, & ad omne exercitium liberum suum, cum sit solius Dei sic præviè determinantis ante determinationem voluntatis creatæ: hæc igitur est antecedenter à Deo necessitata ad habendum impedimentum essentialis sui dissentus. Hæc erat

minor. Cōsequētiās scrūtentur ad amū-  
fīm dialecticā Prædeterminatistę : ier-  
rum, atque iterum urgēdi in sequenti-  
bus.

23. Vana est, & omnino petitoria  
principij vulgaris evasio, quod ijs non  
obstantibus decretum Dei prædetermi-  
nans factam tectamque servat libertatem  
nostram, quia illam causat, quatenus vult  
& prædeterminat modum etiam liberta-  
tis, scilicet ut consensus fiat liberè, ma-  
neatque libertas ad dissentium. Profectò  
argumentationes nostrę evincūt, eiusmodi  
Dei decreta prædeterminantia non sta-  
re cū essentia nostrę libertatis : ac proin-  
de prorsus repugnare, Deum per decre-  
tum reipsa tollens libertatem velle serva-  
ri libertatem. Responsum prius expecta-  
mus ad argumenta, probantia tolli eo ip-  
so de medio libertatem, ut postea dici va-  
leat, per eiusmodi decreta posse Deū velle  
causari & servari libertatem. Certe enim  
qui probat per ea tolli libertatem, ea-  
dem ratione probat, Deum non posse vel-  
le, per ea salvari libertatem. Est ac si de-  
creto aliquo destruente animam à parte  
rei, vellet Deus causari servarique homi-  
nem : aut quasi per decretum prædetermi-  
nans cōsensum vellet Deus efficaciter fie-  
ri cōsensum sine prædeterminatione, aut  
sine volitione Dei. Apage. Huius generis  
sunt alię, quę circumferuntur, responsio-  
nes. Illi dumtaxat audiendi, qui prædeter-  
minationes pro libito nostro ineluctabi-  
les, & inevitabiles repudiando, eas pro  
libito nostrę volūtatis evitabiles adstrue-  
re conantur. Verum isti à castris Præde-  
terminatarum discedunt, prædetermi-  
nationes vocant, quę prædeterminationes  
non sunt, & ad præsidium Scientiæ Me-  
dię confugiant. necesse est, aliās in vanum  
laboraturi, ut constabit ex dicendis pro  
nostra sententia sect. :.

## SECTIO II.

*Argentiùs ex capite lasa æquitatis divina.*

24. **I**Niquum enim esset, & irrationabi-  
le, ideoque summę æquitati re-  
pugnantissimum, obligari quemquam sub  
interminatione æternę pœnæ ad opera-  
tionem sibi impossibilem, ut contra Cal-  
vinum sanxit Trid. Sess. 6. cap. 11. Can.  
18. & denuò contra Janfēnum, & alios

Trid.

definerunt Pontifices subsequenti, prout  
adstruximus disp. 12. de Grat. sect. 1. &  
5. Sed præficiente Deo prædeterminativè,  
& indispensabiliter requisitivè actus vo-  
luntatis creatę, obligaretur homo à Deo  
ad operationes sibi impossibiles : ergo  
iniquè, & irrationabiliter contra sum-  
mam æquitatem Dei. Probatur minor.  
Nam homo, non præficiente Deo præde-  
terminativè observationem præcepti sui,  
obligaretur ad observationem : sed hæc  
esset impossibilis homini sic prædetermi-  
nativè impræfinito : ergo obligaretur ad  
operationem sibi impossibilem : & qui-  
dem sub peccato mortali, & pœnâ æter-  
nâ. Consequentia hæc liquida est.

25. Maior patet : certum enim est  
quod multi non observant præcepta, qui  
obligantur ad observationem : alioquin  
nullus non observans peccaret, siquidem  
non obligaretur ad observationem. At  
æquè certum est quod ad nullum, qui non  
observat, est in Deo decretum prædeter-  
minativum, ut observet : decretum enim  
prædeterminativum de observatione im-  
plicat esse sine observatione. Quo certa  
manet illa maior, quod homo, non præfi-  
ciente Deo prædeterminativè observatio-  
nem præcepti sui, obligaretur ad observa-  
tionem.

26. Minor verò probatur. Homini sic  
prædeterminativè impræfinito impossibi-  
lis est observatio præcepti, tam in sensu  
diviso, quàm in sensu composito : ei ergo  
omnino impossibilis esset observatio præ-  
cepti. Antecedens quoad sensum compo-  
situm est indubitabile : cum essentialiter  
ex terminis implicet, observationem com-  
poni cum impræfinitione prædetermina-  
tiva ad ipsam : non minus quàm cum præ-  
determinatione sibi oppositâ ; nec minus  
quàm esse sine decreto prædeterminante  
ad ipsam, ut ex terminis Prædetermina-  
tarum notissimum est. Quoad sensum  
verò divinum probatur : quia, quamvis  
Deo libere sic præficienti, vel impræfi-  
cienti, sicque prædeterminanti, vel im-  
prædeterminanti possibile sit dividere pro  
suo libito voluntatem creatam ab impræ-  
finitione, vel imprædeterminatione ad ob-  
servationem ; cum Dei sit sic imprædeter-  
minare, ac impræfinito ; sicut sic præde-  
terminare, ac præfinito : at homini nec  
imprædeterminari, aut impræfinito, sicut  
nec prædeterminari, aut præfinito possi-  
bile

bile non est pro suo libito, cum non sit  
volentis, neque currentis : ergo in sensu  
etiam diviso impossibilis est homini sic  
à Deo impræfinito, ac imprædetermina-  
to observatio præcepti : Qua ergo iuris  
æquitate obligaretur ad observationem?

27. Vnde sic urgeo. Aut obligaretur  
ad observationem conditionatè, si nempe  
non esset imprædeterminatus ad illam ;  
aut absolutè pro casu etiam quo nõ esset  
imprædeterminatus ad illam ; aut absolu-  
te etiam ad observationem & ad non im-  
prædeterminationem ad ipsam ; aut nullo  
modo obligaretur ad observationem. Si  
nullo modo, nullus peccat, quia nemo pec-  
cat non observando, nisi obligatus ad ob-  
servandum. Si primo modo, nullus etiam,  
qui reipsa non observat, peccat ; quia om-  
nis, qui non observat, est imprædetermi-  
natus ad observandum : obligatio autem  
solum esset conditionalis, observandi, scilicet  
si, & casu quo non esset impræde-  
terminatus ad observandum. Si secundo  
modo, obligaretur ad id quod implicat,  
& præciperet Deus impossibilia contra  
sanctiones Conciliorum, & Pontificum :  
implicat enim observatio pro casu etiam,  
quo sit homo imprædeterminatus ad ob-  
servationem : nam esset componere ob-  
servationem cum imprædeterminatione  
ad observationem. Si tertio modo, esset  
obligare ad observationem & ad non esse  
imprædeterminatum ad ipsam, ac proin-  
de ad esse prædeterminatum ad ipsam :  
quod similiter est homini impossibile pro  
libito suo : scilicet sic prædeterminari, aut  
imprædeterminari, præfinito, aut impræfi-  
nito, non sit in manu hominis volentis &  
currentis, sed solius Dei misericordis. In  
quo igitur peccaret homo, aut quare puni-  
retur : an quia non esset prædeterminatus  
seu non imprædeterminatus ad observa-  
tionem divini præcepti ? At hoc solius est  
Dei sit, aut sic pro libito suo prædetermi-  
nativè decernentis. An quia stante impræ-  
determinatione & impræfinitione ad ob-  
servationem non observavit ? At hoc nec  
Dei, nec hominis est ; quia stare impræ-  
determinationem ad observationem, sic-  
que poni observationem prorsus repug-  
nat.

28. Huic soliditati innotuit alię ar-  
gumentationes pro demonstratione veri-  
tatis. Præcipua est, quod sic impræfinito,  
& imprædeterminatus ad cōsensum

repugnantem à parte rei sine consortio  
præfinitionis prædeterminativę non ha-  
beret veram sufficientiam ad cōsensum :  
sed de hoc *num. seq.* Aliam ponit ob ocu-  
los hic Syllogismus in serio de singulari  
reipsa imprædeterminato : *Nullus impræ-  
finitus prædeterminativè ad cōsensum con-  
sentit. Sed Petrus est impræfinitus præde-  
terminativè ad cōsensum : ergo non consentit.*  
Profectò aut principia dialectica ritè syl-  
logizandi vana sunt, aut hæc consequen-  
tia nequit esse falsa, nisi falsificetur aliqua  
ex præmissis, cum stare nequeat falsitas  
consequentię cum veritate præmissarum,  
ut est evidentissimum. Ergo nullus potest  
falsificare consequentiam, quin possit falsi-  
ficare aliquam ex præmissis : si enim falsi-  
ficatio consequentię esset falsificatio ali-  
cuius præmissę, posse falsificare consequen-  
tiam, esset posse falsificare consequentiã, &  
esset posse falsificare aliquam ex præmis-  
sis. Vel ergo potest hic Petrus falsificare  
pro libito suo illam consequentiam ; vel  
non potest. Si in aliquo sensu sive com-  
posito, sive diviso potest pro libito suo falsifi-  
care aliquam ex præmissis ; atque adeo fa-  
cere aut quod falsum sit, nullum impræ-  
determinatum ad cōsensum consentire :  
quod omnino implicans est, & Deo ip-  
si impossibile ; aut quod falsum sit, Petrum  
esse imprædeterminatum : quod tamen, si-  
cut nec prædeterminari, non est in manu  
seu in libito Petri. Si verò dicatur secun-  
dum, scilicet nullo modo posse Petrum  
falsificare illam consequentiam : ergo nul-  
lo modo potest non consentire : nam sicut,  
Petrum imprædeterminatum consentire,  
esset falsificare illam consequentiam, sic  
posse consentire esset posse illam falsifica-  
re. Si ergo nullo modo id potest, quomo-  
do imprædeterminatus ad cōsensum li-  
berè non consentit ? Quomodo imputabi-  
liter, & peccaminosè ? Sicque qua iuris  
æquitate obligaretur ad consentiendum,  
& puniretur, quia non consentit ?

29. Atque hęc ingravescit ratio se-  
quelę formidandę de insufficientia pote-  
statis imprædeterminati, ad observatio-  
nem divinarum præceptorum. Impræde-  
terminatus enim ad observationem urge-  
tis præcepti non habet quidquid ex parte  
Dei simpliciter requiritur ad observatio-  
nem, nec est in eius manu illud habere ;  
ergo non habet sufficientiam ex parte  
Dei



Dei ad observationem: ac proinde, ut non peccet, non observando. Dicere autem, peccare hominem sine sufficientia ad non peccandum, & quin sit in eius manu illam habere, perinde videtur esse, ac dicere quod aliqua Dei præcepta hominibus iustis, volentibus, & conantibus secundum præsentis quas habent vires impossibilia sunt: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant: quæ est prima æquinque propositionibus damnatis ab Inoc. X. contra Jansenium. Nec est iam recursus ad effugium, quod aliquibus factum fuerat pervium, ad sufficientiam, potestatem, seu libertatem, quam omnes habuimus in Adamo. Hanc enim viam præcluserit Alexander VIII. damnans huiusmodi propositionem contra novos Jansenistas: *In statu nature lapsæ ad peccatum mortale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.*

Innoc. X.  
Alexand. VII.

30 Antecedens nostrum convincitur ex doctrinis fundamentalibus Prædeterminatarum. Dicunt enim decretum prædeterminativum se tenere ex parte Dei miserentis, & non pro libito hominis volentis, & currentis; esse simpliciter requisitum ad observationem, taliter ut prorsus implicet dari observationem, illo non dato; & negare non possunt, illo carere hominem imprædeterminatum: ita ut non sit in eius manu illud habere: ergo imprædeterminatus ad observationem urgentis præcepti non habet quidquid ex parte Dei simpliciter requiritur ad observationem, nec est in eius manu illud habere: quod erat antecedens nostrum.

31 Consequentia verò probatur: quia non habet sufficientiam ex parte Dei ad observationem homo, cui ad observationem deest aliquid necessariò simpliciter prærequisitum ad observationem, quod nec à Deo habet, nec in sua manu est illud habere: sed imprædeterminatus à Deo, ad observationem talis est, cui deest aliquid simpliciter prærequisitum ad observationem, quod nec à Deo habet, nec in manu sua est illud habere; ergo non habet sufficientiam ex parte Dei ad observationem. Consequentia hæc bona est; sed vera esse non potest, ipsa dicente Veritate Eccl. 15. *Non dixeris: per Deum abest: & Deuteron. 30. Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi*

Eccl. 15.  
Deuteron.  
30.

hodie, non supra te est, neque procul positum. Nec aliud vellent Baiani, & Janseniani ad suos firmandos errores. Ex præmissis autem minor est indubitata; cum certum sit, imprædeterminatum carere prædeterminatione; & apud germaniores Prædeterminatistas statuatur, non esse in manu hominis volentis, & currentis, illam pro libito suo habere; sed in manu solius Dei miserentis pro divino suo libito.

32 Ostenditur autem maior ex suis ipsius terminis. Nam imprædeterminato ad consensum non solum deest consensus, qui actus suus est; verum etiam decretum prædeterminativum ad consensum, quod solius Dei actus est; hoc autem ex parte Dei deficiente, reliqua omnia taliter insufficientia sunt ad ponendum consensum, siue observationem præcepti, ut omnino repugnet cum illis solis poni consensum, haud secus ac poni consensum sine aliquo simpliciter requisitum ad positionem consensu: ergo non habet sufficientiam ex parte Dei ad consensum, nisi forte coniunctam cum essentialissima insufficientia ad eundem consensum, siue ad observationem præcepti. Quod si hoc velint quoquo modo vocare sufficientiam, sufficientia certè insufficientissima est, ut æquè ac iustè posset Deus hominem obiurgare quod non observet præceptum: excusatio enim esset in promptu: quod non habet, nec in manu est habere quidquid simpliciter necessarium est ad observationem.

### SECTIO III.

*Insufficiens pro hac sufficientia Prædeterminatarum responsio.*

33 **R**esponsio vulgatissima est, æquè, iustèque eiusmodi hominè obligari, & obiurgari: quia cum decretum prædeterminativum non pertineat ad posse, sine illo datur in homine quod sufficit ad verum posse liberum, constitutum per iudicium suum indifferens, & per alia tenentia se ex parte potentia, & actus primi. Atque adeo, quando non observat præceptum, habet sufficientiam ut possit observare: sicque peccat, iustèque reprehensibilis est: quia, ut inquit, *potest, tenetur, & non facit.* Hæc tamen evasio, evolutis terminis, disturbatur facile.

34 Unum fatemur, quod scilicet non facit

facit. Quod autem possit, & teneatur, impugnamus. Et in primis quidem quod non teneretur, ostendimus. Quia si decretum prædeterminativum essentialiter prærequisitum ad observationem se teneat ex parte potentia, aut actus primi, siue undecumque se teneat, quod ad vim nostræ argumentationis pro nihilo est; vel teneretur homo ille, ponere observationem suam, simulque decretum divinum prædeterminativum: & hoc non; quia positione talis decreti divini non habet homo in manu consilij sui; cum non sit volentis, neque currentis: vel teneretur ponere observationem suam seorsim à tali decreto divino: & hoc est omnibus impossibile, cum observatio & decretum sint essentialissimè connexa, nec dabilis sit observatio seiuncta à decreto, nec decretum seiunctum ab observatione: vel teneretur ponere observationem præcisim à positione, & non positione talis decreti; & neque hoc intelligibile est; cum nec observatio, nec vlla res alia poni possit à parte rei quin tale decretum ponatur, vel non ponatur: vel teneretur ponere observationem, si Deus ponat tale decretum: & hoc esset absolute non teneri pro casu præsentis quo Deus, ut supponimus, non ponit tale decretum. Quomodo igitur, aut ad quid teneretur ille miser?

35 Deinde probamus, quod non possit. Et ne terminis inutilibus distrahatur ad inania, sermo nobis fixus esse debet de posse, seu de potestate, vel potentia facultativa, qualis requiritur abs dubio, ut imputabile, & culpabile sit non facere. Potestas enim progressiva remanens in homine ligato pro libito suo non expeditibili, & potentia visiva remanens in homine carente luce pro libito suo non adquirebili, undecumque se teneant ligamen & obscuritas, siue pertinenter, siue impertinenter ad actum primum, siue pro quolibet priori, seu posteriori, in quo multi frustra laborant, aliqualis quidem potentia est, qua profecto carent truncus, & cæcus. At certè non est potestas facultativa ambulandi, seu videndi, qualis abs dubio requiritur ad liberè non ambulandum, seu ad liberè non videndum: & quoad imputabilitatem moralem non ambulandi, seu non videndi, æquè excusans à culpa taliter ligatum non ambulans, seu taliter obscurum non videntem, ac excusa-

rentur truncus, & cæcus, ut est perse certum, & evidens. Igitur quodcumque sit illud posse hominis imprædeterminati ad observationem, quod sibi miris modis prætexere molitur responsio, non est posse facultativum sufficiens ad imputabilitatem non observationis: in imprædeterminato carente decreto Dei prædeterminativo, non minus requisito ad observationem, quam lux ad videndum, & expeditio pedum ad ambulandum, & inacquiritibili pro facultate & libito imprædeterminati: de quo posse facultativo debet esse sermo: & cætera non sunt è re.

36 Præterea. Aliud est, & quidem distinctissimum, posse observare, & actu observare; cum multi possint, & non observent. Similiterque non est idem, habere quod sufficit ad posse observare, & habere quod sufficit ad actu observare præceptum. Deus autem quid præcipit homini illi? Non quidem solum, ut possit observare: alioquin omnes potentes implerent præceptum, quod evidenter est falsum: sed potius ut actu observet. Si ergo carens decreto Dei prædeterminativo essentialiter prærequisito ad actu observandum, non pro hominis, sed pro Dei libito ponibili, non habet sufficientiam ad actu observare, quamvis quoquo modo habeat ad posse: non ergo habet ex parte Dei sufficientiam ad id quod Deus præcipit; non enim homini imprædeterminato præcipit posse, sed actu agere. Quomodo ergo non præcipit, quæ homini sunt facultativè impossibilia?

37 Enascitur hinc acris alia difficultas. Imprædeterminatum enim Deus pro suo libito vult non prædeterminare; cum, ut aiunt, Deum habere, vel non habere decretum prædeterminativum, solius Dei sit & non hominis volentis & currentis. Unde consecrarium liquidissimum est, quod Deus serio, & gravissimè, ac severissimè præcipiens homini imprædeterminato actualem observationem præcepti, habeat voluntatem seriam quantum est ex se actualis observationis; alioquin ludicrus, Deoque indignus esset modus præcipiendi: simulque voluntatem seriam & intrinsecè efficacem non prædeterminandi ad talem observationem actualem. Est autem prorsus inintelligibile, Deum simul serio præcipere, & velle quantum est ex se, quod homo actu ponat observationem, simul-

mulque velle efficaciter non habere decretum prædeterminativum ex parte ipsius Dei requisitissimum, sine quo observationem actu poni omnino implicat. Quis enim superior, nisi per summam stultitiam, præciperet serio sub gravi poena recitationem subdito, non habenti librum, nec lucem necessario requisitam ad legendum, nec habitilem nisi pro libito, & facultate eiusdem superioris, simul habens apud se voluntatem efficacem negandi lucem, & librum? Qui possit capere, capiat.

38 Concutiunt hæc argumenta severiores Prædeterminatistas: qui variè tentant extricare se. Dicunt, iuste à Deo præcipi actualem observationem; iustèque teneri hominem eiusmodi illam actu ponere; & habere sufficientem ad id potestatem facultativam: quia, quamvis ad id non habeat à Deo prædeterminationem, hanc tamen Deus offert, habetque præparatam: homo verò non observans præceptum, ponit ex se impedimentum tali decreto divino prædeterminativo, & liberè caret illo, ideoque imputatur homini non observatio. Quemadmodum, inquit Alvarez *disp. 18. de Auxil.* homo, cui præciperetur volatus, ad quem ipsi offerrentur alas, iustè obligaretur, essetque reus, si non volaret, nec acceptaret alas.

39 Benè. Huiusmodi tamen responsio, & alia similes, aut insufficientes omnino sunt, aut decantatissimam Scholæ suæ doctrinam eiurare aggrediuntur. Dicant nobis, Deus non habens decretum prædeterminans de tali hominis observatione præcepta, offerens tamen, habensque paratum illud homini, quid expectat, ut illud habeat. Enimverò, aut expectat aliquid ex parte Dei; aut aliquid ex parte hominis. Si ex parte Dei nolentis in eo casu illud habere: ergo per Deum abest, quòd non adsit prædeterminatio sua homini imprædeterminato; ac proinde quòd homo non observet, utpote non habens sufficientiam ex parte Dei ad actualem observationem, essentialiter repugnantem actu poni, non habitam prædeterminatione divinam: sicque redit tota vis argumenti; & oraculum illud divinum: *Ne dixeris; per Deum abest*: redditur, ne peius aliquid dicam, non satis constans. Quomodo namque non abesset per Deum, si abest ex parte Dei divinum decretum prædetermina-

tivum, quòd solius Dei est, cuius absentia est essentialissimè connexa cum absentia observationis humanæ? Sic nec abesset per Prælatum, quòd subditus non legat, quamvis illi, retinenti quoquo modo suam potentiam visivam, denegat pro libito suo librum, aut lucem, cuius denegatio connexa esset cum omissione lectionis. Et quid iniquius, & insanius, quam si sic præciperet districtissimè lectionem? Porro non minus necessarium asseritur à Prædeterminatistis decretum Dei prædeterminans ad actualem observationem, qualibet supposita alia potentia, & indifferentia iudicij rationis; quam sit liber, aut lux ad actualem lectionem, qualibet alioquin supposita in homine non cæco potentia visiva.

40 Si verò dicant, quòd expectat aliquid ex parte hominis: redit pressura, constituti ad hominis libitum, haberi, seu non haberi à Deo tale decretum, contra fundamentalia Prædeterminatistarum principia, & contra decreti prædeterminantis essentialitatem; iam enim eo ipso non esset prædeterminans; imò potius determinationis voluntatis imprædeterminatæ attèperatum. Deinde: vel expectatur ex parte hominis, quòd homo sibi efficiat eiusmodi decretum: at hoc dici nequit; cum sit actus increatus Dei, à se volentis. Vel quòd se disponat ad illud sibi in Deo habendum: hoc, aut intelligi volunt de dispositione, quæ sit ipsa observatio, seu consensus ipse; ad quæ paratum est, & non habetur decretum prædeterminans: & hoc audiri nequiquam potest. Præterquam enim quòd est, clariùs reducere ad libitum & determinationem hominis volentis & currentis existentiam decreti prædeterminativi, sic potius nõ prædeterminativi; est certè, Deum, ut habeat decretum prædeterminans prævium ad consensum, exigere ab homine quòd se ad illud disponat per consensum: quòd æquè mirandum est, ac si homini indigenti calamo, & luce à me pro meo libito dandis ad scribendum, offeram calamum, & lucem, expectans tamen ad id dandum, quòd ipse scribat. Gregè!

41 Vel tandem ad habendum decretum, quòd offert ad actualem observationem, expectat Deus, quòd homo se ad illud disponat per actus alios anteriores? Hoc autem, præterquam quòd recidit in eiurationem Prædeterminatistam, redu-

cendo ad libitum, & determinationem creaturæ, haberi, vel non haberi à Deo decretum prædeterminans; valere non potest, devoluto argumento nostro ad primum actum usus rationis, quem nullus alius antecedit, qui hominem disponat ad ipsius prædeterminationem. Quidquòd idem fiet argumentum cum eadem vi de quocumque actu dispositivo, cum ad quemcumque prærequisitissimum sit decretum prædeterminativum.

Suarez.

42 Refugiunt ad dispositionem negativam ex parte hominis: quam tamen exagitat dignè P. Suarez. *cap. 18. de Ver. Intell.* quali se satis disponat homo non peccans; sicque non impediens, aut non demerens, haberi à Deo decretum prædeterminans ad actualem observationem, quam præcipit. Contra est tamen manifestissimè. Sæpè namque magnos peccatores prædeterminat Deus, ut præceptum aliquod observent; quin minus peccatores, imò & quin aliquos iustos ad id prædeterminet. Præterea ponamus duos homines, aut, ne ad peccatum originale diffugiatur, duos angelos in primo instanti usus rationis, cum obligatione observandi præceptum divinum. Vnus prædeterminatur à Deo, & actu observat; alter nec observat, nec prædeterminatur: dispositionem anteriorem positivam neuter habet; quia neuter egit antea liberè; cum primus actus liber præcipiatur; negativam autem uterque, quia neuter antea peccavit. Quid ergo in uno præ altero ex parte ipsorum expectasset Deus, ut unum præ altero prædeterminaret ad actualem observationem? Et exhiberet decretum suum prædeterminans, quòd utriusque ex parte sua paraverat? Aut qua æquitate obligaret, & puniret extremè non observantem destitutum divina prædeterminatione prærequisitissimam ex parte Dei ad actualem observationem, quæ ipsi præcipitur?

43 Præterea, Deus offerens, & paratum habens, decretum prædeterminativum homini imprædeterminato, non tamen illud reipsa habens, aut dans; daturus verò si homo se quoquo modo præviè disponeret; vel illud certo daret propter connexionem intrinsecam talis dispositionis cum habitatione talis decreti, vel propter extrinsecam alicuius voluntatis divinæ per modum legis, aut promissionis certò alligantis Decretum illud divi-

num tali humanæ dispositioni? Non primum: quia non est essentialè, nec intrinsecum humanæ dispositioni secundum se coniungi cum decreto prædeterminantè ad ulteriora: cum posset absolutissimè Deus pro suo prædominio hominem sic præviè dispositum non ultra prædeterminare, imò & statim destruere. Non secundum: quia debet ab huiusmodi Prædeterminatistis assignari, ubi, aut unde constet talis Dei lex, sive promissio: quinimo supponunt oppositum, cum Dei misericordis sit, & non hominis volentis, aut currentis, è duobus sic æquè dispositis, unum à Deo prædeterminari ad ulteriora; & alterum non. Igitur ex recurfu ad præfatas dispositiones ex parte hominis, non satis defenditur sufficientia imprædeterminati ad id quòd Deus præcipit, offerens, & paratam habens, non tamen reipsa exhibens ex parte sui prædeterminationem necessariam simpliciter ad actualem observationem: ut rectè tetigit P. Suarez. *lib. 5. de Grat. cap. 15. & Posth. de Ver. Intell. cap. 18.*

Suarez.

44 Exemplum num. 27. allatum de alis vim argumenti nostri potius manifestat, quam infringit. Pone præceptum volandi: pone alas à Deo oblatas, & paratas ex parte sua; sed non exhibitas: ideoque pone hominem sine alis. Et dic nobis: quid expectet Deus reipsa ut det alas? An, quòd homo volet? Ridendum, sicut quòd de calamo dicebamus num. 39. An, quòd homo petat, eligat, aut non respuat alas? Sed rogo: an ad id ipsum, nempe ad petendas, eligendas, aut liberè non respueudas alas, sint alæ æquè requisitæ, ac ad volandum? Si sic, æquè ridendum esset, ad exhibendas alas expectare illarum petitionem, aut electionem, ac volatum. Si non; en exempli tui disparitatem, & inanitatem. Nam apud Prædeterminatistas æquè necessarium est decretum Dei prædeterminativum ad actu petendam, seu ad liberè non respueendam prædeterminationem, ac ad actualem observationem præcepti.

45 Modò sic. Vt homo actu volet, non sufficit quòd Deus offerat alas, & prædeterminationem ad actu volandum, sed requiritur indispensabiliter quòd det utrumque: nam ad actu volandum utroque opus est. Quòd si alæ essent tam necessariæ ad actum illas petendi, eligendi,

N

sive

## SECTIO IV.

*Alteræ responsio, aut sibi, aut suis fundamentis aperte contradicens.*

47 **H**IS instantiis urgentius adacti Prædeterminatiſtæ, respondere aggrediuntur, ex parte hominis imprædeterminati se tenere, quod prædeterminatus decreto Dei non sit. Quod noli, si sapias, sic intelligere, ut velint dumtaxat dicere, id se tenere ex parte hominis terminativè, quatenus nempe decretum Dei ad ipsos terminatur. Hoc enim, non est tenere se id ex parte hominis facultativè, & pro hominum libito. Quemadmodum quod mea visio pro libito meo terminetur ad parietem, non est tenere se Visionem ex parte parietis facultativè seu pro libito parietis, sed pro libito meo, quando liberè video parietem habens facultatem videndi, seu non videndi parietem: non certè pro libito, & electione parietis, sed pro mero meo libito, & facultativa electione. Nihilominus audivi aliquos in ijs pressuris sic respondentes. A quibus non abit satis longè responsio Illustrissimi Godoy, quam attigimus, & explosimus *sect. 1. à num. 13.* quasi perinde reputans eiusmodi decreta poni, aut evitari posse pro libito Dei, liberè prædeterminantis, ac pro libito hominis, qui terminativè, & non facultativè, seu electivè se habet ad decretum Dei prædeterminativum, aut quasi parum fuerit totam libertatem nostram devolvi ad eam, quam habuimus in Adamo ad originale, quod damnatum vidimus contra Jansenianos in decreto Alexandri VIII. nisi alitè ad libertatem usque Dei summi devolveretur. Relege ibi, ne rem ex ipsis terminis satis claram cum nausea repetamus.

Godoy

Alexand. VIII.

48 Quapropter ab alijs, benè videntibus harum responsionum insufficientiam, & insubstantiam, ad salvandam veram libertatem in Prædeterminatis, veramque sufficientiam in imprædeterminatis; extorsit rei difficultas, ut tandem animosius dicerent decreta Dei prædeterminativa esse absolute impedibilia, imò & adquiribilia pro libito voluntatis humanae. Si id ab Scholæ suæ Principibus, & à principijs, quibus adhærent, obtinere possent, consulissent satis humanæ libertati, & sufficientiæ. Unde est quod sapientissimi-

ssimus Suarez subodoratus idemmodum huiusmodi responsionem, nunquam illam, sicut alias, insequatur per id quod si vera esset, prodesse non posset ad intentum; sed per id, quod vera esse non potest, nec sine manifestissimis contradictionibus adhiberi à Prædeterminatiſtis.

49 Est enim, retento ad honorem nomine decreti prædeterminativi, succumbere re ipsa rationibus sententiæ nostræ illud expugnantis. Est potiùs illud existere, vel non existere in Deo prædeterminatione voluntatis creatæ, quam prædeterminare voluntatem creatam; quod perinde mihi est, ac esse & non esse prædeterminativum. Est facere quod prædeterminari, aut non prædeterminari sic, facultativè sit hominis volentis, & currentis, & non solius Dei miserentis. Atque adeo est concutere fundamenta potissima Prædeterminatiſtarum, quibuscum super hoc pugnamus & totam suæ doctrinæ structuram ditruere. Estque tandem implorare subsidium Scientiæ Mediæ, quam unanimiter ipsi refugiunt.

50 Ut simus in claris, tria ab ijs Theologis præstada sunt. Primum, attemperare decretum Dei prædeterminativum taliter ad libitum voluntatis creatæ, ut facta tecta conservetur libertas humana in homine prædeterminato. Secundum, taliter consulere sufficientiæ hominis imprædeterminati, ut per ipsum, & non per Deum absit, quod actu non observet præcepta. Tertium, constituere Deum instructum apta, & sufficienti notitia ad sic discernendum.

51 In primo capite aut deficit hæc doctrina in constitutione prædeterminationis, aut sese in novas difficultates immergit. Vel enim eatenus dicunt, decretum prædeterminativum adesse, vel abesse in Deo pro libito voluntatis creatæ, quia volūtas creata se liberè disponit positivè vel negativè per aliquid habens se antecederet ad prædeterminationem Dei; & hoc est efficaciter impugnatum *sect. præc. à num. 40.* aut quatenus pro libito suo se disponit ad Prædeterminationem per ipsum actum, ad quem est prædeterminatio: ad eum nempe modum, quo dicunt alibi, peccatorem se liberè disponere ad Gratiam, & ad habitum charitatis per actum contritionis emanantem ab ipso habitu, ad quem disponit: data ni-

mirum mutuâ prioritate actum inter, & habitum, præcedente actu in genere dispositivo, & habitu in effectivo. Hoc tamen cum falsissimo suo fundamento mutuæ prioritatis, & cum exemplo ipso actus, & habitus charitatis, non nisi falsis ex Philosophia, & Theologia doctrinis fucito contra S. Thom. mentem expressissimam, corrui funditus ex latè disputatis *disp. 20. de Grat. sect. 7.* ubi manifestis rationibus monstravimus, mutuam illam prioritatem implicare, & cum Doctrina S. Thomæ stare non posse.

To. de Gra. disp. 20.

52 Præterea. Observatio præcepti, quam Deus prædeterminativè decrevit, ac præfinivit, ut dispositivè præcedit sui prædeterminationem, vel est homini libera, vel non? Si non libera; ergo nec ratione illius erit homini liberum, quod sit, aut non sit pro ipsius libito divina prædeterminatio, ut est ex terminis plusquam certum. Si, ut dispositivè præcedit prædeterminationem, est homini libera; ergo cum non merè passivè in nobis sit ex Tridentino, sed activè à nobis producta, est à nobis producta, sicut & nos disponens pro priori, & antecederet ad prædeterminationem: ad quid ergo prædeterminatio? Post bellum auxilium. Ars profectò mira conciliandi cum eiusmodi prædeterminatione divina libertatem creatam, recurrere ad actum nobis liberè disponentem, ac proinde liberè à nobis exercitum, pro priori ad prædeterminationem. Hæcine tandem est Thomistica prædeterminatio essentialiter præsupposita ad omne liberū exercitium creatæ voluntatis? Hæcine, quæ non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei? Desistere necesse est ab ijs fundamentis, quibus adstructæ sunt Prædeterminationes, ut dicatur actus liber creaturæ, ad quem ponendum habetur prædeterminatio, præcedere dispositivè ad existentiam prædeterminationis. Quinimò, & ab ipsis quoque prædeterminationibus desistere necesse est. Si enim actus ipse, ad quem dantur, non præcederet dispositivè pro priori ad prædeterminationem, non staret cum ipsa nostra libertas, ut supponit ista responsio: Si verò actus ut disponens, ac proinde ut existens, & productus, præcedit pro priori in genere dispositivo ad existentiam prædeterminationis, prædeterminatio non prædeterminat ad existē-

N 2

tiam

sive non respuendi, sicut ad actum volandi; certè homo carens alas, sicut non habet quidquid requiritur & sufficit ad actum volandi; ita neque quidquid requiritur, & sufficit ad actum petendi, eligendi, seu liberè non respuendi alas: ideoque sicut non nisi iniquè obligaretur ad actum volandum, sic non nisi iniquè obligaretur ad actum petendi, seu non respuendi alas. Sic autem res se habet iuxta hos responsores in decreto prædeterminante: quod videlicet est simpliciter prærequisitum ex parte Dei, non solum paratum, sed exhibitum ad actum petendi, seu non respuendi alas, seu prædeterminationem, non minus quam ad actum volandi, & observandi præceptum. Igitur de primo ad ultimum imprædeterminatus, cui ex parte Dei deest decretum prædeterminans, non habet quod ex parte Dei requiritur, & sufficit ad id quod Deus præcipit, nempe ad actualem observationem, neque ad actum illum petendi, neque liberè non respuendi: quod est non habere ad id veram sufficientiam ex parte Dei.

46 Quid nunc, precor, ad divinū illud oraculum: *Ne dixeris, per Deum abesit. Quid ad illud aliud: Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est. Quid ad illam Dei expectationem Isai. 4. Expectavi, ut faceret utras; fecit autem labruscas: & mox: Expectavi, ut faceret iudicium; & ecce iniquitas.* Deus enim pro libito suo nolens habere decretum eiusmodi prædeterminativum ad bonam operationem, quo, precor, animo expectaret illam ab homine, sic imprædeterminato? Quid ad solatium illud commune, quod ex ore, & ferè in terminis SS. Patrum usurpavit Trid. Sess. 6. Can. 11. *Deus neminem deserit, nisi ab eo prius deserat ut?* Quænam enim infelicitas Dei desertio, quam Dei imprædeterminatio? Quid ad Augustinum *lib. 2. de Peccat. Mer. ibi: Quod homines non adiuvantur à Deo, in se ipsis itidem causa est; non in Deo.* Quomodo non esset causa in Deo, si ex parte, & pro libito Dei est, illos relinquere imprædeterminatos ad id quod Deus præcipit? Denique, quam ægrè satis ij faciunt argumentis, & retorsionibus Jansenistarum omnino negantibus sufficientiam in non operantibus ad ea quæ Deus præcipit,

To. de Gra. exegimus *disp. 12. de Grat. sect. 3. disp. 12.*

Isai. 4.

Trident.

tiam talis actus ut dispositivè existentem pro priori; sed potius actus in genere dispositivo præexistens prædeterminat ad existentiam prædeterminationis. Alterutro igitur opus est, aut decretum Dei prædefiniens non esse prædeterminans; aut, si retinenda est in illo ratio prædeterminatis, stare non posse cum libertate actus, ad quem verè prædeterminat.

53 In secundo capite deficit similiter doctrina responsionis. Nec enim satis est veræ sufficientiæ hominis imprædeterminati quominus per Deum stet, quod non observet præceptum. Saltem eâ prioritate mutuâ non obstante, tã per Deum staret, quã per hominè adversus scripturas. Quod sic urgeo. Stat per hominè, quia antecedenter in genere dispositivo, seu, ut alij loquuntur, materiali, aut subiectivo, imponit pro libito suo sibi & Deo essentielle impedimentum actualis observationis, nempe dissentium suum: atqui Deus antecedenter etiam in genere effectivo imponit pro libito suo sibi, & hominè essentielle impedimentum actualis observationis, nempe decretum non prædeterminandi ad ipsam: ergo antecedenter tam per Deum stat, quam per hominè, quod non ponatur ab hominè, nec à Deo actuali observatione. Liqueat hæc consequentia absurdissima & iniquissima, utpote contra divinum oraculum: *Ne dixeris, per Deum abest.* Quia actualè observationem non minus impedit denegatio divinæ prædeterminationis ad ipsam, quàm dissensus hominis; siquidem cum neutro istorum componi potest, utpote ipsi essentialiter repugnante: prioritas autem in genere effectivo, quæ prævalet Deus, par est, aut certè potior, quàm prioritas in genere dispositivo, quæ prævalet homo: ergo quod non ponatur actualis observatio, æquè, imò & potius stat per Deum pro libito suo ponentem essentielle impedimentum illius pro priori in genere effectivo, nempe denegationem prædeterminationis; quàm per hominè, pro suo libito ponentem essentielle impedimentum illius pro priori in genere dispositivo, nempe dissentium suum. En fructum adinventæ, seu confictæ prioritatis mutuæ. Malæ causæ peius patrociniū.

54 Exemplum, quo utuntur, mutuæ prioritatis, inter habitum & actum charitatis ad illum disponerem, præterquam-

quod, ut alibi vidimus, falsum, & repugnans; in præsentiarum, aut est prorsus inutile, aut clariùs conijcit Responsores in absurda cautiùs timenda. Habitus enim charitatis eatenus dicitur à Thomistis in genere effectivo prior actu contritionis ad ipsum disponente, quatenus actum effectivè causat; idem autem actus eatenus dicitur in genere dispositivo prior habitu, quatenus ad eius infusionem disponit. Disponit autem meritorie, movens Deum, ut intuitu illius, hominè iustificet per infusionem Gratiæ, & habitus charitatis, ut est certum ex Tridentino, & expendimus dictà *disp. 20. de Grat.* Dicant nunc: an sic præcedat dispositivè consensus prædeterminatus ad sui prædeterminationem; necne? Si non sic dispositivè præcedit, & frustra utuntur eo exemplo, & instamus, ut dicant, quomodo aliter. Si sic dispositivè præcedit, est supponere ex parte hominis dispositionem meritoriam prædeterminationis: & adhiberi à Deo prædeterminationem, quia homo se liberè ad eam disponit; sicut infundit habitum charitatis, quia conteritur: quod est, nullam haberi à Deo prædeterminationem ad bonum omnino gratis, sed propter bonum usum, tãquam propter dispositionem meritoriam ipsius: quod & minùs consonum est Doctrinis Catholicis de Gratia contra Pelagianos, aut Semipelagianos; & est, clarè ponere in manu hominis dispositivè meritorie antecedenter ad prædeterminationem discretionem prædeterminati à non prædeterminato: contra quod adversus nos iactant ex Apostolo: *Quis enim te discernit?* Necessè est enim quod dicant, hominè sic se disponentem antecedenter in genere dispositivo ad prædeterminationem, discernere se, & quidem notabilissimè ab alio non se sic disponente.

55 Quod sic ulterius premo. *Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia:* intonat Paulus: & iterum: *Gratiâ enim salvati estis per fidem; non ex operibus, nè quis gloriatur.* Vnde Augustinus 1. de Prædest. 12. *Non quia credimus, sed ut credamus, vocamur.* Et ad Simplicianum quæst. 2. *Opera, si qua sunt bona, consequuntur illam Gratiâ; non præcedunt:* Et lib. 83. quæst. 68. *Si quispiam sibi tribuat quod veniat vocatus, non potest sibi tribuere, quod vocatus sit.* Hæc sunt

To. de Gra.  
disp. 20.

1. Cor. 4.

Rem. 11.

Ephes. 2.

August.

sunt certa. Nec minùs certum est, non magis salvari debere rationem gratuitatis in æternâ Dei præfinitione prædeterminativa, à qua descendit in tempore collatio gratiæ creatæ; quam in ipsâ temporaneâ collatione gratiæ creatæ, ne dicamus coherentè ad errores Pelagij, esse ex debito, & à nobis sumi salutis initium adhuc dispositivè.

56 Ex quibus certis argumentor sic. Quemadmodum Gratia efficax ad credendum non confertur nobis credentibus, quia credimus, sed ut credamus, ita nec decretum primò prædeterminativum ad actualem observationem non habetur à Deo erga observantem, quia observat, sed ut observet: sicut ergo creditio non præcedit ullo modo generè prioritatis dispositivæ ad collationem gratiæ efficaciter gratuitò vocanti, alioquin iam esset ex operibus illa vocatio, sed ex aliquo debito, utpote, quia credimus, similiter & à fortiori consensus noster, sive observatio actualis præcepti in vero genere prioritatis dispositivæ præcedere nõ potest ad decretum Dei primò prædeterminans: alioquin non haberetur à Deo gratis, sed ex debito, & ex operibus hominis sic prædeterminati, utpote, quia præceptum observat.

57 Nec satis est dicere, per ea testimonia excludi duntaxat prioritatem generis dispositivi meritorij, non vero aliam citra meritum. Certè enim excludunt omne genus prioritatis, quæ dici valeat, priùs nos eligere Deum, quàm eligamur à Deo: at hoc dici possit iuxta doctrinam, quam impugnamus, sive prioritas illa dispositiva sit meritoria, sive non: vere enim priùs dispositivè homo sic prædeterminatus obsequeretur Deo, quam Deus illum prædeterminaret. Quidquod difficulter se ij defenderent ab audaciùs contendente nihil ibi eâ doctrina suppositâ, deficere ad rationem prioritatis meritorie dispositivæ. Præterea Augustinus ipse 1. de Prædest. 13. ex eo quod nulla Christi opera præcesserint ad Unionem Hypostaticam, arguit, eam non fuisse ex meritis: nullam autem, & prorsus inane foret argumentum, contra respondentem præcessisse quidem dispositivè; sed non in genere meritorio. Insuper idem Augustinus disertè affirmans, *opera subsequi*, absolute negat, *præcedere*: quæ negatio utpote malignantis naturæ, absolute vera non esset,

August.

si dispositivè præcederent, sicut effectivè subsequuntur. Disertè quoque distinguit, quod, quamvis homo possit sibi tribuere, quod *veniat vocatus*, non verò, quod *vocatus sit*, ac proinde & à fortiori, nec quod *prædeterminatus sit*: posse autem id quod sibi, ut se anteriùs disponenti tribuere, si bonum illud opus in genere dispositivo præcederet ad vocationem, imò & ad decretum prædeterminativum. Vbi notanda venit incohærentia horum Prædeterminativistarum: exhorrent à nobis audire extrinsecam denominationem efficaciam sumi ab operatione nostra ex ipsa entitate divinæ gratiæ secundum se indifferentis procedente; & audiri volunt, cum dicunt, ipsam entitatem gratiæ efficacis, imò & decretum Dei prædeterminans sumi dispositivè à nostra operatione. Illi, vel à se, discant, minorem ex nostris doctrinis offensionem.


58 In tertio tandem capite deficit etiam sibi prædicta responsio, faciens sibi necessarium recursum ad Scientiam Mediam Prædeterminativis omnibus invisam, ut enim Deus sufficienti notitia instructus sic prædeterminet, debet dirigi ab aliqua sua scientia de tali hominis operatione certò futurâ. Vel igitur humanus ille consensus præsciur à Deo tam absolute, quàm conditionatè per scientiam pro libito hominis impedibilem, vel per inimpedibilem ab hominè? Si per impedibilem pro libito hominis, hæc est ipsissima Scientia Media. Si per inimpedibilem, & tamen non obstantem humanæ libertati, similiter nec obstaret humanæ libertati ulla prædeterminatio, quamvis esset ab hominè inimpedibilis: quo sibi reddunt frustraneum recursum ad impedibilitatem. Præterea: quo in medio prænosset certò Deus consensum illum dispositivè priorem? Si in decreto ipso prædeterminante effectivè priori, prænosset illum hominè liberum, si eiusmodi decretum non tollit libertatem; & necessarium, si tollit: Deus enim novit res ut sunt: sicque reditur ad quæstionem, tollatne prædeterminatio eiusmodi libertatem, necne? Si in alio decreto, ad quod nec in genere dispositivo præcedat consensus noster, illud saltem iuxta doctrinam responsionis, tolleretur libertatem, utpote omnino antecedens consensum nostrum, à quo nec in genere dispositivo præceditur,

ac proinde aut sine recurſu ad mutuam prioritatem, aut cum proceſſu in infinitum. Neceſſe ergo eſt, quod illum novè conditionè in ſe ipſo independentè, ſeu præciſim ab omni decreto. Hæc eſt autem Scientia Media.

59 Venit aliquibus in mentem, modum iſtum ſalvandi libertatem in homine ſic prædeterminato, veramque ſufficièntiam in imprædeterminato, explicari, defendique poſſe ad modum quo *diſp. 18. de Grat. defendimus libertatem actus præcepti pro iſtanti determinato cum influxu Gratiæ iuſtificatis connexæ eſſentialiter cum eo actu, & incompoſibilis cum eius omiſſione; & veram ſufficièntiam ad ipſum, caſu quo, omiſſo peccaminose actu ſic præcepto, iam abeſt pro eo iſtanti Gratia iuſtificans eſſentialiter prærequiſita ad eius effectiõnem. Adduntque nos per eam doctrinam anſam præbere Prædeterminatiſtis ad hunc modum protegendi ſuas prædeterminationes.*

60 Aberrant tamen, ni fallor, oſtio toto. In primis enim luce clariùs ibi fecimus ſect.... actum præceptum effectivè cauſatum à Gratia nullâ naturæ prioritate præcedere ad Gratiam: ſicque evitatur mutua prioritas repugantiſſima, qua ſeſe implicat prædicta reſponſio. Deindè

Gratia habitualis, eo pacto, legeque Dei conſtantiſſimâ nobis inhæret, ut non auferatur, niſi peccet mortaliter homo: unde eandem libertatem, quam habet ſic conſtitutus homo ad peccandum, vel non peccandum; habet ad retentionem, vel expulſionem Gratiæ pro libito ſuo. Videant opitulatores iſti Prædeterminationum, an hoc de decretis prædeterminatiſtis dici valeat. Certè enim in homine non prædeterminato, non eſt facultas illud ſibi acquirendi pro libito ſuo, cum non ſit volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei: ſi conſenſus ipſe ſubſequutus ad prædeterminationem, & cum illa connexus, aſſeritur, eſſe diſpoſitio ad illam, id aſſeritur cum mutuâ prioritate repugantiſſimâ, quam nos in influxu Gratiæ in actum præceptum longiſſimè amandamus. Hi munus prædeterminandi voluntatem creatam ad conſenſum, conſtanter adſcribunt Deo per eiufmodi decretum ſuam voluntatem, & noſtram determinanti: quod opponitur è directo libertati noſtræ: Nos verò id muneris omnino Gratiæ influenti in actum præceptum veriſimè denegamus; cum penes determinationem noſtræ voluntatis ſit, Gratiam tunc aſſeſſe, & influere. Vide, quàm ſit diſpar Theologia.



## DISPUTATIO V.

DE PRÆFINITIONIBVS ALITER PRÆDETERMINANTIBVS, ſeu condeterminantibus, ſive independentè, ſive dependentè à Scientia Media.

**I** D hunc Titulum reduco Præfinitiones, quas tuentur multi docti Scotiſtæ; & decreta condeterminantia aliquorum è Noſtris. Eorum discrimina notabuntur ſeorſim in ſequentibus. Multa ex Diſputatione præcedenti conducere poſſunt ad præſentem; & ex præſenti multa viciffim ad præcedentem.

### SECTIO

### SECTIO I.

Decreta Præfinitiva, extrinſecè tantùm prædeterminantia, reiſciuntur ex iſſdem ſeclè capitibus, ac intrinſecè prædeterminantia.

Sec.

2 **D** Octrina multorù Subtilium Scotiſtarum eſt, circa quemlibet actum noſtrum liberum, ſaltem non malum, dari in Deo decretum prædefiniens, intrinſecè eſſicax, à Scientia Media non dependens, à nobis pro libito neſtquam evitabile, noſtram voluntatem determinans dumtaxat extrinſecè, utpote non inductivum phyſicæ prædeterminationis intrinſecæ creatæ: in quo ſaltem diſcrepant à Thomiſtis phyſicè Prædeterminatoribus. Sic explicant ſe Scotiſtæ multi recenſes cum Bricenno apud Quiros *diſp. 11. ſect. 5.* Aliqui, ut Faber, & Cavellus, quibus accedunt Caſpenſis, & Dola apud Ribaden. *diſp. 9. cap. 1.* id non admittunt, niſi dependentè à Scientia Media: quam etiã à ſe iuxta mètem Scoti propugnatam, verbo teſtatur eſt mihi Reverendiſſimus, ac Illuſtriſſimus Generalis, & Episcopopus Samaniego, vir eximiè doctus iuxta, ac religioſus. Variant inſuper inter ſe. Nam alij, ut Brizennus, eiufmodi decreta ponunt antecedentia, quaſi prædeterminantia, quamvis extrinſecè tantùm, ad actus, quos prædefiniunt. Alij, ut Montepiloſus, Smiſingus, & Pontius apud cit. Ribadeneyram, nolunt eſſe prioritate naturæ antecedentia; ſed comitantia; ideoque non præ, ſed condeterminantia. Ab omnibus ſuis diſceſſit Franciſcus Felix, plus nimio adhærens Thomiſtis in admittiſſione quoque qualitatis intrinſecè prædeterminantis: ab omnibus id circuiſus, & noſtris relinquendus. De alijs feremus ſeorſim iudicium.

Bricen. Quiros. Fab. Cavell. Caſpens. Dola. Ribaden. Illuſtris. Saman.

Montep. Smiſing. Pontius.

Felix.

Quiros. Montoya.

3 Atque in primis, ſi eiufmodi præfinitiones aſſeruntur eſſentialiter prærequiſitæ, à nobis non evitabiles pro libito noſtro, & independentes à prænotitia Scientiæ Mediæ, ſtare nequeunt cum libertate noſtrorum actuum. Sic univerſim Authores noſtri apud Quiros *diſp. 10. & 11. ſect. 5.* ubi citat Montoyam, explicantem pro nobis Subtiliſſimum Scotum. Ratio eſt: quia huiufmodi decreta ſic conſtituta non diſſerant à Thomiſticis, niſi in eo quod non nobis impingunt phyſicam

prædeterminationem creatam. Thomiſtica autem, ſeorſim etiã ab inductione phyſicæ prædeterminationis creatæ evitant ex intrinſecis ſuis libertatem noſtrâ, per argumenta quibus ea reiſciuntur *diſp. 4. præ. ergo* neque iſta ſtare nequeunt cum libertate noſtrâ: & reiſcienda ſunt ex iſſdem capitibus, quibus Thomiſtica reiſciuntur.

4 Primò quidè ex capite læſæ æquitàtis diviniæ. Non enim niſi iniquè obligaret, & puniret Deus hominem non obſervantem præceptum ſuum in primo libertatis iſtanti, ſi deerat homini, ex parte Dei eiufmodi decretum præfinitivum, & extrinſecè tantùm prædeterminativum, quo deficiente poni actualem obſervationem omnino repugnat; quodque aſſeſſe, vel abeſſe non eſt in manu hominis, ſed pro libito ſolius Dei, antecedenter ad exercitium libertatis humanæ, & independentè à Scientia Media. In quo habent totam ſuam vim argumenta noſtra poſita & variè corroborata contra Thomiſtas *diſp. præ. ſect. 3. & 4.* & prævaler aptatis terminis in ſimili forma Syllogiſmus in ferio, ex quo argumentabamur *num. 28. Nullus ſic extrinſecè imprædeterminatus, ſeu impræfinitus conſentit: ſed Petrus eſt ſic extrinſecè imprædeterminatus ſeu impræfinitus: ergo non conſentit.* Unde ſubinfertur liquidò, non poſſe conſentire, ut ibi oſtendimus.

5 Secundò ex capite læſæ libertatis humanæ. Hæc enim ſtare nequit cum prærequiſito eſſentiali, antecedenter inferente conſenſum, incompoſibili cum diſſenſu, & omnino inimpedibili, ſeu inevitabili pro libito voluntatis, ut vidimus, & probavimus. Hæc autem omnia, ex quibus arguitur humanæ libertatis iactura contra Thomiſtas, conveniunt horum Scotiſtarum præfinitionibus extrinſecè prædeterminantibus, ſeorſim etiã ab inductione prædeterminationis intrinſecæ, ut patet ex eius explicatione. Laborant igitur pari ſequela læſæ libertatis. Quam adversùs utroſque iterum urgeo. Quando duo coexiſtere repugnant, necèſſe eſt, unum non exiſtere, ſi aliud exiſtit: ut cernere eſt in aſſenſu, & diſſenſu; Gratia, & peccato; formâ, & eius expulſione. Illi ergo cui neceſſarium eſt, & non facultativè liberum, exiſtere unum, neceſſarium pariter eſt, & non facultativè liberum,

non

non existere aliud, ut est luce clarius. At qui dissensus & prædeterminatio ad consensum, modò Scotistica tantum extrinseca, modò Thomistica, inducens intrinsecam, sunt duo, quæ coexistere repugnant; ut conceditur de utraque: ergo cui necessarium est, & non facultativè liberum, unum illorum existere, necessarium pariter est, & non facultativè liberum non existere aliud. Sed homini, circa cuius consensum habuit Deus eiusmodi præfinitionem, seu prædeterminationem modò extrinsecam, modò intrinsecam, necessarium est, & non facultativè liberum eam existere: ergo similiter necessarium ipsi est, & non facultativè liberum, non existere dissensum; atque adeo nulla manet libertas ad dissentendum.

6 Quodsi, ut hanc vim subterfugiant, dicere aggrediantur, tali homini esse facultativè liberum, existere in Deo dictam præfinitionem prædeterminativam, æqualem vim patientur ex adverso, ut velint, nolint, fateri constringantur, quod maxime reculant, eiusmodi præfinitiones, quas vocant prædeterminativas, haberi à Deo, potentes tamen pro libito hominis facultativè evitari. Sic ostendo. Si duo sint inter se essentialiter connexa, cui est facultativè liberum pro libito suo, non poni unum, est pariter facultativè liberum non poni aliud, ut est ex terminis notum: sed consensus noster, & prædeterminatio, sive intrinseca, sive extrinseca ad ipsum, sunt duo inter se essentialiter ac omnino indivulsè connexa: ergo homini, cui est facultativè liberum pro libito suo, non poni unum ex illis, scilicet humanum consensum, est pariter facultativè liberum pro libito suo, non poni aliud, nempe divinam præfinitionem prædeterminativam: quod est per summam contradictionem, posse hominem pro libito suo evitare, id est, facere quod non sit in Deo, decretum quod asseritur pro libito hominis volentis & currentis inevitabile, & ad libitum solius Dei miserentis existens, vel non existens. Neesse igitur est, aut hæc contradictoria deglutire, aut dicere, tali homini sic prædeterminato esse necessarium, & non facultativè liberum non ponere consensum: quod est rotundè negare libertatem consentiendi.

7 Stringo aliter trilemmate indissolubili innotato. Homo utrovis isto præ-

finiendi modo prædeterminatus à Deo ad consensum, potens ponere facultativè pro libito suo dissensum à parte rei, alioquin non manens in libertate, aut potest ponere dissensum componens illum cum prædeterminatione ad consensum: aut impediens, ne fuerit in Deo posita prædeterminatio ad consensum; aut illam semel positam revocari faciens. Non enim alius est modus ponendi à parte rei dissensum, nisi aut cum, aut sine prædeterminatione consensus: nec est modus ponendi dissensum à parte rei, sine prædeterminatione consensus, nisi taliter ut illa nunquã posita fuerit; aut semel posita, fuerit revocata: ut est ex terminis vel mediocriter penetratis evidentissimum. Si dicatur illud primum: ergo ea ipsa hominis sic liberi potestas est potestas frustrandi pro libito suo decretum divinum sic prædefiniens, ac prædeterminans essentialiter infrustrabile: nam frustrari decretum nihil aliud esse potest, quam, stante decreto, non poni rem decretam, sed oppositam. Si dicatur secundum: ergo ea ipsa potestas hominis sic liberi, est potestas evitandi pro libito suo decretum Dei prædeterminans, quod asseritur à vobis inevitabile: nam decretum evitari nihil est aliud quam impediri, ne unquam in Deo fuerit. Si dicatur tertium: ergo ea ipsa potestas hominis sic liberi est potestas faciendi quod decretum prædeterminans semel à Deo habitum, essentialiter irrevocabile adhuc ab ipso Deo, revocetur pro libito creaturæ: nam decretum Dei revocari nihil est aliud, quam fuisse prius, & postea non esse. Ex hoc trivio eligant fautores harum præfinitionum sive intrinsecè, sive solum extrinsecè prædeterminantium, quam voluerint viam evadendi: quaquaversum enim imminet præcipitiu, aut contra sua, aut contra omnium stata principia.

8 Nec momenti est pro responsione diversitas harum Præfinitionum extrinsecè dumtaxat prædeterminantium à Thomisticis, in eo tantum sita, quod non inducant, sicut Thomistica, prædeterminationes physicas creatas, impactas intrinsecè voluntatibus nostris. Nam præcisim etiam, & seorsim ab ista intrinsecitate processerunt cum toto suo robore argumenta nostra. Quibus addo: quod ad necessarium impediendum consensum, ne fiat à voluntate ex defectu alicuius prærequisiti,

parum

parum interest, sive tale requisitum sit extrinsecum, sive sit intrinsecum: ut patet sive ad amandum desit præcognitio nobis intrinseca; sive applicatio extrinseca Omnipotentia. Sic ergo ad necessarium inducendum consensum, si sufficit intrinseca prædeterminatio, eodem iure sufficit extrinseca, dummodo penes alia prædeterminationum prædicata conveniant. Sicut etiam, ad elevandam voluntatem supernaturaliter operaturam, perinde est, sive fiat per principium intrinsecum, sive per extrinsecam tantum applicationem Omnipotentia, ut ex Subtili Schola Scotistarum vidimus *disp. 5. de Gratia sect. 10. & 11.* Nihil igitur illis prodesse potest discrimen istud intrinsicitatis, aut extrinsicitatis pro suis prædeterminationibus, si de cætero cum Thomisticis conveniant.

To. de Gra.  
disp 5.

## SECTIO II.

*Extenduntur præcedentes impugnationes adversus dicta Præfinitiva condeterminantia per specialem implicationem terminorum.*

9 Horrentes, & meritò, nomen Prædeterminationis subtiles aliqui Scotista, quorum meminimus *nu. 2.* eiusmodi decreta nolunt prædeterminantia, sed condeterminantia, non naturam antecedentia, sed comitantia consensum liberum creatum, quem prædefiniunt: sicque putant, conciliari posse cum creatam libertate, non obstantibus alijs prædicatis, in quibus non discrepant à nuper impugnat. Nihil tamen minus rejiciuntur à Nostris communiter duplici ex capite.

Scot.

10 Reijciuntur primò ex implicatione terminorum. Essent enim eiusmodi Præfinitiones naturam comitantes consensum, prout sponte asseritur; non essent naturam comitantes, sed potius antecedentes; atque adeo non condeterminantes, sed verè prædeterminantes, ut probò. Quia causa constituta in actu primo proximo est naturam prior effectu suo: ergo id omne, quo formaliter est sic constituta in actu primo proximo ad effectum, est quoque naturam prius effectu: unde est quod apud omnes cognitio in nobis est naturam prior volitione, quia constituit voluntatem in actu primo proximo volendi, quavis à pluribus negetur efficienter causare

volitionem. Atqui decretum eiusmodi præfinitivum constituit formaliter causam nostri consensu in actu primo proximo: ergo est naturam prius consensu. Probatur minor: nam apud hos Authores est applicativum Omnipotentia effectu consensum taliter, ut omnino repugnet, Omnipotentiam prodire in actum secundum nostri consensu: secluso eiusmodi Dei decreto: ergo constituit causam consensu nostri in actu primo proximo: nam Omnipotentia est causa consensu nostri, & non intelligitur constituta in actu primo proximo specialiter ad consensum, donec applicatur per tale decretum: cum esse, & ex generali applicatione æquè sit applicata remotè, tam ad actus, qui re ipsa ponuntur, quam alios, qui liberè nunquam ponentur.

11 Confirmatur. Decretum de existentia auxiliorum est prius naturam consensu: ergo & decretum præfinitivum existentia auxiliorum, quæ sunt media, aut est ipsum decretum præfinitivum consensu qui est finis, aut istud præsupponit, sicut intentio electionem. Antecedens patet: nam auxilia sunt prius naturam consensu, quem scilicet causant: decretum autem de existentia auxiliorum est prius, aut saltem non posterius naturam, quam existentia auxiliorum: ergo, si existentia auxiliorum est naturam prius consensu, à fortiori decretum existentia auxiliorum: atque adeo decretum de consensu habet se eo ipso antecedenter naturam ad consensum, quem medijs auxilijs vult, & inducit.

12 His tamen non obstantibus, respondent, decretum præfinitivum consensu non habere prioritatem naturam respectu consensu, sed aliqualem aliam à quo, quam aliter vocant prioritatem eminentia. Quia, inquit, Deus non operatur consensum prius naturam, quam illud operetur voluntas nostra; sed concomitanter ac simultaneè. Cum ergo increata Dei voluntas contineat creatam emittentem, potest ab æterno determinare simul cum voluntate liberam creatam, quidquid ab ista fiet, ac si hæc ipsa foret ab æterno se determinans. Addit Montepinosus, tria ibi desiderari, ut decretum dicitur antecedere naturam consensum: primum, quod interat actum aliquem in particulari: secundum, quod immutat voluntatem creatam, illam

Montep.

in actu primo determinando, imprimendo aliquid intrinsecum ex vi causalitatis suæ: tertium, quod non dicat respectum ad aliquam suppositionem in ipso decreto eminenter inclusam.

13 Verum in primis non contendimus, Deum operari consensum nostrum prius natura, quam nos: Scimus enim, quod per eandem numero actionem temporaneam Deus, & nos operamur in actu secundo consensum nostrum: nec de hoc agimus; sed de voluntate illa Dei, qua voluit ab æterno, à se & à nobis fieri in tempore consensum: & contendimus, eam Dei voluntatem præcedere consensum nostrum, non solum prioritate temporis, & dignitatis; sed etiam naturæ, quasi causalitatis, & à quo. Nec enim aliam prioritatem novimus, nec aliam attribuunt Thomistæ suis Prædefinitionibus, quæ tamen cum ista prioritate prædeterminativæ sunt, & everivæ libertatis, seorsim etiam, ut vidimus, ab inductione prædeterminationis intrinsecæ. Deinde falsum est, & inane inventum illud; quod continentia voluntatis creatæ in divina obesse possit antecedentiæ naturæ, aut arguere concomitantiam decreti voluntatis divinæ ad consensum voluntatis humanæ. Sic enim nullum decretum posset habere Deus circa operationes causarum secundarum, quod ipsas antecederet prioritate naturæ: quandoquidem increata Dei voluntas cunctas creatas continet eminenter. Quinimò & posset Deus velle efficaciter imprimere voluntati creatæ prædeterminationem intrinsecam, salvâ libertate: quippe ratione talis continentia, eo ipso quod libere vellet illam dare, est quasi id ipsum vellet libere creata voluntas.

14 Additamentum illud Montepilosi, præterquamquod tenebris tenebras addit, deficit in multis. Et primò quidem in prima conditione: tum quia hæc iam reperitur in decreto præficiente hunc numero consensum: tum quia videtur impertinens ad prioritatem, seu comitantiam decreti: si enim decretum de hoc determinatè consensu præcederet naturâ hunc consensum; cur etiam decretum, si daretur, de aliquo indeterminate consensu, non præcederet similiter naturâ consensum indeterminate volitum? Secundò deficit in secunda: quia præterquamquod petitur in illa principio, in istorum sententia decretum

generaliter applicativum Omnipotentia pro consensu, & dissenso præcedit natura consensum; quin tamen immutet voluntatem, illam intrinsecè determinando in actu primo: ergo quod decretum eiusmodi præfinitivum non immutet intrinsecè voluntatem illam determinando in actu primo, nequit esse ijs Authoribus apta ratio, quominus præcedat naturâ consensum: quid enim hoc refert ad naturæ comitantiam, si alioquin decretum istud determinat ad consensum Omnipotentiam, quæ etiam est actus primus? Tertio deficit in tertia: quia Præfinitio prædeterminativa Thomistica suum etiam dicit respectum ad consensum: qui, cum sit actus secundus, est suppositio consequens ad potentiam liberam eminenter contenta in sua præfinitione prædeterminativâ: & tamen antecedit consensum eâ prioritate, quæ sufficit, ut per ipsam evertatur creata libertas: ergo quod istud decretum Scotisticum dicat respectum ad suppositionem consequentem eminenter in ipso contentam, non est apta ratio, quominus dicatur antecedere consensum eâ prioritate, quæ pariter sufficiat, ut evertatur creata libertas. Non ergo, nisi implicantiſsimè asseritur, huiusmodi Præfinitiones non præcedere naturâ consensum sic prædefinitivum: nec solide hinc redditur disparitas à Thomisticis, quoad punctum libertatis.

15 Reijciuntur secundò, permittendo ijs Scotisticis prædictam concomitantiam suarum præfinitionum condeterminantiû; & adhuc contra ipsos, simulque contra quosdam Thomistas frustra dicentes, suas prædeterminativas non se tenere ex parte potentia, seu actus primi, argumentor sic. Sive antecedentes sint, sive comitantes, sive ex parte potentia, & actus primi, sive undecumque se teneant; saltem nec sunt actus secundus voluntatis creatæ, nec sunt, nec desunt in Deo facultativè pro libito nostro, cum non sint volentis, nec currentis, sed Dei miserentis. Vel ergo huiusmodi Dei decretum est simpliciter requisitum, ut homo actu operetur consensum suum; vel non? Si non est simpliciter requisitum, nulla erit contradictio, hominem quandoque operari consensum suum, non stante in Deo eiusmodi decreto, sive prædeterminativo, sive condeterminativo, sive antecedente, sive comitante. Si est simpliciter requisitum: ergo, undecumque se

te-

teneat, sive ex parte potentia, & actus primi, sive ex parte cõcursus prævij, sive quomodolibet antecedenter, sive comitanter, homo obligatus consentire, & non habens ex parte Dei eiusmodi decretum, nec habet, nec in manu sua habet habere omnia ex parte Dei simpliciter requisita ad id, ad quod obligatur, nempe ad actu consentire. Quò redeunt argumenta omnia superioribus facta contra præfinitiones prædeterminativas, tam ex capite libertatis humanæ, quam æquitatis divinæ, divexitura huiusmodi Prædeterminativitatis, & Condeterminativitatis, donec ab eiusmodi præfinitionibus desistant, & reiecto prædeterminationis, & condeterminationis nomine, & munere, veniant ad mitiora, & attemperatiora Dei decreta pro libito voluntatis humanæ facultativè evitabilia.

16 Noster hic modus firmus arguendi, minis curans de antecedentijs, prioritatibus, & concomitantijs naturæ, quas unusquisque facile sibi compaginat ad autum, quibusque propterea fidere non soleo, doctrinæ potius soliditatem amans; animadversus est profundè in Apice Theologorum Augustino à mirabili Antonio Perez tom. 1. disp... de Prædestinatione Augustinianâ cap... Vbi præter alia selectissima Augustini testimonia, quæ dignè pro nobis expendit, observat opportunè ad rem præsentem, quod Augustinus lib. de Prædest. ss. cap. 7. ex verbis Apostoli: Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est: argumentatur, nos ex nobis non sufficere ad fidem; quia nullus credit, quin cogitet; quinimo ad credendum necesse est, prius cogitare: sed ex Apostolo non sumus sufficientes aliquid ex nobis cogitare: ergo neque credere. Hanc ratiocinationem Augustino dignam imitamur nos, quando ex insufficientia hominis imprædeterminati, seu incondeterminati per Dei decretum non minus necessarium ad consentiendum, quam sit cogitare ad credere, & ex insufficientia habendi ex nobis pro libito nostro facultativè eiusmodi decretum, quod nempè non posuit Deus in manu hominis, cui illud pro libito suo divino denegavit; argumentamur, talem hominem, quidquid sit de quocumque alio inani posse, non habere veram sufficientiam ad actualem consensum, ad quem obligamur: ut in superioribus prosequuti sumus.

Perez.

Augustin.

17 Observat insuper cit. Perez in hoc Augustiniano arguendi modo præoccupari mirificè evasionem, qua responderi solet, prædeterminationes nõ dari ad posse, sicut datur cogitatio; ideoque ex defectu cogitationis argui rectè ab Augustino insufficientiam ad credere; nos verò non ita ex defectu prædeterminationis, seu condeterminationis insufficientiam ad consentire. Quandoquidem scitissimè Augustinus non arguit insufficientiam nostram ex nobis ad credere ex defectu cogitationis, sed ex insufficientia ex nobis ad cogitare. Sic autem nos ex insufficientia hominis sic imprædeterminati, aut sic impræfiniti, ad prædeterminari, aut ad sic pro libito suo præfinitum, arguimus in Augustiniana formâ solidissimè, insufficientiam eiusdem ad actu consentire pro libito suo. Sic autem, aut inanis est Augustini ex Paulo argumentatio; aut certè, quomodocumque, & undecumque se teneat divinum illud decretum essentialiter requisitum ad actu consentiendum; evidens videtur, hominem, cui ex parte Dei deest eiusmodi requisitum, & ex parte sua potestas, seu sufficientia illud pro libito suo comparandi, non habere veram sufficientiam ad actu consentire, prout à Deo obligatur. Quod ita solidum & clarum est, quamvis confictis potestatibus, prioritatibus, aut comitantijs obscurari procuretur; sicut est solidum & clarum, quod qui non ponit, nec potest pro suo libito ponere medium essentialiter requisitum ad obtinendum finem; non potest pro libito suo finem obtinere: & sicut Prædeterminativitas debet esse luce clarius, quod, si Deus nec prædeterminaret, nec posset pro libito suo prædeterminare nos ad consensum, non haberet potestatem, nec sufficientiam ad faciendum nos consentire: ut videant, quam potestatem, & sufficientiam ad consentire concedant nobis imprædeterminatis, & non habentibus potestatem facultativam, nec sufficientiam ad prædeterminari pro libito nostro.

18 Existimarunt nonnulli, satis à se consultum fuisse libertati creatæ, si eiusmodi præfinitiones, prædeterminationes, seu condeterminationes divinas ponunt à Deo pro libito suo habitiles; non tamen simpliciter requisitas ad operationem nostram. Cæterum, quamvis hoc modo potiora Prædeterminativitatum fundamenta

O 2

pro-

proterente, occurratur aliquibus nostris argumentis; non tamen omnibus. Etenim, si Deus pro libito suo eas aliquando habeat, quin esset facultativè liberum homini pro libito suo eas non haberi à Deo: ergo homini eam sic à Deo habenti ad consensum, non est liberum consentire. Quam consequentiam convincunt multa, quæ diximus *sect. 1.* quia non potenti dissentire non est liberum consentire: sed talis homo non esset potens dissentire: ergo non esset illi liberum consentire. Probatur minor: quia, cum non esset illi facultativè liberum carere pro libito suo essentiali impedimento dissensus, qualis est prædeterminatio; seu condeterminatio ad consensum; non esset potens dissentire, ex dictis late *sect. 1. præsertim à num. 20.* Præterea igitur necesse est quod sit facultativè in manu, & pro libito hominis, non haberi à Deo talem præfinitionem: quod est venire ad nostram sententiam exponendam *disp. seq. &* eiurare prorsus prædeterminationum, & huiusmodi condeterminationum doctrinam.

### SECTIO III.

*Nec præsidio esse potest ad salvandam cum prædictis Præfinitionibus libertatem admissio Scientiæ Mediæ.*

19 **C**elebres aliqui Scotistæ, quos laudavimus *sect. 1. nu. 2.* admissam veram doctrinam Scientiæ Mediæ, eam vti sunt ad salvandam cum suis præfinitionibus, aut extrinsecè prædeterminativis, aut condeterminativis, libertatem creatam: contra quos aliter nunc procedendum est, & probandum, Scientiam Mediam usui ad id esse non posse propter naturam eiusmodi decretorum pro libito Dei ponibilibum, & taliter efficacium, ut facerent voluntatem consentire; etiam si cum comprincipijs immediatis constitutivis immediata libertatis, alioquin consensura non esset. Id quod à fortiori procedet circa decreta præfinitiva, prædeterminativa Thomistica, quibus nulla Scientia Media mederi posset, ut cum libertate creata conciliarentur, propter eorum naturam essentialiter everivam libertatis. Sic communiter Authores nostri.

20 Ratio nobis constans est, & pro doctrinis nostris solidè statuendis accura-

tè tenenda. Quia si post Scientiam divinam Mediam de nostro consensu superveniat aliquid naturam suam tollens libertatem, non definit illam tollere beneficio Scientiæ Mediæ: quæ quidem naturas principiorum cognoscit, non immutat: unde est quod, si post scientiam mediam prænoscentem conditionatè amorem Dei liberum sub hypothese principiorum indifferetium, superaddatur prædeterminatio physica intrinseca, aut beatifica visio, non proderit illa scientia mediæ, ut amor Dei evadat liber. Atqui prædictæ præfinitiones prædeterminativæ, seu condeterminativæ ex naturam suam tollunt libertatem, ut probavimus in superioribus, eo quod talis indolis sint, ut voluntatem alioquin non consensuram per se facerent consentire; ideoque sunt inevitabiles facultativè pro libito nostro: ergo nullius Scientiæ Mediæ beneficio, ac præsidio conciliari possunt cum nostra libertate. Quinimò ipsa Scientia Mediæ attingens sub hypothese sua libertatem in actu primo constitutam per principia indifferentia, ut cognoscat amorem liberum sub sua hypothese, excludit essentialiter à sua hypothese eiusmodi decreta, sicut prædeterminationem physicam intrinsecam, & visionem beatam: quia ea excludit constitutio libertatis. Aut saltem prius decidendum est, an per se noceant libertati, necne; ideoque, an ea excludat essentialiter constitutio libertatis; ut postea iudicetur, an ea excludat à sua hypothese Scientia Mediæ de consensu libero.

21 Nec prodest dicere, eorum decretorum naturam esse tollere libertatem, si habeantur independenter à Scientia Media; secus, si dependenter: quia si habeantur dependenter à scientia mediæ, iam sunt evitabiles pro libito nostro. Contra enim & argumentum nostrum confirmo, simulque rem explico per utilem discursum, quo iam in simili usus sum *disp. ... de Incarn. sect. ...* Nam scientia mediæ de consensu, quam præsupponeret eiusmodi decretum, aut attingeret sub hypothese suam voluntatem creatam, auxilia indifferentia, & alia constitutiva libertatis in actu primo, excludendo ab hypothese eiusmodi decretum; aut illud includendo; aut ab illo in ea præscindendo. Vnum enim ex ijs tribus necesse est, ut per se patet.

22 Si dicatur primum, scientia illa enun-

enunciaret sic: *Si constituatur voluntas in hac libertate, secluso decreto sic præfinitivo, consentiet liberè.* Hinc autem inferuntur liquidissimè duo. Vnum, quod eiusmodi Dei decretum non est simpliciter requisitum, ut homo consentiat; siquidem, illo etiam secluso, asseritur consensurus. Alterum, quod præcedentia talis scientiæ mediæ, sui que status conditionati sub ea hypothese liberi, nec prodesse, nec intervenire potest ad explicandam, tuendam, aut salvandam libertatem voluntatis positæ in statu absoluto cum auxilijs indifferentibus, simulque cum tali decreto Dei præfinitivo, excluso ab hypothese sui status conditionati: quemadmodum nec ad salvandam libertatem voluntatis positæ in statu absoluto cum physicâ prædeterminatione intrinsecâ, exclusâ ab hypothese sui status conditionati. Quod est ita clarum, ac clarum est, ex eo quod sit verum, voluntatem amaturam liberè Deum, si instruat cum solis comprincipijs in actu primo indifferentibus, non certè inferri, consensuram liberè, si ponatur in statu absoluto cum illis comprincipijs, & cum prædeterminatione physicâ intrinsecâ, aut cum visione beatâ.

23 Si dicatur secundum, Scientia illa enunciaret sic: *Si constituatur voluntas in hac libertate cum decreto sic præfinitivo, consentiet liberè.* Hinc autem inferuntur æquè liquidè alia duo. Vnum, quod talis scientia conditionata non esset scientia mediæ: siquidem in sua hypothese attingeret aliquid, nempe tale Dei decretum, essentialiter connexum cum consensu, ut est indubitatum, & opportunè notavimus *Supr. disp. 2. num. 5. &* prosequenti sumus *sect. 10. 2. sect. 1.* Alterum, quod, cuiuscumque Scientiæ sit ea notitia, nihil probat ad rem; sed frustra supponit probandum. Si vera est eiusmodi scientia conditionata, sive Media, sive non Media, rectè quidem inferitur ex illa, & ex stata conditionato, quem sub hypothese sua supponit, prædictum Dei decretum non tollere nostram libertatem: non enim sciri posset à Deo, sub ea hypothese voluntatem liberè consensuram; si decretum involutum in eadem hypothese tolleretur libertatem consensu. At sitne vera necne, peti debet ab eo quod eiusmodi non tollat, aut tollat libertatem: nam ex eo quod res est, vel non est, sicut enunciatur esse, vel non esse, cognitio est vera, vel falsa.

Antequam ergo dicatur, eam præscientiam esse veram, & dabilem in Deo, probandum est, & non gratis supponendum, eiusmodi decretum non tollere libertatem: contra quod nos supra probavimus in oppositum, scilicet eam tollere. Quemadmodum, antequam dicatur, esse veram, & dabilem in Deo notitiam de eo quod voluntas cum physicâ prædeterminatione intrinsecâ, seu cum visione beatificâ, amabit Deum liberè, probandum, seorsim à tali notitia, esset, nec prædeterminatione, nec visionem tollere libertatem. Nihil ergo præsidij habet ij Authores in ea Dei scientia conditionata sic expositâ nisi ad vitiosè circumvenendum; non verò ad rem salvandam cum suis decretis libertatem.

24 Si verò dicatur tertium, scientia illa enunciaret sic: *Si constituatur voluntas in hac libertate, consentiet liberè:* attingendo nimirum sub hypothese constitutionem libertatis in actu primo per auxilia indifferentia, & abstrahendo ex parte hypothese à positione, & non positione eiusmodi decreti. Hinc autem inferitur similiter, quod, sicut hæc scientia conditionata, verèque Media, præcisim se habens in hypothese sua, prodesse nequit ad hoc, ut, si postea in statu absoluto, ad principia indifferentia accedat prædeterminatio physica, intrinseca, aut beatifica visio, liber evadat amor Dei; ita pariter, neque ad hoc, ut si accedat eiusmodi decretum, evadat liber consensus in statu absoluto: quia statui absoluto accessit eiusmodi decretum non attactum in hypothese talis scientiæ conditionatæ: de quo decreto contendimus, quod superveniens principijs indifferentibus tollat libertatem. Quemadmodum ergo Deus habens eiusmodi Scientiam, habet simul aliam simplicis intelligentiæ, qua novit, quod, si auxilijs indifferentibus superveniat physica prædeterminatio intrinseca, aut visio beata, non evadet liber amor Dei; sic similiter habet aliam simplicis etiam intelligentiæ, qua novit, quod, si superveniat eiusmodi decretum extrinsecè prædeterminativum, aut condeterminativum, consensus non evadet liber; si verum est quod dicimus, eiusmodi decretum ex natura sua tollere libertatem: sic enim non impleretur conditio talis Scientiæ Mediæ: quia cum additamento tollente libertatem, nequit constitui voluntas in libertate; utpote essen-

*Infr. disp. 6.*

*Supr. disp. 2. num. 5. & prosequenti sumus sect. 10. 2. sect. 1. 10.*

*Tom. de Christo disp. ...*



essentialiter excludente eiusmodi addi-  
mentum.

25 An autem id quod dicimus, addi-  
rumentum talis decreti tollere libertatem,  
sit verum, necne, aliunde petendum est  
seorsim à tali scientiâ conditionata: cu-  
ius propterea beneficio frustra laboratur  
in componendo cum libertate decretum,  
quod, ut in superioribus ostendimus, ex  
natura sua seorsim à Scientiâ Mediâ tollit  
libertatem ratione suâ inattemperantiâ,  
& energiâ faciendi consentire volunta-  
tem, quâ aliunde non consensus foret.  
Neque hic est usus, sed abusus Scientiâ  
Mediâ: quâ, utpote verissimâ, cognos-  
cit res sicut sunt, & quod de re qualibet  
suo modo verè cognoscibile invenit, non  
vero imponit, quod rebus repugnat, ut in-  
veniat.

26 Falsò etiam, & implicanter addi-  
tur, eiusmodi decreta, sive prædetermi-  
nativa, sive condeterminativa, fieri ratio-  
ne Scientiâ Mediâ pro libito nostro evi-  
tabilia: ideoque beneficio Scientiâ Me-  
diâ salvare libertatem. Implicanter, inquâ,  
quia, cum probatum sit, interpositis eius-  
modi decretis, haud secus ac interpositis  
physicis prædeterminationibus intrin-  
secis, non manere voluntati facultatem  
operandi pro libito, non nisi repugnanter  
dici potest, operari cum facultate evitan-  
di pro libito eiusmodi decretum, sicut  
nec physicam prædeterminationem: qua-  
rum utique evitatio pro libito nostro, alia  
libera pro libito nostro posita, vel ponen-  
da. Falsò autem: quia evitabilitas decre-  
ti libertati nostrâ attemperati beneficio  
Scientiâ Mediâ, in eo stat, quod taliter  
instruatur voluntas principijs immediatè  
constitutivis libertatis in actu primo, ut  
si ex hypothese istorum consensus sit, vi-  
deatur conditionatè consensus, si vero in  
eadem hypothese non esset consensus, non  
fuisset scientiâ illa conditionata de  
consensu, nec decretum de libero consen-  
su absolutè futuro, quia si esset, frustra-  
retur, quod omnino repugnat. Hoc au-  
tem applicari nequit decretis prædetermi-  
nativis, aut condeterminativis supra ex-  
plicatis: quia de illis dicunt eorum Affer-  
tores, talis esse naturâ, & energiâ, ut Deus  
pro suo prædominio supremo possit ea  
habere, & per illa facere, voluntatem  
creatam consentire, etiamsi alioquin per

principia indifferentiâ non consensus  
esset. Quo igitur pacto stat eorum evi-  
tabilitas pro libito voluntatis? Aut quam  
evitabilitatem fortiri possunt ratione  
Scientiâ Mediâ? Quacumque enim Scien-  
tiâ Mediâ præsuppositâ de eo quòd volun-  
tas sub eâ hypothese principiorum imme-  
diatorum indifferentium consensus esset,  
aut de eo quod dissensus, posset Deus  
iuxta hos authores interponere pro libito  
suo decretum suum determinativum, sicut  
iuxta alios, prædeterminationem physi-  
cam intrinsecam, sicque facere volunta-  
tem consentire. Falsò igitur adscribitur  
eiusmodi decretis evitabilitas nostra pro  
libito nostro; frustra que ad id adhibetur  
præsidium veræ Scientiâ Mediâ.

SECTIO IV.

*Alium decretum aliter condeterminans  
exponitur, ac repellitur.*

27 Pater Doctor Gaspar de Ribade-  
neyra disp. 10. de Prædest. citans  
pro se PP. Vazquez, Arrubalem, Alarc-  
nem, Dicastillum, & alios, docet, præter  
decreta generalia requisita, ut constituatur  
nostra libertas in actu primo ad con-  
sensum, & dissensum, requiri ex parte  
Dei pro exercitio consensus boni, decre-  
tum aliud Dei intrinsecè efficax, quo  
Deus vult, talem consensum nostrum  
exerceri. Hoc decretum vocant exequuti-  
vum, & comitans ordine causalitatis, seu  
naturâ bonum nostrum consensus: & ait  
esse condeterminativum operationis nos-  
trâ liberâ, & simpliciter requisitum ex  
parte Dei, ut ipsi liberè determinemus  
nos: sic tamen, ut invicem determinatio  
nostra sit simpliciter requisita, ut Deus  
sic determinet: per mutuam videlicet ha-  
rum determinationum divinâ, & nostrâ  
connexionem, & quasi sympathiam: si-  
ne ratione ullâ causali prioritatis naturâ  
alterius ad alteram; cum mutua tamen  
alterius ab alterâ condeterminatione: ta-  
liter, ut verum sit, illud decretum esse in  
Deo, quia nos operamur; & nos operari,  
quia tale decretum in Deo est, & vult,  
quòd nos operemur, ut, citato Vazquez,  
pronunciat num. 43. Ait insuper, per hu-  
iusmodi decretum sic condeterminati-  
vum applicari exequutivè Omnipoten-  
tiam ad concurrendum nobiscum bene

Ribadeni

Vazquez  
Arrub.  
Alarc.

Vazquez

operantibus. Discriminat autem hoc suum  
decretum sic condeterminans à decretis  
prædeterminativis superius explicatis per  
id, quòd illa sunt antecedentia ad nostram  
operationem; hoc verò naturâ concomi-  
tans; cum tam determinetur à nobis ope-  
rantibus, quàm nos ad operandum deter-  
minet: in quo etiam differre videtur à con-  
determinante Scotistico: illa asseruntur  
purè intentiva; hoc autem est exequuti-  
vum, ideoque applicativum Omnipoten-  
tiâ ad operationes nostras bonas: nam ad  
malas illud non admittit.

28 Utilitates huius decreti, maximè  
commendat cap. 4. quas operæpretium  
erit expendere propter utilitatem doctri-  
næ Theologo dignissimâ, quæ earum oc-  
casionem sese offert. Prætermittam tamen  
illius usum pro applicatione, seu prepara-  
tione Omnipotentia: iam enim sine eius-  
modi decreto, ad id muneris nec necessa-  
rio, nec utili, eam applicationem ex pro-  
fesso explicuimus disp. 3. sect. 5. 6. & 7.  
Venio ad alias utilitates, quas præstan-  
tissimus hic Author, ex suo isto decreto  
rei Theologicæ impensè pollicetur.

Supra  
disp. 3.

Augustin.

29 Primò sic explicat, quomodo cõ-  
ponatur tã difficilis Augustino concordia  
libertatis nostrâ, qua Deus dat nobis non  
solù posse, sed etiâ velle: quia nepe ex una  
parte homo se liberè determinat ad velle;  
ex alia verò parte, ut verè dicatur, dare  
nobis velle, decreto illo suo efficaci comi-  
tante, quod est donatio nostri consen-  
sus, determinat nos ad consensum, sive  
ad velle. Respondetur tamen, absque hu-  
iusmodi decreto intelligi bene, Deum  
dare nobis non solum posse, sed etiam  
velle, ut explicuimus sæpe in tom. de Gra-  
tia, præsertim disp. 9. sect. 10. & disp...  
sect... & meliùs si cuncta opera nostra  
bona prædefiniat Deus, ut dicemus disp.  
9. seq. Hoc autem rectè videri potuit Augu-  
stino difficile captui nostro: ob difficul-  
tates, quæ occurrunt in concordia liber-  
tatis humanæ cum præfinitionibus divinis  
à nobis etiam admittendis, & propugna-  
dis disp. seq.

Tom. de  
Grat. disp.  
9.

Infrâ  
disp. 6.

Sapient. 8.

30 Secundò sic explicat fortitudinem  
& suavitatem, quâ divina Providentia, ut  
est Sapient. 8. attingit fortiter, & dispo-  
nit omnia suaviter. Scilicet fortiter, vo-  
lendo efficaciter consensum nostrum per  
eiusmodi decretum suum ad illud deter-  
minans: suaviter, habendo eiusmodi de-

cretum suum pro libito etiam, & deter-  
minatione voluntatis nostræ condetermi-  
nantis se ad consensum. Respondetur ta-  
men, absque tanti decreti imperdicio in-  
telligi quoque commodissimè fortitudi-  
nem, & suavitatem divinæ Providentiæ:  
attingit enim fortiter; scilicet securissimè  
per infallibilem præscientiam eventuum,  
& sæpe per præfinitiones essentialiter in-  
frustrabiles nostrorum actuum explican-  
das disp. seq. Disponit autem suaviter per  
attemperationem præscientiâ, ac præde-  
finitionis suæ ad modum operandi prin-  
cipiorum indifferentium, quibus instructa  
voluntas nostra habet in se evitare pro li-  
bito, ac determinatione sua, ne sit, ecun-  
quam fuerit in Deo talis præscientia, aut  
præfinitio.

Infrâ  
disp. 6.

31 Tertiò sic explicat, quomodo, non  
solùm tota nostra potestas bene operan-  
di; verùm etiam ipsa bona operatio nos-  
tra sit beneficium Dei, novumque bene-  
ficiam: quia nempe, adhuc datâ nobis  
eâ potestate, supervenit deinceps decre-  
tum illud Dei nos condeterminans ad  
consensum. Respondetur tamen, neque  
ad id aptè intelligendum opus esse tali de-  
creto Non enim ad novum beneficium  
necessaria est nova voluntas. Itaque eâ-  
dem Dei voluntate, quæ sit volitio dan-  
di auxilium efficax, vult Deus, & reipsâ  
dat auxilium, & consensum: quæ sunt duo  
Dei beneficia; & consensus quidem con-  
iunctus cum entitate auxilij, maius bene-  
ficiam, quàm entitas auxilij secundùm se,  
ut explicuimus, ac defendimus disp. 12. de  
Gratia sect. 6.

Tom. de  
Grat. disp.

32 Quartò sic explicat, in quo stat  
illa donatio ex parte Dei, cuius defectu  
apud S. Prosperum Tyrij non egerunt pœ-  
nitentiam, quam egissent, iuxta verba  
Christi Matth. 11. stat utique commo-  
dissimè in huiusmodi Dei decreto. Res-  
ponderetur tamen: & sine huiusmodi Dei  
decreto id stare bene. Nam Tyrijs desuit  
donatio actualis pœnitentiæ, quam dat  
Deus, quando confert auxilium efficax  
ad pœnitendum, illud scilicet, quod si da-  
retur, prænoverat Deus, re ipsâ pœnitentiam  
acturos. Nec pœnitentiam ipsam  
esse actum nostrum obstat, quominus  
sic donum, ac beneficium Dei, ut explicui-  
mus loc. cit. de Gratia.

12.

Prosper.

Matth. 11.

33 Quintò sic explicat, quomodo non  
solùm nostra potestas, sed etiam nostra bo-

bona voluntas, nosse consensus, seu nostrum velle, specialiter adiuvetur à Deo: quia nempe sicut nostrum posse adiuvetur per consortium potestatis Dei omnipotentis; sic deinceps nostrum velle per consortium huiusmodi decreti, quod est velle Dei comitans condeterminativè nostrum velle. Respondetur tamen, totum etiam id salvari rectè sine eiusmodi decreto. Nam absque illo etiam decreto, & potestas nostra, & ipsum velle nostrum adjuvantur à gratia: illa formaliter, utpotè constituta in ratione completè potentis per gratiæ auxilium, quo elevatur ad supernaturaliter operandum; istud, efficienter, utpotè ab auxilio divinæ gratiæ, ut à principali causa efficiente productum.

*Augustin.* 34 Sextò sic explicat, quomodo dixerit Augustinus inæqualitatem, seu discretionem consentientis à dissentiente revocari in hominis libitum, quatenus unus determinat se ad consentiendum, & alter non; cum tamen alibi dixerit, eam discretionem non tam in hominis libitum, quam in Dei beneplacitum revocari, iuxta illud Apostoli: *Quis enim te discernit?*

*I. Cor. 4.* Quia nempe ibi respexit Augustinus ad liberam determinationem hominis; istic verò ad Dei donationem & condeterminationem, qua, postquam utrique dedit libertatem, unum & non alterum pro determinatione novi sui decreti condeterminavit ad consensum. Respondetur tamen, utrumque id stare quoque absque novo isto decreto, ut explicuimus super eum Pauli locum *disp. 5. de Gratia à num. 100.*

*Tom. de Grat. disp. 5. sect. 9. Perez.* Notat insuper Anton. Perez *disp. 3. de Scientia num. 171.* quod & nos etiam observavimus *disp. 12. de Gratia sect. ult.* aliud esse, hominem consentire, aut non consentire; aliud verò, hominem consentire, aut non consentire per hoc auxilium, quod habet. Hoc posterius tribui potest homini per hoc auxilium instructo: sicque dicitur ab Augustino, & à nobis, consentire, ac discerni à non consentiente, quia vult. Illud autem prius non ita: ut enim homo absolutè non consentiat, non sufficit non consentire per hoc auxilium; sed requiritur, non consentire per hoc, quod habet; nec per alia, quibus inscrutabili Dei iudicio caret. Itaque absolutius loquendo, ratio cur non consentit, revocatur ultimatiùs ad iudicium, & libitum Dei denegantis homini habenti hoc auxilium,

& non consentienti, alia auxilia, cum quibus novit Deus, quod, si darentur, consentiret: ad quæ danda non tenetur Deus; benè verò homo ad consentiendum cum hoc, quod habet: ideoque homo, & non Deus arguitur de non consensu.

35 Septimò sic explicat, quomodo taliter sit arbitrij nostri reddere efficacem vocationem, ut simul sit etiam potentia, & voluntatis Dei: potentia, quia immediatè cooperatur Omnipotentia Dei cum arbitrio nostro: voluntatis, quia per novum hoc decretum vult, condeterminativè non minus, quam nos, illud ipsum quod benè volumus nos. Respondetur tamen, nec ad id aptè intelligendum, aut salvandum esse necesse tale decretum. Quandoquidem sine illo stat optimè, divinæ potentia, & voluntatis esse in primis dare homini vocationem efficacem; cum solius Dei miserentis, seque ad id decreto suo antecedente determinantis, sit, dare vocationem, quæ negatà, non esset homo potens operari: deinde, dare illam, quæ homo factus potens, non actu operaretur, sicque nec per determinationem arbitrij sui, utpote manentem in statu puræ possibilitatis, redderetur efficax: itemque dare pro divino beneplacito suo aliam, quæ homo factus potens, benè operaretur, concurrente divinâ Omnipotentia ad bonam hominis operationem; illamque volente, imò & præfiniente divinâ voluntate: non decreto comitante condeterminativo humanæ libertatis; sed decreto antecedente, nullatenus determinante voluntatem nostram, sed suam, attemperanter ad determinationem nostram, ut videbimus *disp. seq.* Itaque formalis determinatio Dei, quæ est actus voluntatis Dei, præcedit determinationem nostram, quæ est actio voluntatis nostræ, & Omnipotentia suæ; & non est determinatio Dei determinans nos; quia non est actus voluntatis Dei; sed est libitum arbitrij nostri, nobis competens iure libertatis, quam Deus dedit, dum hominem posuit in manu consilij sui.

36 Octavò sic explicat, quomodo, datà nobis potestate liberè consentiendi, adhuc oramus Deum pro consensu: quia nempe adhuc interponi à Deo debet huiusmodi decretum condeterminativè comitans nostrum consensum: alioquin, si non superesset hoc novum decretum interpo-

*August.*

terponendum ex parte Dei; non nisi ineptè oraremus Deum pro consensu, ad quem habendum, datà iam à Deo ea potestate, nihil amplius requiritur, nisi quod nos ipsi velimus. *Quid stultius*, inquit Augustinus, *quam ab alio petere, quod ipse habes.* Respondetur tamen, & hoc intelligi rectè sine novo illo interposito decreto condeterminante. Oramus enim adhuc pro consensu, datà nobis potestate, & libertate consentiendi: quia nescimus, an auxilium, quod habemus, sit ex ijs, quæ Deus prænovit congrua: quod si forte tale non sit, optamus, ac petimus aliud è congruis; sicque recipi fiat consensus; ut utrumque illud auxilium fiat efficax. Nec obest, quod per illud prius sit iam in potestate nostrâ consensus: nam etiam dicitur esse in nostrâ potestate eiusmodi decretum Dei comitans, & condeterminans, sicut est nostra determinatio libera; quin tamen id obstat orationi nostræ pro consensu, & pro decreto. Quid igitur ad Augustinum? Ex dictis latius *disp. de Gratia sect. ....* respondeo, stultum esse petere ab alio quod habes, aut quod habere est in tua solius potestate; non verò quod etiam est in potestate alterius, & magis in alterius, quam in tuâ, ut magis declaro *num. seq.*

*Tom. de Grat. disp. ....*

*August.*

*August.*

37 Nondò sic explicat, quomodo de Deo dixerit Augustinus: *Magis habet in suâ potestate voluntates hominum, quam ipsi suas*: quia scilicet homo vocatus habet in sua potestate consensum: non verò vocationem, iuxta pulchrum illud eiusdem Augusti: *si quispiam sibi tribuat, quod veniat vocatus, non potest sibi tribuere, quod vocatus sit*: Deus verò & vocationem, quatenus per decretum suum antecedens illâ confert; & consensum, quatenus per novum istud decretum comitans ad illum condeterminat. Respondetur tamen, etiam id intelligi rectè sine isto decreto. Homo namque eatenus dumtaxat habet in sua potestate consensum, quatenus à Deo vocatus, sicque à Deo solo constitutus in manu consilij sui, potest ad quod voluerit extendere manum. Deus verò absolutius antecedenter ad vocationem, habet in sua manu vocationem, & consensum: quatenus, si omnino vult hominem consentire, potest pro libito suo conferre vocationem, quam prænovit fore congruam: quod est mortaliter & in causa

dare quoque consensum: quem deinde liberè etiam coëfficit cum homine. Itaque in homine consentiente multa sunt solius Dei; nihil solius hominis: nam consensus ipse, ad quem exercitè homo à nullo alio determinatus, iure libertatis determinat, Dei potius quam hominis est: non quidem Dei determinantis hominem ad consentiendum; sed determinantis se ipsum ad constituendum hominem in ea libertate, volentis consensum, & suadentis, & immediatissimè liberè concurrentis ad consensum. En clarè præcellentiam divini domini in nostras voluntates, sine novo isto decreto condeterminante. Legatur Anton. Perez, ubi supra *num. 160. & disp. Perez. ult. de Prov. cap. 11.*

## SECTIO V.

*Decima utilitas operosior: & iudicium nostrum circa prædictum decretum condeterminativum, seu præfinitivum.*

38 **D**ecimò tandem sic explicat perfectissimum Dei dominium in voluntates nostras. Quia, admisso huiusmodi decreto condeterminativo, nemo poterit esse, quem nequeat Deus pro libito suo liberè convertere: non solum recurrendo vagè ad collectionem omnium auxiliorum; quin etiam per quodlibet determinatum: cuiuslibet enim posset Deus pro libito suo adiungere hoc suum decretum comitans condeterminativum, quo vellet conversionem fieri ab homine, & re ipsa fieret. Alioquin, cogimur concedere, taliter posse constitui voluntatem hominis liberam, verèque potentem converti, ut in eo statu se posset homo liberè convertere per hoc auxilium pro libito suo; Deus autem non posset illum per hoc auxilium convertere: quod derogare videtur valde supremo dominio Dei; & insipientiæ; ac impietatis notam incurere, quam fulguravit Augustinus *cap. 9. Enchirid.* severè pronuncians: *Quis tam impiè desipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, non posse in bonum convertere?*

*August.*

39 Respondetur tamen, per explanationem huius postremæ utilitatis, elucescere mihi repugnantiam, nedum inutilitatem

tatem dicti decreti condeterminantis: talis nimirum indolis, ut per se faceret consentire voluntatem per auxilium quo, non foret alioquin consensura: in quo stat eius inattemperantia ad libertatem voluntatis creatæ, & sequitur excidium liberi arbitrij nostri: non autem esse potest utile ad prædominium divinum in actus nostros liberos decretum ex natura sua adimens illis libertatem. Nec ad dictum Dei prædominium necessarium est: sine illo enim explicatur satis Dei prædominium in voluntates nostras. In primis enim sine illo decreto stat, quod possit Deus facere pro libito suo, ut nullus convertatur, denegando scilicet omnibus auxilia: deinde & quod omnes convertantur, conferendo scilicet singulis auxilia, quæ pro singulis prænovit fore congrua: cum nullus sit in numero hominum possibilem, de quo non noverit alicui auxilio consensurum fore, si ei conferretur, ut videbimus *disp. 8. à num. 45.* Tandem & quod alij convertantur, & alij non: conferendo alijs, alijsque pro libito suo denegando auxilia, quæ prænovit fore congrua. Ecce ergo absolutissimum Dei prædominium in hominum voluntates: quo fit satis verissimo testimonio Augustini absque novo isto decreto condeterminante.

40 Quod autem homo constitutus liber per hoc auxilium, & non se convertens, possit pro libito suo se convertere; Deusque non possit eum convertere per hoc auxilium; in primis non est omnino verum: quia si hominem converti est à fortiori, Deum illum convertere; sic hominem posse converti est, Deum potestate etiam antecedente posse hominem convertere: ex determinatione tamen hominis quæ faceret hominem determinantem se ad actualem conversionem; Deum vero non determinantem; sicut nec viventem, nec volentem, sed principaliter coëfficientem, seu in actu secundo concurrentem ad ipsam: eo quod illa determinatio in actu secundo, quæ esset actus voluntatis hominis, non esset actus voluntatis Dei increatus, & æternus; sed Omnipotentia Dei creatus, & temporalis; cum sit eadem actio creaturæ.

41 Quod verò Deus, quamvis id possit, conferendo alia auxilia, non tamen possit pro libito suo hic & nunc eum hominem convertere per hoc auxilium, quo

homo potest, & non convertitur, ex suppositione quod homo per hoc non sit se convertitur, coniungendo scilicet cum hac suppositione conversionem hominis; momenti non est; quia sic nec potest homo. Neque hoc est defectus veri dominij in Deo; sed est, pro vero suo prædominio constituisse hominem verè liberum, & arbitrum suæ operationis: nec est carere Deum potestate prædominativâ reali, ac verâ; sed chymericâ, & fictitiâ, faciendî nimirum per medium necessitans, quod homo converteretur liberè: quod esset quasi posse ex anima rationali & corpore constituere brutum pro libito Dei, aliòquin non habituri dominium plenum, & absolutam potestatem faciendî quod vult de suis creaturis. Sufficit ergo ad verum ac reale prædominium divinum in voluntatem hominis pro libito suo non se convertentis per hoc auxilium, quod possit pro suo libito divino hominem convertere conferendo aliud auxilium, cum quo prænovit, fore re ipsa convertendum.

42 Dices. Quid si inter homines possibilem dignoscat Deus aliquem ita rebellem, ut cuicumque auxilio indifferenti dissensurus esset? Profecto hunc non possit Deus pro libito suo liberè convertere; cum tamen talis homo possit pro libito suo se convertere. Huic molestæ difficultati faciemus satis *disp. 8. sect. 6.* ubi inter alia multa dicemus casum esse repugnantem. Nunc satis est dicere, illi non satisfieri ope huius novi decreti condeterminantis, sicut nec ope prædeterminantis: quia decreta, per quæ tollitur essentialiter libertas hominis ad conversionem, non sunt medium utile, sed ineptum, & repugnans ad obtinendam liberam conversionem.

43 Iudicium ex ijs omnibus meum esto, prædictum modum decernendi, seu præfinitendi operationes nostras liberas per decretum illud Dei comitans, & condeterminans esse repellendum. Sic communiter Authores Societ: & in terminis Aldrete *disp. 75. de Scientia.* R. P. N. G. Thyrsus *tom. 1. disp. 11. sect. 12.* Quiros *disp. 11. de Præd. sect. 4.* pronuncians, tale decretum, cuius iam ex Bellarm. meminerat Suar. *Prolog. 2. de Grat. cap. 2.* alienum etiam esse à mente Patris Vazq. Primò: quia nulla ex prædictis utilitatibus illud satis persuadet. Secundò: quia ad usum

usum huius decreti iuxta mentem sui Authoris supponenda est multiplicitas virtualis divinarum decretorum mihi invisâ, & distinctio intentivi ab exequivivo, quam reieci *disp. 3. sect. 3.*

supra disp.  
3.

44 Tertio: quia ad munus applicandi exequivivè Omnipotentiam nec necessarium nobis est, nec idoneum: eam enim applicationem composuimus aliter aptissimè sine ope huius condeterminationis ibidem à *sect. 5.* Addo, quod ex necessitate applicandi Omnipotentiam ad liberas nostras operationes per huiusmodi decretum videtur sequi, Deum condeterminare nos ad peccandum: quod, ut ingens absurdum, refugere maximè studet Ribadeneyra. Ratio sequelæ mihi est: quia hominem peccare est, omittere opus stante obligatione, esset ex determinatione Dei: ergo & hominem peccare. Probatur minor: quemadmodum enim stare obligationem & poni opus, dicit esse decretum Dei, applicativum, condeterminans ad opus; sic stare obligationem & non poni opus, dicit non esse decretum applicativum condeterminans ad opus: sed stare obligationem, & non esse tale decretum condeterminans ad opus, esset ex liberâ determinatione Dei, nolentis sic decernere: ergo id, ac proinde hominem peccare, esset ex determinatione Dei determinantis se actu aliquo suæ voluntatis ad non condeterminandum hominem ad opus; non minus quàm ex determinatione hominis actu suæ voluntatis nolentis ponere opus, ad quod obligatur. Huic equidem impugnationi non multum fido: video enim, haud difficulter solvendam à Ribadeneyra; & fortè præoccupatam in expositione suæ sententiæ.

45 Quarto: quia, quantumcumque conetur hic Author, istud suum decretum esse, ac dici debere concomitans, est in rei veritate antecedens ad determinationem nostram; atque adeo non, ut ipse loquitur, condeterminans, sed verè prædeterminans: ideoque ab Scholis Societatis meritò relegandum. Eius autem antecedentia probatur: quia vis, quam habet, determinandi, aut competit tali decreto, quia est actio in consensum creaturæ; aut quia tendit taliter in consensum, ut faciat, Omnipotentiam illum operari. Non primum: quia actio in consensum est creatus

in illum influxus, quo simul creatura, & Omnipotentia exercentur, & operantur ad extra in tempore; decretum verò est exercitium increatum, & æternum divinæ voluntatis: Deum autem velle operari, præcedit ad operari. Si verò dicatur secundum; ergo tale decretum non comitatur, sed antecedit prioritate naturæ determinationem creaturæ. Sic enim decretum non aliter determinat omnipotentiam, nisi taliter volendo omnipotentiam applicari ad operationem, ut necesse sit, eo posito ex parte actus primi, ad quem pertinet activa omnipotentie applicatio, istam operari in actu secundo: ergo talis determinatio decreti, est verè prædeterminatio: nisi ad libitum constituantur prioritates, posterioritates, & concomitantia, devoluendo rem Theologicam gravissimam, aut ad mera vocabula, aut ad levissima dissidia Philosophica: quod est, quasi araneorum telis appendere pondus ingens doctrinarum. Propter hoc malè audijt apud severiores nostros Theologos hoc decretum Ribadeneyræ, quasi plus nimidò accedens ad prædeterminativa Scotistica, & Thomistica. Nescio tamen, an satis æquo animo id ferant Scotistæ, & Thomistæ, qui sua decreta, aut prædeterminantia, aut condeterminantia, non ita volunt pro determinatione, & facultativo libito creaturæ haberi, aut non haberi à Deo; cum non volentis, neque currentis, sed Dei miserentis esse asserantur.

46 Quintò, & specialius. Quia mutua illa duorum condeterminatio ad alterutrum libitum, repugnat verè utriusque libertati: ergo modus hic decernendi stare nequit, nec cum libertate creaturæ in operando, nec Dei in decernendo. Antecedens præter Quiròs, & Aldrete citatos probat multis Arriaga *disp. 42. de Trinit. sect. 5. subsect. 4.* inde convincens, unicum debere esse velle trium divinarum Personarum: quia si quælibet se per suum speciale velle determinaret ad idem quasi sympathicè, ad quod per suum alia; in nulla illarum staret vera libertas. Ratio autem est: quia vera cuiuslibet agentis libertas dicit essentialiter exclusionem determinationis ab alio. Et cum tali dominio phisico suæ operationis, ut non subordinetur ad libitum alterius determinantis: eo enim ipso esset subordinatum in operando alteri pro libito suo determinanti pro libito

Quiròs.  
Aldrete.  
Arriaga.

fuo ad eam operationem: quod in ipsis terminis implicat. Id præterquamquod videtur naturæ lumine manifestum, traditur conceptissimè à SS. Patribus. Anselm. in Concord. cap. 1. *Sola voluntas determinat* ibi, *quid teneat*. S. Thom. in 2. dist. 39. art. 2. *Ad plura se habet: nec ad aliquid eorum determinatur, nisi ex se ipsa*. Nissen. Orat. Chatec. cap. 30. *Dimisit, Deus, aliquid in nostra potestate, cuius unusquisque nostrum solus est Dominus: dominio scilicet facultativè determinativo*. Clemens. Papa Epist. 13. *Nihil est, quod audientes fidem, ad credendum determinet, nisi arbitrium eorum*. Quæ Authoritates Prædeterminatistas omnes, ac huiusmodi Con- determinatistas punctim feriunt.

47 Itaque non nisi implicanter & falso supponendo, quod probandum; dicitur eiusmodi Dei decretum, sive vocitetur comitans, sive antecedens, sive prædeterminans, sive con- determinans, quod equidem non magnificatio, esse liberè evitabile pro libito voluntatis humanæ; cum ex natura sua, & ex energia sua essentiali faciendi consentire voluntatem humanam, alioquin non consenturam, tollat liberum libitum illius: aut esse in Deo ex libera hominis determinatione; cum repugnet cum eo quod homo liberè se determinet: haud secus, ac si diceretur decretum prædeterminativum esse evitabile, & haberi à Deo pro libero hominis libito, cuius libiti libertatem de medio tollit tale decretum: aut prædeterminare ut homo liberè operetur, tollendo ab homine libertatem: ut notabamus *disp. præced. num. 23.* contra Thomistas sic vitiosè circumeuntes.

48 Nec iuvat præsidium Scientiæ Mediæ, ut contra Scotistas aliquos ursumus *sect. præc.* Nam si in hypothese Scientiæ conditionatæ de consensu non involvitur eiusmodi decretum, quid prodest Scientia Media de consensu libero sub ea hypothese, pro casu absoluto, in quo superadditur principiis indifferentibus, eiusmodi decretum, de quo disputatur, tollat, necne libertatem consensûs? Si verò involvatur in hypothese eiusmodi decretum, in primis scientia illa conditionata non erit Media; sed necessaria simplicis intelligentiæ, propter connexionem essentialem talis conditionis cum eventu sic conditionato. Deinde ea scientia, quæcumque sit, cognoscat, sub hac hypothese

involve tale decretum, fore consensum liberè, si tale decretum non tollit libertatem; & non liberè, si tollit. Scrutandum igitur prius est in natura ipsius decreti, an tollat, vel non tollat: Scientia enim Dei verissima cognoscit res ut sunt, ut erunt, & ut essent, ut ibi otiosius prosequuti sumus. Denique ad quid usus Scientiæ Mediæ, si per intelligentiam simplicem certus est Deus, se posse sic decernere quamlibet operationem nostram, & certò eventuram, si sic decernat?

49 Opponit nobis pro se P. Ribadeneira, nullam esse repugnantiam in libertate duorum cum mutua connexionem in operando liberè: ergo non est cur sic non possit dici de Deo, & creatura. Antecedens probat multis. Primò in actione & termino immediatè liberis. Secundò, in duobus gradibus intensiõis eiusdem actûs liberi, mutuò inter se connexis. Tertiò in actibus liberis naturali, & supernaturali, lege saltem Dei connexis iuxta Ripaldam. Quartò: quia, si Christo præciperetur non exercere actum misericordiæ, nisi simul cum actu humilitatis, & è contra, liberè exerceret utrumque: & tamen non posset determinare se ad unum, quin ad alterum. Quintò; quia posset decernere Deus non concurrere cum uno homine ad actum religionis, nisi simul se alter determinet ad similem actum: quo in casu ex Dei decreto connexi essent illi actus; & tamen liberè exercerentur.

50 Respondetur, distinguendo antecedens: cum mutua connexionem actuum eiusdem agentis liberi; concedo: actuum diversorum agentium, nego: essent enim actus liberi, ut supponitur; & non essent liberi, quia alteruter ab alio determinaretur, quod, ut vidimus, est contra naturam libertatis in agendo. Aliam nunc addo repugnantiam; quod nempe, si duo agentia libera se mutuò determinarent, eorum determinationes non tam essent concomitantes, & con- determinantes se se mutuò, quam sese mutuò præcedentes, cum mutua scilicet adinvicem prioritate aut naturæ, aut determinationis, explicatæ ex Aristotele *disp. 2. num. 76.* sicut, si duæ causæ se mutuò effectivè causarent: quæ tamen mutua prioritas implicatissima est, ut vidimus *disp. præc. sect. 4.*

51 Ad quatuor primas probationes ante-

*Supr. disp. 2. sect. 6.*

*Supr. disp. 4.*

antecedentis, dico multa in illis involvi mihi non probanda: quippe in actibus vitalibus nec admitto actiones distinctas à terminis, nec intensiõnem per accessiõnem graduum; nec doctrinam Ripaldæ de binario illo actuum naturalis, & supernaturalis. Illis tamen transmissis aio, per eas solum probari partem antecedentis, quam concessimus; non quam negavimus. Est autem ratio valdè dispar: quia illi actus comparantur ad unum & idem agens liberum, quod suum dominium exercet, sive per unum, sive per duos actus suos, sive in contextos, sive connexos: actus autem exercens dominium unius agentis excludit essentialiter ex natura libertatis determinationem ab alio agente, ut vidimus à *num. 46.* Sicque nulla est consequentia ad doctrinam Ribadeneiræ.

52 Ad quintam probationem, quæ

videtur magis è re; aliud est, Deum decernere non dare uni libertatem, cum qua operetur actum religionis, nisi det alteri libertatem, qua illum operetur: aliud est, decernere negare uni præparationem sui concursûs, si alter eum actum non operetur. Prior modus nihil convincit ad intentum: quia neuter illorum, sicut nec Deus, determinat alterum; sed vult Deus dare illis simul & non aliter libertatem, qua se alteruter determinaturus est. Nec posterior modus quidquam probat: quia hoc non est alterum ab altero determinari ad operandum; sed Deum se determinare pro libito suo ad non constitutum unum in libertate operandi; si alter constitutus in libertate non operatur: quod toto cælo distat ab scopo, quem intendimus.

## DISPUTATIO VI.

DE DIVINIS ALIIS NOSTRÆ SCHOLÆ PRÆFINITIONIBUS cum utili præsidio Scientiæ Mediæ.

**I** ENIMVS ad civilem Nostrorum concertationem exagitatissimam inter Patres Suarez, & Vazquez, eorumque Discipulos: quorum aliqui nullas, multi aliquas divinas nostrorum actuum Præfinitiones, aliter & aliter constitutas, conciliabiles esse cum istorum libertate contendunt. Nec desunt, qui necessarias esse ad liberas nostras bonas operationes, alijs reclamantibus, opinentur.

### SECTIO I.

Notantur quinque pro rei difficultate, & proponuntur sententiæ è diametro oppositæ.

**2** NE in decursu gravissimæ controversiæ hæstemus quoad aliqua, quæ à nonnullis lego, & audio in dubium revocari, ut difficultatem potius subterfugiant, quam in terminis aptis sincerè resolvant, quædam mihi fixa præno-

randa censui, ut quid admittamus, aut negemus, ex ipso limine nobis, & alijs in comperto sit.

3 Notandum primo: divinam præfinitionem esse decretum Dei intrinsicè efficax: non conditionale; sed absolutum, ut contra nonnullos expressit Franciscus de Lugo *disp. 29. de Deo, & declarat re- sè Borrull disp. 13. de Volunt. sect. 1.* Quia quamvis pendeat in sui adimpletione à varijs conditionibus, ut etiam pendent decreta Scotistica, & Thomistica ab-

*Lugo. Borrull.*

ab-

*Anselm.*

*S. Thom.*

*Nissen.*

*Clemens.*

*Supra disp. 4. sect. 1.*

absolutissima; eas tamen ipsas conditiones amplectitur efficaciter; ideoque absolutissimum est. Vnde non bene putavit Herize; prædefinitiones istas, eo ipso quod non ita prædeterminanter potentes sint, sicut Thomistica, esse quodammodo conditionales & non omnino absolutas; inefficaces & non verè efficaces: ad instar desiderij, quo intenderet homo sanitatem per hæc media suaviora, & non per quæcumque. Non, inquam, bene: non enim id obstat, quominus sint efficaces, & absolutæ: efficaces nimirum, quia intrinsecè connexæ cum positione consensûs sic præfiniti: absolutæ, quia non volunt consensum, si ponatur auxilium; paratæ manere sine consensu, si non poneretur auxilium, ut dicitur de volitionibus conditionalibus; sed volunt consensum & auxilium, à quo pendet consensus, connexæ cum positione utriusque. Aliud itaque est, volitionem pendere in sui existentia ab aliqua conditione, sine qua non extitisset: quod non est contra rationem volitionis absolutæ: aliud est, volitionem in assequutione rei volitæ pendere ab aliqua conditione, quæ non positâ, volitio staret, & rem non assequeretur; & hoc est contra rationem volitionis efficaciæ absolutæ. Priori illo modo, & non hoc posteriori se habent volitiones Dei præfinitivæ, ideoque intrinsecè efficaces & absolutæ. Nec officit exemplum illud hominis intendentis sanitatem: si enim certò nosset, eam assequendam suavis medicamentis, posset quidem efficaciter, & absolutè eam intendere per hæc media, nolens alia fortè potentiora.

4. Notandum secundo, huiusmodi præfinitiones non esse frustrabiles; sed prorsus infrustrabiles intrinsecè: sunt enim decreta Dei intrinsecè efficaciæ modo perfectissimo efficaciæ, ut pote divina. Frustrabilitas autem est imperfectio nostrarum volitionum: quæ ob nostram limitationem sæpè sunt efficaces quoad effectum, quin defectu virium sint quoad effectum, quò solent frustrari. Sic etiam expressit Borrull *disp. ult. sect. 3.* Occurrès quorundam æquivocationi, perperam confundentium frustrabilitatem cum evitabilitate: quas tamen aptè discrevimus *disp. 1. sect. 5. & 6.* Sic etiam Ribaden. *disp. 12. num. 14.* contra quosdam Magistros suos, & alios citatos à Junio *sect.*

5. *cap. 3.* sinistrè arbitratos, præfinitiones esse in aliquo signo frustrabiles, quasi in aliquo signo possent habere prædicatum sibi repugnans: quod est in instanti reali admittere chymeram: id quod æquè malè docuit Franciscus Felix *cap. 2. de Prædest. diffic. 5.* Hinc, si natura harum præfinitionum est, velle, quòd actus per principia indifferentia fiat liberè, æque frustrarentur, si fieret necessariò, ac si nullatenus fieret: ut constet, quàm abs re timeant aliqui, nè huiusmodi præfinitiones obligent Deum ad exhibenda principia necessitantia. Eset profectò ipsas obligare Deum ad id, quo repugnantissimè frustrarentur. Discutit Ribaden. *disp. 16. cap. 1.* an infrustrabilitas competat eiusmodi decretis ab intrinsecò sui: an solum extrinsecò à scientia intrinsecè infallibili, qua diriguntur. Et resolvit optimè ex Ripalda *disp. de Fide sect. 9. & in Append. num. 126.* quòd ab intrinsecò etiâ sui. Quia decretis Dei tribuenda est perfectio summa in sua linea; sicut in sua Scientijs Dei: in linea autè decretorum efficacium summa perfectio est intrinseca infrustrabilitas; sicut in linea scientiarum intrinseca infallibilitas: aut cur non ita? Et quidem extrinseca infrustrabilitas ratione dumtaxat Scientiæ Mediæ infallibilis, qua diriguntur, decretis etiam non præfinitivis, nec intrinsecè efficacibus competeret: concedi igitur insuper debet intrinseca decretis præfinitivis intrinsecè efficacibus.

5. Notandum tertio, huiusmodi præfinitiones debere esse evitabiles pro libito voluntatis creatæ, alioquin stare non possent cum libertate, ut multis consecimus *disp. 4. & 5.* Ea verò evitabilitas ipsis minimè repugnat, sicut nec divinæ providentiæ, ut vidimus *disp. 1. sect. 6.* Quia cum sint decreta Dei contingentia, non illis repugnat, nunquam extirisse: quod est idem, ac contingenter fuisse impeditas, aut evitatas. Discuti potest, sicut nuper de infrustrabilitate: an hæc etiam evitabilitas competat huiusmodi decretis ab intrinsecò sui, an solum extrinsecò ab evitabilitate scientiæ, qua diriguntur? Et similiter dicendum iudico, quòd ab intrinsecò: non enim est ratio, cur scientiæ quantumvis infallibili, competat ab intrinsecò sui evitabilitas; & non huiusmodi decretis, quantumvis infrustrabilibus?

Addo

Addo hoc sic dici expedire, ut debite attemperentur creatæ libertati, ut protequeamur *sect. 7.*

6. Notandum quarto, huiusmodi præfinitiones quamvis immediatè affectivè velint consensum, non causare effectivè physicè consensum immediatè, sed mediatè: mediâ scilicet libertatè creaturæ constitutæ per principia indifferentia. Quæ duo esse per se diversa, & facile distinguibilia patet: quia possum affectivè velle, quantum est ex me efficaciter, homicidium paratum, aut patrandum ab alio, quin ullum influxum præstem in illud. Causa autem mediata, & remota non est propriè causa: sæpè enim non existit, quādo fit effectus à causis suis proximis. Enimverò causa mediata tamen se habet ad effectum mediatum, ut actiò, perquam effectus accipit esse, non oriatur per se essentialiter ab illa; sed posset eadem esse, si illa deficeret. Vnde, quamvis aliquando coexistat effectui mediato, causans, si ve dans esse causis immediatis talis effectus, sive ob aliam rationem, non propterea est causa propria & proxima: siquidem actiò physica, qua effectus accipit suum esse à suis causis proximis, non per se oritur ab illa: imò stare posset, stantibus causis proximis, etiam si per possibile, vel impossibile illa deesset. Hinc distingue, aliud esse causam per se, & causam essentialiter requisitam ad effectum: quæ tamen duo confunduntur passim à nonnullis. Nam è duobus ignibus, æquè simul producentibus calorem, uterque est causa per se, alioquin vix unquam causa per se reperiretur in creatis; neuter verò est causa essentialiter requisita: & è converso, si ex iisdem duobus ignibus alter solus producat calorem, non posset esse in rerum natura, nisi conservatus ab altero, iste alter esset causa essentialiter requisita ad istam productionem, & non esset causa per se, immediata, & proxima.

7. Notandum quinto; supponi à nostris in præfinitionibus veritatem Scientiæ divinæ Mediæ pro directione divinarum præfinitionum. Et ratio est clara. Cum enim natura eiusmodi decretorum, sit velle efficaciter consensum per principia proxima secundum se indifferentia, constituentia libertatem creatam in actu primo, ut Deus providè discernat, operationem creaturæ in actu se-

cundo liberam, præfinitivè debet non solum se habere ad manum auxilia indifferentia, quæ possit conferre; quæ est notitia simplicis intelligentiæ; verum etiam quænam ex illis congrua futura sint; id est talia, ut cum illis, si conferantur, creatura potens dissentire, re ipsa consentiat: ne cæco & improvido modo se gereret Deus in decernendo præfinitivè consensum. Hæc autem notitia conditionalis ipsissima est Scientia Media, ut suis in locis explicatur, ac defenditur à nostris Authoribus universim. His præliminaliter animadversis, audiemus nostrorum sententias, & varios utrinque modos eas defendendi.

8. Sapientissimus Vazquez acriter negat possibilitatem huiusmodi præfinitionum: sentit enim inconciliabiles esse cum libertate creaturæ. Acriter P. Herize. Sequuntur uterque Hurtadus, Alarcon, Martinon, Moncaus, Meratius, & Suarez Lusitanus. Favet R. P. N. G. Thyrsus in selectissimis suis disputationibus tom. 1. *disp. 11.* quamvis non omnino recedens ab opposita sententia. P. Junius *sect. 6. cap. 11.* sub distinctione docet, præfinitiones stare non posse cum libertate, si sint decreta executiva; posse verò, si essent purè intentiva: quia tamen simul docet, non esse purè intentiva, sed simul executiva, adscribendus est absolute pro sententia P. Vazquez: sicut etiam Ortega *contr. 3. de Deo disp. 1. & contr. 4. disp. 6.* & in manuscriptis suis doctissimis Magister è nostris Barcinonensis, Iunij distinctione, & resolutionem sequutus. Cuius equidem distinctionis, & assertionis conditionatæ nullum alium fructum unquam agnovi, nisi utriusque sententiæ difficultates subire, & quòd difficilius est, doctrinas, vel seorsim arduas, velle coniunctim sustinere. Multi ex ijs trahere ad se student Molinam, Lessium, & Becanum: sed sub lite. Sufficiat unus pro myriade Pater Vazquez.

9. Eximius Doctor multis stat in locis pro eiusmodi Dei præfinitionibus, eas iudicans rectè stare cum libertate creatæ; additque *lib. 1. de Prædest. cap. 8. num. 18.* non nisi contra omnes ferè Theologos negari posse; & *tom. 1. de Grat. lib. 1. cap. 14.* sententiam eas negantem tolerari non posse. Sequuntur Montoya *disp. 6.* post uberem SS. PP. eruditionem prof-

Herize.

Felix.

Ripalda.

Vazquez.

Herize.

Hurtad.

Alarcon.

Martin.

Meratius.

Lusitan.

R. P. N. G.

Thyrs.

Iunius.

Ortega.

R. Guald.

Rio.

Molin.

Lessius.

Becan.

Suarez.

Montoya.

Borrull.

Supr. disp.

1.

Ribaden.

Iunius.

Supr. disp.

4. & 5.

Supr. disp.

1.

Quiros.  
Stanaui.

Aldret.  
Lugo.  
Borrull.  
Ribaden.  
Espanza.  
Amic.  
Ribas.

Aranda.

ferens de hac veritate non licere dubitare. Quiros *disp. 11. de Prædest. & disp. 89. de Anima*, iudicans à nemine Societatis reipia negari, imo nec posse post litteras Generalis, quas ibi refert, datas ad universam Societatem. Aldrete *disp. 2. de Prædest.* Franciscus de Lugo *disp. 39. de Deo Borrull disp. 13. de Volunt.* Ribad. *sæpè disp. 12.* Ribas, Amicus, Espanza, & communissimè reliqui Iesuitæ, quorum etiam meminit Henaus *part. 1. de Scientia Media sect. 157.* Molina, & Lessius dubiæ mentis habentur. Horum aliqui, ut Quiros, & Espanza, plaudente nostro Philippo Aranda, eas non modò possibiles, sed necessarias censent in Deo ad Providentiæ efficacem actuum liberorum creaturæ: Alij non solum possibiles, verum etiam de factò existentes; non verò necessarias, ut Suarez, Montoya, & alij communiter, ut Aldrete, Ribad. & partim R. P. N. G. Thyrsus. Quibus è diametro opponitur Martinonus specialiter contendens, actum non concedendas, quamvis essent possibiles. De qua subdubitatione feremus iudicium *sect. 9. & 10.* post propugnatam earum possibilitatem in nostra Schola communissimam: à qua recedere non audeo propter supradicta.

## SECTIO II.

*Præfertur sententia Patris Suarez de possibilitate nostrarum Præfinitionum salva creatâ libertate.*

10 **A**rgumentum vulgare solet esse. Quia Præfinitio est decretum Dei efficax essentialiter infrustrabile: ergo fieri debet, quod ipsa infrustrabiliter vult: sed post Scientiam Mediam auxiliorum indifferentium congruorum vult efficaciter, & infrustrabiliter consensum nostrum fieri liberè per ea principia: consensus ergo liberè fiet: sicque tam longè abest, ut præfinitio tollat libertatem, quin potius libertatem vult, & inducit. Argumentum tamen istud circulatorium, & nullum est. Pone præfinitionem infrustrabilem liberi consensus, circumscriptâ Scientiâ Mediâ, & in simili forma inferes libertatem. Similiter circumeunt cum suis Præfinitionibus Prædeterminatiste, dicendo salvare libertatē, quia prædeterminat ad actum, simulque ad modum liber-

tatis. Cui circuitioni occurrimus *disp. 4. Supr. disp. num. 23.* probando, aliunde esse destructivas libertatis, & exinde inferendo, non nisi repugnanter dici posse Deum velle, per eas salvare libertatem.

11 Occurret ergo similiter facillimo negotio P. Vazquez, concessò enthymemate, negando minorem subsumptam: quia si aliunde contenditur, eiusmodi præfinitiones destruere libertatem, dum à nobis non aliunde probetur, eam non tollere; dicent adversarij, non nisi implicanter supponi in argumento nostro, per eas posse Deum velle fieri liberè consensum nostrum: esset enim velle signatè libertatem, quam exercitè tollunt: æquè, apud adversarios, ac si diceretur Deus per præfinitionem velle consensum fieri sine præfinitione: quippe hoc requirunt, ut fiat liberè. Aliunde ergo probandum à nobis est, huiusmodi præfinitiones divinas non tollere nostram libertatem, ut tutò, ac sine adversariorum risu dicamus, posse Deum per eas velle actum fieri liberè: ut loc. cit. dicebamus contra Thomistas, simili circulatione inutiliter effugientes.

12 Argumentum igitur nostrum sit primum à priori. Stante totâ libertatis essentiâ, stat libertas, ut est per se certum: sed cum prædicta nostrâ præfinitione in Deo evitabili pro libito nostro stat in nobis tota libertatis essentiâ: ergo stat libertas. Res vertitur in minoris probatione; & in statuendâ essentiâ libertatis, unde pendet vera intelligentia, & resolutio huius puncti potius, quam ab umbratili, & imaginariâ consideratione signorum, prioritatum, & statuum conditionatorum directorum, ac reflexorum ad nauseam usque. Probatum autem minor. Essentia libertatis ad consensum stat in potestate facultativâ voluntatis ad eligendum pro libito consensum, vel dissentium: sed totum hoc stat cum prædefinitione consensus: ergo cum illâ essentiâ tota libertatis. Probatum hæc minor, quæ solum eget probatione. Atque in primis, quòd cum præfinitione consensus stet potestas ad consensum, nimis clarum est. Quòd autem stet simul facultativa potestas ad dissentium, monstratur. Nam cum præfinitione consensus pugnat quidem dissentium, non verò pugnant cognitiones, tentationes; habitus; entitas voluntatis, & reli-

reliqua, quæ sunt actus primus dissentienti: ergo stat etiam facultativa potestas ad dissentium cum præfinitione consensus; non minus quam cum consensu; cui dissentium non minus opponitur, quam præfinitioni consensus.

13 Dices, non stare: quia facultativa potestas ad dissentium dicit essentialiter exclusionem præfinitionis, sicut & prædeterminationis, ad consensum: tam enim præfinitio, quam prædeterminatio consensus est impedimentum essentialiter dissentium. Quapropter, sicut in voluntate prædeterminatâ ad consensum, quæcumque adsint reliqua requisita ad dissentium, non staret facultativa potestas ad dissentium; ita neque in voluntate quomodolibet præfinitâ: ac proinde nec staret consentiendi libertas, ut pote dicens essentialiter exclusionem prædeterminationis, sicut & prædeterminationis. Hæc summa præsentis difficultatis.

14 Contra tamen. Facultativa potestas ad dissentium non dicit exclusionem nostræ præfinitionis, sicut prædeterminationis ad consensum: ergo corrumpit tota responsio, & perstat argumentum nostrum in sua vi. Antecedens probatur. Quia, si propter aliquam rationem eam exclusionem diceret, aut esset, quia præfinitio consensus est essentialiter connexa cum consensu, & impossibilis cum dissentio; aut quia est impedimentum essentialiter potestatis ad dissentium: sed prima ratio est nulla; & secunda est falsa: ergo non est, cur facultativa potestas ad dissentium dicat exclusionem præfinitionis ad consensum. Probatum minor quoad priorem partem: nam actio ipsa consentiendi, eiusque scientia Visionis sunt connexæ, aut plusquam connexæ cum consensu, & essentialiter impossibiles cum dissentio; & tamen facultativa potestas ad dissentium, requisita, & sufficiens ad libertatem consensus, non dicit earum exclusionem; imò coexistit cum illis, quoties liberè consentimus; alioquin nunquam liberè consentiremus, quia nunquam consentiremus exclusâ actione nostrâ consentiendi Dei; & Scientia Visionis de consensu: ergo quòd præfinitio consensus sit connexa cum consensu; & impossibilis cum dissentio, non est apta, nec sufficiens ratio, cur facultativa potestas ad dissentium requisita ad libertatem consensus dicat essentialiter

eius exclusionem. Probatum eadem minor quoad posteriorem partem: quia non est impedimentum essentialiter potestatis facultativæ dissentendi requisita ad libertatem consensus, impedimentum, à quo pro libito se potest voluntas expedire, seu quod pro libito potest evitare: sed talis est ex natura sua eiusmodi præfinitio consensus: ergo non est impedimentum essentialiter facultativæ potestatis ad dissentium.

15 Maior hæc patet: non enim ob aliam rationem claudens oculos omittit liberè Visionem, non vero cæcus à natiuitate; nisi quia, quamvis cæcitas, & clausio oculorum sint impedimentum Visionis, ut ille potest pro libito evitare suum impedimentum; non sic iste: nec ob aliam rationem homo consentiens, liberè consentit, stante in Deo scientia Visionis, & Media de suo consensu, nisi quia sunt impedimentum essentialiter impossibile cum dissentio, est tamen ad hominis libitum evitabile. Minor autem probatur quia præfinitio nostra talis indolis est, ut, si homo per hæc comprincipia secundum se indifferentia dissenturus esset, non quidem faceret eum consentire; sed nunquam extitisset in Deo: quod est idem, ac evitari: sicque potestas quam habet dissentendi, est potestas faciendi, quod nunquam extiterit: quod est idem, ac evitabile esse pro hominis libito: nec alium quidem evitabilitatis modum agnovimus omnes in scientia Visionis, & Mediâ de consensu, ut cum ipsis in Deo stantibus stet in nobis potestas facultativa dissentendi, requisita & sufficiens, ut dicamur liberè consentire, dum, stantibus in Deo illis scientijs, consentimus.

16 Atque hinc patet attractabiliter disparitas huius nostræ præfinitionis à prædeterminationibus Thomisticis, nullitas responsionis, validitas nostri argumenti, & ratio solida superioris doctrinæ. Quia nempe prædeterminatio ex natura, ut aiunt, suâ, præterquamquod non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis, illam habere, aut non habere, talis est, ut voluntatem, quæ, si relinquere-tur cum principijs dumtaxat indifferentibus, non esset consensus, faceret omnino consentire; ideoque est impedimentum dissentium nullo pacto ponibile, aut non ponibile, nec evitabile pro libito voluntatis creatæ: ac proinde inattemperatum

Supr. disp.  
4. & 5.  
S. Thom.

ad hominis libertatem, oppositum non solum dissensui, sed potestati facultativæ dissentendi: ac proinde & libertati consentiendi, ut ostendimus *disp. 4. & 5.* cuius propterea exclusionem dicit essentialiter constitutio libertatis iuxta S. Thom. clarè eloquuntur in *2. dist. 39. art. 2.* non stare libertatem in agentibus, qui ab alio determinantur. At præfinitio nostra est quidem impedimentum dissensui, non vero potestatis facultativæ ad dissensum, quia est impedimentum pro libito nostro evitabile: est autem evitabile pro libito nostro, quia taliter vult, quantumvis efficaciter, & infrustrabiliter consensum, ut, si alioquin voluntas constituta cum iisdem comprincipijs indifferentibus non foret consensura, non faceret eam consentire præfinitio, sed nunquam extitisset in Deo: ideoque libertas plenè constituta non dicit eius exclusionem. Nec alio modo intelligimus evitabilitatem divinarum scientiarum de consensu, non obstante earum infallibilitate essentiali, ut non tollant libertatem consensui, nec proinde sint impedimenta potestatis dissentendi, quamvis sint impedimenta dissensui, utpote prohibito nostro evitabilia per potestatem facultativam dissentendi, nec ipsis, nec consensui repugnantem: ideoque libertas plenè constituta non dicit earum scientiarum exclusionem.

17 Unde sic vigeo, Scientia Visionis, & Mediæ consensui incompossibiles cum dissensu, quamvis impediunt dissensum, non impediunt, ne cum illis coexistat potestas facultativa dissentendi: alioquin cum illis non existeret libertas consentiendi: quia nempe sunt impedimenta evitabilia prohibito voluntatis sic proximè constitutæ: quæ, si dissentiret, nunquam extitissent in Deo illæ Scientiæ de consensu. Atqui eodem prorsus modo est evitabilis pro libito nostro præfinitio ista, quatenus nempe, si voluntas sic proximè constituta hic & nunc dissentiret, nunquam extitisset in Deo præfinitio consensui per hæc comprincipia proxima: Quemadmodum ergo illæ Scientiæ quantumvis essentialiter infallibiles de consensu, non tollunt libertatem consensui; sic nec ista præfinitio, quantumvis essentialiter infrustrabilis.

18 Nec valet dicere, præfinitionem habere se antecedenter ad consensum, ut causam consensui. Contra est enim manife-

stissimè. Primò: quia Præfinitio non est causa propria per se & immediata, sed impropria, & mediata consensui: quem utique affectivè vult, non effectivè per se causat, ut notatum reliquimus *num. 6.* ad hunc autem modum etiam est causa impropria, & mediata consensui Scientia Mediæ non per se immediatè effectiva consensui, sed directivè disponens media ad illum. Secundò: quia præfinitio, quamvis se habeat antecedenter ad consensum absolutum, non vero ad conditionatum, quem scilicet supponit, cum supponat Scientiam Mediæ supponentem statum conditionatum: ad statum autem absolutum etiam se habet antecedenter Scientia Mediæ, quamvis supponat conditionatum: sicque quoad hoc etiam pariter se habent. Tertio: quia ex antecedentia, tam Scientiæ Mediæ, quam Præfinitionis de consensu ad consensum, solum inferri posset, neutram posse evitari per consensum: at non dicimus, nisi per dissensum: ad quem scilicet neutra antecederet; cum neutra extitisset, si esset, aut futurus esset consensus.

### SECTIO III.

Secundum argumentum pro eadem verâ Sententiâ.

19 **A**rgumentum secundum nostrum est à paritate mihi semper invictissimâ. Deus enim, iuxta principia doctrinæ Societatis, novit per Scientiam Mediæ, inter auxilia intrinsecè indifferentia, quæ, si ab ipso conferantur, erunt efficacia, & quæ, non: & decernit conferre efficacia. Hoc decretum, iuxta duos Nostrorum opinandi modos, dupliciter asseritur. Vno modo, quod efficaciter conferre velit auxilia, quæ Deus novit fore efficacia, volendo simul efficaciter ipsam efficaciam, seu illa volendo ut efficacia, & quia efficacia. Alio modo, quod efficaciter conferre velit auxilia, quæ novit fore efficacia; non tamen quia efficacia, nec volens efficaciter ipsam eorum efficaciam: quemadmodum vult Deus efficaciter alia alijs conferre, quæ novit fore inefficacia; non tamen, quia inefficacia, nec volens eorum inefficaciam: de quo dissidio feremus iudicium *disp. 3. sect. 1.* Nunc, quoad præfinitio attinet, probò, quod utrobet procedatur modo, tota subeunda nobis necessa-

Infrâ  
disp....

riò

riò est difficultas præfinitionum in ijs elementaribus Scholæ nostræ doctrinis.

20 Atque in primis, si priori modo procedatur, certum mihi est, difficultatem esse non solum similem, sed eandem. Cum enim auxiliorum efficacia importet positionem consensui nostri, volitio efficax efficaciam nequit non esse volitio etiâ efficax consensui nostri; atque adeo intrinsecè connexa cum illo, illumque antecedens eodem iure, quo præfinitio: est enim collativa auxiliorum, quæ sunt constitutiva libertatis in actu primo, & principia immediata consensui in actu secundo positi. Si igitur cum hac Dei volitione stat libertas consensui nostri, eodem stabit iure, eademque ratione cum præfinitione. Deum autè eo priori modo velle, aut saltem posse velle decreto suo auxilia ut efficacia, & quia efficacia, tria doctrina est inter nostros omnes, qui constanter defendunt Scientiæ Mediæ directionem, vix tutò negabilem à non negantibus Scientiam Mediæ: de quo puncto *disp. 3. sect. 1.* ubi difficilius multò videbimus esse tueri directionem illam à nemine Nostrorum negandam, quam præfinitiones istas, quas alij adversus alios sustinent.

21 Si verò procedatur posteriori modo, quem saltem refugere potest Nostrorum nemo, adhuc contendo difficultatem, si non est eadem, esse parem, ac est in præfinitionibus nostris. Quod sic monstrò. Præfinitiones in eo dicuntur offendere, quod sint aliquid antecedens ad consensum, & essentialiter cum illo connexum. Atqui, quamvis negentur præfinitiones, negari nequit in Deo aliquid eodem modo antecedens consensum, & æquè cum illo connexum: par ergo relinquitur difficultas negantibus præfinitiones.

22 Minor, quæ negotium est, probatur. Quamvis decretum efficax conferendi auxilium posset esse sine positione consensui, si nempe voluntas nostra hoc auxilio vocata dissentiret, & sub illo dissensu præficeretur per Scientiam Mediæ: & similiter quamvis Scientia Mediæ præficiens voluntatem consensuram, si tali vocetur auxilio, posset esse sine positione consensui, si nempe nolit Deus decernere illam tali auxilio vocare; verumtamen complexum ex ista Scientia Mediæ, & ex illo decreto conferendi hoc tale auxilium

stare nequit, quin ponatur consensus: nam implicat essentialissimè, nunquam poni consensum, & stare in Deo complexum illud ex decreto efficaci conferendi hoc auxilium, & ex Scientia Mediæ præficiente, ponendum fore consensum, si conferatur hoc auxilium: esset enim aut decretum Dei efficax conferendi auxilium non impleri; aut Scientiam Dei Mediæ de positione consensui, si conferatur hoc auxilium, falsificari; ut nulli non est notum ex terminis. Atqui eiusmodi complexum sic essentialiter connexum cum consensu absoluto, est antecedens ad consensum absolutum: innegabiliter ergo aliquid antecedens ad consensum absolutum, & cum illo essentialiter connexum, admitti debet ab omnibus in Deo, salvâ nostrâ libertate: ut videas, quam frustra respuantur ex isto capite divinæ præfinitiones.

23 Respondere nonnullos vidi, ac legi, negando eiusmodi complexum esse antecedens ad consensum: quia nempe supponit statum conditionatum eiusdem consensui. Sed contra est manifestè. Nam etiam præfinitio consensui, cum essentialiter supponat Scientiam Mediæ de consensu, supponit eundem statum conditionatum, & in illo consensum; & tamen est, iuxta adversarios, antecedens ad consensum absolutum. Præterea, Scientia illa Mediæ de consensu antecedit consensum absolutum: & decretum conferenti tale auxilium antecedit etiam consensum absolutum: ergo utriusque complexum, quod aliud non est, nisi illa scientia, & istud decretum, antecedit consensum absolutum.

Concessio antecedente, negat hanc consequentiam cum nonnullorum plausu nostro Lynceus 1. *Metaph. tract. 9. num. 39.* dans pro ratione, retorsiones in materijs de æternitate, & infinito, & occultæ fallaciæ attribuens vim argumenti, cuius solutio occulta est. Nollem equidem, quod excidisset huiusmodi responsio à Doctore Jesuitâ, exponendo admirationi, ne dicam contemptui, soliditatem nostrarum doctrinarum in puncto libertatis. Profectò, si Scientia Mediæ, illudque decretum antecederent consensum, dicere, quod complexum utriusque non antecedit, mysterium est, non solutio: & tegere potius, quam protegere doctrinas nostras, easque, quasi non essent luce pomeridianâ dignissimæ, latebris tenebricosæ caliginis obnubilare.

Q 2

Ar-

24 Argumentor præterea contra resolutionem. Quia, si sermo est de antecedentia temporis, tam illud complexum, quam nostra præfinitio antecedunt tempore consensum, eiusque futuritionem ab æterno comitantur. Si de antecedentia, quam vocant independentiæ, tam præfinitio nostra, quam complexum illud, nequit esse, nisi sequuto consensu; consensus vero non magis indiget præfinitione nostrâ, quam illo complexo: & fortè minùs iuxta communiorè sententiam: unde potius argueretur maior quadantenus independentia, seu inconnexio consensus ad præfinitionem nostram, quam ad illud complexum. Si de independentia naturæ melius dictæ, seu causalitatis; hæc quidem pariter est in illo complexo, ac in nostrâ præfinitione respectu consensus: neutrum enim est causa per se propria, & immediata consensus; utrumque verò mediata, in genere scilicet directivo, & præparativo principiorum immediatè, ac per se causantium consensum. Deus enim, ut nos dicimus, per præfinitionem; & ut adversarij dicunt, per illud complexum dirigit, præparat; providet, & confert voluntati comprincipia proxima consensus: ergo in eodem genere causalitatis, ac proinde prioritatis naturæ est, aut non est respectu consensus complexum illud, ac nostra præfinitio. Non est igitur, cur ratione disparitatis ab antecedentiâ petita, præfinitio potius nostra, quam complexum illud, noceat libertati.

25 Respondent idcirco aliter alij, cõcedendo prædictum complexum, connexionem essentialiter cum consensu, esse antecedens ad consensum; negant tamen nocere libertati, sicut nocet præfinitio nostra: quia connexio talis complexi cum consensu sumitur à Scientiâ Mediâ: quæ idèo prænovit, consensum fore, si conferatur hoc auxilium, quia si conferatur hoc auxilium, consensus erit; non verò causaliter è converso. At consensus præfinitus hic, & nunc erit futurus, est, & erit, quia datur divina de illo præfinitio, utpote inductiva principiorum, & ipsius consensus. Addunt, quòd positâ in illo complexo Scientiâ Mediâ, nihil proinde reducitur ad actum nisi consensus, & principia attachata per Scientiam Mediam sub hypothese libertatis. At, admissis præfinitionibus, supervenit principijs immediatis attachatis

sub hypothese Scientiæ Mediæ, præfinitio antecedenter ad statum absolutum, quæ est principium aliud essentialiter determinatum ad consensum. Sic ex Herize Herize. prædocti Magistri.

26 Contra famen non minus apertè: & incipio ab hoc ultimo additamento. Scientia Mediâ, qua prænovit Deus, fore consensum, si conferretur hoc auxilium, sicut non attingit sub hypothese sui status conditionati præfinitionem, ut rectè dicit responsio; ita neque attingit sub ea hypothese complexum illud ex ipsa Scientiâ Mediâ, & ex decreto conferendâ tale auxilium, ut est æquè certum: nam & attingeret se ipsam, & iam non esset Scientia Mediâ, sed necessaria, utpote cognoscens eventum sub hypothese essentialiter connexâ cum ipso, ut notavimus pro certo disp. 2. sect. 10. & notant optimè ipsimet, quos impugno. Atqui eiusmodi complexum est æquè essentialiter determinatum ac præfinitio ad non essendum sine consensu, & antecedenter ad statum absolutum supervenit principijs consensus absoluti attachatis sub hypothese Scientiæ Mediæ in statu suo conditionato: ergo nulla prorsus ex additamento responsionis paratur ratio disparitatis ad intentum argumenti.

27 Revertor deinde ad initialem rationem responsionis, quam sic expugno. Sicut decretum conferendâ auxilium stare potest non sequuto consensu, sic etiam seorsim illa Scientia Mediâ de consensu, ut nobis est clarum: nam potuit Deus illâ habere, quin conferret auxilium, ac proinde, quin poneretur consensus: ergo connexio illius complexi ex Scientiâ, & ex decreto cum positione consensus absoluti, non est à solâ Scientiâ, sicut nec à solo decreto, sed pariter ab utroque simul, ut est æquè clarum: sicut etiam, quòd ea connexio est æquè essentialis illi complexo, ac nostræ præfinitioni. Nunc sic. Quamvis ex illa causali vera: *Deus idèo prænovit consensum fore, si conferatur hoc auxilium, quia si conferatur hoc auxilium, consensus erit*, non verò causaliter è converso: quamvis, inquam, exinde inferri valeat, statum conditionatum obiectivum, seu conditionatam illam futuritionem consensus, illi Scientiæ Mediæ correspondentem, non subsequi, imò quodammodo antecedere ad illam Scientiam Mediam;

Herize.

Suprà disp. 2.

atque adèd complexum illud ex tali scientia, & ex decreto subsequi ad prædictum statum conditionatum consensus; non verò sic ad absolutum, ut est etiam apud Adversarios in confesso: cum consensus hic, & nunc, eiusque absoluta futuritio veniat ab illo complexo, providente, dirigente, præparante, & exhibente principia per se immediata libertatis creatæ, per quæ ponitur consensus. Atqui hoc ipsum habet simillimè nostra præfinitio: ergo nec per hoc paratur ulla ratio disparitatis ad intentum.

28 Probatur, & declaratur ista minor. Nam etiam præfinitio nostra utpote supponens essentialiter Scientiam Mediam de consensu, supponit statum conditionatum consensus, eiusque futuritionem conditionatam obiectivè correspondentem eidem Scientiæ Mediæ; & pro posteriori ad conditionatum supervenit ad statum absolutum consensus, non immutans principia per se immediata consensus, quæ præscita fuerunt in hypothese correspondente tali Scientiæ Mediæ, sed illa applicans ad statum absolutum, ad quem in genere etiam causæ dumtaxat mediata, & applicativa antecedit. Quod si hoc sufficit, ut verè quodammodo dicatur, poni absolute hic & nunc consensum, quia est in Deo præfinitio; hoc idem eodem iure, ac modo, in genere scilicet causalitatis applicativæ, mediata, & remota, dici verissimè debet poni consensum hic & nunc, quia ex præintentione Dei saltem inefficaci consensus, est in Deo complexum illud ex Scientiâ Mediâ, & ex decreto conferendâ auxilium, quòd prænovit Deus fore congruum ad consensum: aut cur non ita? Nec valet dicere: quòd ex veritate status conditionati consensus, inferitur existentia Scientiæ Mediæ, non verò existentia præfinitionis. Non enim processit argumentum ex Scientiâ Mediâ ad præfinitionem; sed ex complexo Scientiæ & decreti, ad præfinitionem: at certè illius complexi existentia non inferitur ex veritate status conditionati, sicut nec existentia præfinitionis.

29 Ego quidem, ut ingenuè loquar, ad urgentissimam istam paritatem, suis commanantibus rationibus à priori, per multos domesticarum, ac publicarum disputationum annos audivi plura respondentium verba, mihi tamen significantia ve-

ræ, ac solidæ disparitatis omnino nihil. Quid ergo commodi est insectari præfinitiones istas, si negatis illis, illarum difficultates subeundæ ab omnibus sint iuxta statas Scholæ nostræ doctrinas?

## SECTIO IV.

Obiectiones Patris Vazquez, Herizij, & aliorum.

30 **V**elim principio repellere offendiculum ex Pharo Scientiar. Izquierd. disp. 14. nu. 127. quo vidi interdum aliquos vexatos, & incautos capi. Ecce. Ex possibilitate præfinitionum sequitur esse bonam hanc illationem: *Evitatio præfinitionis libera non est possibilis: ergo existit: cum tamen in terminis videatur implicare ex impossibilitate inferri existentiam rei. Probatur autem sequela. Nam iuxta doctrinam nostrarum præfinitionum, hæc est bona illatio: Evitatio Præfinitionis libera non existit: ergo est possibilis: non enim libera, non existeret, si non posset evitari: ergo & illa debet esse bona. Nam iuxta principium dialecticum, à contradictorio consequentis valet ad contradictorium antecedentis: Si igitur ista posterior est bona à contradictorio sui consequentis, quod est: Evitatio præfinitionis libera non est possibilis: debet inferri contradictorium sui antecedentis, quod est: Evitatio præfinitionis libera existit.*

31 Hoc tamen offendiculum non solum occurrit contra possibilitatem præfinitionum; verumetiam in simili forma contra possibilitatem cuiuscumque actus liberi, divini, & creati, ut idem Author curiosè animadvertit num. 129. Qui propterea respondet pro omnibus, concedendo sequelam, illam reputans non modò non absurdam, sed potius planè demonstrabilem. Quia, inquit, primum illud antecedens: *Evitatio præfinitionis libera non est possibilis: est suppositio repugnans, & chimerica, utpote ex vna parte opposita existentie evitacionis liberæ; & ex alia parte connexa cum illâ ipsâ existentia: ideoque semel falsò concessa infert existentiam evitacionis: non tamen solam, sed simul cum non existentia: ex chymera scilicet chimeram. Ad modum quo ex suppositione chimericâ, quòd Deus non esset possibilis, inferretur existere, & non existere:*



stere: existere, quia supponitur Deus, qui verè est ens necessarium; non existere, quia asseritur non possibilis. Sic autem in illo antecedente non solum asseritur, quòd *evitatio præfinitionis libera non est possibilis*; sed supponitur quòd *est possibilis*, eo ipso quod sit *evitatio præfinitionis libera*: non enim intelligi potest præfinitio libera, quin eo ipso possibilis sit eius *evitatio*: ut ex terminis patet. Veniamus ad severiora.

32 Obijcitur primò. Si nostræ præfinitiones æquè quoad hoc ac Thomistica, per se nequeunt esse, quin sequatur cõsensu, quomodo non per se impellunt, & rapiunt voluntates nostras ad consensum? Si indifferentes non sunt, ut sit, vel non sit cum illis essentibus consensus, quomodo non determinant, & prædeterminant, seu cõdeterminant voluntates nostras ad consensum? Si necesse est, & non contingens, quòd cum illis fiat consensus, quomodo non necessitent voluntates nostras ad consensum? En triplicem implicantiæ nodum. Sed certè dissolvendum ab Adversarijs in Scientia Visionis, & specialius in cõplexo Scientiæ Mediæ, & decreti auxiliij congrui, de quo *sect. præced.* Tam enim Scientia Visionis, quàm complexum illud, quin rapiant, quin determinent, quin necessitent voluntates nostras ad consensum, esse nequeunt, quin sequatur consensus; indifferentes non sunt, ut sit, vel non sit cum illis essentibus consensus; & necesse est, ac non contingens, quòd cum illis fiat consensus.

33 Respondemus facillè pro cunctis, præfinitiones nostras non per se impellere, & rapere voluntates nostras ad consensum: quia, quamvis esse nequeant sine consensu, taliter attemperantur ad libitum voluntatis consentientis per principia immediata indifferentia, ut ex natura sua exigat potius nunquã extitisse, quòd ipsis, utpotè liberis, non repugnat, quàm facere cõconsentire voluntatem, quæ alioquin per principia immediata indifferentia non foret cõsensura: hoc enim ipsis repugnat non minùs quam frustrari: cum re ipsa volentes consensum liberum æquè frustrarentur, si consensus fieret necessariò, ac si nullo modo fieret: fieret autem necessariò, si præfinitio non sit dicto modo attemperata principijs indifferentibus: quod non dicent de suis prædeterminationibus Tho-

mistæ; à quibus si id forte inter respondendum exciderit, eiurasse meritò dicètur prædeterminationes; aut prædeterminationes tueri, quæ prædeterminationes non sunt. Similiter nec prædeterminant, nec determinant ad consensum voluntates nostras præfinitiones istæ Dei sic attemperatæ: quia, quamvis non sint indifferentes, ut sit, vel non sit cum illis essentibus consensus; hoc quidem est, ipsas esse essentialissimè determinatas ad non essendum sine consensu; quod stat benè cum eo quod relinquunt voluntati determinationem essendi cum ipsis, & cum consensu; aut pro libito suo sine consensu & sine ipsis, & hoc est *evitatis* ipsis pro libito, ac determinatione voluntatis: quod de suis prædeterminationibus dicere nequeunt sibi coherentes Prædeterminatistæ. Denique nec necessitant voluntatem nostræ præfinitiones sic attemperatæ: quia, quamvis necesse sit, ac non contingens, quòd cum illis fiat consensus, hæc est necessitas ipsas efficiens propter repugnantiam, quæ essentialiter dicunt essendi, si consensus alioquin per principia proxima indifferentia non futurus esset; non verò efficiens, atque adeo nec necessitans voluntatem ad consensum: quia voluntati minimè repugnat esse, sine consensu, & sine ipsis, hoc est ipsis eo ipso pro libito suo *evitatis*. Quod est ita patens, ac patens est, quod necessitas actionis productivæ consensus, non essendi sine consensu, non necessitat voluntatem ad consensum, cum possit pro libito esse sine consensu, & sine actione, quamvis actio nequeat esse sine consensu. En triplicis nodi triplicem solutionem expeditissimam.

34 Insistunt nihilominus obijcientes. Quamvis eiusmodi præfinitio posset nunquam extitisse simpliciter, & absolutè; tamen ex suppositione quod est, necessariù est, & non contingens voluntati illam esse: nam *res dum est, seu ex suppositione quod est, necessariò est*: ergo dum est, necessitat voluntatem ad consensum. Hoc etiam imbelles telum retorquetur similiter in Scientia Visionis, & similiùs in complexo supradicto Scientiæ Mediæ, & decreti, ab omnibus retundendum. Respondemus pro omnibus: præfinitio ex suppositione quod est, necessarium est esse, necessitate physicâ necessitante voluntatem, cui contingens est illa suppositio, nego: necessitate logicâ

con-

consequentia, concedo. Hæc autem logica necessitas, non necessitat physicè voluntatem, quia non est opposita libertati. Quod autem non sit opposita libertati, patet: nam eodem modo dicitur, quòd res ex suppositione quod liberè est, necessariò liberè est: ubi vides hanc necessitatem logicam coniunctam cum libertate: dicitur autem necessitas consequentiæ, quia nequit non esse vera illatio: *res est: ergo est*: sicut: *res liberè est: non necessariò est: ergo liberè, & non necessariò est*. Nec aliud significat proloquium illud vulgare, cui addendum; quòd *res dum est, necessariò est eo modo, quo est*: unde, si est liberè, necessariò est liberè: necessitate scilicet logicâ consequentiæ, nullatenùs opposita libertati physicæ voluntatis. Quod si aliter hoc intelligendum esset, nunquam voluntas ageret liberè: quia nunquam agit nisi dum agit, & dum agit, & ex suppositione quod agit, necessariò agit: hoc scilicet modo necessitatis logicæ, seu consequentiæ. Vnde consequentiæ contra nos deducta nulla omnino est.

35 Obijcitur secundò ex Vazquez. Stante Dei præfinitione de consensu; aut potest voluntas hominis absolutè, & antecedenter dissentire; aut non potest? Si non potest, actum est de humana libertate. Si potest, actum est de infrustrabilitate præfinitionis divinæ. Si enim stante Dei præfinitione, dissentiret homo, frustraretur præfinitio Dei: ergo, si stante præfinitione potest homo dissentire, potest illam frustrare. Simile argumentum solvendum est ab omnibus in materia à nemine negabili, ut vidimus *disp. 1. sect. 5. & 6.* & clariùs videre est in complexo super ius dicto Scientiæ Mediæ de consensu sub hoc auxilio, & ex decreto conferendi hoc auxilium: contra cuius complexi infrustrabilitatem, seu infallibilitatem obijcitur eadem difficultas.

36 Respondemus nos cum debita distinctione; quod stante Dei præfinitione de consensu, potest voluntas hominis uno modo dissentire; & alio modo non potest. Potest dissentire impediendo, seu evitando pro libito existentiam præfinitionis: nec enim hanc potestatem tollit homini præfinitio, nec consensus opponitur huic potestati, quamvis opponatur cum dissensu, ut ostendimus *sect. 2.* Non potest dissentire coniungendo dissensum

cum præfinitione consensus, sicut nec cum consensu: quia ad hoc nec in homine, nec in Deo, sive stante, sive non stante præfinitione datur, nec dabilis est ulla potestas, nec antecedens, nec consequens: quia esset potestas ad Chymeram. Vnde nec sequitur, quod inferebatur ex priori parte dilemmatis, actum esse de humana libertate; nec quod ex posteriori, actum esse de infrustrabilitate præfinitionis. Non primum: quia facta tecta manet humana libertas, etiam stante præfinitione, sicut stante scientia Visionis de suo consensu, per potestatem impediendi, seu evitandi præfinitionem, sicut & scientiam Visionis de consensu, & ipsum consensum, quando consentit, ut monstravimus *sect. 2.* Non secundum: (sicque sit satis rationi pro eo subiunctæ) quia frustrari præfinitionem, non est, non existere præfinitionem, hoc enim non repugnat, imo est essenziale decreto libero; sed existere præfinitionem de consensu, & nunquam existere consensum: ad hoc autem coniunctum nulla datur potestas in voluntate; ac proinde neque ad frustrandam præfinitionem: sicque facta tecta relinquuntur essentialis eius infrustrabilitas. Ex ijs distinguo ultimum consequens: si, stante præfinitione, potest homo dissentire, coniungendo dissensum suum cum præfinitione Dei de consensu, posset frustrare præfinitionem, concedo: id tamen neque potest, stante, neque non stante præfinitione: Si, stante præfinitione, potest homo dissentire impediendo, nè unquam extiterit præfinitio, sicut nec scientia Visionis de consensu, potest frustrare præfinitionem, nego: quia id non esset frustrare præfinitionem, sicut nec esset falsificare scientiam Visionis, quod repugnat: sed neutram unquam extitisse, & utramque pro libito hominis dissentientis evitari: quod non repugnat.

37 Dices duo. Primum, hoc esse recidere in distinctionem sensus compositi, & divisi reiectam *disp. 6.* Secundum, sic etiam similiter responderi posse pro Prædeterminatistis, quòd stante suâ prædeterminatione ex parte Dei ad consensum potest homo dissentire impediendo, seu evitando, ne illa existat. Respondetur tamen haud difficulter. Ad primum: non rejici à nobis usum distinctionis sensus compositi; & divisi; sed ab usum & finistram, ac implicatorem applicationem

Præ-

Supr. disp.  
1.

Supr. disp.  
6.

*Alvarez.* Prædeterminationistarum cum Alvarez, ut expendimus *disp. cit. sect. 1.* Cum enim ponant prædeterminationes suas præripientes voluntati nostræ munus se pro libito determinandi, cum efficacia, ac energia inductivâ consensûs, & faciendi voluntatem consentire per hæc alia comprincipia, etiam si alioquin per ea non foret consensura: ideoque non sint pro libito facultativo voluntatis, sed pro libito solius Dei misericordis illas velle, aut nolle adhibere; nec relinquunt in potestate facultativâ voluntatis humanæ sensum compositivum; quia componi nequeunt cum dissensu; nec sensum divisum, quia non est in potestate facultativa voluntatis illas evitare, sicut se, & dissensum suum ab illarum existentia dividere, ut ibidem profectu sumus. Ad secundum, non video, quomodo id dici similiter possit à Prædeterminationistis, nisi eiurando in re prædeterminationes, retento nomine dütaxat ad honorem; est enim relinquere ad libitum determinationis humanæ existentiam, vel non existentiam prædeterminationis divinæ, quæ omnino decantatur *non volentis, nec currentis, sed Dei misericordis.* Addo, aliunde à nobis probari ex ipsorum doctrinis prædeterminationes necessitate voluntatem: unde non nisi implicatoriè dicitur in ipsis terminis evitabiles esse pro libito liberi arbitrij nostri, quod ex natura sua necessitant.

## SECTIO V.

*Dua aliæ obiectiones graves.*

*Herize.* 38 **O**bjicitur tertio ex Herize. Præfinitio est actus solius Dei ab æterno existens: ergo quod illa extiterit, non est in nostra potestate: ergo neque, quod non extiterit. Probatur primò: quia nihil possumus, antequam simus: cum ergo nos, nostraq; potestas non fuerimus ab æterno, non potuimus facere, quod non extiterit id, quod, ante nos, nostramque potestatem, extitit ab æterno, ut extitit divina præfinitio. Secundò: quia non est in nostra libera potestate evitare, seu facere, quod non existat id, cuius existentia non est in nostrâ liberâ potestate: si ergo in nostra libera potestate non est, facere, quod existat præfinitio, neque erit, facere, quod non existat, aut extiterit: at-

que adeo neque eius existentiam evitare. Quo ruit fundamentum nostrarum responsionum per evitabilitatem ad libitum nostrum divinæ præfinitionis. Confirmatur: quia, si non possum facere pro libito quod existat amor, non est mihi libera non existentia amoris: libertas enim ad non ponendum pro meo libito amorem dicit potestatem ponendi amorem pro libito meo: sicut libertas amandi potestatem non amandi.

39 Hæc etiam obiectio solvenda ab omnibus est in evitabilitate pro libito nostro scientiæ saltem Visionis æternæ, ut expendimus *disp. 2. sect. 6.* ubi generalem præmissimus doctrinam perutilem, ac pernecessariam ad huiusmodi difficultates. Nunc ad præsentem, in primis, concessio antecedente, non bene infertur prima consequentia: ut patet in scientia Visionis æternæ, cuius non solum non existentia, quin etiam & existentia est in potestate voluntatis creatæ hic, & nunc in libertate constitutæ, modo quo exposuimus *Loc. cit.* Cæterum pro præfinitionibus, concedimus etiam primam consequentiam: Negamus autem secundam, utpote nec bonam, nec veram.

40 Ad primam eius probationem, concessio antecedente, distinguo consequens: non id potuimus ab æterno, verum non id possumus hic, & nunc quando sumus; falsum. Nunc enim quando sumus, eadem potestas, quam adu habemus, dissentendi, est potestas nunc faciendi, ne fuerit ab æterno in Deo præfinitio consensûs per hanc libertatem, in qua nos de facto constituit: sicut & faciendi ne fuerint ab æterno scientia Visionis de hoc consensu; nec complexum Scientiæ Mediæ, & decreti de collatione horum auxiliorum. Id quod, ut animadverti, & explicui *Loc. cit.* non est virtus nostri dissensûs, nostræve potestatis dissentendi physicè influxiva in actus æternos divinos; sed potius infinita istorum perfectio, taliter se ex modo suo infinitissimo se habendi in Deo attemperantium modo operandi voluntatis creatæ in libertate ab ipso Deo constitutæ per hæc comprincipia proxima indifferentia, ut non aliter potuerint esse in Deo, nisi constituti nos in tempore, per hæc comprincipia in hac libertate essemus consenturi ex nostra libera determinatione; non autem essemus sic con-

*Supr. disp. 2.*

senturi sub hypothese huius libertatis, si collatâ nobis hic & nunc hac libertate, re ipsâ dissentimus.

41 Ad secundam probationem, falsum est in multis antecedens. Do unum. Si duorum suffragia simpliciter requirantur, ut tertius obtineat dignitatem, in potestate liberâ unius erit, quod tertius non obtineat, quin tamen sit in eius libera potestate, quod obtineat. Et ratio est: quia ut res non existat, sufficit opponi unicuique impedimentum existentia rei: sicque eo ipso, quod in mea potestate liberâ sit, illud apponere, vel non apponere, est in mea potestate libera, quod res non existat. At vero, ut res existat, non sufficit, non apponi unum impedimentum existentia rei: siquidem, uno non apposito, posset apponi aliud, quo similiter impediretur existentia rei: ideoque ex eo quod haberem in mea potestate libera non apponere hoc unum impedimentum rei, non sequitur, esse in mea potestate liberâ facere, quod existat res. Ad rem igitur, duplex esse potest impedimentum existentia divinæ præfinitionis æternæ mei consensûs temporanei: unum, dissensus meus temporaneus: aliud, nolitio divina æterna præfinitionis consensum meum. Voluntas quidem mea in tempore constituta cum principijs per se indifferentibus habet potestatem apponendi pro libito, vel non apponendi unum impedimentum, scilicet dissensum nostrum, quem si apponat, aut, si sub hac hypothese, positura esset, non extitisset in Deo præfinitio consensûs; quem verò, si non apponat, nec positura esset; non propterea extitisset præfinitio consensûs: eius enim existentia obstare posset pro libito Dei, aliud impedimentum, nempe nolitio divina præfinitionis consensum. En, quo pacto sit in potestate libera voluntatis nostræ, sic nunc à Deo constitutæ, facere, quod non extiterit præfinitio, sicque eam evitare; quin sit, facere quod extiterit, seu eam ponere.

42 Ad confirmationem distinguo antecedens: Si non possum facere pro libito, quod existat amor, non est mihi libera omnis non existentia, seu impeditio amoris, concedo; aliqua, nego. Aliqua enim impeditio, ne existat amor, nempe odium, posset esse mihi libera, quin possem amare: quia, negato divino concur-

su ad amorem, posset indifferenter offerri ad odium, & nolitioem odij. Nihil autem amplius continet, nec contendit doctrina nostræ responsionis. Quippe non contendimus, esse nobis liberam omnem non existentiam, impeditioem, seu evitatioem divinæ præfinitionis de consensu; sed aliquam, nempe positionem dissensûs, quo nunc posito à nobis, nunquam extitisset in Deo talis præfinitio de consensu. Itaque nec libertas non ponendi amorem per aliquam amoris impeditioem, nempe per odium, dicit potestatem ponendi amorem: nec libertas ponendi amorem dicit potestatem omittendi amorem per omnem eius impeditioem, sed aut per omnem, aut per aliquam, quales sunt aut nolitio amandi, aut positio odij: nec libertas evitandi pro libito nostram divinam præfinitioem dicit potestatem illam ponendi pro libito nostro.

43 Objicitur quartò ex Alarcon. Stat ergo, quod non fuit, nec est in nostro libito existentia divinæ Præfinitionis: atqui eâ positâ in Deo, & à Deo pro libito suo ab æterno, sequitur ex ea in nobis consensûs necessitate antecedente: ergo non sequitur liberè. Probatur minor: nam in primis præfinitio, cum sit decretum Dei intrinsecè efficax, esse nequit absque effectu suo sic voluto: ergo non est contingens, sed necessarium, quod, illâ positâ, sequatur consensûs: deinde quod hæc necessitas sit antecedens, patet: quia hæc necessitas est essentialitas ipsius præfinitionis, ut per se intrinsecè repugnantis frustrari suo effectu: sed præfinitio consensûs est antecedens ad consensum, utpote se tenens saltem præparativè & mediatè ex parte principiorum consensûs: ergo ea necessitas est antecedens: atque adeo opposita libertati consentiendi. Hoc argumentum vocat Alarcon *nodum Herculeum*, quo Præfinitores strangulamur. Vidisse tamen debuit eodem nodo se premi in illo complexo ex Scientiâ Mediâ de consensu, sub hypothese talis auxiliij, & ex decreto collativo auxiliij in ea hypothese præcogniti, ut ursumus *sect. 3.* sicque se constringi duplici nodo, uno nostro; alio nostræ paritatis ab ipso dissolvendæ, & meo iudicio indissolubilis.

44 In diversis diversa legi pro responsione: nec operæpretium iudico singulorum referre doctrinas. Sunt qui prop-

terea negent, præfinitiones habere se antecedenter ad consensum absolutum. Sed hoc & probatur satis in obiectione; & est ansam adversarijs dare, ut existiment, nos nomine tenus defendere præfinitiones: cum earum debeat esse munus, disponere, ac præparare causas, per quas fit consensus: quod percipi nequit, quin antecedenter se habeat ad causas immediatas consensus, ac proinde ad ipsum consensum, ut principium saltem mediatum dispositivum, & activè præparativum ad consensum. Sunt & qui propterea negent, Præfinitiones importare secum ullam necessitatem consensus; aut quia aliquomodo sunt antecedenter frustrabiles; aut quia aliquomodo sunt decreta conditionalia. Vtrumque tamen hoc esse clarè falsum, notavimus *sect. 1. num. 3. & 4.* Est igitur Alarconio concedendum, præfinitionem consensus importare secum aliquam necessitatem consensus; eam scilicet, qua necesse est, præfinitionem non frustrari, cum intrinsicè, & essentialiter infrustrabilis sit: eamque qualem qualem necessitatem esse aliquomodo antecedentem ad consensum absolutum. Quo autem pacto stet cum hoc libertas nostri consensus absoluti, & dominativa prioritas; hic nodus est; sed non quo strangulandi simus.

45 Respondemus, concessâ consequentia, ex qua obiectio sumpsit exordium, distinguendo minorem subsumptam: positâ in Deo præfinitione sequitur in nobis ex ea consensus, necessitate antecedente physicâ necessitante voluntatem, nego: Logicâ qua necessitatur essentialiter ipsâ præfinitio ad non essendum sine consensu, sicut nec sine se ipsâ; concedo minorem: & nego consequentiam: ea enim necessitas Logica, & consequentiæ, quam *num. 34.* explicuimus, & clarè distinximus à physicâ, afficiente voluntatem, ideoque oppositâ libertati, afficit quidem ipsam præfinitionem, ne possit esse sine consensu; non verò afficit voluntatem, ne per suam potestatem dissentendi possit esse sine consensu, & sine præfinitione consensus, evitando pro libito suo utrumque per dissensum: ideoque non est opposita libertati magis, quam actio productiva ipsius consensus, per se necessitata ad non essendum sine consensu: non verò necessitans physicè voluntatem, quominus possit esse pro libito sine utroque.

Vnde nego absolutissimè consequentiam. Ad probationem minoris, concedimus libenter, præfinitionem non posse esse sine effectu voluto: & distinguimus consequens: non est contingens, sed necessarium ipsi præfinitioni, quòd, illâ positâ, sequatur consensus, concedo: voluntati, nego: hæc enim, illa positâ, retinet potestatem physicam evitandi per dissensum consensum suum, & præfinitionem Dei, necessariò cum ipso connexam, ac proinde seiungedi se à totâ illâ necessitate Logicâ præfinitionis inseiungibilis à consensu. Concedimus deinde, eiusmodi necessitatem, quam habet præfinitio, non essendi sine consensu, esse antecedentem ad consensum, ut benè probat obiectio, quia est ipsa essentialitas præfinitionis; negamus tamen esse oppositam libertati voluntatis, quia re ipsa est consequens, & non afficit, nec necessitat voluntatem, ne pro libito possit evitare, & seiungere à se consensum, & præfinitionem, & cum illis illam ipsam necessitatem Logicam, seu connexionem essentialem, qua præfinitio est essentialiter inseiungibilis à consensu.

46 Vrgent. Ea Dei præfinitio, eaque necessitas, quæcumque sit, essentialiter impeditiva dissensus, utpote incompossibilis cum dissensu, si est, ut concessimus, antecedens ad consensum, nequit à voluntate creata pro libito evitari per dissensum, nisi sint in illa pro priori antecedenter ad præfinitionem principia dissentendi: sed non sic sunt: ergo ea præfinitio nequit pro libito voluntatis evitari: quâ tantum viâ consulebamus libertati. Minor patet: quia principia proxima constitutiva libertatis nostræ tam ad consensum, quam ad dissensum inducuntur à præfinitione consensus: atque adeò consequenter ad illam: sicque principia dissentendi non sunt pro priori, & antecedenter ad præfinitionem. Maior autem prima probatur. Est enim inintelligibile, voluntatem posse impedire dissensu suo, ne extiterit in Deo præfinitio consensus, nisi pro priori ad præfinitionem habeat principia ad dissensum: quemadmodum quòd possit impedire per dissensum, ne sit consensus, nisi pro priori ad consensum habeat principia ad dissensum; & ad invicem pro priori ad dissensum principia ad consensum: per quæ utrinque consti-

tuitur-

tuitur libertas in actu primo. Quomodo enim potero impedire per subtractionem lucis, ne legas, nisi pro priori ad lectionem habuero principia ad subtrahendam lucem?

*Dorrill.* 47 P. Berrull hac difficultate percutis, ut quoquo modo salvet, principia dissensus esse in statu absoluto pro priori naturæ ad præfinitionem consensus, ponit *num. 38.* ut ingenuè loquar, prioritatem ubi non est, ut sic inveniatur prioritatem, quam de suo ponit. Quasi non sic liceret Prædeterminatistis architectari prioritatem aliquam in consensu ad suas prædeterminationes, ut eas, si fas est, hoc ex capite cum libertate nostrâ componant. Quinimò, quam vocant puræ independentiæ, seu inconnexionis, & inveniunt hæc ingenia in consensu absoluto respectu præfinitionis, quin etiam & in termino producto respectu suæ productionis, applicare faciliè poterunt consensui respectu prædeterminationis: cum verum sit, indispensabilis connecti hanc prædeterminationem cum hoc consensu, sine quo scilicet nullatenus esse potest, quam connectatur hic consensus cum hac prædeterminatione, sine qua posse esse per aliam, aut fortè etiam per nullam iuxta eos qui prædeterminationes possibiles, non tamen necessarias, esse volunt. De ijs prioritatibus egimus *disp. 2. sect. 6.* Nec ad præfens usui est genus aliud prioritatis, *determinationis, seu electionis,* cuius non semel meminimus: cum ex determinatione voluntatis ad consensum non sequatur necessariò divina præfinitio de consensu: cui utique providere posset Deus pro suo libito absque præfinitione, ut est communis nostrorum sententia, & videbimus *sect. 10.* Nunquam placuit, veritatem, & soliditatem nostrarum doctrinarum in ijs præsertim punctis caracteristicis pendentem facere ab eiusmodi subtilitatibus, eadem, qua cogitantur, facilitate, à quocumque negabilibus.

48 Respondemus solidiùs aliter, negando absolutè maiorem. Requiritur quidem, ut voluntas possit pro libito evitare per dissensum præfinitionem consensus, quod sint in illa, aut in illius facultate principia dissentendi; non verò quod sint pro priori ad præfinitionem: sufficit enim si sint in instanti reali quo consentit, & essent pro priori naturæ ad dissensum,

quem causarent, casu quo voluntas dissentiret. Ad probationem maioris, admiratoriam potius, quam probatoriam dico, id quod in illa refertur, neutiquam esse inintelligibile; sed mihi planum in rei veritate, ex eo ipso exemplo consensus & dissensus, quod adducitur. Falsum enim est, quòd, ut voluntas possit impedire per dissensum, ne sit consensus, debeat habere principia dissensus pro priori ad consensum, utpote non influentia in consensum, sed potius retrahentia à consensu: ideoque sufficit, si sint in eo instanti reali quo voluntas consentit: nam eo ipso consentit, verè potens dissentire, prout opus est ad libertatem. Et falsius est, quod tunc debeant adesse voluntati principia dissentendi pro priori ad dissensum: si in eo casu quo voluntas consentit, dissensus non est, quomodo nec pro priori, nec pro posteriori, nec simul naturâ ad dissensum sunt tunc principia dissentendi?

49 Sic igitur ut voluntas hic, & nunc constituta possit impedire pro libito per dissensum suum, ne fuerit in Deo præfinitio consensus, non est opus, quòd principia dissentendi sint pro priori ad præfinitionem; aut cur, precor; sed sufficit quod sint in instanti quo voluntas consentit, undecumque sint: sic enim, undecumque sit, datur tunc in voluntate potestas facultativa dissentendi: ac proinde consentit verè potens dissentire, quod est consentire liberè: cum vera potestate facultativa impediendi, seu evitandi per dissensum suum, divinam præfinitionem de consensu, sicut & ipsum consensum. Ex paritate tandem illâ lucis, nobis obiectâ, lucem potius, ni fallor, accipit doctrina nostræ responsionis: est enim falsissimum, quòd, ut possim pro libito impedire tibi lectionem per subtractionem lucis, debeam habere principia ad subtrahendam lucem pro priori ad lectionem: sufficit, si habeam simul: essent quidem pro priori ad subtractionem lucis, casu quo pro libito subtraherem lucem: tunc enim causarent subtractionem lucis: lectionem autem non causant: ideoque non est cur debeant esse pro priori ad lectionem. Sic notavi, & tenui sæpe, præsertim *disp. 18. Tom. de Gratia*: ubi multa hac pertinentia *Grat. disp. complanavi*, edoctus ab ingeniosissimo *18. Ribadeneyra disp. 7. de Act. hum. cap. 11. Ribaden.*

## SECTIO VI.

Quinta obiectio: ubi de applicatione Omnipotentia per præfinitionem.

**P**. Iunius cit. num. 8. quem alij prædocti sequuti sunt, docet, decretum Dei præfinitivum, utpote intrinsecè efficax, non posse esse purè intentivum, quin per se sit etiam formaliter alicuius termini exequutivum: in quo libenter consentio ex dictis latè disp. 3. sect. 3. & 4. modo, & sensu, quibus ibi docui. Docet insuper eo ipso esse per se immediatè sine adminiculo alterius decreti præparativum applicativum Omnipotentia ad concurrendum cum voluntate consentiente: & in hoc etiam convenio ex dictis ibidem sect. 5. & 6. Docet tandem, eo ipso decretum præfinitivum stare non posse cum libertate creata, & ex hoc capite repugnare in Deo. In hoc autem dissentimus. Iudico enim decretum Dei præfinitivum, etiam si sit intentivum simul & exequutivum alicuius obiecti, atque per se exercitè præparativum Omnipotentia divina ad concurrendum cum voluntate creata, esse possibile absque ullâ offensione nostræ libertatis. Multa contra hoc obicimus, & solvimus loc. cit.

51 Obijcitur nunc sic. Hoc modo constituta præfinitio non esset liberè evitabilis pro libito voluntatis creata: ergo stare non posset cum libertate voluntatis iuxta nos, qui ad eiusmodi evitabilitatem devolvimus ut plurimum nostras responsiones. Probatur autem antecedens. Hoc modo constituta præfinitio esset eo ipso per se causativa non solum mediatè, ac remotè, quin etiam immediatè, & proximè consensus sic præfinitij: ergo non esset liberè evitabilis pro libito voluntatis. Rationes huius consequentia videbimus postea. Nunc probatur hoc antecedens. Primò: quia idem est decretum esse exequutivum, & esse causativum: cum sit eo ipso effectivum rei decretæ. Secundò: quia eiusmodi decretum eo ipso quod sit exequutivum, est applicatio activa immediata Omnipotentia ad consensum, ac proinde constituit Omnipotentiam proximè causativam: ad modum quo approximatio agentis ad passum habet se immediatè, & proximè ad effectum, ut pote se tenens ex parte actus primi ad illum, &

non solum remotè, & mediatè: sic ergo ad consensum eiusmodi præfinitio. Tertio: quia eiusmodi præfinitio eo modo est causa effectus sic præfinitij, quo est volitio efficax illius: nam volitio non aliter causat nisi volendo, quod potentia executiva causat: sed est per se & immediate volitio efficax consensus: ergo & causa immediata, & per se.

52 Respondemus tamen negando primum, & secundum antecedens: falsò enim assumitur decretum exequutivum esse immediatè & per se causativum, & effectivum omnium, quæ vult: cum sit dumtaxat volitio, ut effectus re ipsa efficiatur per Omnipotentiam, & alias causas immediatas, ut notavimus sect. 1. num. 6. & latius disp. 3. à num. 32. Nec est è re causalitas moralis immediata in effectum, qualem haberet consulens, aut suadens homicidium: sermo enim est de physica: nam moralis purè etiam intentivo competeret, imò non intrinsecè efficaci, ut est per se clarum: eiusmodi enim causalitas purè moralis eo ipso est remota, & mediata, quia est movere causas immediatas physicas, à quibus per se effectus efficitur.

53 Ad primam probationem secundi antecedentis, negamus idem esse decretum esse exequutivum, ac esse immediatè per se causativum, seu physice effectivum omnium, quæ vult: cum nullum Dei decretum, sive purè intentivum, sive parè exequutivum, sive simul intentivum, & exequutivum, & præparativum Omnipotentia, quidquam immediatè causat, aut efficiat, sed mediâ Omnipotentia, cuius munus est immediatè efficere, & cuncta, quæ Deus causat, causare; sicut voluntatis divinae, velle; & intellectus, cognoscere. Idcirco diximus, latèque probavimus Loc. cit. frustra fieri à multis discrimen decreti intentivi, & exequutivi per eiusmodi mediationem, vel immediationem.

54 Ad secundam negari solet communiter, decretum præfinitivum esse per se applicativum Omnipotentia, id munus remittendo ad aliud decretum non intrinsecè efficax, sed secundum se indifferens. Sed frustra, ut discussimus, & probavimus disp. illa 3. sect. 7. dicere namque quod stantibus in Deo uno decreto efficaci præfinitivo consensus, & alio conx-

vè indifferenti ad consensum, vel non consensum, istud & non illud applicat divinam Omnipotentiam ad effectum consensus, est mihi non credituro dicere, stantibus in me duabus volitionibus loquedi, una intrinsecè efficaci, & alia indifferenti, istam, & non illam, aut potius quàm illam movere me ad loquendum: & inpressis simul lapidi duobus impulsibus ad cadendum, uno forti, & alio levissimo, cadere potius ex isto, quàm ex illo: aut istum minuire virtutem istius. Itaque concedo libenter decretum præfinitivum esse quoque præparativum ipsam activam Omnipotentia in actu primo, ut defendimus ibidem à num. 67. Admitto deinde habere se ad modum remota approximationis agentis ad passum. Nego autem exinde sequi quod, quamvis teneat se ex parte actus primi dispositivè, sit causa per se, & immediata effectus: non enim est virtus ad effectum; sed præparatio, & applicatio virtutis ad actum primum proximum: à qua virtute sic applicatâ, non verò ab ipsa applicatione, fluit per se physice in actu secundo actio productiva effectus. Nec aliud convincit paritas approximationis agentis ad passum; imò explicat & firmat responsionem nostram: quamvis enim approximatio teneat se dispositivè ex parte actus primi, non est actus ipse primus, nec virtus per se influxiva in effectum, idè enim esset effectus, eademque ipsius productio ab eadem virtute agentis, variatâ approximatione: v.g. sive ignis applicaretur ligno à Deo, sive ab angelo, sive ab homine, sive à bellua, sive casu, sive consilio. Vnde tam de hac approximatione, quàm de Omnipotentia applicatione in actu primo, nego constanter, esse causas immediatas effectuum: atque adeo ex eo quod decretum nostrum præfinitivum consensus sit eo ipso applicativum omnipotentia ad consensum, non sequitur esse causam plusquam remotam, & mediatam consensus. Quomodo autem, quod difficilius est, sit etiam applicatio Omnipotentia ad dissensum, cum quo essentialiter opponitur, explicavimus, ac defendimus à gravibus impugnationibus loc. cit.

Ibidem sect.

55 Ad tertiam negamus antecedens, ut apertissimè falsum. Præfinitio enim est per se formaliter volitio consensus; non est tamen per se formaliter causa consensus, sed medijs principijs immediatis consen-

tiendi, ut est plusquam clarum. Vnde, concessâ minori, nulla est consequentia.

56 Hæc circa antecedens, eiusque probationes. Circa consequentiam dico, adhuc eo concessò, esse illegitimam, ex latè à me scriptis disp. 18. & 2... de Grat. ubi defendimus libertatem actus præcepti, cuius principium immediatum esset gratia sacrificans essentialiter opposita cum eius omissione; & immediatam actus imperati, cuius principium immediatum esset actus efficaciter imperans; quin ea præcisè ratio causæ immediatæ essentialiter oppositæ cum omissione obstat evitabilitati eorum principiorum per se immediatorum pro libito voluntatis. Relegi possunt, si placet, ibi dicta, ad præsens institutum valde conducentia.

57 Urgent tamen, & probant eam suam consequentiam citati Magistri. Ut voluntas creata, positâ Dei præfinitione, sic exequutivâ, & præparativâ, possit eam evitare pro libito suo, debet, ea posita, retinere potestatem facultativam differendi, sicque eam pro libito liberè evitandi: sed non retinet: ergo non potest eam liberè evitare: ac proinde præfinitio non esset liberè evitabilis pro libito voluntatis creata. Maior videtur esse basis doctrinae nostræ. Minor probatur: quia unum ex requisitis constituentibus potestatem nostram liberè evitativam divinae præfinitionis est applicatio divina Omnipotentia ad dissensum impeditivum præfinitionis: nam sine applicatione Omnipotentia, ad omnia, quæ fiunt, concursuræ, nulla datur in creaturis absoluta potestas, ut nobis est certum: sed cum eiusmodi præfinitione consensus stare nequit in Deo applicatio Omnipotentia ad dissensum: ergo nec in nobis potestas evitativa præfinitionis per dissensum. Syllogismus bonus est. Maior apud nos non eger probatione. Minorem autem probant: quia vel ad dissensum esset applicata Omnipotentia per aliquod aliud Dei decretum indifferens, vel per ipsum Dei decretum præfinitivum consensus. Non per illud prius à nobis reiectum disp. 3. sect. 7. & bene multis impugnatum ab obijcientibus.

58 Quòd autem nec per posterius, probant. Primò: quia præfinitio consensus est essentialiter impossibilis cum dissensu: ergo nequit esse applicatio Omnipotentia

Tom. de  
Grat. disp.  
18. & 2...

Suprà  
disp. 3.

Suprà  
disp. 3.

Suprà  
disp.  
3. sect. 3.

Suprà  
disp. 3.

nipotentia pro dissensu: in ipsis enim terminis implicare videtur, quod essentialis impeditio dissensus, sit applicatio Omnipotentia pro dissensu: sicut & quod datur causa alicuius effectus essentialiter incompossibilis cum effectu. Quis enim non iudicaret ineptam, imo & chimericam dispositionem ad combustionem, approximationem ignis ad lignum, incompossibilem cum combustionem ligni? Secundo: quia applicatio Omnipotentia ad effectum est concursus in actu primo ad talem effectum: sed repugnat concursus in actu primo ad effectum essentialiter inconiungibilem cum actu secundo: esset enim concursus in actu primo ad actum secundum repugnantem, ac proinde chimericum: cum ergo præfinitio sit incompossibilis cum dissensu, nequit esse concursus in actu primo, ac proinde nec applicatio Omnipotentia pro dissensu. Tertio: quia præfinitio consensus nequit esse nolitio sui ipsius: sed esset nolitio sui ipsius, si esset applicatio Omnipotentia pro dissensu: ergo talis non est. Probatur minor; quia ut sit applicatio Omnipotentia pro dissensu, debet saltem esse nolitio omnis impedimenti ad dissentendum inevitabilis pro libito voluntatis: sed eo ipso esset nolitio sui ipsius: esset ergo sui ipsius nolitio. Probatur hæc minor: quia illa ipsa est unum ex impedimentis dissensus inevitabilibus pro libito voluntatis: eo igitur ipso, quod esset nolitio omnium impedimentorum inevitabilium, esset nolitio sui ipsius. Probatur antecedens: quia in primis quod sit impedimentum, non negatur: deinde, quod sit inevitabile pro libito voluntatis, probant, quia, ut non sit inevitabile, deberet habere voluntas hic, & nunc constituta potestatem illud evitandi per dissensum: sed non habet: ergo est inevitabile pro libito voluntatis. Probant hæc minorem; quia ut voluntas haberet potestatem illud pro libito evitandi, deberet habere Omnipotentiam præparatam, & applicatam per decretum coniungibile cum dissensu: sed non sic habet: quia solum habet præparatam per decretum præfinitivum consensus, quod non est coniungibile cum dissensu: ergo. Minor est nostra. Maiorem autem probant: quia implicat voluntatem dissentire Omnipotentia non præparatam, & applicatam ad dissensum: impli-

cat autem dissentire, præparatam Omnipotentia per decretum inconiungibile cum dissensu; nam esset coniungere dissensum cum præparatione inconiungibili cum dissensu: ergo deberet habere Omnipotentiam præparatam per decretum coniungibile cum dissensu: atque adeo non per præfinitionem consensus. Hæc summa difficultatis.

59 Respondemus ex dictis *disp. 3. supra* *sect. 6.* concessam maiori, negando minorem. Ad probationem minoris, concessam maiori negamus iterum minorem. Ad bipartitam huius minoris probationem, admittimus posteriorem partem, scilicet, stante præfinitione consensus, per hanc ipsam præfinitionem applicari aprisimè Omnipotentiam pro dissensu, quantum sufficit ad veram potestatem facultativam dissentendi, atque adeo ad liberè consentiendum. Ad tres impugnationes huius partis respondemus sigillatim.

60 Ad primam, concessam antecedente, negando consequentiam. Nec est implicans, quod impeditio dissensus sit præparatio Omnipotentia ad dissensum: dummodo ea ipsa impeditio sit evitabilis pro libito voluntatis. Eadem namque potestas, sic præparata, est potestas evitandi talem impeditioem, sicut & consensus, & est potestas ponendi dissensum, eadem mansura sine hac numero præparatione, si voluntas dissensura foret: huic enim potestati præparabili, sive per hanc, sive per aliam præparationem, accidentale est præparari per istam, quæ sit præfinitio consensus; & posita voluntas in hac ipsa libertate per hanc, sive per quamcumque Omnipotentia præparationem, est potens facere, quod Deus hanc ipsam potestatem per aliam Omnipotentia applicationem præparasset; haud secus ac, apud omnes abstrus, quod per aliam Scientiam Mediam, minimè repugnantem, sed coniungibilem cum dissensu. Illud de causa incompossibili cum effectu verum est de causa immediata, & proxima, essentialiter requisita ad existentiam effectus, qualis non est hæc præparatio, seu applicatio Omnipotentia: cum nec sit propriè causa physica, nec requisita ad existentiam dissensus; siquidem idem dissensus, eademque numero potestas dissentendi, quæ nunc est per hanc applicationem, seu

seu præparationem, possit esse per aliam, coniungibilem cum dissensu. Sic finis, qui causa impropria est, & mediata, causat sæpe media incompossibilia cum ipso fine: ut si quis ex fine melius deambulandi federet: qua sessione fieret potentior ad deambulationem incompossibilem cum sessione. Clarius, & magis appositè in exemplo nuper insinuato Scientia Media de consensu: quæ quidem, ut pote constituta presentem Dei providentiam de consensu libero, est causa directiva, & mediata libertatis consentiendi, ac proinde potestatis dissentendi; incompossibilis tamen cum dissensu: qui, eademque hæc potestas ad ipsum, esse possent sine hac Scientia Media de consensu; cum aliâ scilicet de dissensu, quæ fuisset in Deo pro libito voluntatis creatæ in hac libertate constitutæ, si constituta in hac libertate dissensura feret. Ad interrogationem illam ultimam de approximatione respondemus, iudicaturum, approximationem esse aptam dispositionem ad combustionem, quamvis incompossibilem cum combustionem, illum, qui esset hanc approximationem non esse essentialiter requisitam ad combustionem, sed hanc, vel aliam compossibilem cum combustionem. Nec novum iudicabitur id in Philosophia ab ijs, qui communiter docent, formam embrionis disponere ad viventem, cum qua est incompossibilis: nec quidem in Theologia, ubi dicimus, Angelos in instanti suæ viæ disposuisse se per fidem ad Visionem Dei cum fide incompossibilem.

61 Ad secundam, debeo animadvertere, ne vocabulorum involucro, veritas obnubiletur; concursus in actu primo nihil esse aliud, quam potentiam concurrendi, seu causam effectus in actu secundo. Sicque in primis negamus maiorem: nam applicatio Omnipotentia est quidem actus secundus præparandi; seu applicandi Omnipotentiam; non tamen est causa propria, per se, & immediata concursus, seu effectus in actu secundo: hæc enim in Deo est Omnipotentia, quæ est tota Dei virtus operandi ad extra: decretum autem Dei, non nisi præparativè; sicut & scientia Dei directivè. Sic in creatis approximatio ignis ad passum non est virtus, nec potentia, nec actus primus comburendi; sed est applicatio virtutis,

& potentia combustiva. Vnde transmissa minori; negamus consequentiam. Nec te fallat, quod applicatio Omnipotentia dicitur tenere se ex parte actus primi proximi ad concurrendum. Aliud enim est, se tenere ex parte actus primi; aliud est, esse actum primum. In Deo scientia, & voluntas se tenent ex parte actus primi operandi ad extra; non tamen sunt actus primus operandi ad extra. In nobis actio productiva, & conservativa causæ, dispositiones passivi, & approximatio agentis ad passum, tenent se ex parte actus primi, & non sunt actus primus, nec virtus, nec potentia operationis in passum.

62 Ad tertiam, concessam maiori, negamus minorem. Ad cuius probationem concedimus etiam maiorem, negata minori. Ad huius minoris probationem, negamus antecedens quoad inevitabilitatem. Ad probationem huius partis, concessam maiori, negamus minorem. Ad cuius probationem, negamus maiorem: non enim opus est decreto illo secundum se indifferenti coniungi sive cum consensu, sive cum dissensu, ut defendimus ex professo locis supra citatis: cum sufficiat, ut ibidem diximus, quod Omnipotentia sit uno vel altero modo præparata, sive per Dei decretum coniungibile cum dissensu; sive inconiungibile cum dissensu, dummodo sit evitabile per hanc ipsam potestatem dissentendi, exclusivum omnis determinationis, & impedimenti inevitabilis, quale est præfinitio consensus. Ad probationem maioris, concedimus libenter maiorem, distinguimus constanter minorem: implicat, voluntatem dissentire præparatam Omnipotentia per decretum inconiungibile cum dissensu, coniungendo dissensum cum hac præparatione Omnipotentia, concedimus: evitando hanc præparationem, & pro libito suo habendo aliam, negamus minorem, & consequentiam. Eam autem inevitabilitatem debent aliunde probare objicientes, quod hæcenus non præstitere. Nos satis probavimus evitabilitatem præfinitionis prohibito voluntatis: ad quam quidem evitabilitatem perinde est, sive præfinitio sit simul intentiva & exequitiva, & applicatio Omnipotentia, sive non sit: quod discrimen nullius esse momenti ad rem libertatis semper iudicavi: hoc enim non tollit à præfinitione nostra attemperacionem

nem supra explicatam ad liberam determinationem voluntatis, quæ decretis prædeterminativis aptari non potest ex supradictis.

63 Insistunt tamen adversus hoc, contententes fortiter, eo ipso quod prædefinitio sit decretum simul exequutivum, & applicativum omnipotentia, debere esse determinativum voluntatis creatæ, ac proinde non minus destructivum libertatis nostræ, quam decreta prædeterminativa, aut condeterminativa à nobis reiecta *disp.*

*Supr. disp.*  
4. & 5.

4. & 5. Arguunt autem primò sic. Præfinitio est decretum aliquomodo exequutivum ratione sui: ergo exequutiva pro illius determinatione, pro cuius determinatione existit: sed existit pro determinatione Dei, cum sit immediatè libera ipsi Deo: ergo est exequutiva pro determinatione Dei. Confirmant primò: quia est exequutiva eo modo, quo est efficaciter intentiva: sed est intentiva pro determinatione Dei: ergo & exequutiva. Secundò: quia est decretum exercitè applicans omnipotentiam pro determinatione Dei ad exequendum consensum: ergo exercitè vult, omnipotentiam exequi consensum determinatam à Deo. Probat hanc consequentiam: nam applicatio efficax potentia exequutivæ est determinatio efficax in actu primo talis potentia pro libito illius, pro cuius libertate talis applicatio apponitur.

64 Respondemus tamen, pro nostræ mentis explicatione, concedendo argumentum ad primam usque confirmationem: sic tamen, quod adverte, rem de præfinitionibus intelligendo, ut totum id sit pro determinatione Dei ad sic essendum in Deo: & ad determinandam Dei voluntatem ad sic decernere: cum enim sint decreta divinæ voluntatis, sunt exercitium Deo immediatissimè liberum, sicut quodlibet aliud decretum Dei. Quod si intelligi velint de determinatione, qua Deus sic decernens, seque sic determinans ad sic decernendum; determinet voluntatem creatam ad operandum, totum negamus; & supponitur probandum.

65 Ad primam confirmationem, negatur maior, nam præfinitio est intentiva per se formaliter in actu secundo intendendi: exequutiva verò non sic; sed casualiter, ex parte actus primi exequutionis formalis, quæ est concursus in actu secun-

do, & productio effectus creati: nec alio modo verè concipi potest exequutio activa rerum in Deo, in quocumque decreto constituatur. Vnde concessâ minori, ut supra distinximus ad argumentum, consequentia non nisi in prædictâ intelligentia procedit: & nihil probat contra nos: quippe fatemur ultrò, præfinitionem esse intentivam, & exequutivam in eo sensu, quo diximus esse exequutivam, pro determinatione Dei ad sic essendum in Deo, & ad sic determinandam Dei voluntatem, ut intendat efficaciter, & velit passivam exequutionem effectus creati: non verò pro determinatione Dei determinante voluntatem creatam ad sic operandum, seu ad exequutionem passivam, quæ est actio productiva effectus, simulque concursus ipse divinæ Omnipotentia. In quo nihil me dubij stimulat.

66 Ad secundam conformationem, evitandæ æquivocationis gratiâ, distinguimus antecedens: *Exercitè* tanquam exercitium formale divinæ voluntatis, quâ facit in actu secundo suo applicantem Omnipotentiam pro actu primo omnipotentia, concedo: *Exercitè* tanquam exercitium formale Omnipotentia, quam faciat formaliter exequentem consensum nostrum, nego: hoc enim exercitium Omnipotentia est concursus ipse divinus, & actio vitalis nostra posita pro determinatione & libito voluntatis nostræ. Distinguo autem consequens: præfinitio sic exequutiva exercitè vult, Omnipotentiam exequi consensum determinatam à Deo ad esse sic applicatam in actu primo, concedo; ad exequendum consensum nostrum in actu secundo, nego consequentiam. Ad eius probationem dico cum simili distinctione, clarâque explicatione, quod applicatio efficax potentia exequutivæ est determinatio efficax in actu primo talis potentia, non in actu primo, sed in actu secundo ad esse sic applicatam pro libito sic applicantis; at nec in actu primo, nec in secundo est determinatio potentia exequutivæ ad suam operationem, quando in potentia exequutiva datur potestas evitandi pro libito eiusmodi applicationem; tunc enim quod determinat, est potentia exequutrix, in cuius libito ponitur velle, aut nolle evitari eiusmodi applicationem. Sic autem res se habet in applicatione Omnipotentia pro consensu voluntatis per principia

tipia immediata in libertate constituta.

67 Urgent, & arguunt secundò. Non stat libertas voluntatis ad consensum, ac proinde nec potestas dissentendi, sicque pro libito, ac determinatione sua evitandi, seu impediendi præfinitionem simul intentivam, & exequutivam, ut supra nuper explicatū est, & applicativam Omnipotentia, cum impotentia eiusdem voluntatis determinandi se, & alia comprincipia ad consensum: sed stante in Deo prædictâ præfinitione consensu; voluntas creatæ est impotens determinare se, & alia comprincipia ad ponendum consensum: ergo non stat libertas. Probat minor: quia eiusmodi præfinitio esset determinatio, qua antècedenter ad consensum determinaret Deus Omnipotentiam suam ad consensum voluntatis: sed unum ex comprincipijs huius consensu est Omnipotentia: ergo stante eiusmodi præfinitione exequutivâ, & applicativâ, esset impotens se, & alia comprincipia determinare. Probat maior: quia decretum efficaciter intentivum, & exequutivum eo ipso est determinatio potentia exequutivæ ad effectum sic volitum: ergo eiusmodi præfinitio, quæ esset decretum efficax intentivum, & exequutivum, atque adeo applicativum Omnipotentia ad consensum, eo ipso esset applicatio Omnipotentia, quæ est potentia exequutiva ad consensum.

68 Antecedens istud, in quo res vertitur, probant dupliciter. Primò: quia non aliter in nobis potentia exequutrices, subordinatæ arbitrio nostro in operando, determinantur in actu primo à voluntate ad exequutionem passivam; ut oculi ad videndum, pedes ad ambulandum, manus ad tangendum, nisi quatenus voluntas nostra efficaciter vult illas sic operari: At non minus Omnipotentia Dei est in operando subordinatæ voluntati Dei: ergo volente, ac decernente Deo efficaciter intentivè, & exequutivè operationem consensu nostri, quæ simul est concursus in actu secundo, & operatio suæ Omnipotentia, eo ipso determinaretur in actu primo, imò & prædeterminaret Omnipotentiam suam ad operationem consensu nostri. Secundò: quia non aliter divina voluntas efficax determinat in actu primo, imò & prædeterminat Omnipotentiam suam ad operationem solius Omnipotentia, ut ad productionem cælorum, aut Angelorum in

actu secundo: ergo similiter prædeterminaret Omnipotentiam in actu primo ad operationem consensu nostri in actu secundo, etiam si sit simul operatio voluntatis nostræ: quia hoc non tollit, ne sit operatio etiam Omnipotentia Dei, quæ est potentia exequutrix divinæ voluntati subordinata in operando. Alioquin nullo suo decreto libero posset Deus prædeterminare, & necessitare in actu primo Omnipotentiam suam, & voluntates nostras ad operandum; vnde nec id faceret per decreta prædeterminativa Thomistica, quæ propterea non tollerent libertatem.

69 Respondemus, concessâ maiori, negando minorem, & maiorem probationem. Ad huius maioris probationem, distinguimus antecedens: decretum intentivum, & exequutivum eo ipso est determinatio potentia exequutrices, cuius exequutio passiva non pendet ab arbitrio alterius etiam exequutrices potentis pro libito evitare exequutionem utriusque, & tale decretum, concedo: cuius exequutio passiva pendet ab arbitrio alterius potentia exequutrices potentis pro libito suo evitare exequutionem ipsam passivam, simulque eiusmodi decretum activè exequutivum, nego antecedens: & consequentiam, Quamvis enim eiusmodi præfinitio efficax intentiva consensu, simul & activè aliorum exequutiva, sit formalis determinatio Dei determinans divinam voluntatem ad sic decernere in actu secundo, & divinam Omnipotentiam ad esse sic applicatam in actu primo, Omnipotentiam verò nec in actu primo, nec in actu secundo determinat. Ratio est: quia vult exequutionem passivam ipsius consensu in actu secundo, pendentem simul ab aliâ potentia exequutrice, nempe à voluntate creatâ potente evitare pro libito exequutionem, illudque decretum, ex naturâ suâ nullatenus futurum in Deo, si voluntas creatæ cum ijs comprincipijs proximis constituta dissensura foret: ideoque, nec voluntatem creatam, nec omnipotentiam divinam determinat; sed omnipotentiam formaliter præparat; consensum, seu exequutionem passivam vult; voluntatem creatam per principia immediata in libertate proximâ constituit, sub qua, si dissensura foret, nunquam eiusmodi divina præparatio existisset: quod nec Deo repugnat, nec tali decreto; cum sit decretum liberum, nec

hanc suam indolem amittat ex eo quod sit efficax, & executivum: ut mihi est semper indubium. Vult itaque efficaciter intentivè simul, ac executivè executionem passivam consensûs, quæ est ipse consensus in actu secundo, ab Omnipotentia simulque à voluntate creatâ sic instructâ, exequentiam per actionem eandem, quæ sit vita, & libitum voluntatis creatæ; & non Omnipotentia divina: ideoque per illam Omnipotentia determinatur, & non determinat; voluntas verò determinatur, & se, ac omnipotentiam pro libito suo determinat; quia liberè determinare, est eligere; & formalis electio formalis volitio est, non denominans formaliter eligentem, ac proinde nec determinantem, nisi potentiam, quam denominat viventem, & volentem: actio autem illa, quæ est passiva executio consensûs, quavis multorum cooperantium effectivè sit, solam tamen voluntatem creatam reddit, ac denominat formaliter viventem, & volentem, ut est per se certum: atque adeo eligentem, & liberè determinantem, ut

Tom. de  
Grat. disp.  
2.

alio intetûs explicui *disp. 2. de Grat. sect. 3.*  
70 Ad primam probationem antecedentis: luce clarior est disparitas potentiarum nostrarum physicè exequentium, voluntati nostræ subordinatarum in operando, ab Omnipotentia divinâ exequentrice consensûs nostri simul cum voluntate nostrâ cum debitâ subordinatione ad voluntatem divinam. Nec enim potentia illæ nostræ voluntati subiectæ habent propriû libitum, aut velle: nec earum operationes libitum, aut velle sunt: ac proinde nihil est pro illarum libito aut terminabile, aut eligibile, aut evitabile: ideoque determinantur in actu primo ab imperio voluntatis, utpote ab ipsis pro libito suo non evitabili: quin tamen propterea tollatur ipsarum libertas, cum illam nullatenus habeant. At operationes Omnipotentia, quæ sunt simul operationes vitales voluntatis nostræ, & re ipsa sunt ipsum velle nostrû, sunt libitum voluntatis nostræ, quamvis non sint libitum Omnipotentia Dei, utpote nec per ipsas volentis, nec viventis, ideoque sunt determinatio voluntatis nostræ, se, & Omnipotentiam per illas determinantis electivè in actu secundo, dummodo à nullo alio agente sit determinata in actu primo: à nullo autem est determinata in actu primo, quantumvis connexo

cum suo actu secundo, dum manet apud ipsam potestas facultativa illud pro suo libito, seu determinatione electivâ evitandi; ut manere dicimus, & probavimus, stante eiusmodi decreto præfinitivo, quantumvis efficaciter intentivo, & executivo, & Omnipotentia applicativo. Hinc in forma, concessio exemplo potentiarum nostrarum, voluntati, eiusque determinationi subiectarum, adhibenda est in minori explicata distinctio; & neganda consequentia ob patentem disparitatem: quam tetigit P. Suarez *tom. 3. de Gratia lib. 12. Suarez. cap. 11.*

71 Ad secundam probationem eiusdem antecedentis, est etiam ex dictis in propatulo responsio: concedendo, & negando consequentiam, ob parem rationis disparitatem, quia nempe executio passiva, sive operatio omnipotentia ad opera, quæ ipsius solius sunt; nullius voluntatis est libitum seu velle, ideoque determinatur electivè pro solo libito voluntatis divina: & quoad hoc æquiparatur potentia nostris exequentricibus voluntati nostræ illas determinanti subordinatis: quarum discrimen ab ipsa Omnipotentia quoad operationes, quæ sunt velle nostrum, libitum nostrum, & determinatio nostra, quæ nos, & omnipotentiam, & alia comprincipia formaliter determinamus in actu secundo, quæ electiva determinatio excludit essentialiter determinationem in actu primo ab alio agente, ut ex Sancto Thomâ, & alijs SS. PP. ac rationibus vidimus *disp. præced. à num. 46.*

72 Ad id quod postremò additur, sequi ex nostra doctrinâ, quod Deus nullo suo decreto posset determinare, seu prædeterminare voluntatem nostram ad consentiendum, nego sequelam: quia posset pro libito suo habere decretum naturâ suâ inevitabile, sive omninò negando comprincipia ad dissentiendum, sive imprimèdo voluntati physicam prædeterminationem creatam, sive ita inattemperanter ad libitum voluntatis volens fieri consensum nostrum, ut faceret voluntatem consentire per auxilia, per quæ nõ foret alioquin consensura; sicque per nullam potestatem facultativam nostræ voluntatis evitabile: quia sic constituta facultatem dissentendi non haberet: cum in nullo casu sibi possibili ponibilis esset dissensus: quippe nec posset poni coniunctim cum illo decreto,

quia

Supr. disp.  
5. sect. 5.

quia essentialiter opponuntur; nec coniunctim, aut divisim ab illo decreto, quia non esset in manu sua, non haberi à Deo tale decretum, utpote talis naturæ, ac energia, ut per quæcumque principia secundum se indifferentia extorqueret à voluntate nostrâ consensum, potius quam non extitisset, si alioquin voluntas per illa comprincipia consensura non foret. Sic, inquam, determinare posset Omnipotentiam suam, & voluntatem nostram ad consensum; at non ad consensum liberum, sed ad necessarium, eo ipso necessitans voluntatem, eiusque libertatem, pro divino libito suo tollens, aut impediens, ut facile potest. Non sic decretum nostrum præfinitivum, non sic, utpote taliter ex natura sua attemperatû libertati voluntatis creatæ, ut, si voluntas per hæc comprincipia in mediata, quæ habet, non foret alioquin consentura, potius non extitisset in Deo, quod nec ipsi, nec Deo repugnat, quam si crederet voluntatem consentire, quod repugnat ipsi, & Deo, & nostræ libertati; esset enim velle consensum liberum, necessitando ad ipsum. Hanc indolem nostræ præfinitionis ex natura sua evitabilis pro libito nostræ voluntatis, & in hoc extreme oppositâ prædeterminationibus Thomisticis, & condeterminationibus Scotisticis, expugnare deberent Adversarij, ut ex aliquo capite repugnantem, ut non frustra nostram Sententiam impugnent.

## SECTIO VII.

Postrema obiectio. Vbi de usu perutili Scientia Media ad has Dei Præfinitiones creatæ libertati attemperatas.

Herize.

73 Postremæ, & fortè validiori obiectio iecit fundamentum acerrimus, ac præstantissimus Præfinitionum impugnator Pater Herize *disp. 23. à num. præfinitim 112.* Ex quo sic obijcitur. Huiusmodi præfinitiones divinæ, si haberentur à Deo absque præilluminatione Scientia Media, stare non possent cum libertate nostrâ: ergo neque si habeantur cum præilluminatione Scientia Media. Antecedens probatur primò: quia illud negare, est derogare multo cum præiudicio utilitati, & necessitati Scientia Media ad salvandam per auxilia indifferentia nostram libertatem, aut saltem esset, non esse neces-

sariam in Deo ad præfinitionem nostræ actus titulo salvandæ libertatis nostræ: quod malè audiret in Schola nostra. Secundò: quia si præfinitiones Dei non essent evitabiles pro libito nostro, stare non possent cum libertate nostrâ: sed non essent pro libito nostro evitabiles, si haberentur sine præilluminatione Scientia Media: ergo stare non possent cum nostra libertate, si haberentur à Deo sine præilluminatione Scientia Media. Consequentia est legitima. Maior continet totum fundamentum doctrinæ nostræ hucusque traditæ. Minor probatur: quia ideo est, ac dicitur præfinitio Dei æterna evitabilis pro libito nostro temporario, quatenus pro libito possumus evitare, ne fuerit in Deo Scientia hæc media de consensu sub hypothese huius libertatis per principia indifferentia: si igitur eiusmodi præfinitio haberetur à Deo sine præilluminatione Scientia Media, non esset pro libito nostro evitabilis, ac proinde nec conciliabilis cum libertate nostra. Aut dicatur, unde haberet esse pro libito nostro evitabilem in illo casu? Hæc circa primum antecedens.

74 Consequentia verò probatur multis. Primò: quia si decretum, quod ex se seorsim à præilluminatione Scientia Media, tolleretur libertatem, adhibita Scientia Media stare posset cum libertate; præeunte itidem Scientia Media posset Deus absque iacturâ libertatis nostræ præfinire actus nostros liberos decreto præfinitivo Thomistico, aut Scotistico; quod tamen negamus ex dictis *disp. 5. sect. 3.* ergo si huiusmodi decreta, quæ seorsim à Scientia Media tollunt libertatem, nullo Scientia Media subsidio conciliarentur cum libertate; similiter nostrum decretum præfinitivum, si circumscriptâ præilluminatione Scientia Media tolleretur libertatem, nec subsidio Scientia Media stare posset cum libertate. Alioquin, adhibita Scientia Media, tota læsio libertatis per quodcumque decretum prædefiniens fanaretur: quod est utilitatem Scientia Media ludicram facere.

75 Probatur secundò illa prima consequentia ex univèrsali, seduloque notanda Doctoris Eximij propositione *lib. 1. de Scientia futur. cap. 9. num. 4.* vbi scribit sic: *Si mente apprehendamus, nullam esse præscientiam de rebus futuris, nihilominus si cætera omnia eodem modo se haberent, res*

Suprà  
disp. 5.

Suarez.

verè erunt futura, & contingentes: quia præscientia non immutat modum causandi, sed intuetur. Id quod de quacumque Dei Scientia verissimum est. Vnde est, quod quamvis impossibile sit, poni à parte rei hominem, aut corpus, aut animam unitim, bene operando, non stantibus in Deo Scientia simplicis intelligentiæ, Mediæ, & Visionis; verissimum tamen est, quod si per impossibile nullæ istarum scientiarum adessent, & cæteris eodem modo se habentibus, ponerentur à parte rei corpus & anima unitim diligens proximum, daretur homo bene operans. Quid in hoc dubij? Vnde sic arguitur. *Præscientia Dei non immutat modum causandi, sed intuetur*: ergo præscientia Dei de consensu nostro sub ijs principijs immediatis constitutivis huius libertatis, sive adhibeatur, sive non adhibeatur decretum Dei prædefinitivum, non immutat, sed intuetur modum causandi consensum: ergo decretum præfinitivum, quod cum Scientia Media salvat libertatem, tale debet esse ex natura sua, ut illam salvaret, sive cum Scientiâ Mediâ, sive per impossibile habitum sine Scientia Media: hæc enim sicut non immutat modum causandi principiorum immediatorum, quæ intuetur, sic à fortiori nec modum causandi mediatum decreti, quod nō intuetur. Alioquin si decretum istud ex natura sua intrinseca non habet salvare libertatem, sicut nec id habet ex naturâ suâ decretum Thomisticum, aut Scotisticum, cur præilluminante Scientiâ Mediâ isti advenit ab illa salvare libertatem, & non decretis Thomisticis, aut Scotisticis?

76 Probatur tertio, & expromitur tota rei difficultas. Vel in sua hypothese, sub quâ novit Scientia Media liberum consensum fore, attingit cum alijs principijs constitutivis libertatem huiusmodi decretum præfinitivum, vel illud non attingit? Si dicatur primum, sequuntur duo. Vnum: quod Scientia Media iam non erit Scientia Media, sed scientia necessaria simplicis intelligentiæ, ut potè cognoscens eventum conditionatum sub conditione essentialiter connexâ cum eventu, & cui non est contingens, sed necesse poni eventum consensûs. Alterum: quod Scientia Media deberet sub hypothese sua attingere Scientiam Mediam: contra quod absurdum laboravimus *disp. 2. sect. 10.* pro doctrina totius ferè nostræ Scholæ. Proba-

tur autem sequela: quia si hoc decretum tolleretur libertatem seorsim à Scientia Media, & non tolleretur cum Scientia Media, non posset cognosci consensum eventurum liberè sub hypothese involuente hoc decretum, nisi in ipsa hypothese involuente etiam Scientia Media; siquidem sine illa decretum tolleretur libertatem: implicat autem cognosci consensum eventurum liberè sub hypothese involuente aliquid tollens libertatem, ut est per se clarum. Dicendum ergo est omnino illud secundum, scilicet, Scientiam verè Mediam non attingere sub sua hypothese eiusmodi decretum præfinitivum.

77 Ex quo sic ingravescit difficultas. Illud decretum non attingitur à Scientia Media sub sua hypothese: ergo vel excluditur ab ea hypothese; vel in ea præcinditur ab illo. Primum dici non potest: quia si positive illud excluderet Scientia Media à sua hypothese, cognosceret consensum eventurum liberè, si voluntas excludo tali decreto, constitueretur cum principijs immediatis indifferentibus. Quomodo ergo deservire posset illa Scientia Media ad salvandam libertatem consensûs, casu quo cum illis principijs indifferētibus adiungeretur istud decretum, quod ipsa excludit. Si verò dicatur secundum: ergo præcendente Scientiâ Mediâ in sua hypothese ab isto decreto, non cognoscitur per illam, consensum eventurum liberè sub hypothese includente istud decretum. Quomodo ergo deservire poterit ea Scientia Media pro casu quo inter principia consensûs involvitur istud decretum?

78 Si respondeatur, per aliquam Scientiam Dei necessariam, scilicet simplicis intelligentiæ, cognosci à Deo, quod sub hypothese involuente inter alia cōmprincipia decretum illud habendum cum præilluminante Scientiâ Mediâ, eveniet consensus liber. Contra est: quia hæc Scientia Dei conditionata, quæcumque illa sit, cognoscet, quod sub ea hypothese eveniet consensus & quidem liber, si vera est opinio nostra, quod eiusmodi decretum non tollit libertatem; & quod eveniet necessariò, si vera est opposita opinio Patris Vazquez, Herizij, & aliorum, quod eiusmodi decretum propter illuminationem Scientiæ Mediæ non desinit tollere libertatem: nam ex eo quod res est, vel nō est;

## SECTIO VIII.

*Vera, & solida responsio cum utilitate Doctrinæ.*

80 **R**espondeo itaque cum alijs doctissimis è Nostris, antecedens esse negandum Patri Herize, ut ipsius discursus contra præfinitiones divinas communi Scholæ nostræ plausu adstructas, & à Maioribus enixè commendatas, enervetur. Dicimus ergo, decretum nostrum præfinitivum, sicut, quamvis non possit esse volitio sui obiecti, quin præcedat divina eiusdem obiecti cognitio, si tamen per impossibile esset illud ipsum in Deo absque cognitione, esset volitio eiusdem obiecti; sic similiter, quamvis non possit stare cum libertate nostri consensûs, quin præcedat in Deo Scientia Media de consensu, si tamè per impossibile illud ipsum extaret absque tali Scientia Media, esset volitio eiusdem consensûs, staretque cum ipsius libertate per ipsum illasâ. Et idem quoad hoc, quod de Scientia Media, dico de Scientia simplicis intelligentiæ. Quia sicut ab intrinsicis suis habet eiusmodi decretum esse volitionem consensûs, ita & salvare libertatem naturâ suâ desumptâ à directione essentiali Scientiæ Mediæ.

81 Ad primam antecedentis probationem negamus, id esse derogare utilitati, ac necessitati Scientiæ Mediæ. Primum: quia nemini venire potuit in mentem maior aut utilitas, aut necessitas Scientiæ Mediæ, quàm sit Scientiæ simplicis intelligentiæ ad nostram libertatem: & idem dicitur de Scientia simplicis intelligentiæ necessarissimâ: qua tamen necessitate nihil obstante, verissimum est, quod, sicut, si per impossibile absque illa ponerentur à parte rei corpus, & anima unitim, poneretur homo; similiter est verum, quod si absque illa ponerentur à parte rei constitutiva huius libertatis creatæ, poneretur hæc libertas: hoc igitur similiter dicere de Scientia Media nihil derogat eius utilitati, ac necessitati ad nostram libertatem. Et ratio clara pro utraque est, quia quamvis utraque illa Scientia constituat formaliter libertatem Dei, non verò nostram: ad libertatem quidem Dei habent se constitutivè; ad nostram verò non constitutivè, sed causaliter, sicut ad ponendum hominem à parte rei. Secundò: quia aliud est

est, aut erit vel non erit, sicut cognoscitur à Scientiâ, Scientia est vera vel falsa. Dicere ergo, quod ea Scientia Dei conditionata necessaria cognoscit, consensum eventurum liberè sub ea hypothese includente eiusmodi decretum cum Scientia Media, est supponere, eiusmodi decretum habitum cum Scientia Media non tollere libertatem, quod est punctum controversiæ: quæ etiam libertate oppositum opinantes dicent ex opposito, in Deo dari Scientiâ conditionatam, qua novit, sub ea hypothese consensum non eventurum liberè: & similiter alius opinans, eiusmodi decretum, etiam si haberetur sine præilluminatione Scientiæ Mediæ, non tollere libertatem, supponet in Deo Scientiam conditionatam necessariam, qua novit, consensum eventurum liberè etiam sub hypothese includente eiusmodi decretum habitum sine præilluminatione Scientiæ Mediæ. Quid ad hæc? Profectò manifestè videntur convincere, præter præsidium Scientiæ Mediæ alioquin utilissimæ, aliunde etiam petendam esse pro decreto nostro præfinitivo attemperacionem, & conciliabilitatem cum nostra libertate: nam præcisè per præilluminationem Scientiæ Mediæ non nisi circumveniendo, & quæstionem supponendo id defenditur: qua circuitione posset cum decretis Thomisticis, aut Scotisticis, præilluminante Scientiâ Mediâ, defendi libertas. Stare ergo legitimè consequentia Patris Herize, quod, si decretum præfinitivum, seorsim à præilluminatione Scientiæ Mediæ, non posset salvare libertatem; neque per præilluminationem Scientiæ Mediæ illam salvaret: quia præscientia præcisè non immutat modum causandi, sed intuetur, ut eximè dixerat Suarez *cit.*

79 Responsio multorum ad obiectio-nem inquam *num. 71.* est concedere, ac defendere pro viribus antecedens; & negare consequentiam. Ego tamen responsum nec habeo, nec video ad probationes consequentiæ, concessio antecedente, quod sibi statuit potius, quàm probari P. Herize ex multorum abs dubio concessione. Ideoque, si concedatur antecedens, eundem iudico in Sententiam Patris Vazquez, & aliorum omnino negantium possibiles in Deo præfinitiones nostrorum actuum liberorum.



est utilitas, seu necessitas, adhuc causaliter, Scientiæ Mediæ ad salvandam nostram libertatem per auxilia indifferentia, quod est totius Societatis doctrina; aliud est valde diversum utilitas Scientiæ Mediæ ad salvandam nostram libertatem per principia indifferentia, & per præfinitionem nostri, consensus: quod negatur à P. Vazquez, eiusque strenuis sectatoribus negantibus, possibiles esse Dei præfinitiones adhuc cum præsidio Scientiæ Mediæ sine læsione libertatis: atque adeo dicturis abs dubio ad id utilem non esse. Tertio: quia nec negamus Assertores præfinitionum utilitatem, & necessitatem Scientiæ Mediæ, sicut nec simplicis intelligentiæ, ad salvandam nostram cum divinis præfinitionibus libertatem, cum constanter asseramus, non modo utilem, sed taliter ad id esse necessariam, ut absque illius præilluminatione haberi repugnet à Deo præfinitio consensus nostri salvans nostram libertatem; utpote essentialiter constitutiva cuiuscunque divinæ providentiæ de consensu nostro libero, ut propugnāvimus contra nonnullos à Nostris *disp. 2. à sect. 9.* cum quo stat bene sicut & cum parentissima veritate, quod non se habeat constitutivè, sed prærequisitivè, & causaliter ad nostram libertatem, sed ad libertatem, & providentiam Dei de nostra libertate.

82 Nec rite inferitur exinde, quòd Scientiæ Mediæ non esset in Deo utilis, & necessaria titulo saltem salvandæ libertatis nostræ. Perutilis enim, ac pernecessaria relinquitur titulo etiam salvandæ libertatis nostræ; quandoquidem nec salvari, ne quidem in rerum natura poni posset à Deo libertas nulla nostra consensus nostri sine præilluminatione Scientiæ Mediæ suæ: non tamen habentis se constitutivè ad libertatem nostram, sed ad suam; ad nostram autem causaliter, ac necessariò prærequisitivè, non minus quàm Scientiæ simplicis intelligentiæ. Quòd vero præterea decretum nostrum præfinitivum repugnans haberi à Deo sine præilluminatione Scientiæ Mediæ, ex indole & attemperatone etiã sua tale sit, ut si per impossibile absque haberetur à Deo, non tolleretur nostram libertatem; nihil certè minuit utilitatis, & necessitatis Scientiæ Mediæ titulo etiam salvandæ, sicut & ponendæ libertatis nostræ. Quemadmodum de utilitate, ac necessitate Scientiæ simplicis intelligentiæ

titulo ponendi, & conservandi hominem à parte rei, nihil certè minuit, quod si per impossibile absque illa ponerentur, & conservarentur à parte rei corpus & anima unitim, poneretur, & conservaretur à parte rei homo. Simile in simili dicimus.

83 Ad secundam eiusdem primi antecedentis probationem, concessã maiori, negamus minorem. Ad cuius probationem, verum est antecedens: quia non negamus decretum nostrum esse evitabile ratione Scientiæ Mediæ evitabilis, quam essentialiter supponit. Negamus autem consequentiam: quia quod sit evitabile ratione Scientiæ Mediæ, non prohibet, quominus sit etiam evitabile ratione sui, & ex intrinsicis suis; quemadmodum quòd sit infrustrabile ratione certitudinis Scientiæ Mediæ, non prohibet, quominus sit etiam ex intrinsicis suis infrustrabile ratione suæ intrinsicæ efficacitatis, ut notavimus *sect. 1. num. 4.*

84 Cuius intrinsicæ evitabilitatis ratio vera nobis est in comperto. Primo: quia eiusmodi decretum, cum supponat essentialiter Scientiam Mediam de consensu, si constituatur voluntas per hæc comprincipia indifferentia in hac libertate, alioquin non extititum in Deo; supponit etiam essentialiter illam veritatem conditionatam, quæ est obiectum Scientiæ Mediæ, alioquin pariter non extititum in Deo, sicut illam supponit Scientia Mediæ, alioquin non extitura: ea igitur essentialis suppositio, quæ facit, Scientiam Mediam esse intrinsicè, & ratione sui evitabilem; facit etiam, quod eiusmodi decretum sit intrinsicè, & ratione sui evitabile. Secundo: quia nullo ex capite aut repugnat, aut indecet eã intrinsicæ decreti liberi Dei evitabilitas, sicut nec Scientiæ Mediæ, & Visionis divinisimis. Quid ergo cogit eam denegare? Dices, non apparere, unde competere possit decreto, nisi ratione Scientiæ. Dicant tamen, unde competit Scientiæ Mediæ, non supponenti prædicatum Dei liberum, ratione cuius possit ei competere? Dicere necesse est, quòd ratione suæ infallibilitatis intrinsicæ essentialiter supponentis veritatem obiectivam nobis liberam; & alioquin non extitura. At similiter dicere necesse habeo, quòd eã intrinsicæ evitabilitas competit decreto nostro præfinitivo ratione suæ efficacitatis, & infrustrabilitatis in-

intrinsicæ, essentialiter supponentis eandem veritatem obiectivam nobis liberam, & alioquin non extitura. Quid inde? Tertio, & præcipuè: quia si extrinsicè tantum ratione evitabilitatis Scientiæ Mediæ esset evitabile tale decretum, alioquin ex intrinsicis suis non evitabile, applicatã Scientia nostra Mediæ decretis Thomisticis, & Scotisticis de se non intrinsicè evitabilibus, haberent evitabilia, & æquè ac nostrum conciliabilia cum libertate: quod tamen semper negamus ex dictis *disp. præced. sect. 3.* aut cur non ita?

85 Nos claram, & solidam damus rationem; ne prægrande in hoc puncto Characteristico Scholæ nostræ ab alijs discrimen doctrinis alijs substruamus. Quippe dicimus, hoc sumendum etiam esse ab intrinsicæ nostrarum præfinitionum evitabilitate: quam suis attribuere nequeunt Thomistæ, nec Scotistæ, nisi omnino suis eiuratis ad nostras reducantur. Sic rem palmariter ostendos. Ponamus hypothesein, quod voluntas creata alioquin constituta in actu primo libera per hæc comprincipia immediata secundum se indifferentia, non consensura esset. Quid rogo, si eiusmodi comprincipij decretum præfinitivum? Respondent, quòd illi suum accedere posset pro libito; ac prædominio Dei, & faceret quod voluntas consentiret, alioquin sine decreto eiusmodi non consensura: quia hæc est natura, & intrinsicæ energia suarum præfinitionum. Dicimus è diverso nos, decretum nostrum ex intrinsicis suis repugnare esse in Deo in isto casu, non minus ac ex intrinsicis suis Scientiam Mediam de consensu. Et hæc est intrinsicæ evitabilitas nostræ præfinitionis; hæc eius attemperatio, & conciliatio cum libertate creatæ voluntatis: hæc manifesta ratio, cur si per impossibile adhiberetur sine præilluminatione Scientiæ Mediæ, & simplicis etiam intelligentiæ, adhuc salvaret eandem voluntatis creatæ libertatem; quam alia decreta nec cum Scientiæ Mediæ præsidio salvare possent: hæc ultimata ratio, cur libertas nostra in actu primo constituta non dicat essentialiter exclusionem huius nostri decreti, sicut aliorum prædeterminantium, & condeterminantium pro libito voluntatis: hocque discrimen realissimum præfinitionum, quas amplectimur, à præfinitivis aliarum Scholarum

decretis, quæ reijcimus. Neque hoc est contra Dei prædominium: quod utique non est ad chimeras pro libito ponendas, qualis esset constituere hominem in manu consilij sui, determinando pro libito divino ad consensum voluntates sic ab ipso constitutas, & alioquin non consensuras: ut dicebamus *disp. 5. num. 41.*

86 Dices. Quid verò, si per impossibile in casu prædictæ hypotheseis accederet comprincipijs creatæ libertatis huiusmodi Dei decretum, quod amplectimur. Respondeo: quòd frustraretur, quamvis impossibile sit frustrari: quia hoc impossibile sequeretur ex alio impossibili: quemadmodum si casu eiusdem hypotheseis daretur in Deo per impossibile Scientia Mediæ de consensu, sequeretur aliud impossibile, quòd nempe Scientia Dei Mediæ falsificaretur. Quoniam verò ipsi decreto repugnat intrinsicè frustrari, & non ipsi repugnat nunquam extitisse, irrationabile prorsus esset illud prius contendere, quod est impossibile: hoc ergo posterius dici necesse est, nempe quod nunquam extitisset, utpote repugnans ex intrinsicis suis existere in Deo, si alioquin voluntas in hac libertate constituta non esset consensura: in quo stat intrinsicæ evitabilitas nostri decreti pro libito voluntatis sic constitutæ. Nec dicas; fatius fore quòd existeret pro libito Dei, & faceret consentire voluntatem alioquin non consensuram. Sed respondetur, quòd hoc etiam esset frustrari decretum; quod ipsi intrinsicè repugnat, æquè ac esse sine consensu: sic enim non obtineret consensum liberum, quod intendit, sed necessarium, & ad effectum absurdum, & chimericum suæ infrustrationis, quasi nullum.

87 Superest contra supradicta specialis, & speciosa quidem obiectio, quam memini primum audivisse à P. Francisco Garau Auditore tunc meo in Theologi-  
Garau. cis, & postmodum Professore Primario Barcinonen. suis in lucem datis Operibus bene noto. Est autem huiusmodi. Sequeretur ex ijs nostris doctrinis, quòd re ipsa posset Deus habere supra laudatas præfinitiones actuum nostrorum liberorum, directus dumtaxat à Scientia simplicis intelligentiæ absque ulla præilluminatione Scientiæ Mediæ: sed hoc nequit à nobis dici: ergo neque data doctrina sustineri. Probatur sequela. Deus enim in primis per sim- pli-

Supra. disp. 5. sect. 5.

Supra disp. 2.

placem intelligentiam, scit hunc, quem explicuimus, decernendi ac præfinitioni modum esse sibi possibilem: notitia namque possibilem, simplicis intelligentiæ est. Deinde rectissimè penetrat naturam huiusmodi præfinitionum eam esse, ut nequeant adhiberi, nisi cum comprincipijs immediatis constituentibus creatam libertatem, & quidem congruis, alioquin frustraretur præfinitio consensus: & secundum se indifferentibus; quia similiter, ut diximus, frustraretur, si adhiberentur necessitantia, sic enim non obtineret consensus liberum: ergo directus per notitiam simplicis dumtaxat intelligentiæ, circumscripta omni Scientiâ Mediâ, posset adhibere decretum sic præfinitivum: certus ac securus infallibiliter, quod per illud applicaret comprincipia congrua obtentura consensus; & quod non applicaret necessitantia, nocitura libertati consensus: cum essentialiter intrustrabile sit, & per utrumlibet istorum frustraretur.

88 Respondetur tamen, nihil minus quam hoc absurdum ex nostris doctrinis sequi. Ad probationem falsæ sequelæ, distinguo primam partem antecedentis: Deus per simplicem intelligentiam scit hunc præfinitioni modum esse sibi possibilem cum præilluminatione Scientiæ Mediæ, concedo; sine illa, nego: scit enim contra esse sibi impossibile sine præilluminatione Scientiæ Mediæ: nam Scientia possibilem cognoscit optimè modum, quo res possibile sunt, & quo impossibiles. Reliquam antecedentis verissimum est: consequentia est verò inconsequens & falsa.

89 Ratio est: quia, cum eiusmodi decretum sit à Deo liberè adhibendam, & non possit à Deo adhiberi nisi ex suppositione, quod voluntas creata sub hypothese comprincipiorum indifferentium constituentium hanc libertatem, præcisim etiâ ab hoc decreto, consensus esset, nequit Deus constitui proximè liber ad habendum, vel non habendum huiusmodi decretum sine notitia istius veritatis conditionatæ, quæ, ut per se patet, non est notitia simplicis intelligentiæ, cum contingens sit, & à libito pendens creatæ voluntatis per comprincipia secundum se indifferentia constitutæ; sed abs dubio Scientiæ Mediæ. Nec obest quod ex natura ipsa talis decreti, si adhiberetur, conferren-

tur securissimè comprincipia congrua, ac minimè necessitantia ad consentiendum: nam hæc esset securitas physica & obiectiva, quæ decreto aliter non exituro, nec potenti existere competit ex natura sua, præcisim ab omni Scientia tam Mediâ, quam simplicis intelligentiæ; non verò esset securitas reddens Deum scientificè & formaliter certum, qualis essentialiter requiritur ad liberè, & providè decernendum hic & nunc consensus liberum per hæc comprincipia indifferentia. Et quid, si per nulla consensus esset homo? Oportet ergo hoc præfiri à Deo, & non nisi per Scientiam Mediâ, ut formali securitate sapienter, & providè apud se sciret, an expediret, aut posset, necne interponere suum decretum. Quo stabilita manet undique utilitas, & necessitas Scientiæ Mediæ ad huiusmodi præfinitiones divinissimas.

SECTIO IX.

An de facto concedenda sint in Deo supradicta Præfinitiones nostrorum actuum liberorum.

90 **S**tabilità possibilitate nostrarum præfinitionum attemperatarum libertati actuum voluntatis creatæ, dubitatur de earum existentia pro de facto in Deo. Varia circa hoc opinamenta Theologorum retulimus *sect. 1. num. 9.* Nec est facile ferre iudicium, nisi ab autoritate Sanctorum colligentium ex Scripturis, quomodo se gesserit de facto in decernendo Deus, potens aliter, & aliter res creatas decernere. Qui præfinitiones Dei non solum possibile, sed & necessarias existimant ad obtinendum re ipsa actum liberum bonum creaturæ; a fortiori eas de facto existentes defendunt. Sed de hoc *sect. seq.*

91 Ex alijs P. Lessius in id inclinatur, ut saltem de facto Deus nullum actum nostrum liberum præfinnerit: pro quo multa Patrum testimonia congerit P. Martinò. Et præter varias congruentias rationis, quæ me non ita permovent, utpote ab omnibus solvendæ pro infallibilitate divinæ Scientiæ Visionis aternæ de nostris actibus liberis; afferunt Chriostomum Homil. 10. in Hæbreos sic disertissimè scribentem. *Non antecedit Deus nostras voluntates, ne cadatur arbitrium.* Et punctim Da-

Lessius.  
Martin.  
Chriost.

Damascenum 2. de Fid. 30. dicentem de Deo: *Præscit ea, quæ in nostrâ potestate, & arbitrio sunt; at non item ea prædefinit: neque enim vitium committi vult, neque virtuti vim affert.* Hæc testimonia non solum existentiam, quin etiam & impossibilitatem divinarum Præfinitionum probant, si quid probant. Probant autem utrumque contra præfinitiones prædeterminativas, & pro libito voluntatis nostræ non evitabiles; neutrum contra nostras pro libito, ac determinatione nostræ voluntatis evitabiles: quæ nimirum, in phrasi & sensu Chriostomi, non antecedunt in Deo nostras voluntates: antecedentiâ scilicet determinationis, cum illa nec prædeterminent, nec condeterminent: quamvis in alio sano sensu antecedant. Damascenus intelligendus similiter est contra Prædefinitiones prædeterminativas: sicque nec de possibili, nec de facto negat nostras.

92 P. Suarez lib. 1. & 3. de Auxilijs cap. 7. & 17. docet, de facto præfiri à Deo actus supernaturales; & ex naturalibus aliquos eximios: affertque pro utriusque rationes, & exempla. De aliquibus id videntur apertè sentire Sancti PP. ex Sacris Scripturis. Sæpe namque fit sermo de voluntate Dei irresistibili circa nostros actus: ut Gen. 50. *Num Dei possumus resistere voluntati?* Et Roman. 9. *Voluntati eius quis resistit?* Quæ loquutiones commo-

dissimè capiuntur de voluntate Dei præfinitivâ, intrinsicè irresistibili, seu intrustrabili, quamvis non à nobis inevitabili. Vnde August. 4. de Corrupt. ait: *Volenti satrum facere nullum hominis resistit arbitrium: sic enim velle, & nolle in volentis, & nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediatur, nec superet potestatem.* At certè voluntati Dei non præfinitivæ sæpe resistitur, & effectus volutus impeditur, & negatur. Præterea sæpe petimus nos, & promittit Deus auxilia efficaciac ad consentiendum: ut Ezechiel. 23. *Faciâ, ut in præceptis meis ambuletis:* unde August. 11. de Prædest. admonet: *Attendite, Fratres, & videbitis, Deum illa promittere facturum se, ut faciant, quæ iubet ut fiant.* Hæc autem absolutæ Dei promissiones, hæc divina proposita, hæc condescensiones in preces nostras pro auxilijs efficacibus, satis quidem indicant voluntatem Dei intrinsicè efficacem rerum, quas nos petimus, & ipse promittit: ac proinde Dei præ-

suarez  
Gen. 50.  
Rom. 9.  
Augustin.  
Ezech. 23.  
Augustin.

finitionem actu existentem actuum nostrorum liberorum, qui in re à nobis postulata, & à Deo promissa includuntur.

93 P. Ruiz de Montoya disp. 6. de Provid. docet, & comprobatur, qua solet uberi SS. Patrum eruditione, omnes actus bonos nostros præfiri de facto à Deo. Nam præter Augustinum, Fulgentium, Prosperum, Leonem, & alios, extat Dionysius *cap. 5. de Div. Nomin.* in hæc verba: *Exemplaria dicimus existentium rationes substantialis, & singulariter præexistentes, quæ Theologia Præfinitiones vocat; secundum quas substantialis Essentia omnia prædefinit.* Et ratio congruentiæ potest esse: quæ credendum est de divina bonitate, quod quando homines posuit in manu consilii sui, conferens ad id comprincipia congrua, ea confert quia congrua, & ex intentione congruitatis nobis convenientissimæ. Quod autem ea divina intentio sit intrinsicè efficax, commendat specialiter abs dubio divinum amorem erga nos; ut rectè ponderat Ribadeneyra disp. 12. nu. 7. Cur igitur sic nobis de Deo non persuadeamus? Aliam rationem dant alij: quia modus providendi non præfinitivus esset minus perfectus, minusque Deum decens. Ceterum hoc mihi probaret esse metaphisicè impossibilem, qui prorsus repugnare Deo iudico actus suos minus perfectos, ut sæpe dixi tom. 1. de Deo.

94 Propter hæc inclino in hanc potestrem Theologiam; communiori Sanctorum, ac Theologorum sensui magis conformem. Quod si vera est doctrina, quam adstruximus disp. 6. & 12. de Gratia, quod iuxta præsentem Dei legem nullus de facto fit à nobis actus undequaque bonus, qui non fit supernaturalis per gratiam Christi, idem nobis erit quod ait Suarez, omnes actus nostros supernaturales de facto præfiri à Deo; & quod ait Montoya à Deo de facto præfiri omnes bonos.

Montoya  
Augustin.  
Fulgent.  
Prosper.  
Leon.  
Dionys.

Ribadeneyra

Tom. de Deo disp. ...

Tom. de Grat. disp. 6. & 12.

SECTIO X.

An divina Præfinitiones non solum possibile sint, ac de facto existentes; sed in Deo etiam necessaria pro actibus liberis bonis, quos exercet creatæ voluntas.

95 **A**ffirmant cõtra communem sensum nonnulli graves Nostræ Theo-

Theo-

Theologi, quos laudavimus *sect. 1. num. 9.* præter Thomistas, & Schotistas, qui præfinitiones suas necessario requisitas in Deo volunt ad providentiam efficacem nostrorum actuum. His tamen relictis.

96 Nostrorum ratio est: quia circa omnem actum bonum, qui sit, conert Deus media præcognita efficacia, ut fiat: sed hoc nequit esse sine intentione intrinsecè efficaci finis, nempe actus, sive consensus nostri boni: ergo neque sine ipsius præfinitione: quæ proinde necessaria est ad efficacem providentiam divinam de illo. Maior est certâ. Minor probatur: qui enim eligit media efficaciam præcognita, ut efficaciam ex amore finis, manet eo ipso cum affectu erga finem, essentialiter incompossibilis cum nolitione finis: sed affectus erga finem essentialiter incompossibilis cum efficaci nolitione finis, est intentio intrinsecè efficaci: ergo id nequit esse sine intentione intrinsecè efficaci finis. Maiorem supponunt arguentes: quia sic eligens manet ex amore finis essentialiter connexus cum existentia finis. Minorem probant: quia non ex alia ratione discernimus affectum intrinsecè efficacem ab inefficaci, nisi ex eiusmodi connexione cum positione rei volitæ.

97 Confirmant primò: nam qui eligit ex amore finis media efficaciam præcognita ut talia, tendit, & conatur in finem ex amore finis quantum potest: sed qui tendit, & conatur in finem ex eius amore quantum potest, efficaciter intendit: ergo eo ipso habet intentionem intrinsecè efficacem talis finis, ac proinde præfinitionem. Secundò: quia qui ex amore finis ponit media efficaciam cognita ut talia, vincit & vult vincere ex amore finis omnem difficultatem, quæ obstatet consequutioni finis: sed hoc ipsum est aut intendere, aut intendisse intrinsecè efficaciter finem: ergo eo ipso habet intentionem finis intrinsecè efficacem. Minorem probant: nam qui sic æstimat finem, ut ex eius amore vincat omnem difficultatem obstantem consequutioni, vult eo ipso ex amore finis manere quantum potest, & re ipsa manet connexus cum positione finis: hoc autem impræscindibile est ab amore intrinsecè efficaci finis.

98 Ratio altera est: Quia homo proximè potens bene operari, potest bene operando facere, quod Deus ab æterno

prædefiniverit bonam ipsius operationem: sed non id posset, si æterna Dei præfinitio non esset necessaria ad talem hominis operationem: ergo ad omnem bonam hominis operationem est non modo possibilis, quin etiam necessaria Dei præfinitio. Minor & consequentia probatione non egent. Maiorem autem probant. Homo proximè potens bene operari, potest bene operando facere, quod Deus ab æterno habuerit Scientiam Mediam de sua bona operatione, atque adeò, ut fuerit proximè potens præfinire talem operationem per libertatem conferendi auxilium constitutâ per talem Scientiam Mediam: sed hoc stare nequit, quin eo ipso possit talis homo facere, quod Deus præfiniverit bonam suam operationem: ergo id quoque posset. Probant minorem: quia facere, quod Deus sit per hanc Scientiam Mediam constitutus liber ad conferendum auxilium, esset facere, quod Deus non eligeret auxilium, nisi per electionem volentem esse cum libertate constitutâ per hanc Scientiam Mediam, atque adeo volentem esse cum hac Scientia Media: sed electio volens esse cum hac Scientia Media, necesse est velit esse cum bona talis hominis operatione: nam hæc Scientia Media nequit esse sine tali operatione hominis in ea libertate constituti: ergo eo ipso posset facere talis homo, quod suam bonam operationem Deus ab æterno præfiniverit.

99 Non inconvincunt rationes istæ. Ideoque iudico cum communiori nostrorum sententia, non esse nobis, nec Deo necessarias prædictas præfinitiones ad efficaciter obtinendum finem nostri consensus liberi. Quandoquidem illum certissimè, & efficaciter obtineret eligens media, id est, volens efficaciter conferre auxilia, quæ certò prænovit consequutura finem consensus liberi nostri, si conferrentur: sic autem eligere, & velle media optimè posset absque intentione intrinsecè efficaci finis, ac proinde sine præfinitione. Sic persisto in doctrina generalius traditâ *disp. 3. sect. 1.* ubi aliquas rationes in oppositum dissolvi, quas propterea nunc prætereo, & illuc videndas remitto.

100 Ad rationem oppositam *num. 96.* concessâ maiori, nego minorem. Ad cuius probationem, nego maiorem, quam arguentes sibi gratis supponunt. Nam quam-

quamvis sic volens media, quæ novit efficaciam, ex amore finis, maneat connexus cum positione, seu cum existentia finis, non tamen præcisè & intrinsecè per amorem finis, nec per affectum adhibendi talia media; sed per complexum ex tali affectu adhibendi talia media, & ex certa prænotitia efficaciam mediorum: unde concessâ minori, falsa est consequentia: nam idem affectus inefficax erga finem, idemque efficax erga media, quæ prænotata sunt fore efficaciam, manere posset cum prænotitia inefficaciam eorumdem ad positionem finis: sique patet intrinsecè inconnexio illorum affectuum cum positione finis. Dices: quid si ea media, quæ prænotantur efficaciam, amentur, & eligantur ut efficaciam, five quia efficaciam. Respondeo: in eo casu eam electionem fore præfinitionem finis. At non est necesse, Deum sic velle media, quæ prænovit efficaciam, ut dicemus *disp. 8. sect. 1.* atque adeo inde non fit necesse, quod Deus præfiniat nostros actus, ut eorum positionem assequatur.


101 Ad primam confirmationem negamus maiorem. Nam qui sic eligit, quamvis ex amore aliquo finis, media, quantumvis prænotata ut efficaciam, non eo ipso conatur, & tendit in finem, ut posset, affectu intrinsecè, & per se connexo cum positione finis, ut nuper vidimus: nec eo ipso eligit media, quia efficaciam, ut etiam posset; non enim idem est media cognosci ut efficaciam, quod pertinet ad notitiam intellectus; & amari ut efficaciam, quod pertinet ad affectum voluntatis: atque adeo non conatur in finem, quantum potest. Unde, concessâ minori, falsa est consequentia. Ad secundam, concessâ maiori, negamus minorem: nam, ut bene Iunius *sect. 14. cap. 6.* nullo stante amore talis finis, posset quis velle vincere omnes illas difficultates. Si dicis, quod tunc id non esset ex amore finis; dicam ad hoc, ut sit, verèque dicatur id esse ex amore finis; sufficere amorem finis non intrinsecè efficacem. Ad probationem minoris iam est responsum *num. præced.* quod sic æstimans finem, ut ex eius amore vincat omnem difficultatem obstantem consequutioni finis, quamvis non intendat, nec conetur in finem, quantum potest; manet connexus cum positione finis, non ex efficaciam intrinsecè affectus circa finem, sed ex complexo ex affectu efficaci circa media, &

ex prænotitia efficaciam mediorum, quæ secum importat remotionem difficultatum obstantium positioni finis: nam alioquin media non prænotata fuissent efficaciam ad positionem finis. Unde patet, id, quod ultimò asseritur, esse impræscindibile ab amore intrinsecè efficaci finis, esse non solum mente præscindibile, sed etiam à parte rei separabile.

102 Ad alteram rationem oppositam *num. 98.* negatur maior. Ad probationem, concessâ maiori, negatur minor. Ad cuius probationem concessâ maiori, negatur minor: alioquin Deus volens esse constitutum in hac libertate permittendi peccatum per Scientiam Mediam de peccato, & à fortiori amans suam Scientiam Mediam de peccato, deberet velle peccatum. Sicut ex amore rei connexæ cum peccato non infertur amari peccatum; sic nec ex eo quod Deus velit illâ suâ libertatem constitutam per talem Scientiam Mediam, ideoque Scientiam suam Mediam de operatione illius hominis, infertur velle intrinsecè efficaciter, ac proinde nec præfinire talem operationem; imò nec exinde inferretur illam ullo modo velle, ut latè dicemus *disp. seq. sect. 1.* ubi multa de hoc puncto ex doctrina generaliori, quod ex amore, quantumvis efficaci, unius rei connexæ cum altera, non infertur amor, seu volitio alterius.

103 Nec contradicit huic nostræ doctrinæ doctrina, quam tradidimus *disp. 3. num. 13.* ubi diximus, repugnare divinæ in discernendo simplicitati, ex præintentione inefficaci eligere media efficaciam ad finem. Id enim diximus contra virtuales multiplicitates nobis exosam divinorum decretorum; si Deus post inefficacem illam intentionem finis, habiturus esset, ut aiunt, aliam volitionem intrinsecè efficacem eiusdem finis. Quod verò nunc dicimus, est, Deum potuisse finem nostri consensus obtinere, eligendo ad illum obtinendum media, quæ videt efficaciam, absque ulla unquam volitione intrinsecè efficaci eiusdem finis: nihil est enim, quod Deum ad id obliget.

(\*)



## DISPUTATIO VII.

DE ALIQUIBVS SPECIALITER DIVINIS PRÆFINITIONIBVS nostrorum actuum liberorum.

**S**TATUTA possibilitate divinarum Præfinitionum in genere, sese offerunt speciales difficultates non contemnendæ in Præfinitionibus aliquorum actuum in specie: quas percurremus in hac disputatione. In præcedenti loquuti sumus de Præfinitione decernente actum nostrum, eiusque libertatem.

## SECTIO I.

*An Præfinitio actus nostri, præscindens à libertate, stare possit cum ipsius libertate.*

**T**Ripliciter proponi potest hæc difficultas. Primò, si Deus præsciens actum posse fieri, sive per principia secundum se indifferentia, sive per necessitatis, decernat efficaciter actum fieri, præcisim tamen, quin per tale decretum agatur de principijs. Secundò: si agatur etiam in tali decreto de principijs; disjunctim tamen: volendo scilicet actum fieri, vel per principia indifferentia, vel per necessitatis, decreto alio subsequuto determinaturo, per quæ. Tertiò, si decernat actum, simulq; principia in illam influxura; nihil tamen pro tunc decernens circa principia ad oppositum, requisita ut actus fiat libere, decreto alio subsequuto illa adfecturo.

**3** Quocumque ex ijs modis res proponatur, in Theologia nica locum non habet. Supponitur enim multiplicitas virtualis decretorum Dei, & cunctatio illa mihi exosa in decernendo, qua abhorreo, & per Dei gratiam recessi *disp. 8. de Artib. & 6. de Incarn.* & sæpe alibi. Totum autem id gratis suppono pro nunc, ne subterfugiam difficultatem præsentem, cuius occasione natura nostræ libertatis magis, ac magis elucidatur. Queritur ergo an eiusmodi præfinitiones sic digestæ stare possent cum libertate actus nostri sic

à Deo præfiniti. Casu quo postea per decretum subsequutum adhiberentur media necessitatis, certum est, quod tolleretur libertas. Dubium est pro casu, quo postea per decretum subsequens adhiberentur indifferentia.

**4** Et ratio dubitandi est maxima. Quia Præfinitiones superiùs à nobis admittæ eatenus stant cum libertate, quatenus, ut sæpe diximus, quamvis sint connexæ cum consensu nostro, sunt tamen evitabiles pro libito nostro: sed hæc, quibus de nunc loquimur, præfinitiones præcisivæ non essent evitabiles pro libito nostro: ergo stare non possent cum libertate nostra. Probatum minor. Ut res evitari pro libito possit à nobis, ne existat, debemus pro priori ad eius existentiam habere principia evitativa illius: sed non sic esset in casu prædictæ præfinitionis: ergo non esset evitabilis pro libito nostro. Minor patet: nã eiusmodi præfinitio stare posset, numquã positus per subsequens decretum principijs dissensus, quæ sunt illius evitativa. Maior autem probatur. Ut rei existentia sit evitabilis pro libito nostro, eius evitatio, seu impeditio, si fit, debet esse effectus nostræ libertatis: sed effectus nostræ libertatis debet supponere in nobis principia ad utrumque extremum libertatis: ergo etiam illa debet supponere præfinitio, ut sit evitabilis pro libito nostro. Minor hæc probatur. Primò: quia consensus noster liber non ex alia ratione supponit in nobis principia ad utrumque extremum, nempe ad consensum, & dissensum, nisi quia

quia est effectus nostræ libertatis. Secundò: quia, si antecederet ad consensum non adesset nobis potestas dissentendi, non esset libertas ad consentiendum. Tertiò: quia existentia rei, dum est, nequit à nobis impedi, ne sit: ergo si antecederet ad præfinitionem non adesset nobis principia impeditiva illius, non erit à nobis liberè evitabilis, seu impeditibilis: quia impedi non potest, ne sit, dum est. Quartò: quia inintelligibile prorsus est, me posse impedi, ne tu sis, si potestas impediendi, ne sis, datur mihi, dum tu iam es: & sine prioritate ad existentiam tuam. Sic perbellè doctissimus noster Borrull *sect. 4. à num. 67.* Quibus addit multa R. P. N. G. Thyrsus eiusdem sententiæ Assessor egregius *tom. 2. disp. 6. sect. 3. post Arriagam tom. 1. disp. 35. sect. 3.*

*Borrull. R. P. N. G. Thyrsus. Arriaga.*

**5** Rationes aliorum sunt huiusmodi. Prima: quia eiusmodi Dei præfinitio connectitur intrinsicè cum consensu nostro *independenter à nostra libertate*: ergo cum ea stare non posset. Secunda: quia ex vi illius, præcisim à principijs dissensus, habet consensus absolutam suam futuritionem: sed non liberam, cum ex vi illius non decernantur comprincipia libertatis: ergo necessariam: sicque non nisi necessariò eveniret consensus. Tertia: quia, ut consensus sit liber, debet esse à principio positivè libero: debet enim esse à voluntate ad utrumque paratà, & completà: sed non sic se haberet consensus ille taliter præfinitus: siquidem ex vi talis præfinitionis non esset à voluntate ad utrumque paratà: ergo non esset liber. Quarta: quia prædeterminatio, quamvis alioquin illi accederent principia dissensus, stare nequit cum libertate consensus: non ex alia ratione nisi quia antecederet & independenter à libertate nostra connectitur essentialiter cum consensu: sed hoc etiam haberet prædicta præfinitio, ut patet ex eius explicatione: pariter ergo stare non posset cum libertate. Sic insignis Collegij nostri Barcinonen. Magister P. D. Maginus Pagesius, quem Nostrates alij sequuti sunt in doctissimis Manuscriptis.

*Magin.*

*Ribaden.*

**6** Confirmant id acutè Recentes alij apud Ribadeneyram. Quia non posset voluntas in signo, quo instruitur principijs indifferentibus, impedi consensum suum sic præfinitum: ergo nunquam posset: ac proinde non stat eius libertas. Probant

antecedens. Nam casu quo voluntas non se determinaret per media indifferentia, deberet Deus dare necessitatis, ne frustraretur præfinitio, qua voluit omnino consensum sive per indifferentia, sive per necessitatis: ergo adhuc instructa voluntas in eo signo cum indifferentibus, non posset impedi consensum suum: tunc enim adhiberet Deus necessitatis, quibus consensus omnino poneretur. Confirmant aliter. Deus sic præfinitus, nequit negare necessitatis, nisi quatenus infalibiler obtineretur consensus per indifferentia: si igitur non obtineretur per indifferentia, deberet adhibere necessitatis: nulla ergo restat via, nullusque casus, in quo posset non fieri à voluntate pro libito consensus sic præfinitus: si enim fit per indifferentia, iam fit: si non fit per indifferentia, fit per necessitatis.

## SECTIO II.

*Nostrum iudicium: & responsio ad rationes dubitandi.*

**7** HIS tamen minimè obstantibus, opinor dictam præfinitionem modo explicato permissam stare optimè posse cum libertate voluntatis creatæ ad consensum sic præfinitum. Sic doctè, & ingeniosè Ribadeneyra *disp. 12. cap. 3. Ribadeneyra. Quirós disp. 9. sect. 6. & Aldrete disp. 3. Quirós. sect. 10. quibus prævit P. Suarez apud Aldrete. Suarez.* Ratio nobis est: quia huiusmodi Præfinitio casu quo per decretum subsequens adhibeantur comprincipia secundum se indifferentia, importat in primis directionem per Scientiam Mediam prænoscentem ea comprincipia fore congrua, si adhibeantur: deinde est eodem modo, ac alia nostræ præfinitiones, evitabilis pro libito voluntatis sic instructæ: nõ est ergo cur stare nequeat cum libertate voluntatis nostræ Priorè antecedentis partè non nobis negant adversarij. Posteriorem facient manifestam responsiones nostræ ad rationes oppositas contra hanc evitabilitatem excogitatas.

**8** Ad rationem dubitandi positam à *num. 4.* concessa maiori, negatur minor. Ad probationem minoris, negatur maior: sufficit enim habere principia evitativa rei pro instanti reali quo illam non evitamus, quamvis non sint pro priori ad existentiam.

*To. de Deo disp. 8. De Christo disp. 6.*

stentiam rei. Ad huius maioris probationem, distinguo maiorem: ut rei existentia sit evitabilis pro libito nostro, eius evitatio, seu impeditio, si fit, debet esse effectus nostræ libertatis penes totum quod dicit nostra libertas in utramque partem, nego; penes principia influentia in talem impeditioem si fieret; concedo maiorem: & nego minorem cum consequentia. Sæpe namque observavi, præsertim *disp. 18. de Grat. num. 48.* cum doctissimo Ribadeneira, effectum libertatis, quamvis dicat in voluntate comprincipia ad utramque partem, non supponere pro priori naturæ cuncta comprincipia, sed illa à quibus efficitur; non autem efficitur à cunctis: nam consensus non fit ab omnibus principijs, per quæ fieret dissensus, ut pote potius retrahentibus à consensu, quam in illum influentibus: atque adeo non illa omnia supponit pro priori naturæ effectus quilibet libertatis. Explico clarissimè. Anima in nobis operatur omnes actiones vitales nostras: non tamen omnes operatur manus dextera; sed unas dextera; alias sinistra. Ut omnes operetur homo dexter, requiritur certè saltem concomitanter dextera manus: non tamen pro priori ad operationes manus sinistra, ad quas utique dextera non influunt. Sic puta, hinc & inde instrui voluntatem liberam per comprincipia in actu primo ad utrumque actum secundum; non verò per comprincipia promiscuè influuntur cum voluntate in utrumlibet actum secundum; sed alia in unum; & alia in alium: ac proinde non omnia sunt pro priori ad quemcumque: sed sufficit, si illa respectivè, quæ influunt, sint pro priori; & alia, quæ tunc non influunt, tunc temporis comitentur.

9 Ad primam probationem negatæ minoris constat ex nuper dictis, falsò, consensum liberum, qui est effectus libertatis nostræ, supponere in nobis comprincipia ad consensum, & ad dissensum. Utraque quidem dicit essentialiter; non tamen utraque supponit pro priori; sed illa dumtaxat, à quibus efficitur: alia verò sufficit, si comitentur. Ut etiam observavi in simili *disp. præc. num. 48.* Ad secundam similiter nego falsum suppositum: nam ut detur libertas consentiendi, dum consentiò, non requiritur quod tota libertas supponatur pro priori ad consensum; sufficit enim si partim supponatur, partim comi-

tetur; sicut quod partim influat in consensum, partim non influat, imò retrahat. Ad tertiam, distinguo antecedens: existentia rei dum est, nequit à nobis impediti; ne sit, dum est, concedo: hoc enim esset facere, aut posse facere, quòd esset simul, & non esset: ad quam chimeram, nec in signo, nec in instanti, nec in nobis, nec in Deo datur potestas: dum est, nequit impediti, ne sit, dum desineret esse pro libito illius, qui potest facere, ne sit, nego: ad id enim datur vera potestas, etiam dum res est: quia contingenter est: nec alio modo sunt actus liberi, nec in nobis, nec in Deo: qui propterea ex suppositione etiam quod sunt, possunt non esse, quia ex suppositione quoque quod sunt, sunt eo modo, quo sunt, atque adeò liberè; cum non aliter sint: quia nempe illa ipsa suppositio libera est. Sic dum sedeo, ex suppositione etiam quod sedeo, liberè sedeo, ideoque dum sedeo, possum ambulare, quamvis non ambulare, dum sedeo: hoc enim esset coniungi simul ambulationem cum sensione, quod est chymera; ideoque & implicat potestas ad hanc simultatem: illud verò est coniungi simul potestatem sedendi, & sensionem cum potestate ambulandi, quod non implicat; imò est essentialiter requisitum, ut liberè sedeam: & hoc est simultas potestatis ad libertatem requisita. Unde negatur consequentia. Quomodo huic planissimæ veritati non obstat vulgatum illud: *res dum est, necessario est*; explicuimus *disp. præc. num. 34.* Ad quartam visum est, quàm sit intelligibile, & verum, id quod ibi vocatur inintelligibile. Unde cumque enim, & pro quocumque signo, mihi veniat illa potestas faciendi ne sis, dummodo adsit mihi in instanti reali, quoponerem existentiam tuam, esset mihi potestas faciendi, ne sis.

10 Non equidem video inintelligibilitatem, ne specialem sanè difficultatem, quidquid sit de varia constitutione prioritatum naturæ, & signorum ad arbitrium ut plurimum coordinatorum; sed generalem illam in qua omnes laboramus, ut componamus, & explicemus aprè modum, quo nunc in tempore possumus evitare, seu impedire pro libito nostro, ne extiterint in Deo multa, quæ ab æterno extiterunt prius tempore, quàm existant nostra voluntas, nostraque potestas impediendi, ne sint, & fuerint: quod pro-

no-

*Supr. disp. 2.* nostro capti præstitimus *disp. 2. sect. 6.* Hoc semel composito cum antecedentia temporis, quod restat componendum cum antecedentia naturæ, aut vocale, aut leve, & mihi quidem pro minimo est: præterquamquod hoc ipsum subeundum à nostris omnibus est in Scientia Media dirigente, & in complexo Scientiæ Mediæ, & decreti collativi auxiliorum congruatum.

11 Ad aliorum rationes dubitandi positas *num. 5.* ex dictis facilè respondeo. Ad primam, distinguendo antecedens: *independenter* à nostra libertate casu quo non dentur per decretum subsequens media indifferentia, sed necessitantia, concedo: casu quo non dentur necessitantia, sed indifferentia, nego antecedens; & pro isto casu, in quo est quæstio, consequentiam. Nam in isto casu raliter iam pendet ea Dei præfinitio à libertate consensu nostri, ut non extitisset, si voluntas constituta cum ijs medijs indifferentibus non liberè consentiret, ut paulò inferius expono *nu. seq.* Ad secundam, concessis præmissis, nego consequentiam. Quomodo enim modus ille præcisivus, aut disjunctivus præfinitendi abstrahit à circumstantia libertatis, & necessitatis, & fertur præcisim in contentum; sic consensus accipit ab illo futuritionem, nec ex vi illius liberam, nec ex vi illius necessariam; sed ex vi illius præcisim futuram liberam, si subsequatur decretum de principijs indifferentibus congruis; & necessariam, si de necessitantibus. Ad tertiam concessam maiori, nego minorem pro casu decreti subsequenti de principijs indifferentibus. Aliud enim est, consensum non esse à principio positivè libero, seu à voluntate ad utrumque paratam, & completam; aliud est, non esse à principio positivè libero, seu à voluntate sic paratam, & completam ex vi dictæ præfinitionis præcisivæ, aut disjunctivæ: istud posterius verum est; illud prius falsum: & falsa consequentia: sufficit enim ad libertatem consensu, quòd, cum sit, fiat à voluntate ad utrumque parata, & completa, undecumque completa sit: ut esset in nostro casu per subsequens decretum de principijs indifferentibus. Ad quartam, negamus maiorem, quoad rationem dictam, quæ assignat. Non enim ea præcisè est ratio cur prædeterminatio stare nequeat cum nostra libertate; sed quia præterea est ine-

vitabilis pro nostro libito; & pro Dei solius miserentis libito ponitur, aut non ponitur, ut expendimus *disp. 4.* & alibi sæpe repetimus: quod, ut vidimus, huic divinæ præfinitioni non aptatur. Unde concessam minori, negatur consequentia. *Supr. disp. 4.*

12 Ad confirmationem ex *num. 6.* nego primum antecedens: & secundum probationis. Et ut tollatur æquivocatio, quam me iudicè, rem hanc totam confundit, & turbat, animadvertendum est: aliud esse, quòd Deus postquam sic præcisim præfinitivè consensum, debeat decernere, & dare media necessitantia, si non decernit, & dat indifferentia; aliud, & valde diversum, ac diligenter discernendum, quòd Deus debeat decernere, & dare necessitantia, si decretis; & datis indifferentibus; non sit consensus per indifferentia. Illud prius est verum, & ad rem: ex quo solum inferitur, quòd si Deus non decerneret, & daret indifferentia, per quæ data fieret re ipsa liberè consensus; debuisset decernere, & dare necessitantia, per quæ fieret necessariò. Posterius autem est falsum, & in suis terminis implicans: nam principia indifferentia, ut constituent libertatem, dicunt essentialiter exclusionem necessitantium: sicque debere Deum dare necessitantia, si, datis indifferentibus, non sit consensus, esset debere in eo instanti casu quo in eo instanti non darentur, quia solum darentur indifferentia. Itaque, ut ad responsionem redeamus, si, decretis, & datis indifferentibus, voluntas non consentiret, non sequeretur, dànda à Deo fore necessitantia; sed præfinitionem in eo casu aut frustrandam, aut non extitisse. Cum autem frustrari repugnet; & non repugnet, nunquam extitisse; hoc secundum est quòd exinde sequeretur: atque adeo evitatio talis præfinitionis, & decreti subsequenti pro libito voluntatis in eo casu constitutæ, & non consentientis: sicque eadem potestas, quam voluntas in eo casu, & non alio constituta haberet ad dissentendum, esset ad evitandam eiusmodi præfinitionem, si- cut de alijs dictum est *disp. præced. 6.* *Supr. disp. 6.*

13 Cum hoc tamen discrimine, quòd alia, utpotè volentes uno ductu consensum eiusque libertatem per principia indifferentia, evitarentur, si consensus non fieret, aut si necessitatio fieret, quia si extaret, per utrumlibet istorum frustraretur; ista verò, si, decretis postea, datisque prin-

*Tom. de Grat. d. sp. 18. sect. Ribaden.*

*Supr. disp. 6. sect. 4.*

*Supr. disp. 6. sect. 5.*

principijs necessitantibus, fieret necessario consensus, quamvis extaret, non frustraretur; bene verò si negatis necessitantibus, non fieret consensus per indifferentia data; nam in hoc casu si consensus libere non fieret, neutro modo fieret: non enim liberè, ut supponitur; nec necessariò, quia casus principiorum necessitantium iam est exclusus per decretum dandi indifferentia. Hoc autem sufficit, ut eiusmodi etiam Dei præfinitio impediibilis, & evitabilis sit pro libito hominis in hoc casu principiorum indifferentium constituti, in quo & non in alio ipsius libertatem tuetur. Sic, ut Scientia Dei Media de consensu hominis sub hoc auxilio, pro nostro libito sit evitabilis, sufficit quòd dato casu quod nobis conferatur hoc auxilium, sumus in potestate dissentendi, sicque faciendi ne talis Dei scientia extitisset; quamvis si non veniret casus dati nobis talis auxilij, non esset casus potestatis nostræ impediendi talem scientiam, quia non esset positus casus nostræ libertatis per hoc auxilium.

14 Ad aliam confirmationem ex eodem num. 6. concessio antecedente, distinguo consequens iuxta superiorem doctrinam. Si non obtineretur consensus per indifferentia, eo quod Deus nolisset dare indifferentia, deberet adhibere & decrevisse necessitantia, concedo; & quod iste casus non staret cum libertate nostra: Si ex eo quod adhibitis re ipsa indifferentibus, voluntas non consentiret, nego: nam in hoc casu non deberet Deus adhibere necessitantia; cum iam per decretum subsequens dandi indifferentia fuerit exclusus casus decernendi, & dandi necessitantia; sed debuisset nunquam habuisse eiusmodi præfinitionem. Negatur autem ultima subillatio: ad cuius rationem iam est responsum per animadversionem numeri 12. Quo etiam soluti faciles sunt variæ instantiæ, quibus agit contra nostram Sententiam P. Junius *sect. 6. cap. 4.* ex eo præsertim quòd Deus cavere debet frustrationem sui decreti: sed ut non frustraretur tale decretum, requiritur omnino consensus noster: ergo si deprehendat, non fore consensum per media indifferentia, deberet adhibere necessitantia. Respondetur enim, negando minorem: nam sine consensu evitaretur frustratio decreti, evitato decreto in hypothese qua diximus.

## SECTIO III.

*Vtile corollarium ex præcedenti doctrina.*

15 **E**X doctrina diligenter observanda præcedentium responsionum solvitur nodus difficilis, à quo ægrè sese expediunt, qui ei resistunt, ut videre est apud P. Borrull *sect. 5. à num. 8.* qui in eo dissolvendo pro ingenij dexteritate laborat; minus tamen feliciter.

16 Quid nempe dicendum de his divinis decretis: *Nolo dare Petro ullum auxilium efficax: Nolo dare Ioanni ullum auxilium inefficax.* Vtrumque esse Deo possibile non est dubium. At dubium est: an & quomodo stare cum illis possit eorum hominum libertas? Quandoquidem neutrum illorum videtur evitabile pro libito voluntatis: cum nec Petrus facere pro libito possit, ne Deus noluerit ipsi dare ullum auxilium efficax; nec Ioannes, ne noluerit ipsi dare ullum inefficax: & alioquin ea decreta vel ratione sui, vel ratione Scientiæ Mediæ ipsis adiunctæ, connexa sunt, primum cum dissensu Petri, & secundum cum consensu Ioannis.

17 Dicendum est tamèn; cum utroque stare rectissimè posse illorum hominum libertates, si cum primo, aut si mavis, post primum, decernat Deus dare Petro auxilia sufficientia; & cum secundo, vel post secundum, decernat non dare necessitantia ad modum, quo discurrebamus in præcedenti modo præcisivo præfinitioni.

18 Ratio pro primo est: quia ad impletionem sui, quamvis non inducat auxilia sufficientia, cum, negatis efficacibus, possent quoque sufficientia negari; nec tamen ea excludit, cum solum velit, ne dentur efficacia. Si igitur re ipsa darentur Petro sufficientia, posset consentiendo facere, ne Deus habuerit eiusmodi decretum, ne scilicet frustraretur, factò per consensum Petri efficaci uno ex auxilijs sibi datis: atque adeo in hoc casu, in quo, & non in alio negati auxilij sufficientis, staret libertas Petri, esset pro libito Petri evitabile tale decretum.

19 Ratio pro secundo est: quia ad impletionem sui, quamvis non excludat principia necessitantia, cù hæc dari posset nullo dato inefficaci, non tamen ea per se inducit; cum præcisè velit efficacia. Si igitur re ipsa datis efficacibus, alioquin

exclu-

excluderentur necessitantia, posset Ioannes dissentiendo similiter facere, ne Deus circa se habuerit eiusmodi decretum, ne scilicet frustraretur; factò per dissensum Ioannis inefficaci uno ex auxilijs sibi datis: atque adeo in hoc casu, in quo, & non in alium adiecti auxilij necessitantis, staret libertas Ioannis, esset pro libito Ioannis evitabile tale decretum.

20 Vtrumque igitur illorum decretorum in ijs casibus respectivè, in quibus dicimus salvari illorum hominum libertates, esset evitabile pro libito voluntatis humanæ; ut dictum est de præfinitione præcedente à principijs indifferentibus; & necessitantibus, casu quo per decretum subsequens decernantur, & re ipsa dentur indifferentia, exclusis necessitantibus.

21 Quod similiter intelligendum est; sicut de prædicta præfinitione admonui, permisso in Deo disputandi causâ illo modo decernendi, quasi pedetentim per varia decreta: quod nobis placere nequit. Iuxta nostram enim doctrinam de vnicitate & indivisibilitate divini decreti, nequit Deus decernere: *Nolo dare Petro ullum auxilium efficax*: quin eo ipso decreto velit, aut nolit dare sufficientis.

## SECTIO IV.

*An Deus præfinitio possit, & de facto præfinitio actus nostros peccaminosos quoad materiale peccati?*

22 **T**Anquam sequelam innegabilem ex principijs, unde Prædeterminationes suas adstruunt ad omnem operationem nostram necessarias Thomistæ præsertim Recentiores, aggressi sunt dicere; Deum decreto suo efficaci prædeterminativo præfinitio posse, & de facto præfinitio omnia & singula peccata nostra; non quidem quoad formalem malitiam; sed quoad entitatem positivam actus peccaminosi, quod vocant materiale peccati, & substratum malitiæ. Ita videlicet, ut stante in homine iudicio indifferenti, proponente prohibitionem actus; & dictante hic & nunc, in alium esse sic operari, velit Deus efficaciter decreto suo præfinitivo, & prædeterminante, quòd homines hic, & nunc liberè velint facere actum, v.g. periurij, blasphemæ, odij Dei, & similes: sicque aiunt, Deum efficaciter voluisse, præ-

definitio, & prædeterminasse Iudam, ut vellet prodere, & vendere Christum. Sic palam docent communiter Prædeterminatistæ ex Magistro suo Bannez *1. p. quest. 19.* assentientibus Alvarez, Cabezudo, & Ledesma. Sic Ioannes à S. Thomà *tom. 2. disp. 5. art. 6.* Sic Carmelitani Discalceati *disp. 10. de Volunt. dub. 7.* Sic Godoy *tom. 2. in 1. p. tract. 4. disp. 36.* plaudentibus Thomà, Goneto, Ferrè, & Modernorum agmine.

23 Circa probabilitatem huius opinionis abstineo iudicium. Audio tamen parum probabilem, & Augustino indignam iudicari ab Illustrissimo Araujo Dominicano; invisam Sanctis Thomà, Fulgentio, & Augustino, & sanæ doctrinæ parum consonam, à Zumelio varijs in locis; improbabilem, à Puteano; expressè contra S. Thomam, ab Albelda Dominicano; rationi contrariam à Ioanne Vincètio Dominicano; Calvino consonam, à Campanella Dominicano; Calvini commentum, ab Stapletonio; blasphemam, Ariminensi; blasphemam, & impiam, à Verduno Dominicano; impiam, & stultam, ab Alfonso de Mendoza; detestandam à Pighia. Eam tanquam Scholæ verè Thomisticæ iniuste suppositam insectatur denuò multis in speciali, ac specioso volumine Mag. Iosephus Vita Dominicanus. Multa huius generis lege apud Leonardum *part. 2. de Scient. Med. sect. 3.* Annatum *disp. 4. de Scient. Med. & Ribadeneiram disp. 11. de Trædest. cap. 1.* & quòd notatu dignum est, P. Quiròs *tom. 1. in explic. qq. S. Thomæ quest. 19. art. 9. num. 106.* scribit sic. Refert Philadelphus in sua *Exercitatione Scholastica cap. 3. §. 5. in Generalibus Communijs Ordinis S. Dominici* visam esse hanc opinionem repellendam à publicis Assertionibus. Præfatas censurationes refero; non fero. Quidquid ij, & alij censuerint.

24 Opinione istam impugnat universa Societas Schola. Vnus pro cunctis legendus contra illam eruditissimus Montoya *tom. de Volunt. per multas disputationes*, testimonijs præsertim Sanctorum PP. refertas. Ex triplici capite impeti potest: ex capite læsæ libertatis humanæ: ex capitibus læsæ sanctitatis, & æquitatis divinarum. Quoad primum caput, nihil est quod addamus ad ea, quæ diximus *disp. 4. & 5.* nisi quòd, si prædeterminationes, utpote necessitantes, libertatè tollunt, applicatè ad materiale peccati, necessitarent ad peccandum:

Bannez.  
Alvarez.  
Cabezudo.  
Ledesma.  
Ioan. à S.  
Thomà.  
Discalce.  
Godoy.  
Gonct.  
Ferrè.  
Arauj.  
S. Thom.  
Augustin.  
Fulgent.  
Zumel.  
Putean.  
Albeld.  
Vincent.  
Campan.  
Arimin.  
Verdun.  
Mendoza.  
Pigh.  
Staplet.

Vita.  
Leonard.  
Annat.  
Quiròs.  
Philad.

Montoya.

Supr. disp.  
4. & 5.

dum: sicque homo operans malum ex necessitate, peccaret: quod redolere videtur propositionem primam Jansenianorum damnatam noviter ab Alexand. VIII. in Decreto, de quo disp. 1. sect. 5. & ab Innoc. X. in Bulla contra Jansenium asserentem ad demerendum non requiri libertatem à necessitate. Quoad alia duo capita discutiendum nobis restat in præfenti: quoad unum sect. 5. quoad alterum sect. 6.

25 Præeat Sanctorum PP. aliqua lux: & multam vide apud Montoyam cit. Augustinus 5. de Civit. 5. ait disertissimè: *Sicut omnium naturarum creator est Deus, ita omnium potestatum dator; non voluntatum: mala quippe voluntates ab illo non sunt.* Ecce: in lineâ peccandi solam potestatem dari à Deo docet Augustinus, negans dari à Deo voluntatem, id est, volitionem quæ quidem materiale peccati est: & sibi cap. 3. de Spir. & lit. pergit dicens: *Nunquam legimus in Scripturis: non est voluntas, nisi à Deo: & rectè non scriptum est: quia verum non est: alioquin peccatorum etiam, quod absit, author est Deus, si non est voluntas nisi ab illo.* Quomodo non & istam daret Deus, si volens, decernens, & prædeterminans ad materiale peccati, vellet efficaciter, ac decreto suo prædeterminaret ad positivam volitionem peccandi? Aut quomodo non esset à Deo voluntas peccandi, & Deus non Author peccati ex discursu Magni Augustini, si ipsum nec struere peccare est à Deo efficaciter volente, decernente, præfinitente, prædeterminante?

26 Anselmus cap. vlt. de casu Diaboli: *Non solum hoc habet aliquis à Deo, quod sponte dat, sed etiam quod iniuste rapit, Deo permittente: & mox id explicat pro malo velle peccatoris. Hoc est ergo quod Deus non sponte dat, sed peccator rapit; hoc est malum velle: hæc ergo mala voluntas habetur à peccatore; Deo non istam volente. Quomodo Deus illam non vellet, si illam efficaciter vellet, ac prædecerneret?*

27 Prosper de homin. casu ad obiect. 13. Vincentianam. *Neque tali negotio quidquam divinæ voluntatis intervenit; cuius opera scimus, multos, ne laberentur, redemptos; nullos autem, ut laberentur, impulsos:* Quomodo autem nihil esset divinæ voluntatis in negotio peccati, si Deus efficaciter vellet, ut fiat à nobis actus ipse, qui

peccatum est? Quomodo non impelleret ad lapsum, si præfinitet, & prædeterminaret ad opus, quod in ijs circumstantijs, in quibus illud prædecernit Deus, fieri, & hominem non labi implicatorium est? Et similiter Fulgentius 1. ad Monimum cap. 23. ait de pravâ, ac peccaminosâ Adami voluntate: *Author iniquitatis extitit, qui malam voluntatem dedit homini bono, per quam peccans aeterno mereretur puniri supplicio.* Si autem Deus præfinitens, seu prædeterminans dedit homini bono malam illam voluntatem, Author esset iniquitatis: & quod exhorrent aures, potiori ratione, quam Diabolus, qui sic neminem prædeterminat.

28 S. Thom. 1. 2. quest. 29. explicat S. Thom. turus, quomodo Deus non sit causa peccati, ait: *Homo dupliciter est causa peccati, vel sui, vel alterius. Nullo modo directè inclinando voluntatem suam, vel alterius ad peccandum: Deus autem non potest esse directè causa peccati.* Et ratio S. Thom. debet esse; quia non inclinatur voluntatem suam, nec alterius ad peccatum ea vi, qua unus homo dicitur inclinare voluntatem alterius: sed homo quamvis non inclinatur directè voluntatem alterius ad peccatum, quia peccatum est, secundum formale peccati; si tamen inclinatur ad actionem positivam peccaminosam, quæ sit materiale peccati, dicitur, & est causa peccati alterius iuxta S. Thom. quanto magis esset Deus, non quomodocumque inclinans, sicut homo hominem; quin etiam prædefiniens, & prædeterminans ad omnes nostras actiones peccaminosas? Et quest. 80. art. 5. docet: *Peccatum actus quidam est: per quem modum aliquis directè est causa alius actus: quod quidem non contingit, nisi per hoc quod proprium principium illius actus movet ad agendum.* Si igitur Deus est causa, & author actus nostri liberi, qui est peccatum; & movet, imò præmovet, ac prædeterminat voluntatem creatam, quæ est principium talis actus, aut ruit hæc Doctrina verissima S. Thom. aut iuxta doctrinam Prædeterminatarum, esset Deus causa, & author peccati.

29 Concilium Trident. Sess. 6. Can. Trident. 6. *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere; sed mala opera ita ut bona, Deum operari; non permissivè solam; sed etiam propriè, & per se adeo ut sit proprium eius opus non minus pro-*

proditio Iude, quam vocatio Pauli; anathema sit. Itaque non solum de malitia formali proditiōis; sed nec de ipsa actione positiva prodendi dici licet plusquam permissivè esse à Deo. Quomodo ergo præfinitivè, & prædeterminativè?

30 Quod autem, ut principio inanis evasio præcludatur, non solum de formali malitia, sed actione ipsa proditiōis, quæ est materiale peccati, id dicatur à Concilio, patet ex proprietate verborum syncerè, ut oportet, retinendâ. *Proditio enim, sicut & vocatio actiones physicas positivas sonant: nec ritè sic concreterè loqueretur in re doctrinali Concilium, si mens esset eos dumtaxat damnare, qui dicerent malitiam formalem distinctam ab actione prodendi esse, & causari à Deo.* Præterea: sic opus est loqui, & intelligi Concilium, ut in vi sui Canonis homo potius quam Deus sit causa operis mali: hoc autem nequit intelligi, nisi absolute negando actionem positivam malam etiâ quoad materiale sui & substratum malitiæ esse tam opus Dei, quam hominis. Patet: quia nequit intelligi non esse opus tam Dei quam hominis, si illud positivum materiale peccati tam causat Deus, quam homo: nam in formale, quod dicitur superesse, nullus iam superest ulterior influxus liber; nec hominis, nec Dei; cum sine nova libertate oriatur à positivo materiali: si igitur circa hoc materiale non minus negaret Concilium rationem causæ Deo, quam homini, nihil discriminis in vi sui Canonis posuisset inter causalitatem Dei, & hominis in opus malum: quod abhorret à synceritate Concilij: cuius propterea mens fuit loqui de proditiōe, & de quolibet alio opere malo etiam quoad materiale.

31 Insuper. Scopus erat ibi Concilij damnare Calvinum, & Melanctonem facientes Deum plusquam permissorem peccati, cum vellent authorem, & causam: non quod proinde dixerint Deum peccare, aut quod per se causaret formalem malitiam, nempe negationem, aut privationem, quæ dicuntur ex positivo materiali subsistere: utrumque enim hoc negarunt expresse, ut bene notat Zumel, & legere est in eorumdem verbis fideliter recitatis à Cardinali Bellarmino totius huius negotij bene conscio, ab Annato, Montoya, & Meratio. Nihilominus iustissimè fulguriuntur à Concilio in eo Canone, quasi facientes

Deum plusquam permissorem peccati, authorem peccati, & causam peccati: ergo quia ab hac damnatione non se satis tuentur per distinctiunculam illam materialis, & formalis peccati.

32 Probatur manifestè, si rei veritati stare velimus. Non enim iuste damnaretur de consequenti, qui negaret illud, nisi ex ipsius principijs aperte deducatur. Sed prædicti Sectarij absolute negant Deum esse authorem peccati, nec id ex eorum principijs deducitur, si non deducitur ex præfinitione, & prædeterminatione divina ad positivum materiale peccati: ergo aut non iuste damnantur, ut absolute facientes Deum plusquam permissorem, & authorem peccati: aut non soli. Minor quoad priorem partem patet ex ipsorum verbis: *Firmissime, & tanquam utraque manu tenendum,* subscribit Melancton, Deum nullo modo esse authorem peccati. Quoad posteriorem partem probatur: quia effugia Prædeterminatarum iam illi arripuerunt.

33 Quod enim displiceat Deus in formali peccati, dixerunt palam cum Calvino prædicti Sectarij, Deum non velle, nec amare formale peccati, quamvis decernat, velitque materiale; quia formale est extra spheram divinæ voluntatis, distincterunt alij cum Beza aphorism. 19. ibi: *Quidquid agit Deus bonum est, cum à summo bono nihil mali possit proficisci.* Quod homo & non Deus teneatur vitare formale, dixerunt iam alij cum Zuinglio apud Bellarm. sic fati: *Quod Deus facit non est peccatum, quia non est contra legem: illi enim non est lex posita.* Quod peccatum ut defectus est, solum esse possit à causa deficiente, qualis Deus esse nequit; hæc est in re, mutatis vocibus, quod de formali malitia peccati dixerunt cum Calvino in Antidot. contra hunc Concilij Can. *Ad datur, inquit, exceptio, malitiam non ipsius esse opus: nempe Dei, cui attribuit inclinare ad mala, quoad materiale scilicet actionis positivæ.* Quod Deus malitiam formalem purè permittat: hoc etiam iudicantur in Canone, ut facientes Deum plusquam permissorem, & authorem maiorum operum. Ergo quia hoc est apertum confectarium ex doctrina, quam de Deo tradunt circa positivum materiale peccati. Videant, sibi que caveant iisdem

distinctionibus præfidentes, ne factis non faciant Tridentino, qui Deum præfinitorem, & prædeterminatorem faciunt ad materialia peccatorum.

### SECTIO V.

*Arguitur à ratione ex capite laesa Sanctitatis divina.*

34 **D**E Deo ter sancto, & omni ex parte sanctissimo psallebat David: *Quomam non Deus volens iniquitatem tu es.* Hæc ductus, & edoctus Oraculo divino repellere iam pridem studui, quam longè potui, à sanctissima Dei voluntate omnem omnino volitionem, etiam inefficacem, seu conditionatam, & ut moliantur alij, disiunctivam peccati nostri; non solum quoad formale malitiæ, quomodo-cumque ista constituatur; quin etiam & quoad materiale: entitatis positivæ actus voluntatis peccaminosi. Id quod præstiti pro viribus *disp. 9. de Attrib. & à gravibus objectionibus defendi; & propugnatum denuo vidi cum gaudio à R.P.N.G. Thyrso tom. 1. disp. 11. sect. 3. Quæ scriptis ibi pro repellendis à sanctitate Dei volitionibus quibuscumque etiam inefficacibus materialis peccati, faciunt à fortiori contra efficaces præfinitivas, & prædeterminativas. Adijciam specialia contra hunc modum attribuendi Deo volitiones efficaces per decreta præfinitiva, imò & prædeterminativa affectivè prosequativa peccati quoad materiale, utpote puritati sanctitatis divinæ maximè repugnantia.*

35 Arguo autem sic. Repugnat sanctitati divinæ causare peccatum, esse auctorem peccati, & se habere ad peccatum plusquam permissivè: Sed hæc absurda horribilia sequuntur contra divinam sanctitatem, si Deus efficaciter vellet, & prædeterminaret ad peccatum quoad materiale: id igitur repugnat omnino sanctitati divinæ voluntatis.

36 Vulgaris responsio: in peccato v.g. in odio Dei libero, esse rationem entis, & effectus, & rationem malitiæ formalis & defectus. Hoc vocant formale peccati, de linea morali, quod Deus non vult cum sit extra spheram suæ voluntatis; sed permittit: illud vocant materiale peccati, de linea physica, & substratum malitiæ, quod

potest Deus efficaciter velle, & prædeterminare: quin proinde sit author, causa per se, & plusquam permissor peccati.

37 Quam minimè per hæc fiat satis damnationi Tridentinæ latæ adversus sectarios horum terminorum non ignaros, monstravimus *sect. præc.* nec certè ulli Theologo rem syncerè consideranti satisfieri posse videtur. Est enim saltem dicere, velint nolint, quod, quamvis Deus nõ velit efficaciter malitiæ formalem, qua entitas physica actus constituitur in linea morali, & in ratione formali defectus; nec ad illam prædeterminet, nec sit illius Author; vult tamen efficaciter, decernit, prædeterminat, est Author, & causa per se, ac proinde non merè permissor entitatis positivæ actus liberi odij Dei, quo creatura creatorem suum odio habet. Si hoc non dicunt responsores isti, quid, rogo, rei dicunt? Si hoc dicunt, sectarios rogo; an aliquid amplius in hac controversia dicant? Ad hoc respondebunt Theologi controversiæ verbis ipsorum sectariorum recitatis *sect. præc.* & rem concludet Canon Tridentini, nihili faciens, uti par est, huiusmodi tergiversationes in puncto dogmatico.

38 Contra deinde. Positâ determinatione creaturæ ad entitatem physicam, & materiale actus liberi odij Dei hic, & nunc; vel manet homini indifferentia ad moralem defectum, & ad malitiæ formalem, vel non manet? Si non manet: ergo determinatio illa Dei est non solum ad materiale physicum, & entitativum peccati; verum etiam ad moralem defectum, & ad malitiæ formalem; erit Deus prædeterminator, & author; ac proinde non merè permissor defectus moralis, & formalis malitiæ. Si manet; rogo ulterius: à quo tollitur liberè ista indifferentia remanens? Si à Deo, ecce Deum determinantem ad malitiæ quoque formalem, & ad rationem defectus moralis. Si ab homine, videre hic debent, quomodo sit determinatio à creatura indifferenti, ut indifferenti: & disputo sic. Post entitatem actus positivæ odij Dei liberè positam ab homine non restat homini aliud exercitium liberum respectu malitiæ formalis: tota namque voluntatis humanæ libertas se exercet in actu; negatio verò, seu privatio, & ratio formalis defectus, in qua stare dicitur formalis malitiæ de linea

morali non oritur ab entitate actus per novum exercitium liberum, sed per essentialem connexionem resultat. In quo igitur stare poterit libera illa hominis, & non Dei determinatio ad formalem malitiæ, seu ad rationem defectus moralis; determinante Deo ad entitatem physicam, & positionem liberam actus odij Dei non minus connexam cum formali malitiæ, quam Dei prædeterminatio cum materiali peccati? Non igitur per illam vocum conglotationem servat immunem prædicta responsio sanctitatem Dei à volitione & determinatione ad formalem malitiæ peccati; si sic concedit ad materiale.

39 Præterea. Undecumque formaliter inficiatur entitas illa physica actus liberi odij Dei à malitiæ formali de linea morali; actus ille liber est qui formaliter est, & absolute denominatur; ac dicitur moraliter malus, & re ipsa peccatum, prohibitus à Deo, utpote oppositus æternæ legi Dei prohibenti odium Dei, ut nemini potest esse dubium: sed apud advertarios Deus prædefinit, prædeterminat, per se causat, ac proinde plusquam permittit actum illum positivum, & entitativum odij Dei in circumstantiis libertatis, in quibus realiter inficitur, & nequit non infici malitiæ formali, & ratione defectus moralis: ergo absolute realiter, & simpliciter, prædefinit, vult efficaciter, ac prædeterminat peccatum, est author, causa per se, & plusquam permissiva peccati. Nec enim aliter homo suadens, mandans, aut consulens actionem alterius peccaminosam, quamvis non ex ratione malitiæ formalis, dicitur absolutissimè causa peccati & defectus alterius, in linea morali: ac proinde author, & plusquam permissor. Quanto igitur absolutius Deus, si ad ipsam actionem positivam prædeterminaret: quod abs dubio multo plus est quam suadere, & consulere.

40 Atque hinc roborantur mirifice supradicta. Repugnat divinæ sanctitati, consulere, suadere, præcipere materiale peccati; nempe entitatem positivam physicam actus liberi odij Dei, quacumque factâ mentali præcisione formalitatum, mali formaliter, defectus moralis, & similibus: ergo nihil etiam obstantibus eiusmodi considerationibus, multo minus poterit prædeterminare ad materiale peccati, nempe ad entitatem physicam posi-

tivam actus liberi odij Dei. In antecedente, ne traherentur ad consequentiam, vidi aliquos in publico confesso subdubitantes cum assidentium horrore. Certè namque *Deus inventator malorum est*: ecce non solum non tentat ad malitias; sed neque ad mala: *Deus autem neminem tentat*: at quomodo non tentaret ad mala, si consuleret, si suaderet; si præcipere materiale peccati: homo autem sic tentatus divino præcepto, quomodo non esset in necessitate peccandi? Quandoquidem si liberè non poneret illud materiale odij Dei, transgredereetur divinum præceptum; si liberè poneret, non id poneret sine formali malitiæ peccati. Probatur autem consequentia: quia multo magis connectitur cum materiali & formali peccati; prædeterminatio, quam consilium, quam suasio, quam præceptum, ut est ex se clarum: hæc enim possunt esse; & sæpe sunt, non posito, nec quoad materiale, nec quoad formale opere, quod vult suadens, consulens, aut præcipiens; prædeterminatio autem ad entitatem actus liberi odij Dei nequit esse non posito materiale & formali peccati. Nec sunt ullæ formalitates distinguibiles in peccato respectu prædeterminationis, quæ applicari non possint suasioni, consilio; & præcepto; & inde argumentum vehementer urgetur: præsertim cum ad ipsas suasiones, & ad ipsa consilia, quibus unus homo inducit alium ad peccandum, prædeterminet etiam Deus, iuxta hos Authores.

41 Responsio aliorum est: Deum proinde solum velle materiale peccati directè; indirectè verò ex eo sequi malitiæ formalem. Caterum & hæc quoque responsio retunditur per præcedentia. Cur enim nequeat similiter Deus suadere, consulere; præcipere idem materiale odij Dei directè; unde indirectè sequatur malitiæ formalis? Præterea: si homo homini suaderet, aut consuleret, ut faceret actum odij Dei, directè volens materiale & positivum talis actus liberi, quamvis non intenderet malitiæ formalem; diceretur plusquam permissor, author, & causa per se peccati alterius, nihil obstante illa præcisione: ergo multo minus obstare debet prædeterminanti.

42 Responsionem moliantur ex parte Dei dicentes duo. Vnum: quod Deus non proinde peccat prædeterminans, quia



non tenetur legibus, sicut homines. Alterum, non proinde sequi quod velle, & amaret malitiam formalem: quia hæc est extra sphaeram divinæ voluntatis, à qua scilicet est involibilis, & inamabilis.

43 Primum, est effugium à Zuinglio dictum, ut retulimus num. 33. à quo illud didicerunt noviores sectarij: quo aperitur via ad dicendum, nec velle formale peccati repugnare Deo: quia nulla lege tenetur: quasi Deus minus obstringatur ab infinita sua sanctitate, quam homo à legibus, ne possit velle mala, & turpia. Nec est ad rem: hætenus enim non processit argumentatio de eo quod Deus peccet, necne: sed de eo quod, sive ipse in eo peccet, sive non peccet; esset plusquam permissor, Author, & causa per se peccati nostri, eo ipso quod ad materiale peccati nostri modo dicto prædeterminaret: quod & cæci Hæretici distinxerunt facientes Deum Authorem peccati nostri, sine peccato tamen suo, quia legibus non tenetur.

44 Postèrius verò, est effugium ad manifesta præcipitia. In primis ecce Tibi viam ad similiter dicendum, si audes, Deum posse suadere, consulere, præcipere materiale odij Dei, quin obster nullo modo malitia formalis: quia est extra sphaeram divinæ potestatis suasive, consultivæ, & præceptivæ. Deinde, si malitia formalis odij Dei mali, non solum est extra sphaeram divinæ potestatis & voluntatis præceptivæ, consultivæ, & suasive, sed facit etiam quod materiale odij liberi Dei sit extra eandem sphaeram impræceptibile, & insuasibile à Deo: ergo quòd malitia eadem formalis sit extra sphaeram divinæ voluntatis prædeterminativæ, sitque involibilis, & inamabilis à Deo; facit etiã esse extra eandem sphaeram, involibile, & inamabile à Deo materiale ipsius actus liberi Dei, utpote verè & realiter malum à malitia formali. Aut cur non ita? Consequentiam istam urgemus. Tum à paritate voluntatis Christi, extra cuius sphaeram est actus positivus odij Dei, utpote verè mali, eo ipso quod sit extra ipsius sphaeram eius malitia formalis. Tum à paritate voluntatis nostræ licitè volitivæ, extra cuius sphaeram est materiale peccati, eo ipso quod formale peccati sit extra eius sphaeram: neutrum enim horum est à nobis licitè volibile, & amabile. Ergo ex termi-

nis prædictæ responsionis non stat, malitiam formalem actus liberi odij Dei esse extra sphaeram divinæ voluntatis prædeterminativæ sicut & præceptivæ, nisi stet pariter, materiale actus mali liberi odij Dei esse extra sphaeram divinæ voluntatis Dei prædeterminativæ, sicut & præceptivæ.

45 Confirmantur ad homines hæc omnia, meo iudicio indissolubiliter, ex celebri alia Prædeterminatarum doctrina. Defendunt pugnaciter ut doctrinam Sancti Thomæ 1. p. quæst. 63. art. 5. Angelos *S. Thom.* non potuisse peccare in primo suæ creationis instanti: & dant rationem, quia Deus esset causa per se peccati in ratione etiam malitiæ, & defectus. Arguo sic: magis accedit ad malitiam formalem, & ad rationem defectus de linea morali, materiale actus liberi peccaminosi odij Dei, quam natura Angeli: cum hæc possit esse sine peccato; & materiale talis peccati nequeat esse sine malitia formali, nec sine ratione defectus in linea morali, ut per se patet. Sed Deum creare naturam angelicam in instanti, in quo Angelus peccet, esset, Deum per se causare peccatum, esse authorem peccati, & plusquam permittere peccatum, etiam quoad malitiam formalem, & quoad rationem defectus in linea morali: ergo multò magis totum id esset, Deum prædeterminare ad materiale peccati. Aut cur producere Angelum peccantem in eo instanti, esset, Deum alioquin impeccabilem, & essentialiter sanctum plusquam permittere, & causare per se peccatum, in ratione formalis etiam malitiæ; essetque Deum alioquin indefectibilem causare peccatum, in ratione etiam defectus moralis in Angelo defectivo, & deficiente; & prædeterminare Angelum hic & nunc peccantem ad materiale & entitativum actus liberi peccaminosi, non sit potiore iure, Deum alioquin impeccabilem, & moraliter indefectibilem plusquam permittere, & per se causare, fierique authorem formalis malitiæ, & moralis defectus Angeli peccantis, & deficientis? Cunctæ responsiones datæ, & dabilem à Prædeterminativis applicabiles sunt huic urgentissimæ paritati, ut in ipsorum doctrinis earum insufficientia fiat conspicua, ut sibi non plaudant immeritò Godoy, & Gonerus de distinctionibus intra, & extra sphaeram; aut causæ indefectibilis, & defectibilis, quibus & alijs vsi frustra sunt

pro

pro suis erroribus Zuinglius, Calvinus, & Beza.

### SECTIO VI.

Arguitur ex capite læsæ divinæ æquitatis.

*Psal. 118.* 46 **O**Mnia mandata tua æquitas: psallit ad Deum David. Quod ita intelligi necesse est, ut nihil nisi æquissimè præcipere, ad nihil nisi æquissimè obligare possit Deus: sed oppositum sequitur ex prædeterminatione divina ad materiale peccati: ergo contra divinam æquitatem. Probationi minoris inserviunt à fortiori multa, quibus *disp. 4. sect. 3. & 4.* argumentabamur ex hoc capite læsæ æquitatis divinæ contra omnes prædeterminationes. Probatum nunc specialiter, & manifestius contra prædeterminationem ad materiale peccati. Homo prædeterminatus ad materiale peccati obligatur ad non peccandum: sed non nisi iniquè possit sic obligari: ergo ex prædeterminatione divina ad materiale peccati sequitur, quod oppositum essentialiter est æquitati divinæ. Consequentia inferitur perquam optimè. Maior est innegabilis à Prædeterminativis: alioquin dicturis nullum prædeterminatum ad peccandum peccare; siquidem non obligaretur ad non peccandum.

47 Minor, in qua est difficultas, ostenditur. Vel enim obligaretur à Deo sub peccato ad non ponendum materiale peccati; vel ad non inficiendum materiale peccati malitia formali: sed ad neutrum nisi iniquissimè: ergo non nisi iniquè possit obligari. Probatum minor quoad obligationem circa materiale. Quia in hoc quod est præcisè ponere materiale peccati, conformaretur humana voluntas divinæ voluntati efficaci volenti poni ab ipsa materiale peccati: sed non nisi iniquè obligaretur homo sub peccato ad non ponendum id quod est conforme primæ regulæ voluntatis divinæ efficaciter volentis ut ponatur; esset enim obligari ad id quod oppositum est voluntati divinæ actu efficaciter volenti ut ponatur, id, ad quod non ponendum obligaretur homo: ergo quantum præcisè est quoad materiale peccati, stante divina voluntate prædeterminativa efficaciter volente ut ponatur id materiale, non nisi iniquè obligaretur homo ad illud non ponendum. Deinde probatur

eadem minor quoad obligationem circa formale. Quia poni liberè materiale peccati, quod Deus efficaciter velle; & non resultare malitiam formalem; prorsus est impossibile, & chymera sub nullius libertate cadens, ac proinde sub nullius obligatione cadere potens: ergo non nisi iniquè & chymericè ad id obligari possit homo à Deo.

48 Vnde sic urgeo. Vel peccaret homo sic prædeterminatus à Deo ad materiale peccati, ex eo præcisè quòd poneret materiale peccati; vel ex eo quod ulterius resultaret malitia formalis? Non primum: tum quia non solum iniquum, quin etiam implicatorium est, Deum efficaciter velle, ab homine poni, id quod iuste prohibet ne ab ipso homine ponatur, ut sit manifestum ex dictis *disp. 4. num. 37.* tum quia in eo præcisè homo operaretur conformiter ad voluntatem Dei efficaciter volentis hominem illud materiale hic, & nunc operari: ergo ex eo præcisè non peccaret. Neque posterius: quia ulterior illa resultantia malitiæ formalis ex materiali sic posito nemini non est de novo libera, cum sit ex necessarissima connexionione cum materiali liberè posito: nec homini nec Deo possibile est facere, quod materiali sic liberè posito malitia illa formalis non resultet: ergo neque per id posterius peccaret homo. Quamnam ergo foret Dei iniquitas, aut ineptia, obligare hominem sub peccato in eo, in quo peccatum non est?

49 Confirmantur hæc ex Concilio Arausico. *Can. 22.* dicente: *Suam voluntatem hominis facere; non Dei; quando id agunt; quod Deo displicet.* Ex quo sic. Sed tunc peccant, quando faciunt quod Deo displicet: ergo tunc non faciunt voluntatem Dei. Quomodo autem dum peccant, non facerent voluntatem Dei, si dum peccant, faciunt materiale peccati, quod vult Deus efficaciter ut faciant? Nec oportet dicere, quod peccant, quia ponunt materiale cum formali, quod Deo displicet. Non enim est modus alius ponendi liberè illud materiale, quod in hac sententia vult Deus, in ijs circumstantijs materialibus, nisi cum formali malitia: aut ostendatur, quæsumus, alius modus.

50 Præterea. Si peccator sic prædeterminatus liberè ponens entitatem positivam actus odij Dei, opponeretur alicui voluntati Dei; aut opponeretur voluntati nolen-

*Supr. disp. 4. sect. 3.*

*Arausic.*

nolenti liberè poni entitatem talis actûs; aut voluntati volenti, sicut in positione liberà talis entitatis, non progrediendo ad formalem malitiam? Non primum: quia potius Deus sic prædeterminans habet voluntatem efficacem volentem, liberè ab homine poni entitatem talis actûs odij Dei. Non secundum: quia cum impossibile omnino sit, hominem ponere liberè entitatem actûs odij Dei, ibique præcisè sistere, quin progrediatur ad formalem malitiam: non nisi iniquè & imprudenter vellet Deus hominem sic liberè ponentem entitatem talis actûs, ibi sistere, quin ultra progrediatur ad formalem malitiam, & iniquius ad id hominem obligaret: esset enim obligare ad impossibile: quod est Iansenismus. Nulli ergo voluntati Dei opponeretur homo sic ad materiale prædeterminatus peccans: quod perinde est, ac peccare simul & non peccare.

51 Aliter. Quisquis peccat, aliquam Dei voluntatem non adimplet, ad quam adimplendam obligatur à Deo, ut ex Araucicano, & ex se est certum. Vel ergo in eo casu per odium Dei peccat homo non adimplens voluntatem Dei de eo quod liberè ponat effectum physicum, seu entitatem actûs odij Dei: & hoc non: quia, quoad hoc, potius illam adimplet: vel peccat, non adimplens voluntatem Dei de eo quod sistat in positione libera effectus physici, seu entitatis odij Dei in linea physica entis, non progrediendo ad defectum, seu ad malitiam formalem, seu ad lineam moralem: & neque hoc dici valet: cum talis voluntas non sit in Deo, ut pote de re impossibili: ad cuius impletionem non nisi iniquè obligari posset miser peccator à Deo æquissimo. Quomodo ergo sic à Deo prædeterminatus peccaret? Quomodo à iusto & æquissimo iudice de peccato argueretur, & damnaretur.

Fulgent.

52 Rursus cum Sancto Fulgentio lib. 1. ad Monimum sciscitor: Numquid ad hoc potuit Deus prædestinare, decreto scilicet suo præfinire, quod ipse disposuerat suo præcepto prohibere? Hinc: vel Deus prædeterminans prohibet materiale peccati; vel non prohibet? Si Deus id non prohibet, licitum esset: si prohibet, ecce ab hisce Prædeterminatistis admissum, quod impossibile iudicavit Fulgentius; Deum præcepto suo prohibere quod decreto suo prædecreverat, præfinierat, & quod durus

est, prædeterminaverat. Dices: Deum prohibere materiale ratione formalis. Bene: ergo materiale ratione formalis est prohibitum: ergo materiale ipsum ratione formalis est illicitum: ergo materiale ratione formalis est oppositum æternæ legi Dei, rectæque rationi: ergo materiale ratione formalis est inapprobabile à iudicio rectæ rationis: ergo materiale ratione formalis est involubile, & inamabile à voluntate non potenti discedere à iudicio rectæ rationis, qualis essentialiter est voluntas divina: ergo materiale ratione formalis est à Deo prorsus indecernibile, imprædefinibile, & multò magis imprædeterminabile: ergo ex nulla ratione potest esse à Deo volibile, decernibile, præfinibile, aut prædeterminabile: sicut ex nulla ratione fit hic & nunc licitum, seu non prohibitum. Hæc ratio videbitur aliquibus fortè minoris momenti, ac negotij; mihi verò ad tenendam rei veritatem, & ad obiectiones facilè dissolvendas præcipui momenti, ac negotij est, eritque omnibus, qui discernere norint inter fieri actum ab aliqua ratione, seu forma, prohibitum, illicitum, & honestè inamabilem, ac proinde à Deo imprædefinibilem; & non ab alia: id enim nulla est contradictio: & inter fieri ab vna prohibitum illicitum, honestè inamabilem, ideoque à Deo imprædefinibilem: & ab alia licitum, honestè amabilem, & præfinibilem: quod omnino repugnat: haud secus ac fieri simul licitum, & illicitum: licitum per unam formam, & illicitum per aliam: & aerem fieri simul lucidum, & tenebrosam per diversas formas.

SECTIO VII.

Obiectiones dissolutæ.

53 Generalia Prædeterminatistarum fundamenta ex prædominio Dei; ex dependentia in operando causarum secundarum à causa prima, & ex indifferentia causæ liberæ indigentis prædeterminatione ut operetur, non curamus in præsentia. Convulsa supponimus ex Philosophia; ubi res ista in genere peragitur: & quod satis est, scripsimus disp. 2. de Tom. de Grat. sect. 2. 3. & 4. Veniamus ad specialia pro præfinitione, seu prædeterminatione ad peccata, quod est præsens negotium.

54 Utuntur pluribus Sacræ Paginæ testi-

testimonijs. In quibus rectè, ac genuinè intelligendis iuxta expositiones Sanctorem PP. laborandum est, ut eorum spiritu vivificemur, & ne litterâ finistrè intellectâ occidamur. Quocirca oportet ob oculos habere cautissimè, eosdem Sacros Textus inverti ab Hæreticis ad probandum, Deum esse auctorem peccati, & necessitare ad peccata: ut legere est apud Decamp. de Hæresi Iansen. & apud Ripald. tom. 3. Cardinalem de Aguirre, & Moravos in Antijansen. & apud alios Authores Polemicos; & in libris etiam eorundem Hæreticorum. Nec est cur agrè tulerit Ioannes à S. Thomâ animadversionem illam eo dumtaxat animo adhibendam, ut cantos faciat Orthodoxos omnes adversus insidias Hæterodoxorum.

Decamps. Maran. Aguirre. Ripalda.

Ephes. 1. 2. Reg. 12.

55 Obijciunt primò, quod dicitur Ephes. 1. de Deo: Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ & 2. Reg. 12. dicit Deus: Ego suscitabo super te malum: per quæ significatur, Deum operari, & velle mala. Cæterum si hoc satis significatur, cur non intorqueant Hæretici ad mala pro formali? Respondetur solide, ac vere; neutrum id significari de malis culpe, quidquid sit de malis pœnæ: illa namque nullatenus potest velle Deus Sanctissimus, nec quoad formale, quod malitia est; nec quoad materiale, quod malum est, & à Deo prohibitum. Sed significatur illis modis loquendi divina permissio malorum, quæ posset Deus impedire, & non vult: & hoc magno cum consilio providentiæ suæ ad honestissimos fines intentæ. Audiamus Maximum Ecclesiæ Doctorem: Operatur omnia Deus secundum consilium voluntatis suæ: non quo omnia, quæ in mundo fiunt, Dei voluntate, & consilio peragantur: alioquin & mala Deo poterunt imputari: sed quo universa, quæ facit, consilio faciat, & voluntate, quod scilicet, & ratione plena sint, & potestate facientis.

Hieronim.

56 Obijciunt secundò, quod Gen. 45. dixit Ioseph de peccato Fratrum: Non vestro consilio; sed Dei voluntate huc missus sum. Et cap. 50. Nolite timere: Num Dei possumus resistere voluntati? Et Act. 4. Facere quæ manus tuæ, & consilium tuum decreverunt fieri. Per quæ significatur, Deum prædecrevisse, seu præfinivisse mala illa, & actiones peccaminosas. Respondetur, non id significari: sed quòd Deus prædecreverit patientiam Iosephi, & alia bona quæ

post venditionem suam evenerunt: quæ tamen Fratres nec intenderunt, nec agnoverunt, dum mala faciebant. Non ergo dicit, Fratres non potuisse resistere voluntati Dei, seu intendenti illa mala: talis namque voluntas nec fuit, nec esse potuit in Deo; sed voluntati Dei, qua voluit efficaciter bona subsequuta, ex quorum sine permisit illa mala. Ad locum Act. 4. dico; sensum esse planè de Christi redemptione per mortem illatam à Iudæis permittente Deo: hanc à Christo sustineri decreverat Deus, & in id permisit activam illationem Iudæorum, quam nec decrevit, nec voluit; sed permisit, decrevit permittere. Sic optimè Cornelius observans acutè in Textu non dici: decreverunt facere: quod sonat actionem pravam Iudæorum, ut invertere conatus est Beza; sed, decreverunt fieri: quod sonat passionem honestissimam Christi: iuxta scitum illud: Actio displicuit; Passio grata fuit.

Alapidi

57 Obijciunt tertio, quod dicitur 2. Reg. 16. Deus præcepit Semei, ut malediceret David. Et quod Psalm. 118. dicit David ad Deum: Inclina cor meum in testimonia tua, & non in avaritiam. Et quod Ioan. 13. dixit Christus Proditori: Quod facturus es, fac citius. Per quæ significatur Deum inclinare & impellere posse voluntates nostras, imò & de facto impulsisse in peccata: atque adeo illa posse velle, & voluisse. Respondetur in primis; quòd etiam per hæc videtur significari posse, Deum suadere, & præcipere peccata, quòd negant Prædeterminatistæ adhuc quoad materiale; quidquid ex ijs Scripturis sibi voluerit abusus Hæreticorum. Respondetur tamen secundò, neutrum id significari, sed illas loquutiones, ut aliæ multæ in Scripturis, usurpandas tropicè, & figuratè ad manifestandas speciali ratione permissiones divinas. Sic Augustinus, dum Deum oramus: Ne nos inducas in tentationem; ait, intelligi debere: Ne nos inferri deserendo permittas: non itaque quòd Deus, adhuc quoad materiale, possit inducere ad peccandum in tentatione, quòd verba videntur præferre, sicut nec inclinare in peccatum avaritiæ; sed quia manifestatio divinæ permissionis fieri solet per eos, & similes modos loquendi. Sic dæmoni decepturo Regem Achab, dixit Deus: Egredere, & fac ita: ac si dixerit, non te impedio, ut poteram; sed permitto, ut ita facias.

2. Reg. 16. Psal. 118.

Ioan. 13.

Augustin.

...Reg...

Leo.

Illud Christi ad Iudam : fac citius: exponit sic S. Leo: *Vox hæc non inbensis est; sed finentis: nec trepidi; sed parati.* Aut est figura, *Sarcasmos*, seu *Concessio*, significans averfionem sic loquentis à tali opere potius quàm suafionem, seu voluntatem ad illud: ut est apud Vatem: *I sequere Italiam ventis: pete Regna per vndas.* Ad illud de Semei dico ex Cornelio, Deum ibi præcepisse Semei rem non malam, sed bonam: scilicet ut malediceret, id est, ut nomine Dei exprobraret Davidi peccata sua, & quasi minister divinæ iustitiæ minaretur mala pœnæ. Quod si excessit Semei, & ex odio, & malo animo id fecit, fecit quidem ultra præceptum Dei.

Virgil  
... Æncy.  
Alapide.

58 Obijciunt quartò, quod dicitur Proverb. 16. *Omnia propter semetipsum operatus est Deus: impium quoque ad malum diem.* Et Rom. 9. *An non habet potestatem signulus facere aliud vas in honorem; aliud in contumeliam:* per quæ videtur significari, Deum ex fine mali à se voliti, ac præintenti fecisse multa. Respondetur, non id significari; sed potius intentionem divinam alicuius boni cum præscientia tamen mali futuri, quod propter bonum à se præintendum permittit nobis. Non ergo fecit vasa in contumeliam; hoc est volens, aut intendens contumeliam peccati; adhuc quoad materiale; sed præsciens abitura esse in contumeliam illa fecit ob fines honorificos, & bonos, permittens contumeliam peccati, qua deturpantur. Gerit se Deus in ijs instar hortulani, qui nullum imprimens impulsum aquis irriguis, ita terram disponit ex fine florum, & fractuum, ut aquæ modò arceantur ab hac, modo ab illa areola, modo fluere proprio pondere finantur in præceptis. Sicque dicitur permissionibus suis mensurare peccata; neutiquam tamen illa volens, aut intendens adhuc quoad materiale. Absit tantum nefas à Deo Sanctissimo Opt. Max.

Exod. 7.  
Rom. 9.  
Ioán. 12.

59 Obijciunt quintò, quod dicitur Exod. 7. *Induravit Dominus cor Pharaonis.* Et Roman. 9. *Quem vult, indurat.* Et Ioan. 12. *Propterea non poterant credere, quia verum dixit Isaias: excæcavit oculos eorum.* Per quæ videtur significari, Deum obdurare, & excæcare interdum peccatores, illos quoad materiale præfinitione, ac prædeterminando. Respondetur in primis, iuxta hunc modum inferendi potius inde

argui ab Hæreticis: quòd necessitudo. Deinde curum est, hoc quod dicitur de aliquibus obstinatissimis, afferri à Prædeterminativis pro cunctis peccatoribus. Respondetur tamen, nihil horum significari; sed Deum, subtrahendo uberiores gratias, relinquere obstinatos cum exiguis auxilijs, cum quibus novit non solum non credituros, nec convertendos; sed esse valde difficile quod credant, & convertantur: sumitur autem satis frequenter impossibile pro valde difficili. Sic explicatur communiter dignius, & benignius obstinatio: ut & nos præstitimus disp. 12. de Grat. sect. 7. ubi alia huc etiam pertinentia dissolvimus. Multa Card. de Aguirre disp. 125. Audiatur nunc Magnus August. 1. ad Simplician. quæst. 2. *Obdurare Deum est nolle misereri: nec ab illo irrogatur aliquid, quo sit homo deterior; sed tantum quo sit melior, non erogatur.* Et Epist. 105. *Non indurat Deus impertiendo malitiam; sed non impertiendo misericordiam.* Quid dilucidius? E re maxime erat dicere: *Sed impertiendo materiale peccati;* si hoc unquam venire potuisset in mentem Augustini sanissimam, & sanctissimam.

60 Obijciunt sextò, quod Augustinus lib. 5. contra Iulian. cap. 5. illum reprehendit dicentem, Deum tradere hominem malis desiderijs deserendo: ergo ad verba Scripturæ, quibus dicitur Deus tradere homines in desideria cordis eorum, & tradere eos in reprobum sensum, & ad similia non satisfacimus id intelligendo per desertionem: sic enim intelligebat Iulianus reprehensus ab Augustino: ergo mens erat Augustini, quod per determinationem ad peccata. Confirmatur, quia postmodum Augustinus ait, Deum compellere ad peccata: non solum per patientiam, quatenus multa condonans, deterret minus homines à peccando, iuxta illud: *Videns Pharaon, quòd data est requies, ingravit cor suum;* verum etiam per potentiam; id est potenter etiam movens ad peccandum: ergo quia prædeterminativè. Ad alias consequentias utuntur his antecedentibus Calvinistæ, & Janseniani post Zuinglium, ut legere est apud Bellarm. & Valentiam, & discere quantum oporteat ab illis discedere, suisque argumentis minime adplaudere.

61 Respondetur, negando antecedens, & duas illationes. Augustinus enim ibi reprehendit Iulianum: non præcisè, quòd dice-

Tom. de  
Grat. disp.  
12.  
Aguirre.  
Augustin.

Psalms.

Exod.

Bellarm.  
Valent.

Augustin.

diceret Deum tradere homines in peccata per desertionem; sed quia negabat unum peccatum evenire in pœnam alterius, id inferens ex eo quod per desertionem dantaxat dicitur esse à Deo, quod homo peccet. Quippe sentiebat rectissime Augustinus, optimè stare, quòd unum peccatum sit in pœnam alterius, cum eo quod non nisi per desertionem possit esse à Deo, quòd homo peccet: & per hanc desertionem explicari satis traditionem illam Dei in mala cordis desideria, & in reprobum sensum: mox enim subiungit: *Cum ergo dicitur homo tradi desiderijs suis, inde fit reus, quia desertus à Deo cedit, eis consentit, vincitur, capitur, trahitur, possidetur.* Quid plura? Ecce: *quia desertus à Deo,* ait Augustinus: non, *quia necessitatus à Deo,* ut aiunt Hæretici: nec, *quia determinatus à Deo,* ut aiunt Prædeterminativæ: aliter se discreturi, ac defensori, ut cum ingenio, & laude conantur, & laborant, ab illatione Hæreticorum.

62 Ad confirmationem fatemur, agnitores, & admissos ab Augustino duos illos modos, *patientia, & potentia:* sed non ut ab objcientibus explicatos, sed longè aliter. Nam per potentiam neutiquam intellexit motionem positivam divinam ad peccatum: absit; sed subtractionem auxiliorum efficacium gratiæ suæ, quæ sub potenti manu Dei, & libito sunt: quem modum deserendi, & finendi homines peccare, negabat cū Pelagio Iulianus, negans gratiæ auxiliantis necessitatem ad salutariter non peccandum. A compulsione divina positiva ad peccandum longissime fuit Augustinus: quippe tract. 56. in Ioan. ait: *Peccatum fecere Iudæi, quod eos non compulit facere, cui peccatum non placet.* Quomodo autem non compulisset, si prædeterminasset? Quocirca S. Prosper Augustiniana mentis bene concius, cap. 11. ad Capitula Gallorum, testatus est, nullum Catholicum dixisse, quòd Deus homines per potentiam in peccata compellat.

Augustin.

Hieronim.

Psalms. 32.

S. Thom.

64 Obijciunt septimò SS. Hieronymum, & Thomam. Quorum ille ad verba Psalmi 32. *Reprobat autem cogitationes Populorum,* glossat: *hoc est: Iudæorum consilia: quia non potuerunt illa facere, nisi in quantum à Deo prædefinitum est.* En ergo divinam de peccatis prædefinitorem. Iste in 2. dist. 37. quæst. 2. art. 2. distinctissime dicit: *Quidquid est in actu deficiente en-*

*tis, & boni, totum procedere à Deo, mediante voluntate.* En tandem Deum velle actus nostros deficientes, id est, peccaminolos, *secundum quod sunt ens, & bonum:* scilicet: *quoad materiale:* quæ caracteristicè videtur esse doctrina, quam impugnamus. Respondetur, in verbis Hieronimi prædefinitorem non capi debere de peccatis, sed de bonis, quæ ex permissione peccatorum intendebat Deus: quasi dicat, Iudæos non potuisse peccata illa facere, nisi permittente Deo, in quantum sic permittere oportebat, ad fines optimos à Deo intentos, & præfinitos. Vnde illatio nulla est. Sanctus autem Thomas clarior est, quam ut nostram indigeat interpretatione. Procedit quidem à Deo actus noster deficiens: à Deo scilicet concurrente; non vero à Deo nos determinante; nec à Deo illum volente: quod autem ait: *Mediâ voluntate:* si capiatur de nostra voluntate, mediâ nostra voluntate, & determinante, ideoque deficiente, & peccante, procedit: si de divina; mediâ etiam divinâ voluntate procedit; non quidem ad illud determinante, nec illum volente; sed permittente, & volente permittere, seu quod idem est, nolente illud impedire cum possit. Quid inde?

64 Obijciunt octavò: quod dicitur Ioan. 11. de Caypha, sententiam suam in Concilio proferente: *Expedit, ut vnus moriatur homo, ne tota gens pereat:* attestante Sacro Textu, *quòd hoc à se ipso non dixit; sed cum esset Pontifex, prophetavit nesciens:* ergo ex voluntate, & ex spiritu prophetico Dei id dixit: & tamen grande peccatum Cayphæ fuit. Similiter & Christi passio & crucifixio enorme fuit Iudæorum peccatum: & tamen eam Deus efficaciter voluit, prædecrevit, ac prædefinit. Respondetur, hanc objectionem procedere non posse, nisi ex inadvertentiâ terminorū: aliud est prolatio illorum verborum; aliud malevola & peccaminosa voluntas, qua Cayphas illa protulit ex prava intentione, & nesciens probum sensum intentum ab Spiritu Sancto. Materiale peccati, de quo veritur præfens quæstio, non est prolatio illa verborum, ex se indifferens, ut fieret ex intentione mala Cayphæ, aut ex bona Spiritus Sancti, aut ex utraque; aut in sensu vero Spiritus prophetici, aut in sensu: falso pessimi Cayphæ, aut ex utroque; sed est prava voluntas, & peccaminosa

intentio Cayphæ: illam prolationem potuit velle Deus & voluit; sicut vult consecrationem Sacerdotis indigni; in sensu vero intento ab Spiritu Sancto. Hanc vero malam voluntatem, & intentionem Cayphæ, quæ est materiale peccati, non potuit velle Deus; nec intendi ab Spiritu Sancto sensus pravus Cayphæ, qui *prophetavit nefciens*, nedum intendens sensum sui Spiritus prophæti. Similiter ad illud de crucifixione, distinguere est inter actum externum crucifixionis, qui secundum se indifferens est, & inter voluntatem Iudæorum activè crucifigentium, & iniquè id volentium; & voluntatem Christi passivè crucifixi, & sanctissimè patientis. Hanc Christi voluntatem patiendi voluit, decrevit, ac præsumit Deus; non illam iniquam Iudæorum intrinsicè & per se malam. Iterum: *Actio displicuit; Passio gratia fuit.*

## SECTIO VIII.

## Obiectiones à ratione.

65 **O**bjiciunt deinde à ratione. Primò. Multa vult, Deus, & amat connexa cum formali peccati, ut suam scientiam, & nostram poenitentiam de malitia: ergo nihil est quod obstat, quominus possit honestè amare materiale peccati, quamvis connexum cum peccato quin proinde velit, & amet formale malitiam. Respondetur in primis, formalem peccati malitiam, ut opinor cum meliori Theologia, non esse utcumque connexam cum entitate positiva actus peccaminosi, sed esse realiter ipsum positivum actus peccaminosi, & realiter actum ipsum malum, ideoque concessio antecedente, negatur consequentia: quia nec Scientia Dei, nec poenitentia nostra de peccato peccatum est. Sed age, demus, malitiam formalem esse quiddam negativum distinctum ab entitate positiva actus: adhuc, concessio antecedente, negamus iterum consequentiam. Non enim probamus materiale peccati non posse amari, nec intendi à Deo ex eo præcisè quod utcumque connectitur cum malitia formali; sed quia à malitia formali, undecumque ista sumatur, est verè malum, à Deo prohibitum, & illicitum, ut dicebamus *num. 52.* ideoque à Deo Sanctissimo inamabile omnino, involubile, & indecernibile, imprædefinibile, & multò

magis imprædeterminabile, alioquin eo ipso esset à nobis honestè volibile. At nec Scientia Dei, nec poenitentia nostra de peccato redditur mala, nec à Deo prohibita, aut illicita à malitia, nec à prohibitione peccati: sicut nec redditur à nobis honestè involubile. De quo redibit sermo à *sect. 10.* præter multa, quæ in hunc scopum scripsimus *disp. 9. de Attrib. sect. ... & ...* ubi multa nobis obiecta dissolvimus.

66 Secundò. Deus est per se causa generationis humanæ, & vult illam, quin propterea velit malitiam formalem peccati originalis, quod illam indivulsè consequitur. Ergo & entitatem materialis peccati, quamvis indivulsè subsequatur ad illam malitiam formalem. Profectò nec materiale peccati originalis amat, qui generationem humanam amat, ut videant obijcientes, quàm longius ab scopo aberrant. Libenter itaque concessio antecedente, nego libentius consequentiam: quia generatio humana non est mala, nec illicita, nec prohibita à Deo ratione malitiæ peccati: at actio entitativa actus mali redditur formaliter mala, illicita, & prohibita ratione malitiæ formalis, ut est indubium: ideoque nec à nobis honestè volibilis, nec à Deo ullo modo: quia nequit velle, & amare nisi honestè. Humana generatio nec est materiale, nec formale peccati originalis, nec intrinsicè & essentialiter connectitur cum formali; quod scilicet est actus peccaminosus Protoparentis, in nobis iuxta Dei pactum moraliter perseverans; nec cum materiali peccati originalis; sed extrinsicè ex pacto. Nullus autem est actus voluntatis malus, & peccaminosus, qui non sit intrinsicè per se, & essentialiter malus, ut alibi defendo, & tetigi *disp. 24. de Gratia sect. 4. num. 55.*

67 Tertiò. Deus per se solum potest velle, & infundere odium sui non liberum voluntati nostræ, ut dixisse fertur Holcot; actum erroris intellectui, ut cum Hurtado alij: habitum vitiosum, ut alij apud Montoyã: ergo poterit velle, & prædeterminare materiale peccati. Longum esset disputare totum antecedens. Mihi totum est plusquam falsum, totumque negat meritissimè Montoya. Doctrina Olchoti de actu necessario odij Dei reliquis Theologis invisã est: nec certè probari aliunde posse non video, nisi ex alia falsa, quod Deus velle per se, & præ-

Tom. de  
Grat. disp.  
24.

Holcot.  
Hurtad.  
Montoya.

determinare posset, quod absurdius esse videtur, ad materiale actus odij Dei liberi. Doctrinam de actu erroris repellemus contra Hurtadum ex professio *disp. de Fide sect. ...* De habitu vitioso id ipsum negavimus *disp. 15. de Incarnat. sect. 5.* quod tamen difficulter negare poterunt Prædeterminatores ad materiale peccati, utpote strictius connexum cum formali malitia, quàm sit habitus vitiosus. His tamen omnibus non satis obstantibus, adhuc permisso toto antecedente absurdissimo, neganda esset consequentia quasi absurdior. Nam materiale peccati in prædictis circumstantiis libertatis est re ipsa ipsum malum morale, illicitum, & à Deo prohibitum & realiter ipsum peccatum: quæ nec errori, nec habitui vitioso, qui quidem actus voluntatis non sunt, competere nequeant: nec sic competere actu necessario odij Dei.

68 Quartò. Materiale peccati entitas quædam positiva physica est, habetque rationem entis, & boni: ergo sub hac ratione amari potest & prædeterminari à Deo, quin propterea amet, & prædeterminet ad formalem malitiam moralem. Confirmatur. Concurfus simulaneus Dei est ad illam entitatem physicam materialis peccati, quin sit ad formalem malitiam: non est autem cur magis præcisivus sit concurfus simulaneus Dei, quàm prævius prædeterminativus: similiter ergo poterit Deus velle, præsumere, & prædeterminare materiale peccati, quin velit, & prædeterminet ad formale. Respondetur concedendo primam, & secundam partem antecedentis; & distinguo tertiam, habet rationem boni proprietativi, & transcendentalis, concedo; honesti, & moralis, nego antecedens, & consequentiam: illa enim prior bonitas solum dicit amabilitatem, quam etiam dicit formalis malitia, à voluntate scilicet creatâ potente amare sive honestè, sive turpiter: non à divina, quæ cum essentialiter sanctissima sit, omnino nequit amare, quod honestè nequit amari. Unde, quamvis materiale peccati habeat illas alias rationes, per quas formaliter, & præcisè non est involubile à Deo; est tamen realiter & absolute quid turpe, illicitum, & prohibitum à Deo, quia malum turpe; ac proinde non amabile nisi turpiter, & inhonestè: quo modo Deus sanctissimus nihil omnino amare, & velle

potest. Instantia est manifesta in ipsa malitia formali: quæ, quamvis demus, quod pura privatio, seu negatio sit, privatio, vel negatio est, cognoscibilis est, attingibilis à voluntate est, & mala est: hæc enim, & aliæ rationes, seu formalitatus in illa præcindibiles sunt: & quamvis non sit malia moraliter ex ea præcisâ ratione, quia negatio, aut privatio est, nec quia præcisè cognoscibilis est, nec præcisè quia attingibilis est à voluntate; nulla tamen ratione fit honestè amabilis à voluntate creata; nec ullo modo à divina, nihil potente amare nisi sanctè, & honestè.

69 Oportet ergo discernere, si sapiamus, inter hoc quod est, materiale peccati, sicut etiam & formale, non esse formaliter malum & involubile à Deo ex aliqua ratione præcisè, quod est verum; & inter hoc quod est, esse ex aliqua ratione boni amabile, & volibile à Deo: & hoc est falsum, & implicans, ut animadvertimus *num. 52.* quia dum intrinsicè infectum est turpitudinæ & malitiæ morali, quamvis non ex quacumque ratione, seu formalitate præcisè fiat malum, & honestè, sanctèque involubile; per nullam tamen fieri potest non moraliter malum, ac proinde nec honestè volibile, sanctèque amabile.

70 Nec ex eo præcipuè negamus, Deum posse velle & prædeterminare materiale peccati nostri; quia est connexum cum subsequenti malitia formali; sed quia vel est ipsa malitia formali, aut saltem à malitia formali, undecumque ista sit, est absolute malum, illicitum, & à Deo prohibitum. Et quia Deus illud amans, adhuc dato quod non amet malitiam formalem peccati nostri, contraheret, & auferret turpitudinem, & malitiam formalis volitionis suæ; sicut nos nostræ: quod blasphemum, & repugnans est summae Dei sanctitati.

71 Ad confirmationem, cui ex sinistra nostrarum doctrinarum, aut intelligentiâ, aut detorsione, nimis fidunt Godoy, & Gonet, & ad alia multa, quibus communiri posset, satisfecimus, ni fallor abundè *disp. 9. de Attrib. sect. 13.* pro qua nostra limpidißima doctrina legi potest R. P. N. G. Thyrsus *tom. 1. disp. 11. sect. 3.* Ex ibi late dictis, respondeo nunc breviter, in eius maiori gratis & falso supponi, concursum simultaneum Dei terminari ad entitatem physicam materialis pec-

Godoy.  
Gonet.

To. de Deo  
disp. 9.  
R. P. N. G.  
Thyrsus.

peccati, quæ est actus ipse positivus noster. Intendite: non dicimus, terminari ad entitatem physicam materialis peccati, sed esse ipsam entitatem physicam actus, seu quod mihi perinde est, actionis nostræ peccaminosæ: quia Deus simultaneè, cum creatura concurrat, in actu secundo per eandem actionem creaturæ: quæ quidem actio est peccatum creaturæ, & non Dei: quia, quamvis sit actio utriusque, non est volitio utriusque, sed volitio creaturæ, quia est actio vitalis voluntatis creaturæ; non vero volitio Dei, quia non est actio vitalis voluntatis Dei, sed actio ad extra Omnipotentia Dei, Deo non vitalis. At velle Dei de re turpi, esset eo ipso turpe velle. Ideoque dixi ibi, & dico, nec actionem nostram physicam peccaminosam, ac proinde, nec concursum Omnipotentia suæ, qui realiter est ipsa actio nostra, posse Deum ullo affectu suæ voluntatis velle, sed permittere, id est nolle impedire, seu velle non impedire volendo libere non habere decretum denegandi concursum suum, sicque impediendi actionem peccaminosam nostram. En quam longè amandemus à voluntate Dei sanctissimâ, non modo præfinitionem, sed quamcumque etiam suam volitionem materialis peccati. Transmissa autem minori; quia nobis non facit ad rem vis illa præcisiva in falsâ suppositione fundata; consequentia nulla prorsus est: quia nec præscindendo, nec non præscindendo à formali malitia potest Deus velle materiale peccati: quandoquidem, quomodocumque præscindatur à malitiâ, ipsum per se malum, illicitum, & à Deo prohibitum est. Implicat autem, ut ex Fulgentio retulimus *num. 52.* Deum decreto suo velle quod præcepto suo prohibet: quod valet, ex quacumque ratione id prohibeat.

72 Insistat aliquis. Quidquid sit de concursu isto simultaneo Dei, qui dicitur esse ipsamet actio nostra; at Omnipotentia per illum concurrens nobiscum in actu secundo, non potest non dici plusquam permissivè, & per se causare entitatem physicam actus liberi nostri peccaminosi, quæ dicitur & est materiale peccati. Vel ergo malitia formalis est etiam quid positivum identificatum cum ipsa entitate actus liberi peccaminosi; vel est quid negativum distinctum, ex positivo

illo resultans. Si dicatur primum, est facere Omnipotentiam divinam causam per se, Deumque plusquam permissorem peccati: non solum quoad materiale, ut aiunt Prædeterminatistæ; verumetiam, quod peius est, quoad formale. Vnde gloria-bundè conatur Illustrissimus Godoy nostram sententiam deterioris conditionis facere, quam suam. Si verò dicatur secundum: ergo sicut divina Omnipotentia concursu suo simultaneo absque ulla indecentiâ, & repugnantia, est causa per se entitatis physicæ actus nostri peccaminosi, quod est materiale peccati, quin proinde sit causa per se malitiæ formalis; similiter divina voluntas absque ulla repugnantia, & indecentia poterit decernere, & efficaciter velle prædeterminare ad materiale, quin eo ipso prædeterminet ad formale. Addi posset in eadem forma: & præcipere, ac facere licitum materiale; quin eo ipso præcipiat, faciatque licitum formale: quinimò & pro Calvinistis, & Jansenistis: & necessitare ad materiale, quin eo ipso necessitet ad formale; fierique sic absolute Author peccati; quia materiale absolute peccatum est: cum præcautione nimirum Calvinii *cit. num. 33. Si quidem addatur exceptio, malitiam non ipsius Dei esse opus.*

73 Respondemus, antecedens esse omnino falsum: sicque bicorni consequentia minimè ferimur. Ratio est sedulo animadvertenda: quia quamvis tam materiale quam formale peccati, quid positivum sit, & realiter idem; Deusque non solum habeat voluntatem non impediendi; sed præter voluntatem istam permissivam concurrat physicè per Omnipotentiam suam cum creatura determinante ad materiale, & ad formale peccati, non ad id concurrat neque quoad materiale neque quoad formale, ut causa per se, nec moralis, nec physica. *Non moralis;* quia nec consulit peccatum, nec suadet peccatum, nec approbat peccatum, nec prædeterminat ad peccatum, nec prædefinit, nec decernit, nec ullo modo vult peccatum, adhuc quoad materiale; imo adhuc quoad materiale dissuadet, & prohibet peccatum, & absterret à peccato; non tamen vult efficaciter illud semper impedire, quia ex nullo capite ad id tenetur: quo stat pura ipsius permissio absque labe ulla causalitatis moralis in peccatum, nec quoad formale,

male, nec quoad materiale. Quid purius? Nec est causa physica per se: hæc enim agit ex intentione, seu inclinatione, aut elicitâ, aut innatâ ad effectum; ut sol & ignis in calorem, habitus in actus ex intentione innatâ; voluntas in actum peccaminosum ex elicitâ, qua ipsum vult: ideoque natura, quamvis interdum physicè influat in monstra, non est nec dicitur causa per se, monstrorum, quia monstra non intendit; sed aliud per se innatè intendens, præter intentionem efficit monstra, ideoque per accidens & non per se in linea quoque causalitatis physicæ. Sic ergo Deus, Deive Omnipotentia adhuc in linea physica, quamvis immediatissimè concurrat physicè ad actum peccaminosum quoad materiale, & quoad formale; non est, nec dicitur causa per se physica peccati nec quoad formale, nec quoad materiale, nec causare adhuc physicè peccatum, quod sonat causare per se: quia nec ad formale, nec ad materiale concurrat ex intentione, seu inclinatione, nec elicitâ, nec innatâ ad talem effectum, seu concursum, imò cum displicentia, & aversione, & prohibitione serâ utriusque: & præter intentionem, seu inclinationem etiam innatam Omnipotentia ex se innatè appetentis dumtaxat bonum, & præter intentionem suam determinatâ à creatura malè utente libertate ad concurrendum physicè in actionem peccaminosam, à Deo prohibitam creaturæ, & quasi monstruosam.

74 Hinc ad consequentiam dilemmaticam, damus pro nunc optionem Adversarijs, quòd, si placet, malitia formalis peccati sit quid positivum realiter identificatum cum entitate actus liberi peccaminosi; aut, si maluit, sit quid negativum distinctum ex illo positivo resultans. Ex neutro autem sequitur in nostra Theologia; Deum plusquam permittere formalem malitiam, aut esse causam per se illius. Non ex primo: quia nec materialis peccati est Deus causa per se, nec moralis, nec physica, ut clarè vidimus: nec plusquam permittere formale peccati; cum nec materiale plusquam permittat: quòd autem in utrumque physicè per accidens immediate concurrat, non facit esse causam per se, nec est addere quidquam, quo modus ille concurrendi extrahatur à ratione puræ permissivæ. Non

ex secundo: quia falsò supponitur, Omnipotentiam concursu suo simultaneo, quem admittimus, esse causam per se entitatis physicæ actus nostri peccaminosi. Ut videant Illustrissimus Godoy, & Gonetus, quam immeritò aggrediantur exinde præferre nostræ sententiam suam. Quàdoquidem nos nec formalis, nec materialis peccati Deum causam per se vocamus, & neutrum ullo modo velle, limpidiissimè dicimus; sed utrumque pure permittere; illi vero malitiæ formalis permissorem dicunt; materialis verò peccati à se prohibiti volitorem, præfinitorem, usque adeo & prædeterminatorem conclamant.

75 Dices. Deus simultaneè concurrens ad totum peccatum non concurrat involuntarie: ergo voluntarie: ergo volens concursum suum, & entitatem actionis nostræ peccaminosæ liberæ cum ipso Dei concursu in actu secundo identificatam, & consequenter malitiam formalem peccati, si cum entitate positiva actus nostri peccaminosi realiter identificatur; ac proinde totius peccati tam quoad materiale, quam quoad formale erit causa per se, & plusquam permissor; cum tamen ab ipsis ad solum materiale, non vero ad formale dicatur prædeterminator. Respondetur in primis contra ipsos, & ex ipsorum doctrinis vehementer urgeri sequelam, quòd, si ad materiale, ut fatentur; eo ipso esset quoque Deus prædeterminator ad formale, ut monstravimus *sect. 5.* Deinde pro nobis distinguimus antecedens, & consequens: non involuntarie, sed voluntarie: *Voluntarietate,* volente divinam permissivam providentissimam, iustissimam, & sanctissimam, concedimus: *voluntarietate,* volente talem concursum, negamus: ille namque concursus Omnipotentia ad peccatum in actu secundo, cum sit actio ad extra realiter identificata cum actione nostrâ peccaminosâ, nullo modo est volitus à Deo sanctissimo: sicque concursus ille non est Deo voluntarius, seu volitus: sed voluntariè permissus, non coacte, & fortuito; sed scientissimè, & providentissimè. Itaque concursus ille suus, sicut nec actus ille noster, non est Deo involuntarius, prout sonat coactum, & fortuitum; quamvis sit involuntarius, id est, non volitus: & absolute non est dicendus Deo involuntarius, cum sit à Deo præscientissimè permissus. Hinc negamus

totam secundam consequentiam, cum adiacentibus ex falsa suppositione falso deducis.

76 Obijciunt quintò. Voluntatem ex se indifferentem ad hoc vel illud individuum peccati determinat Deus quoad individuum ad hoc præ alio, quin proinde contrahat, aut per se causet malitiam formalem huius individui peccati: sic ergo posset præfinire, & determinare materiale peccati quoad speciem, quin contraheret, essetque per se causa, & author malitiæ formalis. Solitus eram distinguere antecedens per *negativè*, & *positivè*; quod ritè explicatum satis est ad nullitatem consequentiæ. Satius tamen est illud absolute negare cum sapiētissimo Vazquez. Quamvis enim Deus nolens parare concursum ad alia individua; sed ad istud determinet, ne fiant alia; non proinde determinat ut fiat istud, cum in arbitrio voluntatis nostræ relinquatur determinare, & velle ponere istud vel nō ponere istud. Vult itaque, ac determinat Deus, ne ponantur alia peccata, quod bonum est; negatā scilicet libertate voluntati ad alia ponenda; non tamen determinat, nec vult, imo prohibet, quod ponatur hoc, ad quod scilicet ponendum, vel non ponendum pro libito suo manet voluntas indifferens, ideoque libera. Quinimo vel hinc posset inferri, quod sicut determinans Deus ad alia non ponenda, non relinquatur voluntati libertas ad alia ponenda; sic, si determinaret Deus ad istud ponendum, non relinqueretur voluntati libertas ad istud nō ponendum.

77 Obijciunt tandem. Potest licitè homo, ac proinde & Deus velle, & determinare voluntatem alterius ad peccatum levius, quo vitaretur gravius alioquin ab alterius voluntate perpetrandum: sed in eo casu vellet Deus materiale peccati levioris, quin propterea vellet formale, & quin esset causa per se malitiæ formalis, authorque peccati, ne dicatur prædestinare ad malum contra loquutiones SS. Patrum legendas per otium apud Monto-  
toyam *disp. 35.* ergo posset quoque velle, & prædeterminare ad materiale cuiuscumque peccati, quin velit, & prædeterminet ad formale. Hæc obiectio eò potius collimare videtur ex doctrina moralis, quam assumit, ut possit Deus consulere, & suadere in eo casu peccatum illud

minus: quod tamen refugit Prædeterminatistæ. Ego quidem facile me expedio, negando iuxta meliorem Theologiam totum antecedens cum P. Valentia, de quo videndus Delugo *disp. 19. de Inst. & iure sect. 2.* Aldrete *disp. 24. de Scien. Dei sect. 8.* & Castro Palau *tom. 1. tract. 6. dub. 6. punct. 6.* Quippe iudico nec Deum, nec hominem posse licite in ullo casu determinare, consulere, nec suadere peccatum minus ad evitandum quodcumque maius: sicut enim non sunt facienda mala ut eveniant bona; sic nec minora mala, ut evitentur peiora. Auderem equidem alioquin perpetrato periurium, dissuadendo periurium, dicere minus malum fore mentiri, quamvis scirem hominem cum hac vera notitia, omisso periurio, mentiturum; sicque quasi permittere mendacium alienum, quoad materiale scilicet, & quoad formale, ad modum quo facit Deus; consulere tamen, aut suadere in eo casu mendacium adhuc quoad materiale non auderem; quia eo ipso author, & reus fierem materialiter & formaliter peccati mendacij: & à fortiori Deus, si determinaret ad materiale mendacij. Loquutiones SS. Patrum legendæ apud Monto-  
toyam totam nostram doctrinam mirificè confirmant contra Prædeterminatores ad materiale peccati maioris, & minoris: non enim utcumque contestantur, Deum non prædestinare ad malitiam, sed neque ad malum. Materiale autem peccati, dato quod ipsa malitia formalis non sit, certissimè & absolutissimè malum est; & à Deo prohibitum, ut saepe diximus. Unde consequentia plusquam falsa est.

### SECTIO IX.

*An Deus præfinire possit actus nostros liberos bonos, moraliter tamen imperfectos?*

78 **R**atio dubitandi est speciosa, minimeque vulgaris, & potest esse nova obiectio pro Prædeterminatistis ad materiale peccati, hunc in modum, Deus potest præfinire actus nostros liberaliter imperfectos: eos nimirum, qui cum nec venialia peccata sint, reddunt nos reprehensibiles coram Deo, ut remissos in divino servitio: sed non propterea esset Deus moraliter imperfectus, nec di-

Valent.  
Lugo.  
Aldret.  
Palau.

Tom. de  
Christo  
disp. 15.

ci posset author moralis imperfectionis nostræ: hoc enim ut indecentissimum negatur Deo, & Christo à Theologis: ergo nec author peccati nostri, nec quidquam indecenter vellet, quamvis præfiniret peccatum nostrum quoad materiale. Maior probatur: nam actus nostri moraliter imperfecti plerumque boni sunt, ut volitio coniugij impediens, quamvis bona sit, volitionem statūs religiosi meliorem, & perfectiorem, ideoque ab Apostolo ex consilio magis commendatam: ergo non est cur eiusmodi actus non sint à Deo præfinibiles. Alioquin non posset Deus præfinire actus nostros, nisi perfectissimos, & intensissimos: nam remissiores censentur moraliter imperfecti: nec posset præfiniri electio statūs coniugalis, quamvis honestissima.

79 Proposui *disp. 15. de Incarn. sect. 4.* ex varijs Authoribus varios modos explicandi rationem imperfectionis moralis: & meum posui, supponendo quod nunc etiam supponendum est, non esse idem imperfectionem moralem, quæ agnus, & actum minus perfectum: actus enim Beatissima Virginis fuerunt, & sunt minus perfecti, quam Christi Domini; & tamen sine imperfectione moralis: quia fuerunt, & sunt, sicut in alijs etiā Beatis, quam boni, & intensi possunt esse, iuxta præsentem quas habent vires ad agendum. Hæc vocatur *imperfectio purè negativa*, quæ nihil dicit aliud præter non esse magis perfectos. Illa verò prior dicitur *imperfectio moralis positiva*: quæ, quamvis peccatum non sit; quia nullam transgreditur legem sub peccato obligantem; reddat nihilominus sic operantem quodammodo reprehensibilem, quasi non amulantem *charismata meliora*: quatenus nepe contra consilia maioris perfectionis operatur minus perfectè. De actibus autem hoc modo positivè moraliter imperfectis procedit quæstio præfens cum sua ratione dubitandi.

80 Ad quam respondeo, concedendo maiorem, & minorem, & absolutè negando consequentiam. Ratio disparitatis est manifesta: quia materiale peccati, sive sit, sive non sit ipsa malitia formalis; absolutissimè malum est, & à Deo prohibitum: non potens nō reddere formaliter malam quamcumque liberam volitionem sui, & à fortiori præfinitionem; utpote eo ipso

volentem transgressionem positivam divinæ legis: quod Deo sanctissimo repugnat haud secus, ac peccare. At actus dicto modo moraliter imperfecti, ut volitio coniugij, quamvis minus boni sint, & declinent à consilio maioris perfectionis, reddantque hominem quodammodo reprehensibilem, eo quod liberè omittat maiorem perfectionem; tamen absolutè boni sunt suā etiam bonitate moralis, minimèque à lege prohibiti, imo & digni laude, ac præmio, quamvis minori: ac proinde honestè volibiles, amabiles, à nobis, & à Deo. Hoc autem extra dubium posito, sequitur, esse etiam à Deo sanctissimo præfinibiles. Quod autem id esse possit, quin propterea Deus sit in se moraliter imperfectus, & quin autè dici possit author & causa per se nostræ imperfectionis moralis, explico seorsim: quia diversissima sunt.

81 Non quidem propterea *in se moraliter imperfectus*. Quia regula ipsa moralis perfectionis est divina voluntas essentialiter rectissima: ad cuius amissim reliqua perfecta, vel imperfecta dimetienda & regulanda sunt, iuxta Aristotelicum illud: *Rectum est regula sui, & obliqui*. Qualibet autem Dei volitio, cum sit ipsissima ipsa, est summè indefectibilis, sicut à se ipsa, à regula rectissima perfectionis moralis, ideoque summè perfecta moraliter; atque adeo per se essentialiter à se excludens omnem rationem imperfectionis moralis, qua possit reddere Deum imperfectè, aut minus perfectè moraliter operantem, seu volentem. Quocirca, sicut diximus *disp. 3. de Attrib. sect. 7.* omnes Dei perfectiones esse formaliter omnino æquales & summæ in physica perfectione; sic etiam ibidem *disp. 16. sect. 4.* eam æqualitatem, & summitatem extendimus ad omnes divinas volitiones liberas in perfectione morali. Quam doctrinam ut possent applicare Prædeterminatistæ ad volitionem divinam de materiali peccati, prius deberent aliunde probare, dabilem esse, quod æquè possent de formali; at nos aliunde probamus dabilem esse de actibus nostris moraliter imperfectis, cum boni moraliter sint, nec à Deo prohibiti, quamvis minus moraliter boni.

82 Nec item *author, & causa per se nostræ imperfectionis moralis*. Quia volens, ac præfiniens Deus actum nostrum moraliter imperfectum in se honestum, & bonum

Vazquez.

Montoya.

To. de Deo  
disp. 3. &  
16.

v.gr. electionem statûs coniugij; quamvis liberè nolit sic præfinire, utpote nulla ad id lege obligatus, electionem statûs religiosi, non propterea definit eam consulere, & ad illam nos sanctis cogitationibus & inspirationibus inclinare, aut excitare: nec enim minor perfectio electionis actûs religiosi, utpote non tollens illius bonitatem, impedit, quominus præfiniri possit à Deo; nec maior perfectio electionis statûs religiosi, utpote creata, & finita, necessitat, ut à Deo præfiniatur. Sed utrinque relinquitur Deus summus divina sua libertate. Ratio autem nostræ imperfectionis moralis non stat in electione statûs coniugij à Deo præfiniata; sed in omissione electionis statûs religiosi, contra Dei consilium, à Deo non præfiniata.

83 At, quid si non solum præfiniret electionem coniugij; sed etiam directè præfiniret omissionem electionis statûs religiosi? Respondeo primò, nec id esse impossibile Deo ex honestissimis finibus sibi notis, ac bene visis: tunc autem non consuleret electionem statûs religiosi, nec esset exinde moralis imperfectio nostra illam omittente, cum conformior esset divinæ voluntati liberæ; quæ est regula perfectionis moralis: atque adeo non potest inde esse causa per se, nec author nostræ imperfectiois moralis. Quinimo, habitâ à Deo tali voluntate, & nobis satis intimatâ, esset imperfectio moralis nostra velle ab illa difformari. Respondeo secundò, nec in hoc casu fore Deum causam per se, & authorem nostræ imperfectiois moralis: quia iam eo ipso quòd potius Deus vellet à nobis eligi statum coniugij quàm religionis, desineret esse imperfectio moralis, & contra divinum consilium nostra electio illius præ isto. Quod si Deus sic apud se præfinivisset, & nobis non constaret; sicque, existimantes apud nos, electionem coniugij esse minus Deo placituram, & contra divinum consilium, eligeremus statum coniugij; contraheremus imperfectioem moralem ex conscientia erronea; sicut peccatum, quando erroneè existimantes, audire sacrum esse peccatû, audiremus: id tamen Deus nec intendere, nec consuleret iuxta perutilem doctrinam, quâ in re difficili tradidimus *disp.... de Grat. sect....*

84 Itaque in nullo casu sequitur, Deum esse authorem & causam per se no-

stræ imperfectiois moralis positivæ, quâvis in priori casu admisso *num. præc.* & in alijs similibus, præfiniret actum nostrum moraliter imperfectum: quia nempe imperfectioem moralem nunquam intenderet contra consilium suum.

85 Per hæc paratur nobis responsio ad aliam objectionem contra præfinitionem actûs boni remissi: quem scilicet imperfectè moraliter exercemus, omittentes intensiorem. Dicimus enim quod vel possumus tunc exercere intensiorem, vel non possumus? Si non possumus, non operamur remissum moraliter imperfectè, ut contingit Beatissimis inferioris Gloriæ diligentibus v.g. Deum quantum possunt. Si possumus, imperfectio moralis non stat in eo quod exerceamus remissum, quem Deus prædefinit; sed in eo quod non exerceamus intensiorem, quem, quamvis Deus non prædefiniat, nos possumus exercere, & Deus consulit ut exerceamus.

#### SECTIO X.

*An Deus possit præfinire actus nostros liberos bonos Pœnitentiæ, non præsuppositâ permissione suâ, & absolutâ prævisione peccati?*

86 **G**Ravis ista controversia simillima est alteri, quæ pugnaciter exagitur, circa decretum Dei de Christo Redemptore peccatorum, non præsuppositâ permissione, & absolutâ prævisione peccati: de quo nos ex professo *disp. 6. de Incarn. à sect. 4.* Quemadmodum enim Redemptio reparativa, de qua est ibi sermo, supponit essentialiter peccatum, à quo redimat; sic etiam actus Pœnitentiæ sanativæ, seu purgativæ, de qua nunc agimus, supponit essentialiter peccatum, à quo sanet, & mundet. Iamque non disputamus ex capite libertatis; cum *ex disp. 6.* supponamus generaliter, ex isto capite non repugnare: sed specialius: an admisis prædefinitionibus divinis aliorum actuum liberorum, admitti ex alijs etiam capitibus possit præfinitio divina actûs pœnitentiæ, non præsuppositâ permissione, & prævisione peccati?

87 Negat communior Nostrorum Sententia cum Suarez, Vazquez, Arrubal, Herize, Fasolo, Legionensi, Aldrete, Bernal, Martinono, Ragusa, vtroque Lugo,

vtrou-

Hurtado, vtroque Perez, & alijs apud Ribadeneiram eos sequentem *disp. 8. cap. 3.* & apud Quiros eos insectantem *disp. 22. sect. 3.* citatur etiam Subtilis Scotus: sicque sentire quoque videtur R. P. N. G. Thyrtus *tom. 3. disp. 7.*

Molina, Montoya, Granadus, Amicus, Albertus, Arriaga, Ribas, Godoy, Esparza, Albiz, Zumel, Prudentius, Lumbus, Quiros, Garau, Aranda.

Tom. de Deo *disp. 8.* Tom. de Christo *disp. 6.*

90 Favent huic Sententiæ præclara testimonia SS. Patrum legenda apud Quiros, & uberius apud Montoyam absolutissimè contestantium, Deum permittere peccata ad finem humilitatis, pœnitentiæ, redemptionis, &c. Quæ loquutiones satis indicant, non præsupponi in Deo decretum permittendi peccatum ad decretum de pœnitentiâ, ac proinde nec absolutam permissionem, nec prævisionem peccati ad præfinitionem pœnitentiæ.

91 Accedunt multa, magnaque congruentia Theologicæ. Sic enim expedite defenditur, ut videbimus *disp. 12. sect. 5.* divinam permissionem peccati esse effectum Prædestinationis: & in Tract. de Incarn. plausibile illud decretum de Christo Redemptore, nondum præsuppositâ permissione, & absolutâ prævisione peccati Adami, & nostri: quod quanti interfit ad

dignitatem Christi, ad concordiam loquutionum SS. Patrum; & ad expediendas difficultates in negotio Redemptionis occurrentes, vidimus, & expendimus ibi *disp. 6.* Tom. de Christo *disp. 6.*

92 Sic etiam, & vix aliter intelligitur, ut oportet, quomodo sæpe desideret hominem connexam cum peccato, quin peccet, & quin velit peccatum: ut illi, qui sanctissimè desiderant Martyrium, & pro nomine Iesu contumeliâ pati: quod tamen non obtinetur sine peccato persecutoris. Sic Christus suavitè Petro fugam in persecutione meditati, & Petrus à Christo monitus voluit Romam ibi crucifigendus, desiderans scilicet fervidè crucifixionem: non quidem volens, sed non impediens per fugam, ut poterat, peccatum Tyranni.

93 Sic etiam, addit oportune Quiros, homo, in extremâ necessitate constitutus, qui sciret ex divina revelatione evitacionem peccati sui pendere occasionaliter ab usura alterius in lucro usurario peccaturi: potest efficaciter desiderare sui peccati evitacionem, & petere mutuum ab altero usurario, & per illud mutuum peccaturo, habens se permissivè tantum ad usuram alterius: ac proinde quin velit alterius peccatum. Quod difficulter salvari potest, nisi per doctrinam, quâ defendit hæc nostra sententia, Deum, nondum præsuppositâ permissione peccati, posse præfinire pœnitentiâ non assequibilem sine positione peccati, quin proinde velit peccatum, sed dumtaxat permittat.

#### SECTIO XI.

*Urgentior probatio nostræ sententiæ affirmantis, & rationum oppositarum exarmatio.*

94 **E**ST huiusmodi. Ex prædicta præfinitione pœnitentiæ nec sequitur, Deum velle, nec inducere peccatum, sed dumtaxat potè permittere: ergo nihil est quod specialiter obstet eiusmodi divinæ præfinitioni pœnitentiæ: hæc enim nobis obstacula opponi solent. Antecedens probatur. Præsuppositâ permissione, & absolutâ prævisione peccati posset Deus velle, ac discernere efficaciter pœnitentiâ, & gaudere de existentia pœnitentiæ iuxta illud: *Gaudium erit super uno peccatore pœnitentiâ agente*; & de sua scientia visionis de pœnitentiâ, & de peccato; quin

propterea velit, aut gaudeat de peccato; non obstante connexionem penitentiam & scientiam visionis cum peccato: ergo similiter, hac connexionem non obstante, non præsuppositis permissione, & absolutâ prævisione peccati, poterit præfinire, intendere, & efficaciter velle penitentiam, quin proinde velit & inducere debeat peccatum.

95 Tertia responsio est non tenere consequentiam. Quia, si præsupponitur iam permiffum, & absolutè prævisum peccatum iam præsupponitur aliunde volitum, & inductum; sicque non est cur sic intendens penitentiam teneatur illud velle, aut inducere: si verò non præsuppositâ permissione, & prævisione peccati intenderetur efficaciter penitentia, cum nondum præsupponatur peccatum aliunde inductum, teneretur sic intendens ex vi talis intentionis illud velle, ac inducere: quod repugnat Deo, qui *Deus non volens iniquitatem est.*

96 Contra tamen primò. Hæc enim disparitatis ratio, quamvis prodesse fortè posset ad hoc, ut gaudium illud de penitentia non deberet esse inductivum peccati, quod nempe iam præsupponitur aliunde inductum; neutiquam verò ad hoc ut gaudium illud de penitentia non esset gaudium de existentia, aut præteritione peccati, sicut de existentia penitentiam. Tam enim requiritur existentia, aut præ-existentia peccati ad hoc ut existat penitentia, de qua ut existenti Deus gaudet efficaciter; quam requiratur ponendum esse peccatum ad hoc ut postea ponatur penitentia, quam Deus efficaciter intendat: atqui, ea requisitione, & connexionem non obstante, gaudet Deus absolutè efficaciter de penitentia existente, quin proinde, aut inductivè, aut non inductivè gaudeat de existentia, nec de præ-existentia peccati: ergo poterit similiter intendere, & desiderare penitentiam nondum aliunde inductam, quin proinde debeat, sive inductivè, sive non inductivè desiderare aut velle poni peccatum.

97 Si dicatur, posse Deum gaudere de existentia penitentiam, quin gaudeat de existentia peccati: quia peccatum est extra spheram voluntatis divinæ prosequitivæ, & quia iam non est necesse Deum illud velle, seu inducere, quia iam præsupponitur aliunde inductum, ipso nec vo-

lente, nec inducente; occurro: propter eandem enim rationem poterit Deus desiderare, & præintendere penitentiam, quin proinde desideret, velitque inducere peccatum; quia hoc est extra spheram divinæ voluntatis prosequitivæ: & sive sit positum, sive ponendum, sicut non redditur bonum à penitentia, non reddit malum penitentiam, ad modum quo malitia formalis reddit malum & prohibitum materiale peccati: & quia Deo permittente, & non volente, nec inducente illud, est aliunde inductibile, ac ponibile, certòque ponendum: ergo non est cur Deus præintendens penitentiam, debeat velle, aut inducere peccatum.

98 Contra secundò, & plenius. Post permissionem, & absolutam prævisionem peccati est, iuxta Adversarios, ante existentiam exercitam penitentiam, est in Deo ab æterno decretum, & volitio efficax penitentiam inductiva existentiam penitentiam. Vel ergo est etiam volitiva, & inductiva peccati, vel non? Si hoc etiam modo est volitiva, & inductiva peccati: ergo similiter erit Deo impossibilis hoc modo, quantumvis præsuppositâ permissione, & absolutâ prævisione peccati. Si verò hoc modo non est volitiva, nec inductiva peccati: ergo neque nostro modo, habita scilicet à Deo non præsuppositâ permissione, & absolutâ prævisione peccati. Probatur hæc consequentia. Primò: nec permissio, nec prævisio divina peccati minuit in re connexionem penitentiam cum existentia, vel præ-existentia peccati, aut necessitatem & prærequisitionem peccati ad exercitium penitentiam, ut est plusquam certum. Secundò: quia quòd aliquod peccatum prævideatur ponendum ab vno, nihil prodest ad hoc, ut honestè ac licitè amari, vel non amari, induci, vel non induci possit ab alio, illud etiam volente, & intendente: ergo ex eiusmodi præsuppositione divinæ permissionis, & prævisionis nequit desumi ratio solida disparitatis, cur Deus intendens, volensque efficaciter penitentiam, non præsuppositâ permissione, & absolutâ prævisione peccati, deberet proinde velle, aut inducere peccatum.

99 Contra tertio, & propius ad rem. Non alia ratione ea permissio & absoluta prævisio præsupposita posset excusare, seu deobligare Deum decernentem, & efficaciter volentem penitentiam, à volitione,

&

& inductione peccati, nisi quatenus per eam prævisionem redditur Deus certò sciens, iam non esse necesse, quòd ipse velit, & inducat peccatum, cum sciat certò, ab alio ponendum ipso permittente: sed etiam antecedenter ad suam permissionem, & prævisionem absolutam, scit æquè certò per Scientiam Mediam præcedentem omne decretum, peccata ponenda esse infallibiliter, si constituat homines, ut potest, in hac, & illa libertate, & ipse permittat, quin ipse velit peccata poni, & quin ad ea inducat; imò & quamvis prohibitione sua retrahat, minisque deterreat: ergo hæc certa prænotitia Scientiam Mediam, & facultas Omnipotentiam suam ad constituendum hominem in eiusmodi libertate, excusat similiter, ac deobligat Deum à volitione, & inductione peccati, etiam si non præsuppositâ peccati permissione, & absolutâ prævisione Scientiam Visionis prædecernat, prædefiniat, intendat, & efficaciter velit, ac desideret poni penitentiam.

100 Ratio autem firma, & fundamentalis horum omnium est. Quia decretum, præfinitio, intentio, & volitio divina, quantumvis efficax penitentiam, sive præsuppositâ, sive non præsuppositâ absolutâ prævisione peccati, eatenus dumtaxat infert volitionem requisiti ut illa ponatur, & adimpleatur, quatenus hæc divina volitio requisiti necessaria est ad talis requisiti positionem. Vnde, si ad positionem alicuius requisiti, nempe peccati, non requiritur, quòd Deus illud velit, aut inducat, eo quod talis est naturæ, ut quin Deus illud velit, & inducat, dummodo permittat, ponibile sit; tunc certè præfinitio penitentiam nullatenus inferet divinam volitionem, aut inductionem peccati, sive præfinitio penitentiam habeatur, non præsuppositâ, sive præsuppositâ permissione, & absolutâ prævisione peccati. Hoc enim discrimen præsuppositæ, vel non præsuppositæ permissionis meo videri nullius profectò momenti est; cum præcisim ab ea præsuppositione, vel non præsuppositione, peccatum tale sit ex indole sua, ut ad eius positionem non requiratur, quòd Deus illud velit, aut inducat; sed quòd dumtaxat permittat, constituendo creaturam in libertate, sub cuius hypothesi per Scientiam Mediam certò novit peccatum.

101 Confirmatur hæc solida ratio. Nam intentio, quantumvis efficax finis, non magis obligat intendentem ad volitionem medij requisiti, quam ad positionem medij requisiti: nam non nisi ratione positionis medij requisiti obligat ad volitionem medij. Si igitur non est requisita volitio medij ad positionem medij requisiti, intentio, quantumvis efficax finis, non obligat ad volitionem medij, quantumvis requisiti. Atqui, quando medium, vel quasi medium, quantumvis requisitum ad finem, est ex natura sua tale, quod poni potest, Deo non illud inducente, nec volente ut ponatur, non est requisita volitio, aut inductio divina talis medij, ad talis medij positionem, atque adeo neque ad consequentem finem, utpote non requirentis volitionem medij nisi ratione positionis medij: ergo quando medium, vel quasi medium ex natura sua est tale, quale videlicet est peccatum, ponibile, & quotidie positum, nunquam volente Deo ut ponatur; tunc sive præsuppositâ, sive non præsuppositâ permissione, & absoluta prævisione peccati, non arguitur volitio divina talis medij, nempe peccati, ex intentione efficaci, seu præfinitione divinâ finis, nempe penitentiam, ad quam requiritur peccatum; sed solum quòd Deus, præilluminatus à Scientia Media, velit illud purè permittere: quod nec repugnat, nec indecet: ut amplius, & amplius patefiet ex responsionibus ad argumenta contraria per hanc doctrinam infringenda.

## SECTIO XII.

### Argumenta contraria.

102 **A**rguunt Adversarij primò ex Augustino 3. *Confession.* dicente. *Etsi approbatur officio charitatis, qui dolet miserum; mallet tamen non esse quod doleat, qui germanius misericors est.* Et concludit mox: *non esse sincerè misericordiam, ac proinde nec Dei, cupere miseros, ut misereatur.* Et iterum super Psalm. ait, *Melius est, ut nullus sit miser, quam ut tu facias misericordiam: qui enim, ut faciat misericordiam, optat esse miseros, crudellem habet misericordiam.* Iterumque cap. 15. *de Nat. & Grat.* ait; *se non diceret quod putabat Pelagius, ut esset causa misericordiam Dei, necessarium fuisse peccatum;*

uti-



utinam non fuisset miseria, ne ista esset misericordia necessaria. Et ibidem cap. 26. Medicus ad curandum iam vulneratum paratus esse debet; non debet tamen facere, ut sanus vulneretur. His autem testimonijs adversari videtur præfinitio divina pœnitentiæ, non præsuppositâ absolutâ prævisione peccati. Sic enim mallet Deus homines pœnitere, quàm non peccare: & ut eorum pœnitentium misereretur, vellet esse miseros per peccatum: & non solum paratus esset, curare per pœnitentiam vulneratos per peccatum; sed etiam faceret, quòd sanus vulneraretur per peccatum, ut sanaret per pœnitentiam.

Quiròs.

103 Ex ijs, quæ latè scribit Quiròs ubi supra, respondeo breviter. Ad primum testimonium, Augustini sensum ibi esse, quòd Deus verè misericors mavult non esse quod doleret, nempe peccatum, quàm illud esse: id enim non vult, nec velle potest Deus sincerè volens misereri: non tamen dicit, Deum malle, non esse peccata, quàm esse in ipso eorum misericordiam, & permissionem: hoc enim Deus bene vult, sanctèque amat: quinimo, ut ipse loquitur in Enchir. cap. 27. melius indicavit de malis bona facere, quam mala nulla esse permittere: quo clarè patet, non dici adversus Augustinum, Deum malle non impediri, seu existere pœnitentiam, quam impediri. Ad secundum; cum dixit: melius est, ut nullus sit miser, quàm ut tu faceres misericordiam; sensus est, esse melius, id est eligibilius à nobis peccantibus, non fieri miseros per peccatum, quàm quod Deus miseretur: non sic valet ad Deum sanctè permittentem, cui eligibilis fuit, ut nuper vidimus ex eodem Augustino, misereri peccantibus, quàm non permittere peccata. Quod non sit vera misericordia optare, seu velle esse miseros per peccatum, fatemur ultrò; at non dicimus Deum optare hanc miseriam; sed purè permittere ex fine misericordiæ. Ad tertium; concordet consentimus Augustino: Utinam non fuisset miseria, &c. quam scilicet nec velle, nec optare licet: licet tamen Deo illam permittere. Similiter ad quartum; nunquam concedimus, aut Deo, aut nobis licere velle, seu facere, quòd sanus vulneretur per peccatum, ut curetur; sed licere Deo permittere vulnera, ut sanet per pœnitentiam. Quid enim hoc prohibet?

Augustin.

104 Arguunt secundò. Omnis voluntas Dei habita circa peccatum est, & vocatur à Theologis voluntas consequens. Non autem esset, nec dici posset voluntas consequens divina præfinitio pœnitentiæ, quamvis connexa cum peccato, si haberetur à Deo non præsuppositâ permissione peccati, essetque ipsa peccati permissio. Respondetur, apud Theologos ex phrasi, ac mente SS. Patrum vocari voluntatem consequentem quodlibet decretum habitum ex occasione rei, quam Deus serò vult non esse, si præsupponat, si non præsupponat alia decreta, ut explicat rectè Montoya phrasium, ac sensum SS. Patrum observantissimus disp. 19. de Volunt. & ex illo Quiròs num. 33. & Borrull in eodem loc. de Volunt. Itaque in hoc Theologorum sensu divina præfinitio pœnitentiæ, quamvis non præsupponat decretum permissivum peccati; est, rectèque dicitur voluntas Dei consequens, quatenus vult rem, simul permittendo peccatum ad illam requisitum, cum prænotitia Scientia Mediæ de peccato; quod tamen Deus serò, quamvis non omninò efficaciter, vult non esse, & homini prohibet, ne perpetret.

105 Arguunt. 3. ex Ribaden. disp. 8. cap. 3. Venire a voluntate, seu decreto Dei primam determinationem, & connexionem cum absolutâ positione peccati, repugnat omninò tum rationi, tum scripturæ sacræ, cuius est illud: Perditio tua, Israel: ubi vox, tua, sonat emphatice ex te, ut vertunt etiam alij Translatores: id est, non prius ex Deo, quam ex voluntate peccatoris. Sed id sequitur ex præfinitione divinâ pœnitentiæ, non præsuppositâ permissione peccati: ergo impossibilis Deo est. Probatur sequela: quia antecederet ad talem Dei præfinitionem omnia erant indifferentia ad existentiam, vel non existentiam peccati, nihilque essentialiter cum peccato connexum, aut impossibile cum ipsius non existentia; ea verò Dei præfinitio pœnitentiæ iam non est indifferens ad existentiam & non existentiam peccati; cum sit essentialiter connexa cum positione, & impossibilis cum evitacione peccati: ergo ex Deo, id est ex eiusmodi Dei voluntate præfinitivâ pœnitentiæ, esset prima determinatio ad existentiam peccati. Argumentum patitur manifestam instantiam, negatâ etiam præ-

Montoya.  
Quiròs.  
Borrull.

Ribaden.

Osee 13.

præfinitione pœnitentiæ in complexo ex Scientia Mediæ de positione peccati sub hypothese huius libertatis, & divinæ permissionis: ut cuique fiet conspicuum. Quare tenemur omnes respondere per doctrinam traditam disp. 6. sect. 5.

Suprà  
disp. 6.

106 Respondetur, distinguendo maiorem: repugnat, venire à decreto Dei primam determinationem Logicam, & connexionem determinantem nos ad peccandum, seu inductivam peccati, concedo: Logicam, evitabilem pro libito peccatoris, ideoque non inductivam peccati, nego maiorem. Hoc enim sicut loc. cit. diximus de necessitate Logica, minimè repugnat: nec facit quòd perditio peccatoris sit ex Deo; sed ex voluntate hominis pro libito suo non evitantis peccatum suum, sicque nec evitantis divinam præfinitionem pœnitentiæ. Eiusmodi enim determinatio Logica, sicut & necessitas Logica, potest esse divina præfinitio, sicut apud Adversarios est etiam complexum Scientiæ Mediæ, & divini decreti permissivi; quia non est determinatio determinans nos ad peccandum; sed determinans Deum ad non sic præfinitionem pœnitentiæ, nisi determinaturo se ad peccandum homine, potente pro libito suo, evitando suum peccatum, evitare divinam præfinitionem pœnitentiæ, illamque determinationem Dei. Quæ determinatio, quamvis respectu Dei sic se liberè determinantis ad discernendum sit determinatio physica in actu secundo; at respectu nostri peccati non est determinatio physica, sed Logica: quia non est illativa, seu inductiva physice determinans nos ad peccandum; sed illativa illatione Logica, quatenus per bonam consequentiam inferitur dandum peccatum ex eo quod detur in Deo præfinitio pœnitentiæ; sicut etiam Logice ex eo quod detur in Deo scientia Visionis de peccato; & ex eo quod detur complexum ex Scientia Mediæ, & decreto permissivo. Nullum igitur affert inconveniens maior propositio in hoc sensu determinationis, seu illationis Logicæ, qua præfinitio pœnitentiæ est quoad se determinatissima ad non essendum in Deo, homine pro sua determinatione non peccaturo, dummodo physice non determinet ad peccandum, imò sit ex natura sua evitabilis pro libito hominis potentis non peccare. Hinc ad minorem dico, ex præfinitione divina pœ-

nitentiæ sequi id quod concessimus de determinatione Logica; non quod negavimus de physica determinante hominem, pro cuius libito evitabilis est dicta præfinitio, eiusque Logica determinatio. Consequentia vero falsa prorsus est. Probatio sequelæ nihil probat contra quod negamus: & quod similiter non probaret contra quod arguentes ipsi concedere tenentur in complexo Scientiæ Mediæ, & decreti permissivi, qualecumque sit. Unde concessio toto antecedente, concedimus etiam consequentiam de determinatione Logica ab omnibus innegabili in aliqua perfectione divinâ; & negamus de physica determinante nos, quam non probat argumentum.

107 Arguunt. 4. ex R.P.N.G. Thyrso tom. 3. disp. 7. num. 4. Si decretum Dei præfinitivum pœnitentiæ haberetur à Deo non præsuppositâ permissione peccati, illud ipsum deberet esse peccati permissio: sed hoc implicat: ergo &amp; illud. Probatur minor. Permissio peccati est efficax Dei voluntas conferendi nobis auxilium sufficiens, &amp; negandi efficax ad evitandum peccatum: sed implicat, quòd decretum Dei præfinitivum pœnitentiæ sit simul, &amp; indivisibiliter Dei voluntas efficax conferendi nobis auxilium sufficiens, &amp; negandi efficax ad evitandum peccatum: ergo &amp; quòd simul, &amp; indivisibiliter sit decretum permissivum peccati. Probatur hæc minor: quia cum decretum præfinitivum pœnitentiæ connectatur essentialiter cum positione peccati, si voluntas illa Dei conferendi nobis auxilium sufficiens, &amp; negandi efficax esset illud ipsum, de quo agimus, decretum præfinitivum pœnitentiæ, decretum ipsum permissivum peccati connecteretur cum positione peccati: sed hoc in terminis implicat: ergo &amp; quòd decretum præfinitivum pœnitentiæ sit simul, &amp; indivisibiliter illa voluntas Dei. Probatur minor. Deus enim conferens auxilium sufficiens ad evitacionem peccati, vult serò quantum est ex se, evitacionem peccati, &amp; quod ea evitacio oriatur à decreto, seu voluntate Dei conferente ad id auxilium sufficiens: nam vult, quòd oriatur ab auxilio sufficienti: perinde autem est oriri ab auxilio sufficienti, ac à decreto illud conferendi. Implicat autem in terminis, Deum velle quantum est ex se, quòd evitacio

pec-

peccati oriatur à decreto connexo cum positione peccati, & impossibili cum evitacione peccati: esset enim apertissimè velle Chymeram.

108 Respondetur: veram mihi que per gratam esse maiorem iuxta indivisibilitatem divini decreti, quam profiteor: quamvis aliqui nostræ conclusionis assertores illam negent, alteri decreto virtualiter distincto à præfinitione pœnitentiæ tribuentes permissionem peccati. Eos tamen quoad hoc impugnat meritò cit. Author *num. 6.* Nego tamen primam minorem, & consequentiam: & similiter ad duos syllogismos formalissimos sublequutos in probationem minoris, concedo duas maiores, & nego duas minores cum suis consequentijs. Ad ultimam probationem, quò tandem difficultas devolvitur, concedo primam partem maioris, quò nempe Deus conferens auxilium sufficiens vult serió quantum est ex se evitacionem; nego tamen secundam, quò nempe velit evitacionem oriri ab hoc suo decreto præfinito conferente auxilium sufficiens ad evitacionem: hoc enim implicat, & esset velle chimeram, ut bene probat argumentum. Vult itaq; Deus sic præfinito permittens, ut evitatio peccati oriatur ab hoc auxilio sufficiente, quò confert; non manente in esse purè sufficientis; id enim esset alia non minor implicancia; sed factò eo ipso efficaci: non tamen vult, ut oriatur ab hoc præfinito decreto, quò confert auxilium, sed ab alio, quò Deus, Scientiâ suâ Mediâ optimè instructus, idem auxilium cõtulisset, casu quo evitatio peccati reipsa oriretur ab auxilio sufficiente, à quo nunc non oritur; quò tunc eo ipso foret efficax, quia ab ipso oriretur. Quo cessat probationis robor.

109 Instantia pro doctrina nostræ responsionis est manifesta, & in via nostræ Scholæ indeclinabilis. Ad collationem enim auxiliij purè sufficientis præcedit decretum conferendi auxilium, & præcedit Scientiâ Mediâ, qua novit Deus, quò si conferret tale auxilium, non obtineretur evitatio peccati. Vult quidem Deus serió quantum est ex se, ut evitatio oriatur ab hoc auxilio: vultne fortè etiam, ut oriatur ab hac Scientiâ Mediâ? ab hoc complexo ex ista Scientiâ, & ex isto decreto? seu, quò idem est, ab hac Dei Providentiâ, qua præfinito conferitur auxilium suf-

ficiens ad evitacionem? Neutiquam profecto: tam enim impossibilis, & implicans est evitatio peccati cum quolibet ex ijs tribus, quam cum præfinitione pœnitentiæ. Recurrendum igitur ab omnibus est ad doctrinam nostræ responsionis. Et tandem omnino negandum, quò in prædicta probatione videtur immeritò supponi, idem esse, evitacionem peccati oriri ab hoc auxilio sufficiente, & oriri ab hoc decreto cõferente hoc auxilium sufficiens: sicut & in instantia nostra, ab hac Scientiâ Mediâ, seu ab hac Providentiâ: cum per se diversissima sint, utpote vnum possibile, & aliud repugnans: casu enim, quò evitatio oriretur, ut potest, ab auxilio, non oriretur ab hoc decreto præfinito, sicut nec ab hac Scientiâ Mediâ, nec ab hac Providentiâ præfinito; sed ab alio, & ab alia: tunc enim hoc auxilium non collatum esset per hoc decretum, sed per aliud compossibile cum evitacione, & non præfinitivo pœnitentiæ; sicut nec per hanc Scientiâ Mediâ, aut Providentiâ præfinito, sed per aliam. Modus autem, quo auxilium sufficiens confertur à Deo ex voluntate seriâ, & quantum est ex se volente evitacionem, ab omnibus explicandus restat: quò nos præstabitur *disp... sect...*

110 Arguunt quintò nunc in idipsum. Quia sequeretur, Deum sic præfinito conferentem pœnitentiâ non præsuppositâ permissione peccati, non posse serió velle, & præcipere evitacionem peccati: quò absurdissimum est. Probat tamen: quia evitatio peccati esset impedimentum essentiale pœnitentiæ, quam Deus ut finem efficaciter præintendit: sed nequit Deus serió quantum est ex se velle impediri finem à se efficaciter præintendit: esset enim velle quantum est ex se frustrationem suâ ipsius præintentionis efficacis: ergo non posset serió quantum est ex se velle, & præcipere evitacionem peccati: & à fortiori nec præcipere. Quis enim intelligat, Deum præcipere evitacionem peccati, simulque præintendere efficaciter pœnitentiâ, quam certò impediret evitatio peccati? Esset enim velle quantum est ex se finem, simulque velle quantum est ex se impeditionem finis: qui sunt termini sibi invicem repugnantes. Confirmatur: quia potius Deus sic præintendens, ac præfinito conferentem pœnitentiâ adigeretur dare

dare homini auxilia inefficacia, quia inefficacia ad evitacionem peccati, non utique daturus, si futura esset efficacia. Cum autem auxilia fiant inefficacia ad evitacionem per positionem peccati, velle illa dare, quia inefficacia, esset velle positionem peccati, quia scilicet constituuntur inefficacia. Probat autem confirmationis sequela. Deus enim sic præfinito conferentem pœnitentiâ, habensque coram, & in manu sua, dare auxilia efficacia, quibus evitaretur, & inefficacia, quibus non evitaretur, sed poneretur peccatum; deberet dare inefficacia, non verò efficacia: sed non ob aliam rationem, nisi, quia illa sunt inefficacia requisita ad assequutionem finis præintenti pœnitentiæ: ergo adigeretur dare inefficacia, quia inefficacia.

111 Hoc argumentum, certè grave, late prosequuntur Aldrete, & Herrera; lateque dissolvit Quiros: illud in primis retorquens, & meritò, in gaudio divino de pœnitentiâ, fortius in prædefinitione pœnitentiæ, præsuppositâ etiam permissione, & absolutâ prævisione peccati. Ea enim præsuppositio nihil refert ad leniendum argumenti robor: cum utrolibet modo conciliari in Deo debeant volitio efficax pœnitentiæ, & volitio seriâ quantum est ex se, imò & præceptum evitacionis peccati, quæ esset essentiale impedimentum finis efficaciter intenti pœnitentiæ.

112 Respondendum ergo pro omnibus est, negando absolutè sequelam. Ad probationem, distinguenda est maior: evitatio peccati esset impedimentum pœnitentiæ, simulque præfinitionis pœnitentiæ, concedo; pœnitentiæ, & non præfinitionis, nego: nam, evitato ab homine peccato, nec stare humana pœnitentiâ, nec divina de ea præfinitio: quæ propterea non frustraretur, quò implicat, cum instruibilis sit, sed nunquam extitisset, quò possibile est, cum libera Deo sit. Distinguo autem minorem: nequit Deus serió quantum est ex se velle impediri finem efficaciter à se præintendit ex motivo ut impediatur, concedo; ex alio diverso motivo, scilicet ne per peccata offendatur, neve homines à ratione, & à lege deviant, subdistinguo: Deus præfinito conferentem pœnitentiâ nequit id velle serió, & omnino efficaciter, concedo; serió, quamvis non omnino efficaciter, nego minorem, & consequentiam: non enim pugnant volitio effi-

cax finis ex suo motivo, & volitio seriâ, quamvis non omnino efficax, alicuius impedimenti eiusdem finis ex alijs motivis. Patet in mercatore amante & volente serió vitam, & merces, plus tamen vitam, quam merces: quia ex fine omnino efficaciter intento tuenda vitæ vult projicere, & reipsa projicit merces in mare; & ex alio motivo ditescendi, amat simul & vult serió quidem, quamvis non omnino efficaciter, retinere suas merces, quarum retentio impediret conservationem vitæ. Ad hunc modum, Deus displicens in peccato vult serió, hortatur, auxiliatur, & præcipit evitacionem peccati: quia tamen magis amat existentiam pœnitentiæ sibi placentissimâ, vult efficaciter ex motivo sibi grato existentiam pœnitentiæ, propterea non omnino efficaciter volens impedire peccatum, ut poterat, quamvis ex alijs motivis serió volens, hortans, auxilians, & præcipiens, ut ab homine evitetur peccatum: ad quò omnino impediendum nullo iure tenetur Deus. Porro cum hac divina volitione omnino impediendi peccatum, quæ est peccati permissio, stat optimè, Deum serió velle, hortari, & homini præcipere evitacionem peccati, quò tamen prænovit in hac hypothese non evitandum, sed ponendum ab homine: non ex motivo impediendi pœnitentiâ, sed ex alijs motivis Deo dignis. Vnde liquet, hos non esse terminos sibi invicem repugnantes; sed cum accommodâ explicatione congruentissimos. Ad illud de frustratione suâ præfinitionis iam est responsum, Deum illam utpote repugnantem, & chimericam, nullatenus velle: quia volens serió evitacionem peccati, non illam vult coniunctam cum præfinitione pœnitentiæ; quò esset frustrari præfinitionem; sed evitacionem simul cum evitacione peccati pro libito peccatoris: quò non esset frustrari præfinitionem, sed evitari, seu nunquam fuisse.

113 Ad confirmationem, negatur etiam sequela. Ad cuius probationem, concessâ maiori negatur minor. Occurrunt enim aliæ multæ rationes divinæ menti, propter quas det Deus in eo, & similibus talibus auxilia inefficacia, quamvis illa prænoverit inefficacia, quin illa det, quia inefficacia, & ex motivo inefficaciæ, Deum dedecente, ut videbimus *disp... sect...* dat ergo quia in se bona sunt; & quia sic ex-

Herrer.  
Aldret.  
Quiros.

Infrâ  
disp...

Infrâ  
disp...

pedit ad finem pœnitentiæ, & ad alios fines honestissimos sibi notos. Vnde falsa est consequentia. Dat ergo Deus in eo casu auxilia inefficacia, quamvis sint inefficacia; non verò, quia sunt inefficacia: qui modi, seu affectus dandi diversissimi sunt ex terminis suis. Hic autem posterior modus dandi, quia inefficacia, necessarius non est ad finem pœnitentiæ, utpote non requirentis hunc modum Deo indignum dandi auxilia inefficacia, quamvis requiratur dari auxilia inefficacia. Quodsi hæc auxilia, quæ de facto dat Deus, & sunt inefficacia, forent, ut possunt, & præciperentur à Deo fore efficacia; non proinde desineret Deus illa dare; non tamen illa daret per decretum præfinitivum pœnitentiæ; sed per aliud composibile cum evitacione peccati, & pœnitentiæ.

### SECTIO XIII.

#### Reliqua argumenta gravia.

114 **A**rguunt sextò. Præfinitio divi-  
na formalis pœnitentiæ esset  
virtualis saltem volitio peccati: ergo re-  
pugnat Deo. Antecedens probatur. Qui  
namque vult efficaciter poni rem, vult sal-  
tem virtualiter poni id, cum quo res ita  
connectitur, ut sine illo poni non possit.  
Sed divina pœnitentiæ præfinitio esset vo-  
litio intrinsecè efficax, intentiva, & exe-  
cutoria pœnitentiæ taliter connexa cum  
peccato, ut sine illo poni non possit: ergo  
esset virtualis volitio peccati. Maior pro-  
batur: quia non ex alia ratione nequit  
Deus velle materiale peccati, nec actio-  
nem productivam actus peccaminosi; nec  
physicam prædeterminationem ad pecca-  
tum, nisi quia ob connexionem cum ma-  
litiâ formali, volitio illorum esset virtua-  
lis volitio malitiæ peccati: imò nec habi-  
tum vitiosum, nisi quia ob inclinationem  
ad peccatum esset etiam virtualiter velle  
peccatum.

115 Corroboratur hæc vis ex Ant.  
Perez disp. 1. de Prædest. Augustin. cap. 1.  
num. 72. Qui vult, ut existat res, vult eo  
ipso, ne res desinat existere: ergo volitio  
efficax existentie rei est nolitio saltem vir-  
tualis non existentie, seu impeditio exi-  
stentiæ rei: unde est, quod efficax volitio  
vitæ est saltem virtualis nolitio mortis, &  
vulneris lethalis: ergo volitio divina effi-

cax existentie pœnitentiæ esset nolitio sal-  
tem virtualis non existentie, seu impedi-  
tionis pœnitentiæ. Atqui evitatio, seu non  
positio peccati esset impeditio existentie  
pœnitentiæ: ergo volitio efficax existentie  
pœnitentiæ est nolitio saltem virtua-  
lis evitacionis, seu non positionis peccati.  
Sed nolitio evitacionis, seu non positionis  
peccati, est volitio saltem virtualis posi-  
tionis peccati: ergo ex efficaci volitione  
divinæ pœnitentiæ sequitur virtualis sal-  
tem volitio peccati. Probatur hæc minor:  
nam æquè pariter opponuntur pœniten-  
tia, & impeditio pœnitentiæ, ac evitatio,  
seu impeditio peccati cum peccato: sicut  
ergo velle existentiam pœnitentiæ, est  
nolle saltem virtualiter impeditio-  
nem pœnitentiæ; pariter nolle evitacionem, seu  
impeditio-  
nem peccati, est velle saltem vir-  
tualiter existentiam; seu positionem pec-  
cati, & ipsum peccatum: ex ipsis nam-  
que terminis perinde est nolle evitacio-  
nem, ac velle existentiam rei.

116 Difficilia, & ingeniosa sunt hæc.  
Sed suam habent instantiam æquè diffi-  
lem in gaudio divino de pœnitentiâ, &  
in decreto divino pœnitentiæ præsupposi-  
tâ, ut volunt, permissione, & absolutâ  
prævisione peccati: quin eo ipso sit voli-  
tio virtualis, aut virtuale gaudium pecca-  
ti: certè enim ea præsuppositio nec auget,  
nec minuit intrinsecam connexionem pœ-  
nitentiæ cum peccato, aut necessitatem  
præexistentiæ peccati ad existentiam pœ-  
nitentiæ; aut oppositionem evitacionis  
peccati cum peccato; impeditio-  
nem pœnitentiæ cum existentia pœnitentiæ, ut ex-  
pendimus *sect. 11.*

117 Respondetur, negando antece-  
dēs. Ad probationem distinguo maiorem:  
si id ita connexum cum re volita, ponibi-  
le non est, nisi volens rem, id quoque  
velit, concedo: Si id est ex natura sua  
ponibile, quin volens rem id quoque ve-  
lit, nego maiorem: & concessâ libenter  
totâ minori, nego consequentiam. Quam-  
vis enim verissimum sit, pœnitentiam po-  
ni non posse, nisi posito peccato; at æquè  
verum est, seorsim etiam à præsentia con-  
troversia, peccatum ex naturâ sua tale  
quid esse, ut ponibile sit, & re ipsa ponatur,  
nec aliter possit poni, nisi quin Deus  
velit illud poni, dummodo permittat: quæ  
divina permissio, nec preparatio divini  
concursum pro peccato nullam omnino

impor-

importat volitionem divinam nec effica-  
cem, nec inefficacem, nec absolutam, nec  
conditionatam peccati, nec quoad forma-  
le, nec quoad materiale, ut sæpè observa-  
vimus in superioribus ex dictis super hoc  
latius disp. 9. de Attrib. *sect. 10.* & 13.  
ideoque ut peccatum ponatur, necesse non  
est quod Deus, sive prædefiniens, sive non  
prædefiniens pœnitentiam, velit illud po-  
ni; sed sufficit quod Deus bene conscius  
per Scientiam Mediam de eo quod in hy-  
pothesi suæ permissionis, ponetur ab ho-  
mine volente, illud permittat. Nec qui-  
dem positio, seu existentia pœnitentiæ ne-  
cesse habet quod Deus velit peccatum; sed  
quod ponatur peccatum eo modo, quo po-  
nibile est, scilicet Deo non volente; sed  
permittente:

118 Ad probationem maioris, negatur  
in primis ut manifestè falsum, quod  
in genere supponitur, connexionem unius  
cum alio sufficere, ut volens unum, debeat  
eo ipso velle virtualiter aliud; ut patet in  
gaudio de pœnitentiâ, quod non propte-  
rea est, nec inducit virtuale gaudium de  
peccato; & in amore Scientiæ Visionis  
Dei de existentia pœnitentiæ, qui non  
obstante ea connexionem non est volitio  
virtualis existentie, aut præexistentiæ  
peccati, nec eam inducit. Ad exempla, quæ  
ibi adducuntur, respondendum est sigilla-  
tim, ut veritas penitus pateat. Verum est,  
non posse Deum velle materiale peccati:  
at non præcisè propter connexionem cum  
formali, sed quia illud ipsum materiale  
malum, & à Deo prohibitum est: at pœ-  
nitentiâ non est mala, nec à Deo prohibi-  
ta. Verum est, Deum non posse velle  
actionem productivam actus peccaminosi;  
at non præcisè propter connexionem  
cum actu peccaminoso; sed quia ipse actus  
peccaminosus est, ideoque mala, & à Deo  
prohibita. Verum est, Deum non posse  
velle prædeterminationem suam ad mate-  
riale peccati; at non præcisè quia con-  
nexa cum peccato est; sed quia repugnans  
& implicatoria est, & si esset per se indu-  
ctiva peccati; ideoque mala; at pœniten-  
tia non est inductiva sed ablativa peccati,  
ideoque bona. Verum est, Deum non posse  
velle habitum vitiosum; at non propter  
necessariam connexionem cum peccato,  
cum illâ essentialiter non habeat; sed quia  
est causa per se inductiva peccati; qualis, ut  
vidimus, non est pœnitentiâ, sive præfinitio-

tur, sive non præfinitur à Deo.

119 Ad corroboracionem satis im-  
plexam num. 115. concessio antecedente,  
distinguo consequens. Efficax volitio exi-  
stentiæ rei est virtualis nolitio non existi-  
entiæ, seu impeditio-  
nem requirentis talem  
sui nolitionem ad non essendum, concedo:  
& hoc probat exemplum illud vitæ, &  
mortis: impeditio-  
nem requirentis sui  
nolitionem ad non essendum, nego con-  
sequentiam. Et similiter distinguo subilla-  
tionem: ergo volitio divina efficax exi-  
stentiæ pœnitentiæ esset nolitio non exi-  
stentiæ, seu impeditio-  
nem requirentis Dei  
nolitionem ad non essen-  
dum, concedo; non requirentis, nego:  
unius enim rei quamvis una sit existentia,  
at non existentie, seu essentielles impedi-  
tiones possunt esse multæ, quotquot scilicet  
sunt, aut esse possunt eius impedimenta  
essentialia. Nunc distinguo minorem  
subsumptam: evitatio, seu non positio pec-  
cati esset impeditio existentie pœniten-  
tiæ, non requirens divinam sui nolitionem  
ad non essendum, concedo; requirens, ne-  
go. Quemadmodum enim peccatum requi-  
situm ad existentiam pœnitentiæ, tale ex  
se est, ut ad essendum, sive ad sui positio-  
nem non requiratur divinam sui volitionem;  
sic evitatio, seu impeditio, seu non exi-  
stentiæ peccati, talis ex se est, ut ad non  
essendum, sive ad sui non positionem non  
requiratur divinam sui nolitionem: quini-  
mo Deo illam serio volente, hortante, auxi-  
liante, & præcipiente, illa non ponitur à  
peccatore nolente: sicut, Deo non volente,  
dissuadente, & prohibente peccatum, istud  
ponitur à peccatore volente. Sicque falsa  
est consequentia, quod volitio divina, quan-  
tumvis efficax, existentie pœnitentiæ de-  
beat esse nolitio virtualis evitacionis, seu  
non positionis peccati: non enim necesse  
est, Deum nolle evitacionem peccati, ad  
hoc ut evitatio non sit, atque adeo nec ut  
non sit impediens existentiam pœniten-  
tiæ: cum præsciatur Deus certò per Scien-  
tiam Mediam, evitacionem peccati non  
futuram, impotentiùs futurum peccatum, si  
constituat hominem in hac libertate cum  
sua permissione, etiamsi nec ipse Deus  
serio velit evitacionem, nec velit positio-  
nem peccati, dummodo permittat pecca-  
tum poni, & non evitari.

120 Ad aliam minorem subsequendam,  
dico in primis, mihi non esse satis veram,

quando nolitio evitacionis, seu impeditio-  
nis peccati non est nolitio omnis evitatio-  
nis, & impeditiois peccati; sed nolitio  
alicuius dumtaxat impeditiois, scilicet  
pendentis à sole Deo, qualis esset nolle  
permittere peccatum. Nam, ut dixi, unius  
rei possunt esse multæ evitaciones, seu im-  
peditioes: unius autem impeditiois no-  
litio, imò & multarum, non infert volitio-  
nem existentia rei; cum ea namque noli-  
tione aliorum impedimentorum stare  
posset volitio alicuius, quo satis impedi-  
retur existentia rei. Datâ tamen minori,  
benè intellectâ de nolitioe omnis evita-  
tionis; consequentia non rite deducitur.  
Cum enim nolitio divina impeditiois  
peccati nec sit, nec debeat esse volitio om-  
nis non impeditiois, scilicet positiois  
peccati, sed alicuius, scilicet non permis-  
sionis; ex eo quòd præfinitio divina pœ-  
nitentia sit nolitio alicuius impeditiois  
peccati, nempe impermissionis divinæ;  
non bene deducitur esse volitionem vir-  
tualem peccati, cuius positio est alia im-  
peditio evitacionis. In probacione ultimæ  
minoris, verum est antecedens. Falsò ta-  
men supponitur in consequentia, quòd  
velle existentiam pœnitentia sit nolle eius  
impeditioem; quando impeditio ex se  
talis est naturæ, ut ad sui non positioem  
non requirat, quòd illam nolit volens exi-  
stentiam pœnitentia: talis autem est, ut  
vidimus, impeditio, evitatio, non positio,  
seu non existentia peccati.

121 Arguunt tandem solidius, & ner-  
vosius. Causa per se, & ex intrinsecâ con-  
nexionem suâ inductiva peccati nequit præ-  
decerni, aut præintendi, ac proinde nec  
præfinitur, quin saltem interpretativè, &  
imputabiliter ametur peccatum: sed pœ-  
nitentia sic præfinita, & præintenta, esset  
causa per se, & ex intrinsecâ connexionem  
suâ inductiva peccati: ergo non posset à  
Deo sic præfinitur, ac præintendi, quin eo  
ipso saltem interpretativè amet, velitque  
peccatum: quòd nefas est. Maior patet  
ex morali proloquio: *Quòd est causa cau-  
sæ, est causa causati*: quòd saltem de causa  
per se, & per connexionem suam intrinsecâ  
inductivâ, verum esse debet. Minor autem  
probat: quia finis est per se causa me-  
dij simpliciter requisiti, & per se necessa-  
ria ad eius assequutionem: sed pœnitentia  
sic præfinita, & præintenta est finis, re-  
quirens simpliciter peccatum, quasi me-

dium per se necessarium ad eius assequu-  
tionem: ergo esset causa per se, & per  
connexionem suam intrinsecam inductiva  
peccati. Confirmatur. Intentio efficax fi-  
nis non potest haberi, nisi per unicum  
medium, est electio, aut inducit electio-  
nem unici medij: sed pœnitentia est finis  
non potens haberi, nisi per unicum me-  
dium peccati: ergo intentio efficax pœ-  
nitentia esset electio, ac proinde volitio  
peccati, aut saltem illam induceret.

122 Doceri vellem ab his arguenti-  
bus, quid, & quomodo respondendum, ut  
defendatur decretum efficax pœnitentia,  
præsuppositâ permissione, & prævisione  
peccati, quin proinde sit interpretativa vo-  
litio peccati, quamvis iam permisi. Mi-  
hi namque perinde est ad vim huius ar-  
gumenti, sive præsupponatur, sive non præ-  
supponatur ad decretum permissio, &  
prævisio peccati: quæ planè non immutat  
respectus essentielles, aut necessarias con-  
nexiones intrinsecas inter fines & media:  
ut expendebamus *sect. 11. & sæpè redar-  
guimus.*

123 Respondetur pro omnibus, &  
pro veritate, cui omnes obsequi debemus,  
concedendo maiorem, & negando mino-  
rem. Ad cuius probacionem distinguo  
maiorem. Finis est per se causa medij sim-  
pliciter requisiti, non ponibilis, nisi inten-  
dens illud velit, concedo; ponibilis, quam-  
vis intendens non illud velit, nec eligat,  
nego maiorem. Ratio sumitur ex sæpius  
dictis. Quia finis non causat, aut inducit  
media physicè; sed intentionaliter: quate-  
nus nempe cognitus, & intentus movet ad  
volitionem, seu electionem mediorum;  
nec eget volitione mediorum nisi ratione  
positiois mediorum: unde est, quòd, si-  
cut cum non requiritur omnino positio  
huius medij ad assequutionem finis, nec fi-  
nis, nec eius intentio causare, aut inducere  
debet positioem huius medij; sic, cum ad  
assequutionem finis non requiritur volitio  
medij, non est cur finis, nec eius in-  
tentio causare, aut inducere debeant vo-  
litionem huius medij, aut esse causa per se  
motiva, & moralis huius medij. Accedit:  
quòd, si prævisio positiois medij excusat,  
apud Arguentes, Deum intendentem finem  
pœnitentia, à positioe divinâ causativa  
medij, quamvis causativè ponendi per suas  
causas; cur potius eum non excuset à voli-  
tione medij, ex se ponibilis, & ponendi à  
pecca-

peccatore, etiam id nolente Deo? Sic di-  
stinctâ, & explicatâ maiori, transmitto  
minorem: cuius modum loquendi non  
omnino approbo: quatenus peccatum vo-  
cat medium ad pœnitentiam: quamvis  
enim sit requisitum, non meretur nomen  
medij respectu Dei intendentis, à quo est  
ineligibile, & prorsus involubile. Nego  
autem ultimam consequentiam: quia pec-  
catum, cum ponibile ex se sit à suis cau-  
sis, Deo non illud volente, nequit motivè  
intentionaliter causari à Deo mediâ voli-  
tione sui.

124 Ad confirmationem, distinguo  
ex dictis maiorem. Si medium, (aut re-  
quisitum) unicum est ex se tale, ut nequeat  
poni, nisi intendens finem illud velit, con-  
cedo; aliter, nego maiorem. Et concessâ,  
aut transmissâ cum suo modo loquendi  
minori; nego consequentiam. Quia pec-  
catum ex natura sua est tale medium, seu  
requisitum ad pœnitentiam; quòd, Deo  
etiam non illud volente, poni potest, id  
Deo benè præsciente per Scientiam sim-  
plicis intelligentia; & re ipsa si Deus purè  
illud permittat, ponetur, Deo id benè  
præsciente per Scientiam Mediâ: quæ  
duæ Scientia antecedunt, & præilluminant  
ad omne divinum decretum. Itaque non  
est cur decretum præfinitivum, seu præin-  
tentio efficax pœnitentia, quamvis non  
præsupponens permissionem, & absolutam  
prævisionem peccati, debeat esse volitio  
divina interpretativa peccati, aut Deum  
ad illam inducere; sed ad permissionem  
dumtaxat divinam peccati, & ad consti-  
tuendum hominem in hypothese talis li-  
bertatis, sub qua præscivit certò Deus, pec-  
catum ab homine illud volente ponendum  
fore, quin illud velit Deus: qui non Deus  
volens iniquitatem est.

Aldret.

125 Insistit argutè P. Aldrete. Saltem  
sic à Deo præfinitâ pœnitentiâ, deberet  
Deus velle permissionem peccati, ut *uti-  
lem* ad finem pœnitentia: sed hoc ipsum  
esset velle peccatum: ergo deberet velle  
peccatum. Maior patet: quia, si non vellet  
permissionem peccati, ut *utilem* ad finem  
pœnitentia, non illam vellet ex fine pœ-  
nitentia: sicut conclusio non esset ex præ-  
missis, si non assentiretur veritati sui ob-  
iecti, ut fundatæ in veritate præmissarum.  
Minor autem probatur: quia permissio  
peccati non est utilis ad finem pœnitentia,  
nisi coniuncta cum peccato: pœni-

tentia namque de peccato dolet, non de  
permissione: quæ scilicet sola, non sequen-  
to peccato, non sufficit ad pœnitentiam;  
nec requiritur ad pœnitentiam, nisi qua-  
tenus requiritur ad peccatum: ergo velle  
permissionem peccati ut *utilem* ad pœni-  
tentiam, esset illam velle ut coniunctam  
cum peccato: quòd est velle peccatum.

126 Respondetur in primis negando  
maiorem, si reduplicatio illa, ut *utilem*,  
æquivalet, ut è re est, causali: quia *uti-  
lem*. Nam intentio finis solum obligat ad  
amandum medium, in quantum illud ama-  
ri necesse est, ut obtineatur finis. Ut autem  
obtainetur finis pœnitentia, necesse non  
est, nisi quòd Deus amet, velitque per-  
missionem peccati *utilem* ad pœnitentiâ,  
quâvis non illam velit, aut amet quia *uti-  
lem*. Si dicâs, eiusmodi volitionem medij  
non fore electionem: siquidem non esset  
ex motivo utilitatis, quid inde? quâvis  
non foret electio formalis, esset quidem  
materialis: nempe volitio, seu amor me-  
dij, quòd cognoscitur utile ad finem,  
quamvis non volitio ex motivo huius uti-  
litatis cognitæ. Ad obtinendum autem fi-  
nem, quamvis requiratur amor, seu voli-  
tio talis medij; non tamen amor seu vo-  
litio, quæ sit formaliter electio. Quid enim  
refert ad assequutionem finis, quòd me-  
dium sic, aut sic, ob hanc, aut ob illam  
rationem ametur ab intendente, dummo-  
do efficaciter velit illud ponere? Certè non  
magis, quàm quòd intendens velit; aut  
non velit medium, dummodo re ipsa ab  
aliquo ponatur, quando, sicut diximus, ut  
ponatur, non est necesse, quòd intendens  
illud velit. Aut certius non magis quam  
quòd intendens velit, ametque ipsum fi-  
nem ex hoc, aut illo motivo, dummodo  
efficaciter finem velit.

127 Nec ratio, quæ assertur pro ma-  
iori, vera est. Nam electio, ut sit electio,  
non est opus, quòd habeat pro motivo in-  
trinseco utilitatem medij: sufficit, quòd  
velit medium, quòd est utile, ex præinten-  
tione finis, aut, si mavis, propter bonita-  
tem finis intenti, aut præintenti, qui in  
casu nostro est pœnitentia. Nec obest, imò  
prodest paritas præmissarum, & conclusio-  
nis: conclusio enim, ut sit conclusio, necesse  
non est ut habeat pro motivo intrinseco  
obiectum præmissarum, nec respectu ad illas:  
sufficit talis modus extrinsecè, & exercitè  
pendendi à præmissis præintentionibus  
sua

Ripalda. sua obiecta, ut cum Ripalda tenui in Philoſophia. Huic autem modo extrinſecè, & exercitè pendendi intellectivè à præmiſſis, æquivalere poteſt in voluntate ſpecialis modus volendi, quo vnus actus divinus veit indiviſibiliter permiſſionem peccati, & finem pœnitentiæ; illam ſcilicet propter iſtum & non è converſo, ex ſpeciali modo volendi talis decreti, quin habeat pro motivo intrinſeco utilitatem permiſſionis, ſed bonitatem pœnitentiæ.

128 Deinde, adhuc permiſſa primâ maiori, negari poſſet minor: Ad cuius probationem negatur antecedens. Quamvis enim permiſſio peccati non fit ſufficiens ſine peccato, & niſi coniuncta cum peccato, ad aſſequendum finem pœnitentiæ; per ſe tamen, & de ſuo habet eſſe neceſſariò requiſitam, ac proinde utilem ad finem pœnitentiæ: non enim ſingula media conducentia ad finem debent eſſe ſufficientia ad aſſequutionem finis. Ea autem utilitas reddit ſatis permiſſionem amabilem propter eum finem, & quia ſic utilem ad finem & propter hanc neceſſitatem, & utilitatem ipſius ad eum finem: quamvis non à Deo amabilem propter viteriorem utilitatem, quam dicit, ut coniuncta cum eum peccato, non niſi turpiter amabili. Vnde falſa eſt conſequentia. Dices ſimilem utilitatem, ſeu neceſſitatem habet etiam de ſuo permiſſio ad poſitionem peccati, utpote non ponibilis abſque Dei permiſſione. Fateor: & addo, hanc etiam utilitatem, ſeu neceſſitatem ſuæ permiſſionis ut ponatur peccatum, repertam de ſuo in permiſſione, eſſe amabilem & amari à Deo. Nec tamen permiſſio, nec ea utilitas amatur, nec eſt amabilis à Deo, quia utilis ad peccatum: is enim modus amandi præſert affectum ad peccatum repugnantem Sanctitati Dei. Itaque amat Deus ſanctiſimè permiſſionem ſuam, quam novit neceſſariam, & utilem ad pœnitentiam, & ad peccatum; non quia utilis eſt ad peccatum; ſed quia utilis eſt ad pœnitentiam. Stat diverſitas in ijs modis amandi ex diverſo modo attingendi obiectum; quorum prior præſert affectum erga pœnitentiam Deo digniſſimum; poſterior autem præſert affectum erga peccatum, Deo repugnantem.

129 Vrgent. Quando amatur vnum præ alio, quia in illo, & non in alio cognoſcitur utilitas ad finem, amatur illud, ut

utile, ſeu, quia utile ad finem: alioquin fruſtra præceſſiſſet notitia utilitatis: ſed Deus præintendens, ac præſiniens pœnitentiam, amat permiſſionem præ non permiſſione peccati, quia in permiſſione, & non in non permiſſione cognoſcitur utilitas: ergo amat permiſſionem ut utilem, ſive quia utilem ad finem pœnitentiæ, ſed non eſt utilis ad pœnitentiam permiſſio præ non permiſſione, niſi coniuncta cum peccato: ergo deberet eo ipſo Deus illam amare ut coniunctam cum peccato.

130 Respondetur, negando maiorem, ſi notulæ illæ: *ut utile: & quia utile:* ſignificare velint, ut è re eſt, motivum intrinſecum talis amoris: non enim opus eſt quod obiectum cognitum ut utile, ametur quia utile, ex motivo utilitatis. Causalis enim illa, *quia*, denotat ſemper motivum obiectivum; ſed interdum motivum obiectivum, ut quando dicimur amare Deum, *quia bonum*; interdum, conditionem aliquam ex parte obiecti requiſitam ut obiectum taliter ametur, ut quando volumus vnum obiectum abſens, & aliud præſens; & dicimur illud & non iſtud deſiderare, *quia abſens eſt*; quin proinde abſentia fit motivum amatum; interdum denotat aliquod prærequiſitum ex parte actûs; ut cû è duobus bonis, quorum vnum & non aliud cognoſcimus, dicimur amare illud, & non iſtud; *quia illud cognoſcimus*: quin proinde vox, *quia*, denotet ibi rationem volitam, ſeu motivum obiectivum; ſed conditionem requiſitam ex parte actûs ad amandum. Quæ cum ita ſint, ex modo illo vero loquendi per notulam, *quia*, in maiori, non ſatis interretur in medio utili amato, *quia cognoſcitur utile*, utilitatè debere eſſe motivum obiectum amandi; ſed potiùs notitiam utilitatis vnus, & non alterius eſſe rationem aliunde requiſitam, ut ametur præ alio, quod non cognoſcitur eſſe utile.

131 Nec propterea fruſtra præceſſiſſet notitia utilitatis. Oportet enim præceſſiſſe, ut intendens eligat medium, quod eſt utile, & non aliud, quod utile non eſt; ſive illud eligat, ſive non, ex motivo utilitatis. Ad hunc etiam modum, præcipiente Præſato, ut ſubditus det eleemoſynam, iſte dat, quia ille præcipit, aliter non daturus: unde non fuit fruſtra, ſed profuit præceptum ad eleemoſynam; quin tamen inferatur exinde, ſubditum dare eleemoſynam ex motivo intrinſeco obedientiæ; ſed

ſed ſepè ex alijs motivis bonis; aut forte malis: nam exequutio præcepti non exigit hoc motivum, ſed optis volitum, & exercitum, quo potius, quàm hoc vel illo motivo ſuccurrit inopi.

132 Ex ijs informa, ſic explicatâ maiori, & iuxta eandem explicationem, conſeſſa minori, concedo etiam primam conſequentiam. Minorem autem ſubſumptam diſtinguo: permiſſio niſi coniuncta cum peccato, non eſt utilis ad pœnitentiam, utilitate ſufficiente ad eum finem; concedo: utilitate conducente, & requiſita, nego minorem. Permiſſio namque divina, ſive coniungatur, ſive non coniungatur cum

peccato, ſemper eſt per ſe requiſitiſſima ad finem pœnitentiæ. Nego autem ultimam conſequentiam. Quia adhuc dato in præmiſſis, quod ex præintentione finis pœnitentiæ deberet velle Deus permiſſionem ut utilem, & quia utilem ad pœnitentiam, & ex motivo utilitatis; ad ſummum inferretur, debere amari ex motivo utilitatis requiſitæ, non verò ſufficientis; & quia ſic utilem ad pœnitentiam; non verò, quia ſic utilem ad peccatum ob rationem datam *num...* nullatenus tamen inferatur debere à Deo amari ut coniunctam cum peccato: nam eſſet amare peccatum; quod abſit.

## DE PRÆDESTINATIONE SANCTORVM.

**R**ER generaliores doctrinas præcedentium diſputationum, ſuperatis pro tenuitate noſtra graviſſimis difficultatibus, paſſim occurrentibus; viam paravimus expeditiorem ad Theologiam de divina Prædeſtinatione, quæ præcipua divinæ Providentiæ ſpecies habenda eſt, ut vidimus *diſp. 1. ſect. 4.* & erit negotium diſputationum ſequentium. Suprà  
diſp. 1.

### DISPUTATIO VIII.

DE PRÆDESTINATIONE, PRÆSERTIM VTI EST  
Species Providentiæ.

**R**EMEMORANDA diligenter hîc eſt duplex acceptio ſolemniffima Prædeſtinationis divinæ, quam ex Patre Suarez poſui *diſp. 1. num. 29.* Vna, prout Prædeſtinatione eſt, & dicitur electio ipſa formalis voluntatis divinæ aliquorum ad Gloriam. Alia Auguſtiniana, prout, iuxta celebrem Auguſtini Magni definitionem eſt: *Præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiffimè liberantur, quicunque liberantur.* De Prædeſtinatione iuxta priorem acceptiorem agemus inferius *diſp. 10.* In hac, & in ſequenti, iuxta poſteriore in hac enim poſteriori acceptiione dicitur Prædeſtinatione Auguſtiniana, Species Providentiæ, ut videbimus. Suarez.  
Suprà  
diſp. 1.  
ſect. 2.  
Auguſtin.

SECTIO I.

Nomen, existentia, definitio, & multiplex acceptio Prædestinationis.

Prædestinatio; nomen est à verbo Prædestino: quod perinde est, ac præordino; vel anteordino. Circa præcedentiam, quam significat in Prædestinatione præpositio illa, præ, variè varij loquuntur. Alij dicunt, significare præcedentiam divinæ electionis ad Gloriam antecedenter ad prævisionem meritorum. At videbimus disp. 10. huiusmodi præcedentiam negari à gravissimis Theologis; quibus tamen nomen Prædestinationis commune est; nec propterea iudicandis quasi regent Prædestinationem. Alij dicunt, significari præcedentiam dignitatis Prædestinatorum ad reprobos. At, quid si omnes prædestinantur? Alij, præcedentiam temporis; quatenus Prædestinatio divina est ab æterno circa effectus in tempore eventuros: idque significari videtur Ephes. 1. ibi: Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem: & 1. Corinth. 2. Quam prædestinavit Deus ante sæcula in Gloriam nostram. Atquid, si Deus ab æterno prædestinaret, & bearet aliquem? Admittit tamen, pro de facto, hanc temporis præcedentiam significari; sed non solam; sed præcedentiam quoque naturæ, in genere saltem causæ directivæ: quatenus nempe Prædestinatio est Providentia, quæ dirigitur Deus ad applicanda media Prædestinatis, per quæ finem Gloriæ certo consequantur.

4 Existentiã divinæ Prædestinationis est fidei dogma. Est enim, ut verbis utamur Sancti Prosperi, Prædestinationis fides multâ Sæctarum Scripturarum auctoritate munita. Roman. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: his qui secundum propositam vocati sunt sancti: nam quos prædestinavit, & prædestinavit, & c. Actor. 13. Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Roman. 8. Prædestinationem electionem propositam Dei maneret. Matth. 24. Propter electos breviabitur dies illi. Plura luculentius Montoya disp. 1. de Prædest. Quapropter Trident. id fidei supponens Sess. 6. cap. 12. statuit, neminem absque speciali Revelatione posse de sua Prædestinatione certum esse. Accedit ratio. Dequit enim Dei bonitatem & tot creaturis rationalibus ad in possessionem

creatis, aliquas perducere ad finem felicitatis æternæ, ut est de fide aliquas perduxisse: illi autem actus æterni intellectus, & voluntatis divinæ, quibus efficaciter disposuit Deus media, per quæ ad finem, & possessionem felicitatis æternæ reipsa perducerentur, sunt Prædestinatio.

5 Definitiones Prædestinationis occurrunt multæ. Augustinus cap. 14. de Bono persever. illam definit: Præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur. S. Thom. quæst. 23. art. 1. sic: Ratio transmissionis creaturæ rationalis in vitam æternam. S. Bonavent. in 1. dist. 40. art. 1. quæst. 2. sic: Præordinatio alicuius ad Gloriam principaliter, & ad aliam in ordine ad Gloriam. Bellarm. lib. 2. de Grat. cap. 9. sic: Providentia Dei, qua certi homines ex massa perditionis misericorditer selecti, per infallibilia media ad vitam diriguntur æternam. Scotus in 1. dist. 40. quæst. 1. sic: Electio creaturæ intellectualis ad Gratiã, & Gloriam. P. Molina 1. p. quæst. 23. art. 1. & 2. disp. 1. sic: Ratio ordinis finis, & mediõrum in Deo, quibus videt creaturam intellectualem perducendam in vitam æternam, cum proposito eandem ordinem exequendi.

6 Ex hac varietate definitionum Prædestinationis deducuntur tria. Primum, unumquemque illam definire iuxta opinionem, quam sequitur circa constitutionem providentiæ, ac proinde & Prædestinationis, sive per actum intellectus, sive per actum voluntatis, sive per utrumque. Secundum, solemnem esse inter Scholasticos duplicem illam acceptionem Prædestinationis, quam admodum advertimus disp. 1. num. 29. unam pro formali electione ad Gloriam iuxta definitiones Bonaventuræ, & Scoti: aliam, quam vocamus Augustinianam, pro dispositione mediõrum ad finem Gloriæ, iuxta definitiones Augustini, Thomæ, Bellarmini, & Molina: qui variant inter se, quatenus istorum aliqui indicant, Prædestinationem essentialiter stare præcipue in actibus intellectus, alij in actibus voluntatis, alij eque essentialiter in utrisque; alij claudunt, alij excludunt ad illius constitutionem actus variantes circa finem. In qua diversitate standum est dictis disp. 1. applicando Prædestinationi doctrinam ibi traditam de Providentia. Tertium, Scholasticos omnes in eo convenire, quod

Augustin.

S. Thom.

S. Bonav.

Bellarm.

Scotus.

Molina.

Prædestinatio proprie & absolute accepta, prout in præsentia, sit ordinatio divina efficax electõrum ad Gloriam. Quæ divina ordinatio, cū simplicissimè multa obiecta respiciat, est prædestinatio Augustiniana per eos conceptus, qui Deum constituunt formaliter providentem de medijs efficacibus ad Gloriam consequendam.

7 Dixi, proprie, & absolute accepta. Nam minus proprie accipitur etiam aliquando pro destinatione divina reprobõrum ad æternum supplicium: ut est apud Augustinum lib. 15. de Civit. cap. 1. Prosperum ad Capitula Gallor. respons. 14. & 15. Fulgentium lib. 1. ad Monimum cap. 14. Cum quibus Concilium Valentinum cap. 3. loquitur sic: Confitemur Prædestinationem electõrum ad vitam, & Prædestinationem impiorum ad mortem: quod bene noravit Martinon sect. 1.

8 Aliquando & minus raro accipitur etiam pro destinatione ad Gratiã, quamvis non sit efficaciter ad Gloriam: ut est apud Apostolum: Elegit nos in ipso, ut essemus Sancti in conspectu eius in charitate, qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum. Super quem locum Anselmus distinguit duas Prædestinationes: unam ad Gloriam, propriam eorum, qui reipsa salvantur; aliam ad Gratiã, multis etiam, qui non perseverant, nec salvantur, communem. Quam distinctionem approbant quoque Damascenus, & Augustinus apud Granadam hic disp. 1. num. 2.

9 Accipitur etiam interdum Prædestinatio extraordinariè pro destinatione divina ad statum aliquem singularissimæ & eximie dignitatis: ut B. Virginis ad Dignitatem Maternitatis Dei: Humanitatis Christi ad statum unionis hypostaticæ, iuxta illud Ephes. 1. de Christo: Qui prædestinatus sit Filius Dei: prout explicuimus ex professo disp. 9. de Incarn. sect. 6. Hæc tamen sunt Prædestinationes extraordinariæ. In præsentia loquimur de ordinariã, proprie, & absolute, dicta quæ est electõrum efficaciter ad Gloriam.

10 Prædestinationem ergo sic acceptam, prout in præsentia, in sensu Augustiniano definimus exactè sic: Providentia divina, per quam creatura rationalis ad supernaturalem Patria beatitudinem efficaciter dirigitur. Hæc est in re definitio Magni Augustini, quam supponit Eximius Doctor lib. 1. cap. 2. Dicitur enim

Augustin. Prosper. Fulgent. Concl. Valent.

Martin.

Anselm.

Damasc. Augustin. Granad.

Ephes. 1.

To. de Christo disp. 9.

Augustin. Suarez.

genericè: Providentia divina: quod est in Augustino Præscientia, & præparatio mediõrum in Deo residens, iuxta definitionem nostram Providentiæ expositam ad mentem Augustini disp. 1. num. 6. Dicitur: creatura rationalis: quia Beatitudinis, quæ visio intellectualis est Dei, capaces dumtaxat sunt naturæ intellectivæ, ut Angeli, & homines: & ex ijs quidem Adulti, & Parvuli; quamvis quoad Parvulos, sit hæc providentia potius physica, utpote non versans circa actus ipsõrum liberos, & meritorios. Dicitur: ad supernaturalem Patria beatitudinem: hoc est, ad Gloriam possessionis Dei summi boni, & ultimi finis: ut significetur ulterius differentialiter Providentiæ divinæ supernaturalitas: quam significare voluit S. Thom. nomine transmissionis: dixerat enim: Ad illud autem, ad quod non potest aliquid virtute sue naturæ pervenire, oportet, quod ab alio transmittatur, sicut sagitta à sagitante. Dicitur tandem: efficaciter dirigitur: quia providentia prædestinativa, utpote efficax; semper consequitur finem Gloriæ, quem intendit. Quam efficaciam significavit Augustinus per illa sua definitionis verba: quibus certissimè liberantur.

Supr. disp. 1. sect. 1.

S. Thom.

SECTIO II.

An, & qua ratione Prædestinatio sit pars, & species Providentiæ?

11 Caietanus; & Vazquez dicunt, Caietan. Prædestinationem esse partem Vazquez. integram Providentiæ; non verò subiectivam. Vocant partem subiectivam inferiori respectu superioris, sive universalioris, ut species respectu generis: integram verò vocant partem; quæ quasi physicè componit totum, sine ordine actus & potentiæ, ut digitus manum. Ad hunc modum dicitur Logica pars integralis Philosophiæ, coalescentis partim ex Logica, partim ex Physica, partim ex Animalica, &c. Id quod intelligi potest dupliciter. Vno modo, formaliter, sive ex parte actuum, quatenus actus, vel habitus Logicæ integrant Philosophiam. Alio modo ex parte obiectõrum, quatenus obiectum Logicæ integrat cum alijs adæquatum obiectum universæ Philosophiæ.

12 In re non magni momenti conclusio nostra bipartita sit; Prædestinationem

nem esse partem integram Providentiæ, sive formaliter id dicatur ex parte actuum, sive obiectivè ex parte rerum: esseque quoque partem subiectivam, hoc est, speciem Providentiæ. Prior pars est communis. Posteriores tenent S. Thom. Molina, Suarez, & alij apud Ribaden. *disp. 1. num. 18.* contra Caiet. & Vazq.

*S. Thom. Molina. Suarez. Ribaden.* 13 Ratio prioris partis est. Quia Providentia formalis, sive ex parte actuum, adæquatè sumpta, est complexum omnium divinarum cognitionum, & volitionum constituentium singulas Dei Providentias: sed Prædestinatio formalis, est pars quasi integralis, talis complexi: quia nihil est aliud, quàm aliqui actus divini intellectus, & voluntatis specialiter constituentes Providentiam prædestinativam, quæ est specialis quædam Providentia: ergo est pars quasi integralis complexi totius Providentiæ divinæ formalis ex parte actuum. Et eadem est ratio de obiectiva ex parte rerum: quia similiter speciale obiectum Prædestinationis, quæ est aliqua Providentia, est pars adæquans complexum omnium obiectorum, circa quæ versantur omnes divinæ Providentiæ.

14 Probatur autem posterior pars: quia Providentiæ ut sic est ratio generica Providentiæ, à singulis Providentijs universalibus abstracta: formalis utique à formalibus, & obiectiva ab obiectivis: sed Prædestinatio est pars subiectiva, & quædam species minus universalis, talis rationis universalioris Providentiæ ut sic: ergo est pars subiectiva Providentiæ. Minor patet per explicationem terminorum: nam quodlibet prædicatum inferius, seu minus universale est pars subiectiva respectu rationis superioris, seu universalioris, cui subijcitur: sed Prædestinatio, cum verè sit quædam Providentia, est prædicatum inferius, & minus universale contentum sub ratione universaliori Providentiæ ut sic, illi quæ subiectum: ergo est etiam pars subiectiva, & species Providentiæ.

15 Obijciunt contra hoc. Quia, quavis in Deo sint plures idæ, non sunt plures artes, sed una, quia est vnicus specie modus sciendi: atqui similiter, quamvis provideat Deus varia media ad varios fines, est vnicus specie modus providendi: ergo unica Deo est species Providentiæ: ergo non plures, de quibus, ut de multis speciebus, prædicatur ratio Providentiæ di-

vinæ: sic ergo Prædestinatio non est pars subiectiva, seu species Providentiæ.

16 Ex tenore huius obijctionis patet, litem hanc esse magna ex parte vocalem, levisque momenti. Respondetur distinguendo maiorem, cum suo fundamento: non sunt in Deo plures artes, & modi sciendi specie absolutè distincti, concedo; distincti per rationem, nego. Et in hoc sensu negantur tres consequentiæ: nec quidem in alio sensu loquuti sumus: nec pro Deo aliter loqui oportuit.

17 Quod si hoc alicui videatur insufficiens, ut absolutè dicamus, Prædestinationem esse partem subiectivam, & speciem Providentiæ, appellet eam quasi speciem, seu quasi partem subiectivam, seu speciem & partem subiectivam ratione nostrâ: & rem teneamus, ne hæreamus in Logicis. Et videri possunt Ribad. cit. & Suarez *cap. 18.*

18 Hæc dicta sunt de Prædestinatione Augustinianâ, quæ stat in præscientia, & præparatione mediolorum, de qua nunc agimus. Nam de Prædestinatione in alio sensu sumptâ pro electione formali efficaci divinæ voluntatis aliquorum ad Gloriam, constat ex dictis *disp. 1.* non esse partem subiectivam, nec speciem Providentiæ; cum sit solus actus divinæ voluntatis circa finem non constituens Providentiam; sed ad illam præsuppositus.

19 Hinc vide discrimen Prædestinationis, & Providentiæ; quod ista universalibus extenditur, scilicet etiam ad non prædestinatos, quàm illa, quæ est istius species, & ad solos prædestinatos contrahitur. Adde aliud assignatum iam à nobis ex S. Thom. contra Caiet. *disp. 1. num. 62.* quod Prædestinatio semper obtinet finem particularem, ad quem dirigit prædestinatos; non verò sic semper Providentia: quia nempe Prædestinatio est Providentia efficax circa finem Gloriæ. Quomodo Prædestinatio comparanda sit cum libro vitæ; exponemus *disp. 1. sect. 5.*

### SECTIO III.

An, & quomodo Prædestinatio sit necessaria?

20 Certum in primis est Prædestinationem non esse simpliciter absolutè necessariam in Deo. Quippe po-

tuit, nullas creaturas rationales, nec mundum producere. Tenendum deinde est, neque esse necessariam adhuc supposita creatione Angelorum, & Hominum. Quippe potuit eos relinquere in statu naturæ puræ, nullatenus elevatos ad statum supernaturaleni, nullum prædestinando ad finem Gloriæ supernaturalis, ut contra aliquos vidimus *disp. 1. de Grat. sect. 1.* Difficultas prælens est, an ut creatura rationalis assequatur finem Gloriæ supernaturalis, necesse sit dari in Deo talis creaturæ Prædestinationem, an verò sine prædestinatione divina possit aliquis salvari.

21 Docent absolutè Thomistæ, necessariam sic esse omnino in Deo Prædestinationem, ut aliquis finem Gloriæ supernaturalis assequatur; apud Albeldam *disp. 70. sect. 1.* ubi citat nonnullos id negantes, ratos fieri posse, quod salventur aliqui, qui à Deo prædestinati non sint. Prætereò imposturas, quas ibi adscribit Patri Suarez: quas ipse præterijisset abs dubio, si Doctorem Eximium attentius perlegisset. Huc pertinet singulare dictum Catherini, qui aliter dixit, salvari multos, qui prædestinati non sunt: quia scilicet existimavit, solum dici posse absolutè prædestinatos aliquos eximia sanctitatis, ut B. Mariam, Apostolos, & alios sic insignes; cum tamen multi intra istos salventur: sicque dicere consequens erat, Dei Prædestinationem necessariam non esse ad Gloriam consequendam. Id quod pro alia Dei lege admittunt de possibili Quiròs *disp. 1. sect. 4.* & Herrera... Neutiquam verò Molina, nec Suar. ut inponit Albelda: cum disertissimè doceant, necessariam ad id esse Prædestinationem ex parte Dei, quavis non ex parte effectuum.

22 Dicendum primò, de facto salvari omnes, & solos prædestinatos. Primum constat ex definitione Prædestinationis: est enim Providentia divina efficax: atque adeo semper obtinens finem Gloriæ, ad quem efficaciter ordinat electos. Secundum probatur contra Catherinum, graviter in hoc notatum à reliquis Theologis. Nam in scripturis, tam Angeli, quàm Homines, qui salvantur, dicuntur à Deo electi, à differentiâ aliorum, qui manent in massa perditionis. Soli igitur electi, qui sunt iidem, ac prædestinati, salvantur.

23 Dicendum secundò, nec de possibili dabilem esse creaturam, quæ salvetur

non à Deo prædestinata: quod est, necessariam omnino esse aliquam Dei Prædestinationem ad finem æternæ gloriæ consequendum. Sic communiter Authores nostri cum Molina, & Suarez. Ratio. Quia nequit aliquis salvari, quin Deus velit conferre media, quibus reipsa salvetur; & quin certissimè noverit, media esse talia, quibus reipsa salvandus est: ergo eo ipso quod aliquis salvatur, præcedit in Deo præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, sive mediolorum, per quæ salvatur. Hæc autem est eius Prædestinatio: quæ proinde omnino necessaria est ad salutem æternam cuiuscumque creaturæ. Sitne ea necessitas ex parte duntaxat divinæ perfectionis; an etiam ex parte, & ex indigentia rerum, seu effectuum Prædestinationis? Variant Authores nostri; sed disidium est minoris momenti: quod parvè iam fecimus *disp. 1. num. ult. & labefactat Arriaga disp. 32. sect. 4.*

24 Dixi: aliquam Prædestinationem. Nam si sermo esset de Prædestinatione sumpta, ut ab aliquibus, pro intentione præfinitiva, seu præelectivâ ad Gloriam, ut coronam, habitâ à Deo antecederet ad absolutam prævisionem meritorum; hæc, inquam, Prædestinatio, quamvis possibilis sit, necessaria non est ad salutem: in quo discedo à Thomistis. Nam absque huiusmodi Prædestinatione, & absque præfinitionibus divinis possent homines salvari, & fortè salvantur. Addo, nec esse necessariam Prædestinationem, quæ importet volitionem divinam dandi mediâ efficaciam, quia efficaciam, seu ex motivo efficaciam: sufficeret enim volitio præparandi mediâ, quæ præcisa fuerunt fore efficaciam. Huiusmodi enim mediâ conferri posse sine præintentione finis intrinsecè efficaci, vidimus *disp. 3. sect. 1.* Sic Ribad. *disp. 19. cap. 2.* Vbi tamen vocat Prædestinationem formalem illam, quæ includeret volitionem divinam conferendi mediâ, quia efficaciam; materiam verò illam, quæ clauderet volitionem conferendi mediâ efficaciam, sed non ex motivo efficaciam: sicque docet consequenter, ad cuiuscumque salutem necessariam esse Prædestinationem materiam; non verò formalem. Verùm hanc ego limitationem non omnino probo: non enim est car iste quoque modus volendi mediâ efficaciam à Deo præcognita non constituat Prædestinationem

nem formalem.

25 Obijcies. Si homines relinquerentur à Deo cum solis auxilijs communibus collatis ex voluntate tantum generali salvandi omnes, salvarentur aliqui: sed tunc non daretur in Deo Prædestinatio: quia ex parte Dei nihil esset speciale erga eos, qui salvarentur: ergo salvarentur absque prædestinatione: propterea non simpliciter necessariâ ad salutem æternam. Negatur tamen minor, & eius ratio: quia tunc specialiter erga eos, qui salvarentur, daretur in Deo præparatio mediiorum iuncta cum præscientia de eo quod per ea media salvandi forent: hoc autem complexum est ipsissima Prædestinatio Augustiniana.

26 Dices. Prædestinatio Augustiniana est: Præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, &c. Sed in eo casu illa media non essent beneficia specialia: siquidem ex ea voluntate generali, & æquali erga omnes, conferrentur illis etiam, qui salvarentur: ergo salvarentur absque Prædestinatione etiam Augustiniana. Respondetur negando minorem. Quamvis enim ea auxilia non conferrentur ex benevolentia speciali, quæ foret formalis beneficentia, nec quia specialia beneficia sunt; non propterea desinerent esse beneficia specialia: cum revera importarent consensum, quem alia collata alijs non importarent: consensus autem ipse speciale beneficium est. Propterea Ribad. vocat hanc Prædestinationem materialem, non verò formalem. Sed forte non satis bene aliud enim est, quod ea beneficia non conferrentur ex beneficentia formali: quod verum est; extra conceptum tamen Prædestinationis: aliud est, quod eorum collatio non esset ex formali præscientia, & præparatione talium beneficiorum: quod est falsum: ac proinde quod aliquid desit de conceptu formalis Prædestinationis. De facto auxilia, quæ Deus confert præsciens fore efficacia, semper confert, quia efficacia, ex motivo efficaciam, & ex formali beneficentia, ut dicemus *disp. seq.* At hoc est ultra conceptum Prædestinationis præcisè.

27 Virget Quiròs. Posset Deus conferre alicui auxilia, quæ præcivisset fore efficacia ad salutem, quin ea conferret ex intentione Gloriam: ergo quin prædestinaret: sicque sine prædestinatione salvaretur ille. Consequenter patet, quia si sagitta te-

riret scopum præter intentionem sagittantis, non diceretur destinata in scopum: ita neque destinatus, ac proinde nec prædestinatus ad Gloriam, qui absque præintentione Gloriam perduceretur ad Gloriam. Antecedens autem probatur. Deus enim non tenetur intendere nostram Gloriam: neque est cur eam antecederet non intendens, nequeat nihilominus conferre creaturæ suæ auxilia, quibus novit perseveraturam in Gloria, quæ ius est ad Gloriam; cum alioquin ipsa collatio talium auxiliorum bona sit, dignaque Deo, ac proinde sufficiens terminare divinam voluntatem conferendi talia auxilia.

28 Respondetur, concedendo antecedens propter eius probationem, & distinguendo consequens: quin prædestinaret, sicut nunc prædestinat, concedo: quin absolute prædestinaret, nego. De facto namque vult Deus conferre auxilia efficacia ex intentione Gloriam: & non sic in eo casu. Quoniam verò in eo etiam casu præcivisset Deus efficaciam auxiliorum ad Gloriam, & vellet ea tali creaturæ præparare, daretur eo ipso in Deo præscientia & præparatio mediiorum, sive beneficiorum, quibus illa certissimè salvaretur. Hoc autem est Prædestinatio Augustiniana. Nec obest exemplum de sagitta. Quinimò, si sagittans certò sciret ex tali dispositione, & directione arcus, ferendum fore scopum, velletque taliter arcum disponere, ac dirigere, eo ipso mitteret, & destinaret sagittam in scopum; quamvis sine præintentione ferendi scopum. Sic ergo, quamvis demus, Deum non habuisse præintentionem Gloriam talis creaturæ, eo ipso quod sic præcivisset, & præpararet media efficacia ad Gloriam, destinaret creaturam illam ad Gloriam, & quidem providentissimè: eiusmodi autem providentia circa subiectam materiam non posset esse nisi prædestinativa.

29 Hinc emanant duo pericula. Primum; quòd, quamvis absque Prædestinatione detur in homine per auxilia sufficientia petestas se salvandi, ut patet in reprobis; non verò datur potestas se salvandi absque Prædestinatione. Si enim per ea auxilia, ut potest, perseveraret, prædestinatus iam esset: nam eo ipso essent in Deo præscientia, & præparatio mediiorum, quibus certissimè salvaretur. Secundum: quòd non potest homo decedere in Gra-

ria,

cia, aut finaliter conteri, dividendo finalem contritionem à Prædestinatione ad Gloriam. Nam si finaliter conteritur, iam voluit Deus illi præparare auxilia cum præscientia, quòd si darentur, forent efficacia ad contritionem finalem, cui promittitur Gloria. Ea autem Præscientia, & Præparatio est definitivè Prædestinatio Augustiniana. Per hæc componemur expeditè *disp. seq. sect. 4.* quomodo reprobi salvari possunt; & quomodo non prædestinatus possit pro libito facere, ut à Deo prædestinetur: quod alioquin explicatur difficile foret.

Infrà  
disp....

#### SECTIO IV.

Quis terminus: quodue sit subiectum Prædestinationis, seu prædestinabile?

30 **T**erminus Prædestinationis dicitur, ad quem consequendum à Deo prædestinante destinamur: & vocatur, *finis qui*, utpote quia prædestinato obtinetur. Subiectum vero prædestinabile, & prædestinatum est creatura, quæ à Deo destinatur in eum finem: & vocatur *finis cui*, utpote cui præfigitur obtinendus finis qui.

31 Dixi, *creatura*. Deus enim, quamvis in alio sensu valde diverto, possit dici quasi subiectum Prædestinationis, quatenus nempe in se habet, sibi identificatos actus suos, qui sunt nostra Prædestinatio; non tamen est subiectum prædestinabile: cum ad nullam finem supra se destinari possit. Quodsi Christus, qui Deus est, dicitur Prædestinatus ad Gloriam, intelligendum est secundum humanitatem, ut explicuimus *disp. 9. de Incarn. sect. 6.*

To. de Christo  
disp. 9.  
Rom. 1.

Quando autem dicitur ab Apostolo: *Qui prædestinatus est Filius Dei*. Intelligendum est etiam penes humanitatem per Prædestinationem extraordinariam ad statum hypostaticum filiationis naturalis Dei, ut ibidem etiam explicuimus.

32 *Terminus* igitur Prædestinationis ordinariæ, quam ab extraordinaria iam distinximus *sect. 1.* est Gloria beatitudinis æternæ; extraordinariæ verò sunt unio hypostatica respectu humanitatis Christi; & dignitas Maternitatis Dei in Virgine Maria. Probatur hæc secunda pars. Quia Christus dicitur *prædestinatus Filius Dei*, hoc est, ad Filiationem Dei naturalem. Fi-

nis autem, *qui*, consequendus ab humanitate per hæc Prædestinationem extraordinariam; est unio hypostatica ad Filiationem Dei naturalem. Sic etiam dignitas Maternitatis in Virgine Maria. Terminus enim, *qui*, illius nobilissimæ Prædestinationis extraordinariæ est Dei Maternitas. Nec proinde dicitur similiter terminus Prædestinationis extraordinariæ dignitas Præcurseris respectu Ioannis; aut dignitas Apostolatús respectu Apostolorum: hæc enim non sunt dignitates ita sublimes. Quavis sic etiam loqui de ijs volenti, nihil videam, quod obitare possit, nisi receptus usus. Probatur autem primâ pars quoad Prædestinationem ordinariam, in qua versamur. Quia finis *qui*, ultimo consequendus ab Angelis, & hominibus ordinariè prædestinatis, est Gloria æternæ vitæ, ad quam ordinatur Gratia: Gloria igitur est terminus prædestinationis ordinariæ. Non sic Gratia: nam in ea non fiunt prædestinati; & sæpè in non prædestinatis reperitur. Quamvis aliquando dicantur etiam homines, prædestinati ad Gratiam, ut ex Anselmo retulimus *sect. 1.*

Anselm.

33 *Subiectum* Prædestinationis ordinariæ sunt respectivè natura humana Christi, & Persona Virginis Mariæ. Vnde quadantenus potest esse natura non intellectualis, ut patet in corpore Christi ad unionem hypostaticam: de quo *disp. 2. & 3. de Incarn.*

34 *Subiectum* Prædestinationis ordinariæ ad Gloriam vitæ æternæ, est sola creatura intellectualis angelica, vel humana. Cum enim Gloria vitæ æternæ, aut sit visio intellectualis intuitiva Dei, aut saltem illam essentialiter importet, creatura non intellectualis, non est capax sic prædestinari: atque adeo nequit esse subiectum Prædestinationis ordinariæ. An verò omnis omnino creatura intellectualis, sit subiectum à Deo prædestinabile, pender à gravi, & satis implexâ difficultate, exagitantâ *sect. seq.* si enim possibilis est homo à Deo imprædestinabilis, non omnis creatura intellectualis erit subiectum capax prædestinationis; secus, si non sit possibilis talis homo.

SE-



## SECTIO V.

An sit possibilis homo imprædestinabilis à Deo?

35 **R**atio dubitandi pro parte negativa est: quia durissimum videtur posse pro libito suo creaturam ullam ita esse pervicacem, & inflexibilem à Gratia Dei, ut nullis auxilijs posset Deus allicere ad bene operandum, & ad perseverandum, & consequenter ad Gloriam: eo autem ipso quod posset à Deo sic flecti, esset à Deo prædestinabilis. Accedit gravissima autoritas Magni Augustini varijs in locis. Cap. 14. de Corrept. *Deus habet humanorum cordium quò placeat inclinandum, omnipotentissimam potestatem: & magis habet in manu sua voluntates hominum, quam ipsi suas.* Et ibidem: *Sic velle, & nolle in volentis, ac nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediatur, nec superet potestatem.* Et in Enchirid. cap. 98. *Quis tam impiè desipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, & ubi voluerit, in bonum non posse convertere?* Et cap. 8. de Bon. Persever. ait, *non esse minus possibile Deo in cordibus hominum operari, ut nullius aduersitatibus cedant, nec ab ipso aliqua tæratione discedant, quam sit possibile ipsos, cum voluerit, auferre de vita.* Atque hinc est, quod alij SS. Patres Deum prædicant non minus à vitio humanæ voluntatis invincibilem, quam in sciendo infallibilem, & in volendo efficacem. Hæc certè, aliaque similia videntur stare non posse, si possibilis sit homo, qui cunctis auxilijs ipsi dabilibus restitutus esset: hunc enim Deus in bonum flectere non posset; ac proinde nec prædestinare: ergo talis homo, ac proinde homo à Deo imprædestinabilis omnino repugnat. Adde: quod ille homo, cum posset bene consentire illis auxilijs, quibus utique liberè resisteret, posset salvari, atque adeo se pro libito suo facere à Deo prædestinatum iuxta dicta remissivè in fine *sect. præced.* & tamen Deus non posset pro libito suo ipsum prædestinare. Quomodo ergo dixisset Augustinus, *omnipotentissimam Dei potestatem magis habere in manu sua voluntates hominum, quam ipsi suas?* Quomodo illorum insipientiam taxavisset, qui dicerent: *Quas voluerit, quando voluerit, & ubi voluit, in bonum non posse convertere?*

36 Pro parte verò affirmativâ militat haud minus difficilis dubitandi ratio. Quia iuxta nostræ præsertim Scholæ Sententiâ, nullum est dabile auxilium ad actus liberos creaturæ, cui non possit voluntas creata pro libito dissentire; nullumque circa id Dei decretum salvans libertatem, cui aut eadem creata voluntas non possit dissentire, aut quod pro libito non possit evitare: ergo nulla est repugnantia, quòd inter homines possibiles detur, & præsciatur à Deo aliquis ita depravatus, ac pervicacis indolis, ut quomodolibet vocatus, & in quacumque libertate constitutus in actu primo liber inter bonum, & malum, nunquam esset, nec præsciretur à Deo bene consensurus, aut bene operaturus; & è converso alius perquam optimè indolis nunquam malè. Ille igitur prior esset à Deo imprædestinabilis; & iste posterior irreprobabilis. Consequentia patet: quia Prædestinatio dicit essentialiter Scientiam Dei Mediâ, quòd homo, si constituitur in tali libertate, bene operabitur finaliter; & reprobatio, quòd malè: implicat autem, quod eâ Scientiâ Mediâ de aliquo consensu deficiente, Deus hominem prædestinet: quia implicat Prædestinatio sine essentia Prædestinationis: ille igitur homo in casu illo possibili esset imprædestinabilis: atque adeo non repugnat homo imprædestinabilis.

37 Thomistæ per suas prædeterminationes, & Scotistæ multi per sua decreta prædeterminativa: necnon per suum decretum comitanter condeterminans Pater Ribadeneyra, existimant se tutos ab hac difficultate: cum per ea mediâ possit Deus pro libito, ac prædominio suo facere consentire quamlibet voluntatem alioquin auxilijs indifferentibus dissenturam. Quinimo, ut legere est apud Godoy varijs in loc. præsertim *disp. 67. de Prædest.* hinc exultant, & insultant contra nos, qui eas prædeterminationes, & condeterminationes tam intrinsecas, quam extrinsecas exosi, adigimur admittere possibilem hominem à Deo imprædestinabilem. Ceterum nec sic evadunt tutò difficultatem; cum recurrant ad medium necessitans, tollensque de medio libertatem; ac proinde ineptum prorsus ad obtinendum consensum creatum liberum, ut vidimus meritò possunt contra nos. Quippe hoc

Godoy.

Supr. disp. 4. & 5.

præ-

prædeterminationum medio non negamus posse Deum flectere quancumque voluntatem, ipsam scilicet necessitando; sicque quemcumque voluerit hominem prædestinare ad Gloriam; sed non ad Gloriam ut coronari, cum pereat ratio meriti, ubi perit ratio libertatis. Hoc autem, & non alio modo evaditur à Prædeterminationis difficultas hominis imprædestinabilis. Mirum?

38 Enostri Authoribus multi succumbentes rationi dubitandi pro parte affirmativa, concedunt possibilem hominem imprædestinabilem ea ipsa ratione, qua eum admittunt potentem dissentire omnibus divinis auxilijs indifferentibus, & possibilem casum, in quo omnibus re ipsa dissentiret. Cum autem dissentire omnibus, quamvis sit physicè, & metaphysicè possibile, ut probat ratio dubitandi; sit impossibile moraliter, ob multitudinem, varietatem, & activitatem infinitorum modorum, quibus potest Deus hominem vocare, emollire, & allicere ad consensum; ideo dicunt moraliter esse impossibile, dari hominem à Deo imprædestinabilem. Nec id reputant absurdum ex suppositione, quòd liberè voluerit Deus, hominem in libertate constituere, & in manu consilij sui. Ad testimonia autem Augustini, & aliorum Patrum, putant fieri satis per hanc impotentiam moralem dissentendi omnibus auxilijs à Deo dabilibus: sic enim fit moralis impossibilitas hominis à Deo imprædestinabilis per mediâ, etiam indifferentia, relinquentia locum libertati, & merito: ut videre est apud Suarez *lib. 1. de Prædest. cap. 7.* Herize *disp. 22.* Arriaga *disp. 35.* & Quiròs *disp. 6.*

Suarez.  
Herize.  
Arriaga.  
Quiròs.

39 Verum alijs apprimè doctis non videtur fieri satis Authoritatibus Sanctorum de prædominio Dei omnipotentissimo in voluntates creatas per hanc impossibilitatem dumtaxat moralem dissentendi omnibus divinis auxilijs, & imprædestinabilitatis: cum concedi sic debeat possibile homo metaphysicè, & physicè imprædestinabilis à Deo. Primò: quia sic non salvatur in solidum omnipotentissima illa Dei potestas; quemlibet convertendi: cum posset tandem physicè superari à malitia humana; taliter nimirum, ut, faciente Deo, quantum potest, ad talem hominem liberè convertendum, adhuc homo, si reducat ad actum, ut physicè potest,

suam potentiam physicam, non converteretur, & prævaleret contra potestatem Dei contra dictum Augustini: quòd *velle, & nolle sic est in volentis, ac nolentis potestate, ut divinam voluntatem non impediatur, nec superet potestatem.* Secundo: quia Augustinus, alijque PP. æquiparant securitatem omnipotentissimæ potestatis Dei ad quemcumque convertendum, cum infallibilitate divinæ scientiæ, & cum infrustrabilitate divinæ voluntatis efficacis: quæ quidem metaphysica est. Et Augustinus disertè, ait, æquè posse Deum homines convertere, ac *eos, cum voluerit, auferre de vita*: quæ potestas talis est, ut nec physicè, nec metaphysicè vincibilis sit. Tertio: quia S. Thom. in ea collectione auxiliorum divinatorum, tamquam in medio connexo cum consensu voluntatis creatæ, fundat certitudinem Prædestinationis divinæ: quæ certitudo cum metaphysica sit, & omnino infallibilis, nequit inanti medio moraliter solum connexo cum consensu, ut contra aliquos diceamus *disp. seq. sect. 1.* Ergo per eiusmodi impossibilitatem dumtaxat moralem dissentendi cunctis auxilijs, quæ faceret hominem moraliter solum à Deo imprædestinabilem, & non physicè, etiam & metaphysicè, nec fit satis autoritatibus Sanctorum, nec omnipotentissimo prædominio Dei, nec rationi dubitandi positæ *num. 3 2.* pro sententia negante possibilem hominem à Deo imprædestinabilem.

S. Thom.

## SECTIO VI.

Resolvitur difficultas per varios modos negandi hominem imprædestinabilem.

40 **H**IS ultrò, citroquè perpenis nostra resolutio omnino sit, impossibile esse hominem à Deo imprædestinabilem. Sic Card. Bellarm. *lib. 2. de Grat. & lib. arb. cap. 17.* & prædocti Scholæ nostræ Magistri præsertim Sallavici post Ant. Perez, Coninc. Card. Esparza. Pallavecini, Granadus, Esparza, & R. P. N. G. Thyrsus, citantes, & fortè non immeritò, Patrem Suarez. *Tom. 2. disp. 4 & 5.* Fundamentum huius resolutionis est ratio dubitandi posita *num. 34.* & ulterius adstructa *num. 39.*

41 Ut autem ab incertis certa separemus, sermo est de Prædestinatione per meritum.

merita ad Gloriam, ut coronam. Nam, si sermo sit de Prædestinatione utcumque ad Gloriam præcisim à meritis, certum est, nullum esse possibilem hominem à Deo imprædestinabilem. Possent enim Deus quemlibet, quantumvis pervicacem, aut necessitare ad actus bonos non meritorios, nec liberos; aut aliter sine proprijs meritis, ut contingit in parvulis, ad Gloriam æternæ vitæ transferre. Nec alio modo, ut observabam *num. 36.* defendi iudicamus à Prædeterminatistis per suas prædeterminationes, impossibilem esse hominem à Deo imprædestinabilem.

42 Relicto igitur hoc modo defendendi impossibilitatem hominis imprædestinabilis, utpote destructivo potius, quam cõciliativo prædestinabilitatis omnium possibilem per merita ad Gloriam ut coronam, proponemus alios modos id defendendi, variè à varijs subtiliter excogitatos.

43 Primus modus fundatur in doctrina, quam adstruximus latè *disp. 25. de ii. disp. 25. Grat. sect. 5. & 6.* de sufficientia libertatis inter actus æquales bonos ad meritum, cum necessitate ad alterutrum. Possent enim Deus omnipotentissimus hominem quantumvis depravatum, & pervicacem necessitare disiunctim ad actus bonos, relicta ipsi liberà electione unius præ alio, & negatâ potestate omittendi utrumque. Cum autem ea libertas sit, ut vidimus *loc. cit.* sufficientissima ad meritum; en tibi, quomodo nullus sit homo possibilis, quem non posset hoc saltem modo Deus omnipotentissimus in bonum convertere, & ad Gloriam ut coronam per merita prædestinare. Hic modus non displicet Patri Quiròs *disp. 6. sect. 6.*

44 Secundus modus assertur à P. Quiròs *disp. 11. sect. 3.* dicente, posse quidem hominem aliquem præsciri à Deo, metaphysicè loquendo, dissensurum omnibus auxilijs ipsi dabilibus: at eo ipso fieri à Deo improducibilem ratione perfectionis, ac prædominij Dei non potentis producere creaturam, nisi præciat se posse eam flectere liberè in bonum. Vnde talis homo, qui nullis auxilijs indifferentibus posset à Deo in bonum flecti, & finaliter converti, ac proinde à Deo pro libito suo prædestinari, eo ipso esset practicè impossibilem, & à Deo improducibilis. Ad eum

fortè modum, quo ratione divinæ veracitatis, & fidelitatis sit practicè improducibilis à Deo res, quæ si produceretur, foret contra ipsius promissionem. Si opponas, sequi, quòd sic pendebit ex libito creaturæ fieri possibilem, aut impossibilem; respondet, id non pendere ex creaturæ libito exercito, sed præscito, & tantum occasionaliter; nam formaliter id venit à summa perfectione, & supremate dominij Dei super omnium hominum voluntates.

45 Tertius modus asserti solet ex Patre Ripalda; quòd nempe admissò possibili eo casu, quòd aliquis prævideretur à Deo omnibus auxilijs dabilibus restitutus, adhuc non esset imprædestinabilis. Quamvis enim ille homo restitutus esset omnibus auxilijs, posset non resistere, & converti, & finaliter perseverare, quod evenire sine prædestinatione non posset. Nequit autem esse in homine potestas ulla ad prædestinari, quin in Deo sit potestas ad prædestinare; cum prædestinatio debeat esse à Deo. Vnde eo ipso non posset non esse in Deo potestas illum prædestinandi: sicque nec homo ille, qui restitutus esset omnibus auxilijs, esset imprædestinabilis à Deo. Si dixeris, Deum præscientem, illum hominem omni auxilio dabili restitutum, non posse dare illi homini ullum auxilium, quod sit efficax, sed tantum sufficiens; respondetur, verum id esse: at illud auxilium sufficiens dabile à Deo posset esse efficax, eo ipso quod homo posset consentire, quamvis dissensurus esset: potestati autem, quæ inesset homini, faciendi quòd auxilium illud sit efficax, correspondere debet in Deo potestas dandi auxilium, quod potest fieri efficax: atque adeo potestas prædestinandi, & convertendi hominem eundem. Si dicas, homini tunc inesse potestatem se convertendi pro libito suo; non sic Deo pro libito suo divino convertendi per illud auxilium eundem hominem; respondetur, quòd sicut illa hominis potestas est ad convertendum se, & non ad convertendum Deum; & similiter potestas Dei illi correspondens est ad convertendum hominem, & non ad convertendum se; sic accommodè potestas illa hominis est ad convertendum se pro libito, ac determinatione sua; & potestas Dei accommodè illi correspondens est ad convertendum hominem pro libito, ac determinatione suâ, id est hominis; nõ verò ad convertendum homi-

hominem pro libito, ac determinatione Dei: sicque sibi accommodè correspondent: aliter enim in terminis ipsis discrepant; & non esset potestas ad conversionem homini liberam.

46 Quattus modus est illustrius Theologorum, & insinuat ingeniosè à P. Esparza: quòd nempe, quamvis admitatur possibile, quòd homo aliquis resisteret omnibus auxilijs, si à Deo darentur; non est tamen, nec præscitur à Deo ullus ex possiblem, qui omnibus resisteret, si darentur: quæ veritates diversissimæ sunt, ut patet ex terminis: & quia prima est simplicis intelligentiæ; secunda Scientiæ Medix. Ut possit Deus pro libito suo, quemlibet ex possiblem convertere, & prædestinare, sufficit, quòd inter possiblem nullus sit, nec prævideatur à Deo, qui omnibus auxilijs dabilibus non resisteret: eo enim ipso potest cuilibet dare auxilium aliquod, cui, si detur, præscit, hominem non restitutum: sicque quemlibet ex possiblem pro libito suo expeditissimo convertere, & prædestinare. Vnde fit liquidò, nullum esse possibilem imprædestinabilem: quia non est possibilis homo distinctus ab omni homine possibili: cum autem de omnibus possiblem præciat Deus, quòd, quamvis resistere posset omnibus auxilijs, si darentur, non tamen resisteret; sequitur, eum, qui omnibus resisteret, ac proinde quem non posset Deus pro libito prædestinare, non esse de numero possiblem: qui autem non est de numero possiblem, impossibilem est: sic ergo impossibilem est homo imprædestinabilis.

47 Duo possunt obijci. Primum, gratiis à nobis supponi veritatem illam contingentem, & Scientiam Mediam de ea, quòd nullus hominum possiblem est, nec præscitur à Deo, qui cunctis auxilijs à Deo dabilibus restitutus esset, si darentur. Secundum, quòd, adhuc hoc gratis supposito, ille ipse homo, qui alicui saltem auxilio consenturus esset, posset pro libito suo illi auxilio etiam, ac proinde omnibus dissentire; alioquin non consenturus esset liberè: ergo posset pro libito suo facere se à Deo imprædestinabilem: cum igitur hoc sit ipsi possibile; sequitur, possibilem esse hominem imprædestinabilem.

48 Respondetur tamen ad primum, id non gratis supponi; sed magno cum

fundamento in gravissimis testimonijs Augustini adductis *num. 35.* non nisi ex Sacrarum Scripturarum arario depromptis. *Proverb. 21. Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud.* Roman. 3. *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat: & paulò post: Annon habet potestatem figurus, ex eadem massa facere aliud vas in honorem, & aliud in contumeliam?* Et Hierem. 18. *Sicut lutum in manu figuli; ita vos in manu mea.* Quòd verti potest illud Baptistæ Matth. 3. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham.* Non potuit exaggeratius significari prædominium Dei in omnium voluntates, quantumvis faxeas, & omnium voluntatum vincibilitas à prædominio Dei Omnipotentissimo: ut intelligamus, quòd, quamvis iure libertatis humanæ à Deo potentissimo prerogata, possit homo durissimæ indolis dissentire cunctis auxilijs à Deo dabilibus, neminem tamen, quantumvis faxeum, esse, aut prævideri à Deo, inter possiblem, qui cunctis, si darentur, dissentiret. Sicque stat absolutissima Dei potestas ad quemlibet è possiblem convertendum, & prædestinandum absque præiudicio liberi arbitrij creati.

49 Ad secundum; verissimum est antecedens. Nec mirum. Id enim non solum de illo homine pervicacissimo; quin etiam de quolibet liberè operante, dici necesse est, ut libertatem à necessitate defendamus contra Janfenianos. Nec enim Prædeterminatistæ Catholici negant, nec negare possunt, quemlibet prædeterminatum ad liberè consentiendum, dissentire posse, quamvis non dissensurus sit.

50 Distinguitur autem consequens; posset homo ille facere se à Deo imprædestinabilem pro libito suo, independenti à supremo libito Dei, nego: quia nec illud, nec quidquam aliud posset homo pro libito suo, nisi sub hypothesi, quòd pro libito divino constiteretur in manu consilij sui: posset se pro libito suo, pendentem à libito Dei, facere imprædestinabilem, subdistinguo: imprædestinabilem pro aliqua hypothesi possibili, concedo; pro omni, nego consequentiam. In omnium enim Catholicorum, etiam Prædeterminatarum; Sententiâ pro hypothesi possibili cuicumque homini libero à necessitate, si nempe, ut potest, liberè dissentiret omni divino

auxilio, esset à Deo imprædestinabilis per merita: quod non solum verum est de homine perveracissimo, qui nobis objicitur; sed de quolibet in libertate à necessitate constituto. Hoc autem non tollit, quominus ille ipse homo, sive perverax, sive non perverax, pro aliqua hypothese etiam possibili sit prædestinabilis à Deo; si nempe alicui auxilio consenturus sit, & prævideatur.

51 Atque hinc nego absolute subillationem. Nam, ut homo sit absolute imprædestinabilis à Deo, debet non esse prædestinabilis à Deo sub aliqua hypothese Deo possibili pro libito suo, ut ex terminis claret: sed quamvis demus, quod posset dissentire omni auxilio divino, verum est Deoque bene notum, non solum quod potest etiam consentire, sed etiam quod alicui à Deo dabili consentiet, si detur: quæ quidem est hypothesis Deo pro libito suo possibilis, pro qua est à Deo prædestinabilis homo: & quidem absolutissime à Deo prædestinabilis. Si enim ad absolutissimam prædestinabilitatem requireretur, posse hominem prædestinari à Deo in qualibet hypothese possibili pro libito hominis, nullus homo liber esset prædestinabilis à Deo, ut perspeximus *num. 4. act.*

52 Pro tollendâ æquivocatione sedulo observandum est, iuxta ingeniosum hunc modum dicendi; quod aliud est, possibile esse hominem esse pro aliqua hypothese possibili imprædestinabilem à Deo: aliud est, valdeque diversum, possibilem esse hominem imprædestinabilem. Prius illud est verum: non solum de homine illo possibili perveracissimo; quin etiam de actualibus, actuque prædestinatis: cum enim sint liberi à necessitate, ipsi auxilijs, quibus consentiunt, & consentirent, possunt, & possent pro libito dissentire: ac proinde est possibilis hypothesis omnibus dissentiendi, cum qua hypothese stare nequit prædestinatio per merita: at hoc est extra quæstionem. Posterius autem istud, quod ad quæstionem pertinet, est falsum: cum enim nullus sit inter posibles, quantumvis perverax, qui in aliqua hypothese non esset consenturus, idque præsciatur à Deo per Scientiam Mediã, nullus est inter posibles, qui prædestinari non possit à Deo potente pro libito suo illum constituere in illa hypothese: ac proinde nullus est possibilis, qui prædestinari à Deo

non possit: ac proinde impossibilis est homo à Deo imprædestinabilis: nam homo, qui nullus est ex hominibus possibilibus, nequit esse nisi homo impossibilis.

### SECTIO VII.

*Alius modus negandi hominem imprædestinabilem.*

53 **Q**uintus & ultimus modus est insignium Magistrorum nostrorum Salmanticensium, quos inter R. P. N. *R. P. N. G. Thyrsus tom. 2. disp. 4. & 5. allegans Thyrsus. in id Patrem Suarez tom. 2. posth. de Grat. Suarez. lib. 5. cap. 14. contra quod alibi docuerat, Granad. Granadum, Coninc, Cardinalem Pallavic. Coninc. Fasolum, Ribadeneyram, & alios. Dicunt Pallavic. Ribadeneyram, & alios. Dicunt ergo: impossibile omnino esse hominem imprædestinabilem; non solum quia nullus est, nec prævideatur à Deo, qui dissenturus esset omnibus auxilijs à Deo dabilibus, ut aiebat quartus modus; verum etiam quia nullus est, nec prævideatur à Deo, qui posset omnibus dissentire, propter impotentiam non solum moralem, sed etiam physicam, ac metaphysicam & quidem antecedentem creatæ voluntatis ad resistendum adhuc sigillatim omnibus auxilijs, quamvis indifferentibus, à Deo omnipotentissimo dabilibus in infinitum. Id quod sibi videtur satis apparenter colligere ex testimonijs Augustini supra citatis, & ex Scripturis adductis *num. 48.**

54 Sicque ad rationem dubitandi partis affirmativæ positam *num. 36.* respondetur concedendo libenter antecedens: & absolute negando consequentiam. Quia, ut homo dicatur, vereque sit à Deo inconvertibilis, & imprædestinabilis, non sufficit, quod nullum determinatè dabile sit auxilium indifferens, cui sigillatim non possit dissentire; cum respectivè ad quolibet habeat potestatem dissentiendi, prout opus est ad liberè consentiendum. Ulterius ergo requiritur, quod toti multitudini, ac varietati auxiliiorum à Deo dabilium in infinitum dissentire posset: quod tamen nemo possibilem potest: quia respectivè ad multitudinem, & varietatem auxiliiorum, quibus Deus omnipotentissimus potest vocare; tangere, ac emollire cor hominis sic, vel sic in infinitum, ut liberè consentiat, non est in humana voluntate potestas restitiva: quæ scilicet

licet nec uni, nec alteri, nec alijs in infinitum possit dissentire, quamvis cuicumque determinatè, ac sigillatim possit. Itaque, quia homo dissentiens, cuilibet determinato auxilio consentire posset, liberè semper dissentiret, prout in singulis casibus exercitè, ac determinatè occurrentibus opus est ad libertatem: quia verò multitudini, ac varietati auxiliiorum dissentire non posset, necesse est, ut alicui vagè, ac indeterminatè consentiret, ac proinde quod Deus omniscius præsciat, quod alicui consentiret, si detur; & noverit aliquid, cui dato determinatè consentiret, prout opus est, ut pro divino suo libito posset quemlibet hominem per auxilium indifferens convertere, ac prædestinare.

*To. de Gratia disp. 9.*

55 Acuta sunt hæc; sed difficilia. Ego tamen nec acumine, nec difficultate permoveor; sed veritate, cui studeo. Vera esse, quod caput est, mihi persuadeo ex ijs, quæ latè dedi *disp. 9. de Grat. à sect. 5.* ubi agendo de necessitate morali succumbendi alicui tentationi; & de impotentia morali evitandi cuncta venialia per longum tempus, explicui, & à gravissimis impugnationibus defendi, quomodo stet rectissime impotentia moralis ad evitanda cuncta venialia, & moralis necessitas incidendi in aliquod vagè, disjunctum, ac indeterminatè, cum potestate morali evitandi singula, & sine necessitate morali incidendi in aliquod determinatè. Doctrina enim ibi tradita circa impotentiam moralem ad omnia, & potestatem moralem ad singula, aptari potest, ac debet mutatis accomodè terminis, ad impotentiam metaphysicam dissentiendi omnibus auxilijs indifferentibus à Deo dabilibus, & potestatem dissentiendi singulis, ut opus est ad prædestinabilitatem.

56 Præter ibi obiecta, & soluta, posunt hic denuò iuxta subiectam materiã objici tria. Primum, quod ibi impotentiam dumtaxat moralem asseruimus ad evitanda diu cuncta venialia: qua ergo ratione, & consequentiã doctrinæ, hic adstruimus metaphysicam ad dissentiendum cunctis auxilijs indifferentibus. Secundum, quod otiosum facimus præsidium Scientiæ Mediæ ad divinam prædestinationem: quandoquidem, si verum est, nullum hominem posse adhuc metaphysicè resistere cunctis auxilijs indifferentibus à Deo da-

bilibus, hæc est veritas metaphysicè necessaria, ac proinde Deo notissima per Scientiam simplicis intelligentiæ, ex cuius illuminatione posset quemlibet convertere, & prædestinare, cum metaphysicâ securitate, & formali certitudine, quod cunctis auxilijs indifferentibus à se dabilibus nemo potest physicè, nec metaphysicè dissentire. Ad quid ergo Scientia Mediæ? Tertium: quod nec arduus hic modus dissentendi occurrit satis rationi dubitandi, & testimonijs Augustini positus *num. 35. & 39.* Homo namque liberè finaliter dissentiens huic numero auxilio, potest illi consentire, & per illud pro libito suo finaliter converti, sicque esse prædestinatum: Deus tamen, quamvis per aliud auxilium, sub cuius hypothese prænovit hominem consenturum fore, si daretur, posset hominem convertere, sicque prædestinare; non tamen pro libito suo per hoc numero auxilium, sub cuius hypothese prænovit hominem dissenturum, si daretur: ergo prævaleret in hoc potestas hominis: & non haberet Deus magis, nec æquè in manu suâ voluntates hominum, quam ipsi suas in ordine ad sic converti, ac prædestinari.

57 Ad primum tamen responderetur, disparitatem esse inter impotentiam hominis ad vitanda diu cuncta venialia; & impotentiam ad dissentiendum cunctis auxilijs à Deo dabilibus. Nam tentationes, seu occasiones venialium occurrentes in decursu vitæ humanæ, quamvis multæ sint, finitissimæ sunt; at auxilia à Deo dabilia homini sunt infinita. Non igitur mirum; quod impotentia ad evitanda cuncta venialia per longum tempus, sit dumtaxat moralis, coniuncta cum potestate physica hominis limitati ad evitanda cuncta venialia per longum tempus: impotentia verò dissentiendi cunctis auxilijs à Deo omnipotentissimo dabilibus in infinitum sit metaphysica, sine physica potestate voluntatis limitatæ ad dissentiendum cunctis auxilijs à Deo dabilibus. Unde metaphysicè necesse fit, quod alicui homo quicumque consentiret; ac proinde quod à Deo præsciatur alicui, si daretur, consenturus: atque adeo pro libito Dei convertibilis, & prædestinabilis. Accedit aliud magnæ mihi considerationis discrimen: quod ad evitanda venialia, & vincendas tentationes auxiliatur Deus humanæ voluntati, ut causâ per se, authorque victoriæ; ad dissentiendum

*supr. disp. 7. sect. 8.* dum autem suis auxilijs non sic auxiliatur ipse Deus, quamvis ad eiusmodi dissensus nostræ voluntatis concurrat physicè per accidens, ut explicuimus *disp. 7. num. 74.* Vnde non ita facile venit intelligi potestas physica hominis ad resistendum cunctis auxilijs Dei, ac ad resistendum cunctis tērationibus diaboli; & ad sic evitanda cuncta venialia.

58 Ad secundum: negatur otiositas proinde Scientiæ Mediæ ad divinam Prædestinationem. Quamvis enim verum sit, quòd illa veritas necessaria, de impotentia creatæ voluntatis ad dissentendum cunctis auxilijs à Deo omnipotentissimo dabilibus, præsciatur à Deo per simplicem intelligentiam penetrante naturam potestatis finitæ libertatis humanæ, & infinitudinem auxiliorum dabilium ab Omnipotentia divinâ; id non sufficit, ut possit Deus prædestinare: cum repugnet modo divino perfectissimo indivisibiliter decernendi, intendere finem sine prænotitia individuâ horum mediorum efficacium: ulterius ergo necesse est, quòd præsciat determinatissimè, ex infinito numero auxiliorum indifferentium à se dabilium homini multis dissenturo, quænam illa sint, quibus re ipsa, si darentur, consentiret. Hoc autem non sic præscit Deus, nisi per Scientiam suam Mediam. Dicere autem, ut multi machinantur, Deum ex priori illa prænotitia Scientiæ Mediæ, certum, quòd in thesauro Omnipotentis suæ tot habet auxilia à se dabilia, quibus omnibus collectivè, nequeat creata libertas dissentire, ac proinde necesse esse, indeterminatè, & vagè, quòd alicui, si detur, consentiat; dicere, inquam, sic posse Deum decernere consensum, & conversionem, & hominem prædestinare, ex ulteriore postmodum notitia Scientiæ Mediæ novo decreto decreturum, per quod determinatè medium, sive auxilium; est cunctatio Deo indigna, & divinæ in decernendo simplicitati repugnantissima, ut mihi altè insedit ex dictis *disp. 8. de Attrib. & 6. de Incarn.* Per hæc defenditur similiter ab huiusmodi obiectione primus modus divinus quemlibet prædestinandi expositus *num. 43.* Ad hoc ergo dignè præstandum, ut Deum decet, necessarissima est Scientia Media, iuxta utrumque istum modum divinum prædestinandi.

59 Ad tertium, quòd similiter facit

contra quartum modum defendendi omnium prædestinabilitatem, expositum *num. 46.* responderi fortè posset ex doctrina R. P. N. G. Thyrsi. *tom. 2. disp. 5.* negando secundam partem antecedentis de Deo: Quia idem numero auxilium, potest à Deo dari plurimis modis, & circumstantijs variè ab ipso combinabilibus in infinitum, sub quibus omnibus collectivè nullatenus posset homo dissentire, quamvis sub singulis posset: sicquè per hoc idem auxilium non posset homo esse non prædestinabilis à Deo. Cæterum in hac ipsa collectione, & disjunctione infinitarum circumstantiarum eiusdem auxilij subeunda est præter alias speciales eadem difficultas, quæ obijcitur contra collectionem, & disjunctionem infinitorum auxiliorum: ideoque videtur sic non fieri satis obiectioni, sed per eandem, & fortè maiorem, difficultatem responderi.

60 Satiùs videtur, negatâ eadem secundâ parte antecedentis, dare rationem aliunde petitam. Quia nempe, quamvis homo non esset consenturus, aut convertendus per hoc auxilium, posset Deus facere, ut consentiret, & converteretur per hoc auxilium, superaddendo pro divino suo libito aliud etiam indifferentem ex collectione omnium dabilium, cui homo esset, & præciteretur à Deo consenturus. Sic enim verè consentiret, & converteretur per illud auxilium, cui soli dissenturus esset. Quod enim ad id iuaret aliud auxilium, non tollit, quominus homo per illud quoque consentiret, & converteretur, possetque à Deo prædestinari. Nec potest hæc responsio, ut insolens, respici à Theologo. Quandoquidem ipsi etiam Thomistæ, non aliter tuentur, hominem auxilijs sufficientibus indifferentibus vocatum à Deo, posse à Deo prædestinari, fierique consentientem, & convertentem se, nisi superaddente Deo prædeterminationem: quia pro libito Dei superadditâ, homo consentit, & convertitur per illa quoque auxilia sufficientia. Hoc igitur, quòd illi præstant per adiectionem prædeterminationis, quam pro libito superaddit Deus; dicimus nos, inoffensâ libertate, præstari cum eodem prædominio Dei in hominum voluntatis, per adiectionem auxilij indifferentis, quocum præscit Deus, hominem consenturum, si superaddatur. Nec est contra absolutissimum Dei prædominium, quòd

quòd non possit convertere, & prædestinare hominem per illud auxilium; nisi superaddendo aliud; sicut nec apud Thomistas, quòd non possit convertere, & prædestinare per auxilium sufficiens, nisi superaddendo prædeterminationem. Dicunt, hoc sic exigi essentialiter à natura creaturæ, sic dependentis à Deo: at dicam similiter, illud sic exigi ab essentia libertatis creatæ, sic & non aliter consistere potentis. Dominium enim Dei realissimum non est ad chimeras contra rerum essentialias.

61 Si minùs hæc placeant, placet aliter respondere, concedendo tertiæ obiectioni totum antecedens, & negando consequentiam. Hoc enim non obstantè, prævalet potestas prædominativa Dei in hominum voluntates. Primò, quia illa ipsa potestas, quam habet homo dissentiens, se convertendi per hoc auxilium sufficiens, cui pro libito dissentit, est à prædominio absolutissimo Dei potentis pro libito denegare homini talem potestatem, & libertatem. Tum quia residet semper apud Deum potestas necessitandi talem hominem ad consensum, sicque eum prædestinandi, quamvis non per illud meritum. Tum quia, quòd Deus hominem, quem posuit in manu consilij sui, non possit pro ea suppositione per illud auxilium convertere, & per merita prædestinare, nihil est aliud, quàm Deum non posse dare simul & auferre homini libertatem: ad hoc autem nulla dabilis est potestas in Deo: sicut, neque ad denegandam rem promissam; aut sicut, neque ad convertendum hominem sine consensu. Tum quia, dummodo possit Deus pro libito suo, è Thesauro suorum auxiliorum quemlibet convertere, & prædestinare, ut defendimus; quòd in prædicta suppositione, ab ipso Deo iuxta naturam libertatis creatæ, quam ipse conferret, permittâ, posset homo per illud auxilium dependenter à libito Dei, se pro libito suo convertere; & non posset à Deo converti per illud auxilium; hoc, inquam, non modo compensatur, sed etiam infinitè superexceditur à potestate, quam à se habet Deus, convertendi, & prædestinandi eundem hominem per alia auxilia, quæ dare, aut non dare habet in suâ manu independentè à libito hominis. Sicque fit satis superque Authoritatibus Scripturarum, Augustini, & aliorum SS. Patrum

meritissimè commendantium prædominium, & potestatem omnipotentissimam Dei in hominum voluntates flectendas, & convertendas, quòd vult, per aliquod auxilium ex arario gratiæ suæ: ex nullis enim eorum verbis, vel apparenter colligitur, id debere posse Deum per quodlibet auxilium.

## SECTIO VIII.

*Clausula difficultatis: & responsio ad novas obiectiones.*

62 Vide, quot nobis pateant viæ ad negandum hominem imprædestinabilem à Deo per merita, retentâ indifferentiâ auxiliorum, & utilitate Scientiæ Mediæ, quam Schola nostra proficitur: ut evanescat exliminatio Prædeterminationum, qui post Illustrissimum Alvarez, imaginantur, adigendos nos esse ad suas amplectendas Prædeterminationes, ne in hominem à Deo imprædestinabilem incidamus. At quàm immeritò id sibi persuadeant, satis vidimus.

63 Quoniam verò adversus quintum modum defendendi omnium prædestinabilitatem, expositum *sect. præc.* obijciunt multa multi etiam è nostris, quæ labefactare fortè possent doctrinam hac concernentem, à nobis traditam *disp. 9. de Gratia* pro impotentia morali vincendi cunctas tentationes; & vitandi cuncta venialia collectivè, coniunctâ cum potestate morali evitandi quodlibet in particulari; oportet hanc occasionem respondendi novis obiectionibus non prætermittere, multis relictis, quæ videri per otium possunt apud R. P. N. G. Thyrtum cit.

64 Obijciunt primò sic. Quoties singulis individujs collectionis secundum se & independentè à multitudine omnium, competit aliquod prædicatum, competere debet eo ipso collectioni omnium: sed prædicatum *inconnexi, & separabilis à consensu libero*, competit singulis auxilijs indifferentibus secundum se, & independentè à multitudine omnium auxiliorum indifferentium à Deo dabilium: ergo eiusmodi prædicatum competere debet collectioni omnium: atque adeo eo ipso quòd cuicumque auxilio singulatim possit voluntas dissentire, potest omnibus: sicque stare nequit metaphisica impotentia dissentendi omnibus cum potestate libera

ra dissentiendi singulis : aut metaphysica connexio, & necessitas consentiendi alicui vaga, & distinctiva, cum libertate dissentiendi unicuique determinato. Maior continet regulam Dialecticam, quam sibi, & nobis constituunt obijcientes ad discernendum, quando valeat argumentatio à singulis sigillatim ad omnes collectim: ut ex eo quod singuli homines currant, ad inferendum omnes currere: & quando non valeat, ex eo quod singuli sint unum individuum, ad inferendum, omnes esse unum individuum. Minorem autem probant. Primum: quia eiusmodi prædicata sunt essentialia libertati: libertas autem competit voluntati, constituta per hoc auxilium indifferens, quod habet, secundum se, & independentem à multitudine omnium dabilium. Secundum: quia eiusmodi prædicata competunt cuilibet libertati; sicut cuilibet creaturæ ratio entis, & producti: ergo taliter, ut sicut ex eo quod singulæ creaturæ sint ens, & productum, inferitur omnes esse ens, & productas; alioquin non bene intulissent SS. Patres unum ens improdum, quod non sit creatura, ex eo quod singulæ sint productæ; sic quoque eiusmodi prædicata ita competunt cuilibet sigillatim auxilio indifferenti, & ratione illius cuilibet libertati per illud constituta, ut ex eo quod cuilibet sigillatim possit voluntas dissentire, inferri debeat, omnibus posse.

65 Respondetur, admissa maiori, distinguendo minorem: prædicatum separabilis à consensu libero determinato, & exercito singularum libertatum, competit singulis auxilijs independentem à multitudine omnium, concedo: prædicatum separabilis à consensu libero signatè vago omnium libertatum; nego minorem. Quamvis enim verum sit de qualibet libertate ex possibilibus constituta determinatè hic & nunc per tale hoc auxilium ex possibilibus, quod potest dissentire hic & nunc huic auxilio, & separari à consensu suo, quem exercet: & hoc quidem independentem à multitudine omnium auxiliorum, utpote ad hanc libertatem minimè pertinentium; at certè quod possit dissentire omnibus auxilijs sive collectim, sive sigillatim sumptis, & se separare ab omni consensu, qui per singula possit exerceri, non competit huic libertati, nec alicui ex libertatibus possibilibus independentem à colle-

ctione omnium auxiliorum, & libertatum, ut per se claret: nam unaquæque constituitur per suum auxilium & non aliarum, quæ ex alijs auxilijs constituerentur; & unaquæque est domina sui consensûs, quem hic & nunc exercet, & non aliorum, quos alia libertates in sua hypothesi exercerent, aut exercere possent. Atque hinc tota consequentia falsa est: quia eiusmodi prædicatum, quod de omnium collectione negamus, scilicet separabilitas pro libito ab omni dissensu singulis auxilijs omnium, & singularum libertatum possibilitium, nulli libertati hic, & nunc exercitè, & determinatè consentienti suo auxilio competit: cum solum illi liberè consentienti suo auxilio competat posse suo auxilio dissentiri, sicque potestas separandi se pro libito à suo consensu cum hoc auxilio. Per nullam autem regulam dialecticam fit ascensus à singulis ad omnia de prædicato quod nulli singulorum competit.

66 Prima probatio minoris laborat eadem æquivocatione non distinguendi terminum, quem respicit prædicatum illud separabilitatis, seu inconnexionis competentis essentialiter unicuique libertati, à termino quem non respicit: terminus, quem respicit, est consensus hic suus huic auxilio, quod habet, à quo consensu potest pro libito separari, prout opus est ad liberè consentiendum hic & nunc: terminus, quem non respicit, sunt consensus possibilis collectionis omnium libertatum possibilitium per varia & infinita auxilia à Deo dabilia, in hypothesi signatè quod darentur. Qui termini diversissimi sunt ita certè, ac certum est hunc consensum non esse hunc, & illum, & alium, & omnes consensus possibilis: & hanc libertatem non esse hanc, & illam & aliam, & omnes libertates possibilis: & hoc auxilium non esse hoc, & illud, & aliud, & omnia auxilia possibilis, ut in simili quoad hoc circa impotentiam moralem evitandi diu cuncta venialia observabam *disp. 9. de Gratia* *To. de Gratia* *sect. 7.* Vnde perspicitur, quam stet rectè in unaquaque libertate, si detur, potestas dissentiendi suo auxilio à Deo dato, quin in ulla, nec in omnibus stet potestas dissentiendi omnibus à Deo dabilibus.

67 Ad secundam eiusdem minoris probationem dico, antecedens esse verum de prædicatis *inconnexi, & separabilis pro libito à suo consensu*, quæ concessimus esse essen-

essentialia cuilibet libertati: scilicet inconnexi & separari posse hic & nunc pro libito à suo consensu. Negatur autem consequentia. Cuius illegitimitas patet per idem ipsum exemplum, quod nobis obijcitur: nam ex eo quod Deus producere possit pro libito suo quamlibet ex creaturis possibilibus sigillatim, non inferitur posse producere omnes simul: cum alia alijs essentialiter & incoexistibiliter opponantur. Si dicas, hoc esse propter specialem rationem oppositionis aëquarum inter se: Fateor. At similiter dicam, illud, quod nos affirmamus, esse propter rationem specialem invincibilitatis multitoris gratiæ Dei, cuius thesaurus infinitus est ad liberè flectendas uno, vel alio modo omnium voluntates, ab ipsarum perviciacia, & pravitate. Quid inde? Habemus saltem, eos modos argumentandi à singulis ad omnia collectivè non procedere ex vi formæ; & quamvis verum aliquando inferant ex vi materiæ: non tamen verum circa materiam ex speciali ratione repugnantem, qualem esse præsentem contendimus.

68 Dices. Si homines infiniti producerentur cum infinitis lapidibus, eo ipso quod unusquisque sigillatim posset projicere suum lapidem, omnes collectim posset omnes lapides infinitos projicere. Similiter ergo arguendo à singulis ad omnes, eo ipso quod unaquæque huius hominis libertas ex infinitis constituibilibus per infinita auxilia, possit dissentire suo auxilio, omnes possent dissentire omnibus auxilijs. Paritas hæc videtur concludere intentum obijcientium; & meo videri concludit nostrum; & bene introspecta, veritatis nostræ declarationi mirificè infervit. Respondetur; negando antecedens, quoad illam particulam, *eo ipso*. Non enim *eo ipso*, quod unusquisque posset projicere sigillatim lapidem suum, inferitur, omnes posse projicere lapides omnes: sed addi debet ulterius, quod aliunde non repugnet proiectione lapidum omnium: sicque non ex vi formæ, sed ex vi subiectæ materiæ valent eiusmodi illationes. Patet ratio solutionis: quia si Deus, ut potest, efficaciter nollit, coexistere proiectiones illorum omnium lapidum, unusquisque posset projicere lapidem suum seorsim ab alijs, & nec unusquisque, nec omnes possent projicere omnes lapides: quia nempe obstat efficacia divini decreti. Hinc potiori iure

negamus consequentiam. Quia, quamvis unaquæque ex illis libertatibus possit dissentire suo auxilio; quominus nec tamen unaquæque, nec omnes collectim possint dissentire omnibus auxilijs, obstat repugnantissimè essentialis subiectio voluntatis creatæ limitatissimæ, ad omnipotentissimam, ac infinitissimam potestatem Dei, flectendi pro libito, ac prædominio suo, quod vult, & quando vult, hominum corda, in Scripturis à Sanctis Patribus, præsertim Augustino, ubi supra, solide fundatam.

69 Obijciunt secundò. Cuilibet libertati ex infinitis constituibilibus à Deo per infinita auxilia indifferentià à Deo dabilia, competit essentialiter indifferentià proxima ad consensum, vel dissensum; reali que distinctio ab omnibus alijs libertatibus: sed hæc duo prædicata libertatis stare nequeunt cum necessitate vaga consentiendi alicui auxilio; nec cum impotentia metaphysica dissentiendi omnibus: ergo neque vera libertas. Probant minorem. Stare nequit cum libertate indifferentià ad consensum, vel dissensum, & distinctio realis ab omni alia libertate, quin ex vi distinctionis istorum duorum prædicatorum sit in hac libertate potestas dissentiendi in sensu etiam composito quaruincunque determinationum conditionalium aliarum libertatum: sed cum huiusmodi potestate dissentiendi stare nequit necessitas vaga metaphysica consentiendi per aliquam libertatem possibilem alicui ex auxilijs possibilibus, & impotentia metaphysica dissentiendi omnibus: ergo nec cum illa stare queunt illa duo prædicata essentialia cuilibet libertati. Minor patet: quia una ex determinationibus possibilibus conditionalibus aliarum libertatum est, quod omnes dissentirent: cum qua suppositione componi nequit dissensus huius libertatis, si metaphysicè necesse est, aliquam libertatem consentire. Maiorem autem probant: quia quæcumque constitutiones, & determinationes aliarum libertatum impertinent omnino ad istam libertatem secundum se indifferentem, & ab alijs diversam: hæc ergo per indifferentiam suam liberè consentiens debet posse componere dissensum suum cum hypothesi quod omnes alia libertates dissentirent: alioquin aliarum libertatum dissensus non se haberent imperinenter, sed repugnater ad istam libertatè.

Con-

70 Confirmant. Si ponantur homines infiniti, unusquisque plenè liber ad consensum, vel dissentium, implicat vaga necessitas metaphysica, ut unus eorum consentiat: ergo pariter implicat in voluntate eiusdem hominis hic & nunc plenè liberi per hoc auxilium, vaga necessitas consentiendi alicui ex infinitis auxilijs. Antecedens probant: quia unicuique competit ius suæ libertatis ad libitum suum diversum ab omnibus alijs, qui ipsius libertate non gaudent: quomodolibet enim alij pro libito suo operentur, non tollunt ab isto ius suum se pro libito suo determinandi: ergo implicat cum pleno istius iure consentiendi, vel dissentiendi pro libito suo ea vaga necessitas, ut aliquis eorum consentiat. Prima verò consequentia probatur: quia unaquæque etiam eiusdem hominis libertas constituta per hoc auxilium, cum sit diversa ab alijs eiusdem libertatibus constituibilibus per alia auxilia; est diversum ius ad dissentiendum, vel dissentiendum pro libito suo: cui derogare nequit ius diversum aliarum libertatum eiusdem hominis.

71 Respondetur, concessâ maiori, negando minorem. Ad probationem negatur minor. Huius enim libertatis indifferentia, & diversitas ab alijs stant satis in eo quod constituta per hoc auxilium diversum ab alijs possit pro libito suo componere se cum suo consensu, vel dissentio. Quod autem nõ possit componere dissentium suum cum aliqua hypothese, quæ non est posita, nec ponitur, quid, precor, facit ad ius præsentis libertatis? Certè non magis, quàm quod nequeat voluntas componere dissentium suum cum prædeterminatione ad consensum; quam Deus in aliqua hypothese sive tollente, sive non tollente tunc libertatem, posset adhibere. Nec probatio maioris quidquam evincit, nisi quod hypothesis omnium aliorum dissentium omnibus alijs auxilijs habet se repugnante ad hunc dissentium huius libertatis: quia nempe si dissentus huius libertatis constitutæ per hoc auxilium componeretur cum hypothese dissentium omnium aliarum libertatum possibilium, dissentiret humana voluntas collectioni infinitorum auxiliarum Omnipotentis divinæ: quod ab intrinseco repugnans est, & sub nullius libertatis potestatem cadens. Addo & hypothese ipsam repugnantem

& chimericam esse; atque adeo repugnante se habere ad omne ens reale: nam ex infinitis libertatibus, & auxilijs, demptâ hac unâ constitutâ per hoc auxilium, restant adhuc infinita, in quibus est eadem necessitas vaga consentiendi alicui auxilio, & impotentia metaphysica dissentiendi omnibus: cum hypothese autem chimerica nullus dissentus realis componi potest: sicque non nisi chimericè dici potest, hanc libertatem, seu indifferentiam voluntatis per hoc auxilium ad dissentiendum, dicere debere potestatem componendi dissentium suum, cum suppositione dissentium omnium aliarum libertatum possibilium ad omnia auxilia possibilis.

72 Ad confirmationem negatur antecedens: ac proinde consequentia. Ad probationem, concessâ antecedente, negatur consequentia, quia ius libertatis huius determinati hominis ad libitum suum, non est ad hoc, ut nullus eorum consentiat, quia non est ad chimericam; qualis esset nullum consentire in ea vagæ necessitatis suppositione; sed ad hoc, ut ille hic & nunc consentiat, vel dissentiat, in quo libertimus est pro libito suo. Sic voluntas dissentium necessitate ad consensum, vel dissentium gaudet iure suæ libertatis, potens pro libito suo eligere consensum præ dissentio, aut dissentium præ consensu. Si dicas, penes libitum ipsius voluntatis esse suum dissentium, & consensum: non ramen esse penes libitum hominis liberè consentientis suo auxilio, quod alij dissentiant vel consentiant suis auxilijs; fatebor id verum esse. Cæterum est quoque verum, esse penes libitum determinati hominis in hac libertate constituti per hoc auxilium, eligere consensum præ dissentio, aut dissentium præ consensu huic suo auxilio: quod autem obstare posset dissentio suo, nempe dissentus omnium aliorum hominum, sive suus ad omnia auxilia, esset quidem obstaculum non pendens à suo libito; sed tale obstaculum non est, nec esse potest: atque adeo non opus est ad præsentem libertatem quod sit penes eius libitum illud tollere, sicut nec tollere prædeterminationem, quæ, si esset, obstaret præsentis libertati.

## SECTIO IX.

Alia obiectio cum responsione nostra.

73 **O**bjiciant tertio. Necessitas metaphysica vaga consentiendi alicui auxilio ex collectione finita nocere libertati consentiendi: ergo & ex collectione infinita. Antecedens patet: quia, si collectio finita esset v. gr. decem auxiliarum, admittâ eâ necessitate consentiendi unum decem, casu possibili, quo homo dissentiret ad novem, devolveretur tota illa necessitas ad decimum: sicque omnino necessarius, & nullatenus liber esset consensus ad decimum. Consequentiam verò probant: quia ratio infinitudinis in collectione libertatum, & auxiliarum æquè sigillatim indifferentium, est ratio prorsus impertinens ad inferendum metaphysicè necessitate consensum alicui auxilio: cum sit ratio extrinsecus se habens ad indifferentiam uniuscuiusque libertatis. Addunt, impotentiam moralem evitandi diu cuncta venialia, quam operose propugnāvimus disp. 9. de Gratia, esse in unoquoque respectu tentationum, & occasionum finitarum tempore vitæ occurrentium. Si igitur ab eiusmodi impotentia morali, seu necessitate morali vagè labendi in aliquod veniale argumentari licet ad necessitatem metaphysicam consentiendi alicui vagè de collectione auxiliarum; valebit etiam argumentum pro collectione finita. Quod si sic etiam valet, valet etiam ad asserendam necessitatem, non solum moralem, sed etiam metaphysicam labendi in aliquod veniale, stantem cum libertate peccandi venialiter hic & nunc. Quinimo & ad necessitatem metaphysicam peccati mortalis in collectione finita multorum hominum iuxta illud: *Necessesse est, ut veniant scandala.*

74 Respondetur in primis: nobis ad nostram thesim defendendam minoris curæ esse debere, quod possit, necne, stare cum libertate consensus necessitas vaga consentiendi alicui auxilio ex collectione finita. Scopus enim est, negare hominis à Deo omnipotentissimo imprædestinabilitatem; ideoque defendere, neminem posse dissentire omnibus auxilijs à Deo dabilibus, quæ quidem infinita sunt: ne videatur prævalere posse perveracia alicuius voluntatis creatæ ad totam omnipotentiam

auxiliatricem divinam: contra quod SS. Patres, præsertim Augustinus, ex Scripturis nos edocent in locis allegatis num. 35. & 48. Quibus addo eiusdem Augustini verba lib. 1. contra duas Epistol. Pelag. cap. 9. dicentis: *Voluntatem nostram vabi à Deo varijs, & miris modis, ut velit.* Et ad Simplician. q. 2. *Cum Deus deserit, non sic vocando, quomodo ad Fidem moveretur, quis dicat, modum, quo ei persuaderetur, ut crederet, Omnipotenti desuisse?* Et lib. de Corrept. cap. 5. *Homines varijs, & innumerabilibus modis vocari, & moveri ad rectè operandum.* Duo infero. Primum, quod huc specialiter pertinet, recurrere in hoc puncto Augustinum ad innumerabilitatē, seu infinitudinem vocationum, seu auxiliarum Deo omnipotenti possibilium. Secundum, quod aliò spectat, longissimè semper fuisse Augustinum ab auxilio prædeterminatè. Si enim hoc unquam illi in mentem venisset, promptus ad id erat illi recursus potius, quàm ad varietatem innumerabilium auxiliarum indifferentium omnipotenter sine fine à Deo conferibilium. Sic manet firma nostra doctrina, comparatâ scilicet limitatione libertatis creatæ Deo subiectæ ad infinitam Dei prædominantis omnipotentiam, varijs auxilijs indifferentibus in infinitum possibilibus, seclusis necessitantibus, potētis eam, quod vult, flectere: nimirum, ut respectu infinitæ illorum collectionis non sit potestas dissentendi, quamvis unicuique sigillatim valeat dissentire. An verò similiter dici posset respectu alicuius finitæ collectionis auxiliarum, extra præsentem quæstionem est: in qua nec habemus prædictam lucem Sanctorum PP. ex Scripturis; nec pugnat pro totâ Omnipotentia Dei infinitissimâ; nec paritas ulla subsistere satis potest ob infinitam disparitatem cuiusvis collectionis finitæ ab infinita.

75 Respondetur ex ijs deinde rationem iam esse à nobis datam, & obiectiones solutas pro humanâ impossibilitate dissentendi collectioni infinitæ omnium auxiliarum dabilium ab Omnipotentia divina compatibiliter cum libertate dissentendi unicuique sigillatim. Si eadem rationes, & solutiones valent pro impossibilitate dissentendi alicui collectioni finitæ auxiliarum cum simili libertate dissentendi unicuique, non esset absurdum negare antecedens. Si nõ valent; hæc est clara dif-

Augustin.

disparitas, cur, concessio antecedente, negetur consequentia. Mihi videtur, non valere ob infinitam distantiam, atque adeo disparitatem cuiusvis collectionis finitæ ab infinita. Et quia posse dissentire infinitæ collectioni omnium auxiliorum dabilium ab Omnipotentia Dei, esset prævalere potestatem libertatis creatæ respectu totius Omnipotentia divina auxiliatricis, contra essentiali subiectionem omnis creaturæ ad Deum omnipotentissimum; & contra essentiali prædominium Dei omnipotentissimi in libertatem omnis voluntatis creatæ. Quæ ratio non militat in collectione finitæ auxiliorum: ultra quam extenditur in infinitum Omnipotentia ad alia, & alia auxilia ulterius sibi possibilia. Hinc in probatione consequentiæ falsò assumitur, rationem ab infinitudine desumptam, esse impertinentem; cum è re maximè sit, comparare potestatem finitam, & limitatam voluntatis creatæ, sive cum collectione infinita omnium auxiliorum; sive cum finitâ, & limitatâ aliquorum: ut manifesta sit illegitimitas consequentiæ à posse vincere finitâ, ad posse vincere infinita: multò magis quam, assignatâ v.g. ab arguentibus collectione finitâ centum auxiliorum, cui non possit dissentire voluntas, esset illegitima consequentia, à posse vincere octoginta, ad posse vincere centum.

76 Respondetur tandem ad additamentum illud impotentia moralis evitandi diu cuncta venialia, citra speciale privilegium, cunctaque scandala in tot hominum collectione finitâ, eâ nos paritate usos fuisse ad monstrandum, quod sicut non valet, posse hominem moraliter cuncta collectivè, ex eo quod moraliter possit evitare unumquodque sigillatim; & sicut ex eo quod necesse moraliter sit, inter tot hominum millia evenire scandala, non ritè inferitur, necesse moraliter esse, scandalum hic & nunc evenire ab homine isto, nec necesse moraliter esse, evenire ab illo; similiter ex eo quod necesse metaphysicè sit, hominem consentire alicui infinitis auxilijs vage; & metaphysicè impossibile, dissentire cunctis collectivè sup̄tis; non ritè inferitur, aut necesse esse consentire huic auxilio, aut necesse esse consentire illi determinatè: nec impossibile esse dissentire huic, nec impossibile esse dissentire illi: cum ubique determinatè

possit dissentire; & nulli determinato necesse sit consentire, ut semper stet in tuto libertas voluntatis hic & nunc non nisi præsentî determinato auxilio operantis. In quo tenet optimè paritas ad invalidandas eiusmodi formas argumentandi à singulis ad omnia.

77 Quocirca cautè notari debet varius, & æquivocationi expositus in ijs & similibus inferèdi modus. Aliud enim est; ex eo quod necesse sit, scandala inter homines venire, inferre: *ergo necesse est evenire, vel per hunc, vel per illum, vel per alium hominem*: aliud est, & valde diversum, inferre: *ergo necesse est evenire per hunc, vel necesse est evenire per illum, vel necesse est evenire per alium*. Prior illatio valet; quia necesse sit collectioni applicetur disjunctim, & vagè terminò vagè quoque, & disjunctim significato: posterior inepta est; quia, quamvis necesse sit collectioni applicetur disjunctim, applicatur tamen terminò non disjunctim, sed determinatè significato: ideoque falsa: sicut, si ex eo, quod necessarius sit oculus ad videndum, inferres: *ergo vel est necessarius dexter, vel est necessarius sinister*: falsò quidem: cum nec dexter necessarius sit; nec necessarius sit sinister; quamvis necessarius sit dexter, vel sinister. Similiter in impotentia aliud est, ex eo quod moraliter impossibile nobis sit, evitare cuncta venialia, inferre: *ergo impossibile est evitare hoc, & illud, & aliud*, & sic deinceps: quod est verum: aliud est, & ob rationem datam omnino falsum, inferre: *ergo impossibile est evitare hoc, & impossibile est, vitare illud, & impossibile est, vitare aliud*: cum certè nihil horum determinatè moraliter impossibile nobis sit, ut explicuimus *disp. 9. de Gratia*, sic conciliando impotentiam moralem evitandi cuncta venialia cum libertate, & potestate morali evitandi singula, ut in facto determinatè occurrunt. Et in hoc tenet nostra paritas ad rem præsentem: ad hunc enim modum ex eo quod metaphysicè necesse sit consentire alicui auxilio collectionis omnium infinitæ, quamvis ritè inferatur, esse metaphysicè necesse consentire huic, vel illi, vel alij; non tamen ritè inferitur esse necesse, consentire huic; vel esse necesse consentire illi, vel esse necesse consentire alij; cum de nullo verum sit, necesse esse, illi consentire.


78 De cetero res est ex alijs capitibus

bus disparissima. Primò: quia necesse sit illa scandalorum est penes multitudinem finitam hominum existentium, & exituorum; & impossibilitas evitandi diu venialia est penes multitudinem finitam occasionum & tentationum res ipsa occurrentium decursu diuturni temporis: at impossibilitas dissentendi omnibus auxilijs, & necesse sit vage consentiendi alicui, est penes hominem eundem, eandem occasionem, idemque tempus; in quo constituitur liber per hoc auxilium indifferens, potens à Deo constitui per alia indifferentia possibilia sine fine. Secundò: quia illa necesse sit, & impotentia est dumtaxat moralis, fundata in maxima difficultate, quæ suscipit magis & minus; sicut & illa multitudines; at necesse sit vage consentiendi alicui auxilio collectionis infinitæ omnium possibilibus, & impotentia dissentendi omnibus pro singulis hypothesebus Deo possibilibus, cum sit metaphysica, consistit in indivisibili, & nõ suscipit magis & minus. Tertio: quia, ut iam insinuavi ad finem *num. 57*, illa necesse sit, & impotentia fundatur in fragilitate, inconstantia, & limitatione voluntatis humanæ adversus auxilia gratiæ, & omnipotentia diving permissivè dumtaxat, & quasi contractè se habentis ad peccata; at necesse sit illa consentiendi alicui auxilio, & impotentia dissentendi infinitæ collectioni omnium possibilibus, fundatur in potestate gratiæ, & omnipotentia divina auxiliatricis amplissimè acceptæ, adversus perveraciam voluntatis humanæ, quæ finita est: ideoque non mirum, quod metaphysicè sit impotens prævalere adversus collectionem omnium auxilijs pos-

sibilis gratiæ, & omnipotentia divina.

79 Atque hinc demum sumi potest responso, & ratio ad postremum obiectionis: quod nempe, quamvis ab aliquo concederetur, dari posse necessitatem vagam metaphysicam ad consentiendum alicui auxilio collectionis etiam finitæ; exinde fortè non valeret illatio ad necessitatem metaphysicam peccatorum venialium in uno homine per longum tempus; aut scandalorum in multis finitæ, nedam infinitæ collectionis. Quia videlicet dato quod id non repugnaret ex capite libertatis; aliunde præfert speciale repugnantiam: sicut quod Deus suadeat, aut præcipiat malum, quamvis suadeat, & præcipiat bonum: & sicut diximus *disp. 25. de Gratia sect. 5*, non sufficere ad demeritum libertatem inter actus æquales cum necessitate ad alterutrum, quamvis ad meritum sufficiat. Deo enim, qui volens iniquitatem non est, & serio prohibet peccata, repugnat ab intrinseco, hominem unum, aut multos constituere in necessitate adhuc vagâ peccandi. Deo autem id non volente, nec ullo modo velle potète, adhuc disjunctim, ut fecimus *disp. 9. de Attrib. sect. 9*, non tanta est, nec esse potest pravitas voluntatis humanæ, aut diabolicæ, ut necessitate possit ad peccata, quæ Deus prohibet, & non nisi resistendo voluntati divina committuntur, concurrente, & non per se id causante omnipotentia; sicut causat gratia Dei actus virtutis Deo suadenti, & volenti placentes: quorum utique causa per se est virtus ipsius Dei infinita, & omnipotentissima ad flectendas, sibi que conciliandas creaturarum suarum voluntates.

To. de Deo  
disp. 9.



## DISPUTATIO IX.

DE PRÆDESTINATIONE AUGUSTINIANA  
quoad actus divina Præscientia, quos includit.

**P**RÆDESTINATIONIS Augustinianæ notissima prædicata sunt, *Præscientia*, quæ pertinet ad intellectum; & *Præparatio*, quæ pertinet ad voluntatem Dei decernentem media efficacia ad finem Gloriæ pro Prædestinatis. De Præ-

Suprà  
disp. 2.

paratione per decretum mediorum, agemus *disp. seq.* De Præscientia, in præsentia. Quocirca multa supponenda sunt, quæ iam dedimus *disp. 2.* agendo de Providentia in genere, & applicanda hîc veniunt Providentiæ Prædestinativæ. Vnde nobis constat *ex sect. 2.* ex parte intellectûs divini ingredi constitutum Providentiæ, atque adeò & Prædestinationis, Scientiam simplicis intelligentiæ. Ex *sect. 3. 4. & 5. & 6.* non ingredi Scientiam Visionis mediorum. Ex *sect. 7. & 8.* excludendum esse à constitutivo Prædestinationis, sicut & Providentiæ, imo & à Deo imperium intellectuale Thomisticum. Et tandem *ex sect. 9. & 10.* Scientiam Mediam ingredi debere constitutum Prædestinationis: quæ quidem Providentia moralis est, medijs actibus liberis, & auxilijs secundùm se indifferentibus ad illos, dirigens creaturas ad Gloriam, ut coronam. Super sunt aliqua hîc specialiter disputanda.

### SECTIO I.

An, & quomodo Prædestinatio evadat infallibilis, & certissima?

2 **D**ivinam Prædestinationem esse infallibilem, & certissimam, infallibile, & certissimum est ex dictis de infallibilitate & certitudine divini Providentiæ in genere *disp. 1. sect. 6.* Difficultas nunc est, unde desumat suam certitudinem Prædestinatio: quæ nimirum, cum destinet hominem liberum ad Gloriam, ut coronam, eum destinar per actus suos meritorios.

Suprà  
disp.  
1.

Bannez.

3 Prædeterminativæ post Magistrum Bannez autumant; eam certitudinem, & infallibilitatem divini Prædestinationis desumi à connexionione auxiliiorum prædeterminantium cum positione actûs meritorij. Quàm sit hoc alienum à mente S. Thomæ, præter quæ in simili diximus *disp. 4.* vel ex eo patet, quòd Sanctissimus Doctor imitatus Augustinum relatum *disp. præced. num. 73.* pro certitudine divini Prædestinationis obtenturæ finem Gloriæ per media libera gratiæ, recurrit ad collectionem divinatorum auxiliiorum plurimis, & varijs modis à Deo dabilium ad flectendas, quòd vult, creatas voluntates: frustra autem ad id recurrisset, si auxilium prædeterminans in Angelicam eius mentem incidisset. Sed, quidquid sit, hæc Præ-

Suprà  
disp.  
4. & disp.  
8. sect. 9.

determinativarum autumatio placere nobis non potest. Non enim desumi valet certitudo divini Prædestinationis per media libera, à prædeterminationibus tollentibus de medio libertatem, ut constanter inferitur ex latè dictis *disp. 4. & 5.*

4 Scotistæ multi eam desumunt à connexionione divini decreti extrinsecè prædeterminativi, aut, iuxta alios, condeterminativi, certò inevitabiliter, & independentè à Scientiâ Mediâ, præfinitis actus nostros liberos, prout ex ipsis explicuimus *disp. 5.* Sed neque hoc placere nobis potest, ob similem repugnantiam eiusmodi præfinitionum divinarum cum libertate nostrarum operationum, ut ibi peregrinamus. Alij desumi posse existimarunt à connexionione collectionis infinitæ auxiliiorum à Deo dabilium, quamvis secundùm se sigillatim indifferentium: quia, quamvis unicuique determinatè dissentire possit voluntas creata; non verò cunctis: sicque necesse est, alicui consentire: prout explicuimus *disp. præced. à sect. 7.* Hinc Granadus, & Montoya dicunt, quòd, quâvis præfens Dei Prædestinatio desumat certitudinem, & infallibilitatem à Scientiâ Mediâ; posset tamen Deus securissimè, & infallibilissimè prædestinare, seorsim etiam à certitudine Scientiæ Mediæ; certus utique per simplicem intelligentiam de prædictâ connexionione collectionis omnium auxiliiorum à se dabilium cum libe-

Suprà  
disp.  
9.  
Granad.  
Montoya.

Quiròs.

libero consensu cuiusvis voluntatis creatæ. Accessit P. Quiròs *disp. 6. sect. 6.* alium mediatum modum fundandi certam aliquam Prædestinationem Deo possibilem hominis liberi per merita, seorsim etiam à Scientiâ Mediâ. Suppositâ namque doctrinâ, quam ex ipso retulimus *disp. præced. num. 42.* præsciens Deus per simplicem intelligentiam, se posse necessitare quamlibet voluntatem ad hunc, vel illum consensum bonum disjunctim, salvâ inter alterutrum libertate, & quidem ad meritum sufficiente, haberet quod satis est ad sic certissimè prædestinandum, dicto modo disjunctivo necessitans hominem ad merendum.

Suprà  
disp.  
9. sect. 6.

5 Cæterùm nec istis modis discurrendi acquiescere possumus. Aut enim ea connexionio collectionis omnium auxiliiorum est tantummodo moralis; taliter, ut moraliter impossibile sit, quòd humana voluntas omnibus, si darentur, esset dissensura, quamvis physicè, & metaphysicè posset, ut fert communis Nostrorum Sententia cum ipsis Montoya, & Granado; aut est connexionio metaphysica, qualem superius adstruximus, taliter, ut nullatenus possit humana voluntas dissentire collectioni omnium auxiliiorum à Deo dabilium; sed omnino necesse sit, alicui vagè fore consenturam.

Ribaden.  
Montoya.

6 Si dicatur primo modo, eam connexionionem esse dumtaxat moralem, relinquitur certè potestas metaphysica, & physica, ut pro libito voluntatis, non obstante eâ connexionione morali cum consensu, non eveniat, nec eventurus sit consensus: ergo in eiusmodi connexionione, quantumvis cognitâ per simplicem intelligentiam, fundari omnino non potest præscientia metaphysicè certa de positione consensûs, prout oportet ad securissimè, ac infallibilissimè prædestinandum cum metaphysica securitate, ac certitudine de positione consensûs: ut rectè profequitur Ribadeneyra *disp. 17. cap. 4.* notans propterea, Montoyam temperasse suam Sententiam *disp. 63. de Scientia Dei.*

7 Dices. Scit optimè Deus, eas esse gratiæ vires in collectione omnium auxiliiorum à se dabilium, ut nunquam eveniat, nec eventurus sit, omnibus dissentiri, quamvis metaphysicè possit: sic ergo metaphysicè certus est de consensu, si vires illas adhibeat, ut per simplicem intelli-

gentiam prænovit. Probatum consequentia tripliciter. Primò: nam eo ipso quòd moraliter est impossibile, rem non esse, res erit abique dubio: nunquam enim definit esse, quòd moraliter necesse est esse: sed nullum est aptius fundamentum ad certò iudicandum, rem esse, quàm esse absque dubio: ergo ex prædictâ morali necessitate, seu connexionione virium omnium auxiliiorum ad ponendum consensum, à Deo cognitâ per simplicem intelligentiam, redditur Deus metaphysicè certus de positione consensûs. Secundò: quia quòd nos certo discursu inferimus ex aliquo medio, videt Deus in tali medio certissimè: sed nos, præcognitâ eiusmodi necessitate morali positionis consensûs, certò inferimus positionem consensûs: ergo Deus id videt certissimè in eâ connexionione. Tertio: quia homo prudentissimè finem intenderet, sciens se posse abhibere media necessitate morali connexa cum eius consequitione; nec prudenter desineret intendere finem ex eo solùm quòd metaphysicè connexa non sint: ergo similiter Deus.

8 Respondetur distinguendo antecedens: id scit optimè Deus in viribus præcisè talis collectionis habentis connexionionem dumtaxat moralem cum consensu, nego: in viribus talis connexionionis cum adminiculo veritatis physicè cõtingentis, quòd nunquam eveniat aliquem omnibus auxilijs talis collectionis, si dentur, esse dissenturum, concedo antecedens: & similiter distinguo consequens; sic Deus est metaphysicè certus de consensu, si vires illas adhibeat, nixus in illis viribus præcisè, nego; in illis cum adminiculo prædictæ veritatis contingentis sibi notæ, concedo. Eam autem veritatem antecedenter ad decretum suum, non nisi per Scientiam Mediam novit: nam per simplicem intelligentiam solùm novit, per eas vires posse fieri consensum, & esse moraliter impossibile dissenturum; non verò, quòd re ipsa fiet, aut quòd re ipsa fieret, si illæ adhiberentur: imò simul novit, posse metaphysicè contingere, quòd non fiat; si verum est quòd supponunt ij Authores, vires illius collectionis non habere connexionionem metaphysicam cum consensu, & quòd manente totâ essentiâ illius necessitatis moralis antecedentis, evenire physicè potest, quòd homo nulli illorum auxiliiorum consentiret.

Ad



9 Ad primam probationem consequentiæ, distinguo maiorem: res erit ab- que dubio, ultra connexionem, & essen- tiam talium virium, concedo; ex essentia- li connexionem talium virium cum positio- ne talis rei, nego maiorem; & datâ mino- ri, nego consequentiam. Quia, ut illa ne- cessitas, quod res sit, seu impotentia mo- ralis non essendi tollat omne dubium, fun- dando iudicium metaphysice certum, qua- le debet esse divinum, de eo quod res erit, aut esset, deberet ea necessitas essentiali- ter, & metaphysicè connecti cum eo quod res erit, aut esset: quod tamen negant ij Authores. Ad secundam, distinguo maio- rem: quando nos ex tali medio inferimus discursu metaphysicè certo, concedo; quan- do moraliter tantum certo, nego maio- rem: & negatâ minori de discursu nostro metaphysicè certo; falsa est consequentia. Ad tertiam, concessio antecedente, nulla est consequentia, Deus enim non est, sicut homo, capax cognitionum pruden- tialium expositarum physicæ falsificatio- ni, seu falsificabilitati.

10 Si verò dicatur secundo modo, eam connexionem, vagamque necessita- tem consentiendi alicui auxilio talis col- lectionis, ut explicuimus *disp. præc. à num. 8. sect. 7.* 52. esse non solum moralem; quin etiam physicam, & metaphysicam; fatebor equi- dem, Deum in ea auxiliorum collectione sic connexâ scire certò per simplicem in- telligentiam, quod voluntas reipsa con- sentiret alicui auxilio illius collectionis, si daretur. Huiusmodi tamen notitia non sufficeret ad præscientiam divinæ Præde- stinationis: esset enim notitia non nisi va- gâ, ac disjunctim cognoscens voluntatem consensuram alicui auxilio; nondum ve- rò cognoscens, cui determinato auxilio consensura esset; cum hæc sit veritas con- tingens, non nisi per Scientiam Mediam sic attingibilis. Deus autem prædestinans debet esse certò metaphysicè præcius, & securus de consequitione Gloriæ, & talis Gloriæ, ad quam prædestinat; & per quæ determinatè merita, & per quæ determi- natè auxilia: alius enim modus prædesti- nandi indecens, Deo indignus, ac proin- de repugnantissimus est: atque adeo non satis certus per scientiam simplicis intelli- gentiæ fundatam in connexionem, & neces- sitate vagâ consentiendi per aliquod auxi- lium prædictæ collectionis. Dices: posset

Deus ex illa certa notitia simplicis intel- ligentiæ securus prædestinare; postea de- creturus ex nova notitia Scientiæ Mediæ, per quæ determinatè media, & auxilia. Respondetur tamen ex alibi à me sæpius dictis, hos modulos decernendi cuncta- bundè, ac pedetentim in dies mihi videri indigniores; & repugnantissimos di- vine simplicitati. In decernendo cuncta indivisibili decreto: ac proinde, non nisi ex præscientia determinatissimè cuncta conditionatè contingentiã conosciende, in Deo vero, verè conceptibili. Itaque non est sufficiens ad certitudinem Prædestina- tionis dignæ Deo notitia illa veritatis ne- cessariæ fundatæ in necessitate nostrâ, etiam metaphysicâ, consentiendi alicui va- gâ, ac indeterminatè auxilio.

11 Per hæc petefit etiam insufficien- tia Doctrinæ Patris Quiròs cit. *num. 4.* ad expiscandam certitudinem, & infallibili- tatem formalem, quam quarimus, divi- næ Prædestinationis per solam scientiam simplicis intelligentiæ veritatis necessariæ, contentæ in casu illo voluntatis vagæ ne- cessitatæ ad aliquem actum meritorium, cum libertate ad eligendum determinatè, vel non eligendum hunc. Eiusmodi enim necessitate vagâ nequidquam obfante, cui satis utique fit per non omisionem utriusque actus; adhuc est veritas contin- gentissima, non sic pertinens ad simplicem intelligentiam, quod, si voluntas consti- tuatur in tali libertate, exercebit hunc: si- cut & quod exercebit alium; & quod exercebit utrumque. Hac autem certâ no- titiâ non determinatissimè præilluminan- te, quæ solius est Scientiæ Mediæ; concipi nequit Prædestinatio digna Deo, non nisi ad finem determinatum, & per me- dia determinata potente procedere: & quidem per decretum, nec virtualiter di- visibile, ut tenet varijs in locis: præsertim *disp. 8. de Attrib. & 6. de Incarn.*

## SECTIO II.

*Infallibilitas, & certitudo divinæ Præde- stinationis ex Scientia Media.*

Patres Molina, Suarez, Vazquez, & Molinæ. univrsim Doctores nostri cum mul- tis externis, quos laudat Paulus Leonardus *part. 3. sect. 10.* P. Borrull *disp. 5. sect. 4.* P. Henaus in Apologia Scientiæ Mediæ, & Henaus.

R. P. N. G. & R. P. N. G. Thyrsus *tom. 1. disp. 13.* Thyrsus.

Augustinus. *disp. 1. de Prædest. Augustiniana* id eruditè, ac nervosè persuadens.

13 Fundamentum huius veritatis po- suimus *disp. 2. sect. 9.* agendo de neces- sitate Scientiæ Mediæ ad Providentiam mo- ralem, qualis est Prædestinativa: & *disp. 6. 2. & 6.* *sect. 7. & 8.* agendo de eiusdem utilitate, ac necessitate ad Præfinitiones actuum li- berorum. Ex ibi dictis, & ex modis alijs aliunde quàm à Scientia Media sumendi certitudinem Prædestinationis; reiectis *sect. præc.* fit liquidò, desumendam omni- nino esse ab infallibilitate Scientiæ Me- diæ: quæ utique consignificavit Augustinus nomine Præscientiæ, in sua definitio- ne Prædestinationis: Præscientia, & præ- paratio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur.

14 Ex quibus omnino infertur, Scien- tiam Mediam non solum perutilem esse, quin etiam prorsus necessariam ad forma- lem certitudinem, & infallibilitatem Præ- destinationis Gloriæ, ut coronæ: taliter, ut sine illa haberi non posset à Deo Præde- stinatio: ut contra nonnullos ex nostris tenuimus *sect. præc. à num. 5.* Ratio con- vincens ex nostris principijs est. Quia vel Prædestinatio ex parte divinæ voluntatis dicit decretum de auxilijs sine decreto præfinitivo consensûs, ut vult P. Vazquez; vel decretum de auxilijs, simulque præfi- nitivum consensûs, ut vult P. Suarez. Alte- rutro namque opus est.

15 Si dicatur primum; in eiusmodi decreto non satis fundatur ex parte Dei certitudo de consensu meritorio: tale nam- que decretum cum solum sit efficax de- dando auxilio indifferenti, non intrinsece connexo cum consensu, non est intrinsece connexum cum consensu, & componi in- differenter potest, sicut & auxilium, si- ve cum consensu; si- ve cum dissensu. Accedat ergo necesse est Scientia Dei Media præ- sciens, quod ponetur consensus, si tale de-

tur auxilium, ut ex parte Dei in complexo talis scientiæ, talique decreti reluceat essentialis connexio cum consensu, fundans metaphysicam certitudinem positionis consensûs. Eo autem ipso quod datur in Deo decretum conferendi tale auxilium, deturque præscientiâ illa quod ponetur consensus, si tale conferatur auxilium, con- surgit in eo complexo essentialis connexio cum consensu, fundans metaphysicam cer- titudinè de positione consensûs. Ad Scien- tiam ergo Mediam confugere necesse est, pro metaphysica certitudine, securitate, & infallibilitate divinæ Prædestinationis.

16 Si verò dicatur secundum; fatebi- mur decretum præfinitivum consensûs; sicut etiam electio efficax ad gloriam, ut coronam, si- ve habeatur antecedenter, si- ve consequenter ad prævisionem meri- torum; esse iam metaphysicè connexum cum consensu. At ad habendum huiusmo- di decretum, seu, ut loquitur P. Suarez, propositum præfinitivum; necessaria sim- pliciter est in Deo Scientia Media; præ- sciens fore consensum; si tale datur auxi- lium; ut vidimus *disp. 6. sect. 7. & 8.* Quæ

prænotiâ redditur Deus potens sic præfi- nire, seu præeligere; metaphysicè certus & securus; quod ponetur consensus, si ta- le auxilium secundum se indifferenti con- feratur, quomodolibet decernat illud con- ferre. Utrovis igitur modo constituatur apud nostros Authores Prædestinatio, de- sumitur formalis eius certitudo ex parte divini intellectus à Præscientiâ Mediâ.

17 Præterea, Prædestinatio; saltem ea, quæ de facto habetur à Deo circa adul- tos, vult ex speciali benevolentia dare Præ- destinationis auxilia, quæ prænovit efficacia fore: & quidem ex affectu saltem ineffica- ci specialiter benevolenti, & formaliter be- nefico, ut re ipsa fiant ab illis actus meri- torij. Id quod ex Sacris Scripturis suppo- nunt passim SS. Patres, præsertim Augu- stinus, exinde sæpè commendans Prædesti- nationis specialitatem huius divinæ benevo- lentiæ, ac beneficentiæ. Atqui ad ratio- nem huius specialis beneficentiæ relucen- tis certissimè in conferendo auxilio effi- caci Prædestinatis, necessaria Deo est Præ- scientia Media: necessaria igitur Deo est ad Prædestinationem, saltem de facto exi- stentem. Probatur minor: nam ad rationem formalis beneficentiæ requiritur, quod Deus benefactor certò sciat specialitatem bene-

To. de Deo *disp. 8.*

*sect. 4.*

De Christo

*disp. 6.*

*sect. 7.*

Molina.

Suarez.

Vazquez.

Leonard.

Borrull.

& Henaus.

Supr. *disp. 6.*

beneficij, quod confert; alioquin non conferret plenè voluntariè, prout opus est ad formalem beneficentiam ex benevolentia speciali. Specialitas autem beneficij auxiliij efficacis, dicit, tale esse, cum quo non solum fieri possit consensus meritorius; sed etiam cum quo re ipsa fiet consensus, si tale auxilium conferatur, ut vidimus

To. de Gra-  
ti. disp. 12.

disp. 12. de Gratia sect. 6. cuius boni eventus notitia, reiectis auxilijs intrinsicè efficacibus, non habetur à Deo, nisi per Scientiam Mediam: perutilem idcirco, ac necessariam ad formalem certitudinem divinæ Prædestinationis benevolentissimæ, ac beneficentissimæ.

Offic. S. P.  
N. Ignatij  
Lect. 5.

18 Hæc est Eximie nostræ Scholæ præcipua doctrina, qua de modernis Hæresibus, Deo auspice, triumphavit, & triumphat. Quò respexisse credimus Ecclesiæ Oraculum de Societate Iesu: *Hæresique bellum induxit, eo successu continuatum, ut constans fuerit omnium sensus, etiam Pontificio confirmatus Oraculo; Deum, sicut alios alijs temporibus Sanctos Viros; ita Lutherò, eiusdemque temporis Hæreticis; Ignatium, & institutam ab eo Societatem obiecisse.* Porro quoad doctrinam attinet, ijs armis feliciter decertamus. Quapropter ex Theologis etiam non Iesuitis ferè omnes, qui animo ad utrumque parato has difficultates scrutati sunt, huic Sententiæ adhaerunt: illi præsertim, quibuscum adversus huius atavis Hæreticos pugna fuit.

19 Observatum velim contra nonnullorum, aut æquivocationem, aut incertiam, aut fortè, quod peius esset, invidentiam; aliud esse, Prædestinationem non dicere ab intrinseco sui formalem certitudinem, & infallibilitatem consensus nostri meritorij; aliud verò, decretum conferendi auxilia indifferentia, quod ex parte divinæ voluntatis importat Prædestinationem, non dicere ab intrinseco sui prædictam certitudinem, & infallibilitatem. Hoc posterius dicunt palam à Nostris quotquot negant decretum conferendi auxilia indifferentia esse præfinitivum consensus: quippe putant, eiusmodi decretum esse quoque, sicut auxilium, secundum se indifferentens coniungibiliter, sive cum consensu; sive cum dissentiu. Illud verò prius dicit omnino nemo: nam Prædestinationem Augustiniana adæquate sumpta, præter decretum præparandi, & conferendi auxilium, importat essentialiter divinam Præscien-

tiam de positione consensus, si tale conferatur auxilium. Complexum autem coalescens ex ista Præscientia Media, & ex decreto præparandi, & conferendi tale auxilium, iam est essentialiter certissimè & infallibilissimè connexum cum positione consensus. Implicat enim Deum præscivisse fore consensum, si tale conferatur auxilium; & conferri re ipsa tale auxilium; & consensum non poni: quia falsificaretur illa divina Præscientia. Hanc ergo cum essentialiter includat Prædestinationem, quæ ex Augustino Præscientia, & Præparatio est; fit perspicuum ex eiusmodi Scientia Media desumendam esse formalem certitudinem divinæ Prædestinationis.

### SECTIO III.

Obiectionum dissolutione nostra veritas constabitur.

20 **N**on hic stabilimus; sed supponimus veritatem Scientiæ Mediæ, quod longum esset, & in alijs Theologiæ Tractatibus præstandum. Negotium præfens est, ab illa aptè, utiliter, ac necessario desumi debere formalem certitudinem divinæ Prædestinationis per media indifferentia ad consensus meritorios infallibiliter consequuturæ finem Gloriæ. Quapropter alijs prætermisissis, aut aliunde suppositis, quæ ad naturam, & existentiam Scientiæ Mediæ pertinent, ad obiectiones venimus, quæ eius sufficientiam ad certitudinem Prædestinationis oppugnant.

21 Obijcitur primò: quia hoc est concedere Prædestinationem divinæ certitudinem tantum præscientiæ; non verò causalitatis; cum utramque debeat habere divina Prædestinatio, prout colliguntur ex Scripturis SS. Patres apud S. Thom. 1. p. quest. 22. art. 4. & quest. 23. art. 6. quest. 6. de Verit. art. 6. Probatum sequela: nam causæ immediatæ, quas exhibet Deus ad consequutionem consensus meritorij requisiti ad finem gloriæ, ut coronæ, sunt iuxta nos auxilia indifferentia; non verò prædeterminantia: quòd autem auxilijs indifferentibus accedat illa præscientia, quòd, si conferantur, ponetur consensus; facit quidem certitudinem præscientiæ; non verò causalitatis.

S. Thom.

22 Respondemus, causas illas, sive auxilia prædeterminantia longissimè abesse,

esse, sicut à veritate, à doctrina, & mente S. Thomæ, & aliorum SS. Patrum. Quando igitur aiunt; Prædestinationem habere certitudinem præscientiæ, & causalitatis, nequaquam intelligunt causas prædeterminantes, aut auxilia non secundum se indifferentia, sed prædeterminantia: quæ nimirum inferre non possent consensum, nisi necessarium, ac proinde non meritorium; intelligunt ergo verissimè, præscientiam illam, à qua desumit certitudinem Prædestinationem, non præcisè præscire, sed etiam directivè causare consensum meritorium gloriæ; quatenus dirigit Deum ad decernendam collationem auxiliij indifferentis, de quo præscivit, quòd si conferatur, ponetur consensus. Sicque intelligitur aptissimè, Prædestinationem habere certitudinem non solum præscientiæ, qualem habet etiam Scientia Visionis, quæ, ut vidimus

Supr. disp.  
2.

disp. 2. sect. 4. & 5. non est causa rerum; sed etiam causalitatis, in genere scilicet causæ mediæ, & directivæ.

22 Obijcitur secundò. Posito decreto conferendi auxilium, de quo præscitur, quòd si conferatur, fiet consensus, iam desinit esse status ille conditionatus, fitque, purificatâ conditione, transitus ad absolutum: ergo deficiente obiectivâ veritate conditionatâ Scientiæ Mediæ, iam non manet Scientia Media: sed tunc perstat formalis certitudo divinæ Prædestinationis: ergo ea certitudo non desumitur à Scientia Media. Respondemus, negando antecedens; in quo multos cespitare vidimus, modo nescio quo imaginantes hos transitus. Profectò posito auxilio, sub quo Deus præciverat conditionem consensum, & posito ac absolute viso consensu; non desinit esse verum, quòd si tale ponatur auxilium, fit consensus. Non ergo desinit status conditionatus, eiusque veritas, atque adeo nec præscientia illa conditionata propter purificationem conditionis, & adventum status absoluti, sed desinit esse purè conditionatus accedente absoluto: quæ admodum, res actu posita, aut absolute ponenda, non sic transit de possibili in futuram, aut existentem, ut propterea desinat esse possibilis, & obiectum simplicis intelligentiæ; sed fit non purè possibilis, & ut actualis obiectum etiam Scientiæ Visionis. Quodsi aliter imaginetur sibi non nemo istos status, & transitus, hallucinatio est sedulo corrigenda.

23 Obijcitur tertio. In hac statu ab-  
soluti veritate: *Homo consentit cum hoc auxilio*: non solum datur infallibilitas ex absoluto; quin etiam supponitur alia ex consensu, ut præscito per Scientiam Mediam; ergo in veritate huius status conditionati: *Homo consentiret, si haberet hoc auxilium*: non solum datur infallibilitas sumpta ex veritate consensus conditionati, sed supponitur anterioris alia: ergo quæ sumitur ex consensu conditionato, eiusque præscientiâ Mediâ, non est, quæ primò fundat infallibilitatem Prædestinationis. Respondemus, concessio antecedente; negando primam, & secundam consequentiam. Disparitatis ratio est: quia nullus consensus potest esse in statu absoluto per hoc auxilium, nisi decernatur à Deo collatio huius auxiliij, & fuerit verum quòd fieret consensus, si conferretur hoc auxilium: sicque nequit existere consensus, quin fuerit complexum illud decreti de collatione auxiliij, & veritatis ac Scientiæ de positione consensus, si tale conferatur auxilium: in quo complexo nititur certissimè, ac propterea infallibiliter, voluntatem, illo posito, esse consensuram. Ad consensum verò, propterea in statu conditionato consideratum, nec præcedit decretum actu existens in Deo; cum nec præcedat ad Scientiam Mediam; nec præcedit quidquam aliud, quo fiat Deo infallibilis, ac omnino certa veritas illa positionis consensus, si tale conferatur auxilium: aut assignetur ab arguentibus. Quod dum non assignant, dicimus, nihil esse præsuppositum ad veritatem ipsam conditionatam; sic attentam per Scientiam Mediam, unde sumi debeat, aut certò possit infallibilitas talis veritatis conditionatæ: atque adeo non nisi à Scientia Media posse, ac debere primariò desumi.

24 Insistant aliqui: Ut infallibile sit, consensum absolute ponendum collato hoc auxilio, sufficit purificari conditionem collationis auxiliij, sub cuius hypothesi præciebatur, consensum ponendum fore: sed purificatio talis conditionis est præcisè collatio auxiliij; non verò complexum illud collationis auxiliij, & Scientiæ Mediæ de consensu; cum Scientia Media non involvatur sub hypothesi ipsius Scientiæ Mediæ, ut sæpe diximus, præsertim disp. 2. sect. 10. ergo, ut infallibile sit, consensum absolute ponendum fore, collato hoc auxilio, sufficit conferri hoc auxilium non

Supr. disp.  
2.

involuens Scientiam Mediam, non statum conditionatum pertinentem ad illam: ergo infallibilitas consensus absoluti, atque adeo certitudo prædestinationis, non primò desumitur à Scientia Media. Confirmant: quia nihil infallibilius tandat veritatem consensus absoluti sub hoc auxilio, quam consensus fieri collato hoc auxilio: ecce ergo sine recurfu frustraneo ad Scientiam Mediam, aut saltem antecedenter ad ipsum, primaria consensus absoluti infallibilitas. Idemque dici potest de veritate obiectivâ consensus conditionati, correspondente Scientiæ Mediæ, & in statu conditionato præsuppositâ ad Scientiam Mediam, utpote ideo cognoscentem consensus fore, si tale detur auxilium; quia re ipsa verum est, quod si tale detur auxiliû, erit consensus.

25 Respondemus; aliud esse certitudinem, seu securitatem obiectivam eventus in se: aliud esse certitudinem formalem, qua intellectus redditur infallibiliter certus de eventu. Sermo nobis de ista, quatenus opus est, ut Deus providens, certò præsciens de eventu, prædestinet per media libera. Argumentum autem videtur facere transitum ad illam obiectivam: quâ quidquid est, certò est; & quidquid erit, certò erit; sive id sciatur, sive non. Itaque, concessis præmissis, distinguimus consequens: ut infallibile id sit, & in se certum obiectivè, concedo: ut infallibile id sit, certumque formaliter quoad Deum sic, prout verum est, prænoscentem, nego consequentiam. Si enim absque Scientia Dei Media conferretur hoc ipsum auxilium, de quo Scientia Media præscit, quod si conferatur, fiet consensus; eveniret certè consensus: Deus tamen id sic non præsciens, non esset infallibiliter certus formaliter de tali eventu, ad decernendam providè collationem talis auxiliij. Hanc formalem certitudinem quærimus in divina Prædestinatione, ut cum formali infallibilitate procedat, & prædestinatos perducatur ad finem Gloriæ: & non nisi per Scientiam Dei Mediam invenimus.

26 Ad confirmationem dicimus, verum id esse de infallibilitate, ac certitudine obiectivâ: quâ nempe res, dum est, certò est: & cum consensus sit collato hoc auxilio, certò fit, collato hoc auxilio: & similiter, si fieret, fieret. At extra dubium est, quod nequit esse verum, consensus

absolutè nunc fieri collato hoc auxilio, quin fuerit semper verum, quod nunc fieret consensus, si conferretur hoc auxilium. Hanc autem veritatem à Deo præsciri nõ est frustra; sed perutile, ac pernecessarium ad hoc, ut Deus non inscius, sed certò formaliter, & infallibiliter præsciens de eventu futuro, si conferatur auxilium, possit providè decernere collationem auxiliij. Hæc autem est certitudo formalis, & infallibilitas divinæ Prædestinationis, non nisi à Scientia Media desumptibilis.

27 Obijcitur quartò: Certitudo Prædestinationis cognita semper fuit ab Ecclesia; & ab Augustino: nullatenus verò Scientia Media: quam scilicet ipse Molina, eius Antesignanus Assertor, testatur esse adversus Augustinum; ideoque ex doctrina Augustini multos fuisse turbatos, & lapsos in Pelagianismum: & scimus, postmodum admittam fuisse à Semipelagianis Augustini corruptoribus: ergo certitudo certa divinæ Prædestinationis neququam desumi potest à Scientia Media. Verba Molina in Concord. quest. 23. art. 4. & 5. disp. 1. membr. ult. §. Nos pro nostra, loquentis de doctrinis, quas ex Scientia Media tradiderat, sunt huiusmodi. *Quæsi data, explanataque semper fuissent, fortè neque Pelagiana Hæresis fuisset exorta; neque Lutherani tam impudenter arbitrij nostri libertatem fuissent ausi negare; obtendentes, cum divinâ gratia, præscientiâ, & prædestinatione coherere non posse; neque ex Augustini opinione, concertationibusque cum Pelagianis tot Fideles fuissent turbati; & ad Pelagianismum defecissent; facileque reliquia illæ Pelagianorum in Gallia, quarum in Epistolis Prosperi, & Hilarij sit mentio, fuissent extirpata.*

28 En, quod aiunt, capitale insignis Molinae piaculum, in quod, quasi nunquam à posteris luendum, offendunt tandem, rationibus diffidentes, aliqui Scientiæ Mediæ impugnatores, ab Ecclesiæ Tribunalibus appellantes ad vulgus, postquam ab eorum censuris Molinae doctrinam Pontifices liberarunt. Agnoscimus relata verba nostræ esse Molinae. Negamus tamen: quod in ijs adversetur Augustino vir Augustini studiosissimus, qui non nisi ex Augustini fonte has Doctrinas in Scholas feliciter derivavit adversus errores Lutheranorum, Jansenistarum, aliorumque libertatis humanæ insectatorum. Quinimò disertè scri-

scribit, quod ex doctrina Augustini non evenissent incommoda, si magis fuisset explicata, ac debite intellecta, ut ipse postea luculentius intellexit, & explicuit, supponens, & probans, eam de Scientia Media doctrinam tenuisse in re Sanctos PP. cum Augustino. Quod assumptum postea Scriptores nostri cum laude, & fructu prosequuti sunt, præsertim Suarez, Annuatus, Montoya, & noviter R. P. N. G. Thyrsius in *Selectissimis suis Disputationibus tom. 1. disp. 13.* ac deinceps à *disp. 36.* & ubertim Henans *tom. 1. de Scientia Media.*

Suarez.  
Annat.  
Montoya.  
R. P. N. G.  
Thyrsius.  
Henans.

29 Quod autem Scientiam Mediam admiserint Semipelagianis, non est argumentum contra veritatem Scientiæ Mediæ; sicut nec cõtra veritatem Trinitatis, quod agnoverint mysterium Trinitatis: quandoquidem, sicut neque in hoc, ita nec in illo erant Hæretici; sed ex alijs capitibus, à quibus catholicè discedunt, qui bene utuntur doctrinis Scientiæ Mediæ. Audiat Augustinus ad calcem libri de Prædest. Sancti. Vbi, postquam mirificè disseruit contra Semipelagianos, apud se delatos per Epistolas Prosperi, Hilarij Arelaten. quod negarent initium quoque Fidei haberi ex gratia; concludit: *Dum tamen,*

Augustin.

*& si multò diutius, quàm vellent, & si cum fastidio intelligentem, fateantur nos fecisse quod fecimus; id est, etiam initium Fidei; sicut continentiam, patientiam, iustitiam pietatem, & cetera, de quibus cum illis nulla contentio est, donâ Dei esse docuisse.* En, quoad actus salutare aliarum virtutum subsequentes ad initium Fidei, testatur Augustinus, quod sibi cum Semipelagianis *nulla contentio est.* Vel ergo pro certitudine Prædestinationis quoad actus istos salutare variarum virtutum admittebant Semipelagianis gratias necessitantes; vel præterminantes; vel secundum se indifferentes cum adminiculo Scientiæ Mediæ. Si primum, multum quidem contentiois supererat cum Semipelagianis. Si secundum: an quia Semipelagianis admiserint prædeterminationes, hæc propterea hæreseos Semipelagianæ damnanda sunt? Absit. Neque igitur Scientia Media, ex eo quod placuerit Semipelagianis. Si tertium: ergo in usu Scientiæ Mediæ, quem nos admittimus, conveniebat cum Semipelagianis Augustinus, sponte passus, dempto initio Fidei, & loquendo de cæteris actibus salutaribus se nihil cum illis contendere: ibi

de quibus cum illis nulla contentio est.

30 Neque excessit P. Molina insinuâs, se Scientiæ Mediæ doctrinas clariùs explicasse. Sicut neque excederent Prædeterminatistæ post Bañez dicentes, se clarioribus, & explicatioribus in dies terminis suam prædeterminationum sententiam tradidisse, quam contentam voluit in Scripturis, & SS. Patribus. Nec mirum est, antiquiores ante Lutherum, & Calvinum non exactissimè discussisse concordiam divinæ gratiæ, & Prædestinationis cum nostra libertate: laborabant enim cū Augustino contra Manichæos in stabilienda libertate: postea verò contra Pelagianos in stabilienda necessitate Gratia. Successerunt noviores Hæretici concedentes cum Augustino necessitatem gratiæ; concordiam verò gratiæ cum libertate saltem à necessitate negantes: quapropter necesse fuit accuratius studere huic concordia, salvâ certitudine Prædestinationis. Id præstitere Magistri nostri cum ingenti Ecclesiæ bono. Nec piaculum est post studium adeo indefessum suspicari, aliquid lucis in ijs controversijs ex diligenti volutatione SS. Patrum, opitulante Patre luminum, affulgere potuisse.

31 Nec excessit dicens, ex doctrina Augustini fuisse aliquos turbatos. In hoc enim retulit quod in Epistolis suis ad Augustinum, legendis ante *Libr. de Prædestinatione Sanctorum*, referunt Prosper, & Hilarius Augustino addictissimi. Hoc planè est eventum narrare; non tamen culpam Augustino tribuere; sed depravatoribus, aut dolosè intorquentibus, aut inscitè non penetrantibus Augustini mentem, & doctrinam. Retulit ergo Molina quod retulerunt ad ipsum Augustinum Prosper, & Hilarius cum eadem Augustini omnium Magistri veneratione. Profertò iustam professus sui venerationem S. Petrus erga Coapostolum Paulum in 2. *Petr. 3.* *sua Canonica cap. 3.* scribit sic: *Charissimus Frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiâ scripsit vobis: sicut & in omnibus Epistolis, loquens in eis de ijs, in quibus sunt quedam difficultia intellectu, que indocti, & instabiles depravant, sicut & ceteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Quæ quidem Sacra narratio nec contra Pauli doctrinam, nec contra Petri modestiam quidquam continet. Consulatur Cornelius super hunc locum.

Alapid.

32 Neque excessit suspicans eas Gal-  
liæ turbationes evitandas fortè fuisse, si  
Sententia Augustiniana de Scientiâ Media  
fuisset clariùs exposita. Quia modestissi-  
mè potest quis existimare, se clariùs ex-  
ponere quod suboscuriùs reperit in anti-  
quioribus, & in Sacra Scriptura: alioquin  
quis prudens in exponendo laboraret? Nec  
certè Sanctis Scripturis iniurius habere-  
tur qui diceret, quòd hæreses aliqua fuis-  
sent evitata, si Scriptura clariùs loquere-  
tur in aliquibus locis: quod tamè ob alios  
fines non oportuit, ut adversùs Hæreticos  
expendit Bellarminus *rom. 1. lib. 3. de*  
*Verbo Dei*. Denique occasio temporum  
Augustini postulabat id quod eximie  
præstitit Augustinus: nempe stabiliri con-  
tra Pelagianos necessitatem gratiæ ad  
opera salutaria. Concordiã verò gratiæ  
cum libero arbitrio non ita tunc tempo-  
ris urgebat: eam enim non negabant Pe-  
lagiani, adhuc admisã quoquo modo ne-  
cessitate gratiæ; sicut ijs nostris tempo-  
ribus novi negant Hæretici. Non ergo  
mirum, quòd Augustinus in id non tam  
exactè incubuerit, ac postea contra novas  
Hæreses necesse nobis fuit.

33 Hæc omittere non debuim ad con-  
temnendas insidiosas susurrationses, ani-  
lesque narratiunculas Theologastri quem  
ut in Scholis peregrinum, contra Scientiæ  
Mediæ doctrinã scripturam, incidenter  
legi. Alias obiectiões contra necessitatem  
Scientiæ Mediæ ad certitudinem divinæ  
Prædestinationis posuimus, & discimus  
*Supr. disp. 2. & 3.* ubi de necessitate Scientiæ Mediæ  
ad Providentiam moralem: & *disp. 6.* ubi  
de necessitate Scientiæ Mediæ ad Præfinitio-  
nes.

#### SECTIO IV.

*An Scientia Media constituens Prædestina-  
tionem præcedat, & dirigat decretum  
conferendi auxilia Prædestinatis?*

34 **D**ixi: præcedat, & dirigat: ut hæc  
duo distinguerem, prout oportet  
adversùs aliquos, qui præcedentiam  
cum directione immeritò confundentes,  
ad voces magna ex parte revocant rem  
gravissimam. Alia enim est directio in  
sensu laxo merè propositoria: & hanc pos-  
sunt tutò parificare cum præcedentia Sci-  
entiæ Mediæ. Alia est directio stricta, per-

suasoria, ut sic dicam, efficacitatis auxi-  
lij: de qua inter Assertores Scientiæ Me-  
diæ disceptatur acriter, suppositã præce-  
dentia Scientiæ Mediæ. An scilicet Scien-  
tia Media taliter dirigat decretum divi-  
num conferendi auxilia, quæ præsciuntur  
à Scientia Media fore efficacia, si conse-  
rantur, ut illã prænotitiã directus Deus  
decernat conferre auxilia illa, quia effica-  
cia sunt, non ea collaturus, si præcivisset  
non fore efficacia. Idem disputari potest  
de multis auxilijs, quæ dantur non præde-  
stinatis, & sunt, ac præsciuntur efficacia  
ad multos actus salutares, quos exercent,  
quamvis tandem non perseverent finali-  
ter, nec Gloriam consequantur. Et quod  
dicitur de collatione auxiliorum, ut fiant  
merita, applicandum est accomodè ad  
subtractionem tentationum, ne fiant de-  
merita. Deus enim, sicut auxilia confert,  
ut homo acquirat bonum, ita tentationes  
subtrahit, ut evitet malum.

35 Hoc statuto pernecessario discrimi-  
ne inter directionem Scientiæ Mediæ  
laxè dictam, seu merè propositivam; &  
inter directionem strictam reipsa persuas-  
foriam efficacitatis auxiliij; notandum ve-  
nit, quòd non est idem, Deum decernere  
collationem auxiliij, ut homo consentiat; &  
eam decernere, quia homo consentiet, si de-  
tur auxilium. Illud prius denotat divinam  
intentionem humani consensûs: quæ, si  
sit intrinsecè efficax, est Præfinitio; si ve-  
rò non sit efficax, ut circa illos, qui accep-  
to auxilio, ut consentiant, non consen-  
tiunt, non est Præfinitio, nec voluntas in-  
trinsecè connexa cum positione consen-  
sûs. Istud verò posterius denotat, præ-  
scientiam de consensu, sub conditione col-  
lationis talis auxiliij movere Deum per-  
suasivè in actu secundo ad decernendam  
collationem auxiliij: dicitque connexio-  
nem cum positione consensûs: non utcum-  
que, quia denotet præintentionem intrin-  
secè efficacem consensûs; alioquin om-  
nes negantes possibilitatem Præfinitio-  
num, negare eo ipso deberent strictam  
hanc directionem Scientiæ Mediæ, quod  
nehtiquam patientur; sed quia denotat  
taliter haberi decretum conferendi auxi-  
lium, ex præscientia positionis consensûs  
sub conditione collationis talis auxiliij, ut  
absque tali præscientia non illud contulif-  
set, quantum colligi valet ex præsentia af-  
fectu, & modo illud conferendi ex indu-  
stria,

stria, quia efficax ex motivo efficacitæ re-  
presentatæ per Scientiam Mediam; quam-  
vis possit, si vellet alioquin etiam illud  
conferre. Aliter dicendum esset, si daret  
Deus auxilium ex motivo sufficientiæ, sci-  
licet, quia intrinsecè sufficiens. Ex hoc  
enim affectu, & modo decernendi & dan-  
di, non argueretur illud, non dandum fo-  
re à Deo, si præterea esset efficax: nam  
perstaret motivum adæquatum ibi relu-  
cens, illud dandi, scilicet bonitas intrinse-  
cæ sufficientiæ: cui non obstat efficacia.

36 His præsuppositis, communis, tri-  
taque Scholæ nostræ sententia, cum An-  
tesignanis Molina, Suarez, & Vazquez;  
atque adeò tam cum propugnantibus,  
quàm cum respuentibus divinas Præfinitio-  
nes; propugnat universim directionem  
Scientiæ Mediæ ad decretum collationis  
auxiliorum efficaciam: hancque reputat  
præcipuam Scientiæ Mediæ utilitatem: ut  
videre est apud Ribadeneyrã *disp. 3.*  
*Molina.* apud Aldrete *disp. 2.* Quiròs *disp. 7.* &  
*Suarez.* apud Borrull *disp. 15. de Scientia Media:*  
*Vazquez.* taxatque nonnullos, in oppositum devian-  
tes, tanquam degeneres Assertores Scien-  
tiæ Mediæ. Aliquale fundamentum lege-  
re potuerunt in P. Lessio: sed defecerunt,  
ut reor, præ rei difficultatè, per suos circa  
libertatem discutendi modos, propterea  
consultiùs deponendis, insuperabili.

37 Ex Authoribus communis nostræ  
sententiæ P. Quiròs citans nonnullos Ro-  
manos, quibus accessit primarius huius  
nostri Collegij P. Doctor Philippus Aran-  
da, addit Scientiæ Mediæ directionem  
non solum esse Deo ad decernendum au-  
xilium efficax possibilem; sed esse quo-  
que necessariam. Hoc tamen negant Ri-  
baden. *disp. 4.* & Borrull *sect. 5.* & com-  
munius alij. Patetur tamen P. Borrull *sect.*  
*Ribaden.* 6. quòd, quamvis nulla determinatè Scien-  
*Borrull.* tia Dei Media necessariò præcedere de-  
beat ad collationem auxiliij, necessariò tam-  
en præcedere debet aliqua indeterminatè,  
& disiunctim; videlicet sive de con-  
sensu, sive de dissensu.

38 Hoc postremum acriter solet in-  
ter aliquos disputari: an scilicet disjun-  
ctum Scientiæ Mediæ, seu aliqua Scien-  
tia Media disiunctim necessariò præte-  
quiratur in Deo ad decernendam collatio-  
nem auxiliij. Contendit enim Borrull,  
quòd, quamvis ad decernendum auxilium  
efficax, sit requisita determinatè Scientia

Media de consensu; non tamen est, sic  
prærequisita: atque adeò non debere præ-  
cedere ad decretum collationis talis auxi-  
lij Scientiam Mediam de consensu: quam-  
vis præcedere debeat disiunctum Scien-  
tiæ Mediæ: hoc est disiunctim, & inde-  
terminatè, aut Scientiam Mediam de con-  
sensu, aut Scientiam Mediam de dissensu.

39 Vix ego quidquam rei disputa-  
tione dignum in ista subtilitate invenio.  
Placet, quòd aliud est disiunctum scien-  
tiæ; aliud verò scientia disiuncti. Scientia  
namque, quam vocant *disiuncti*, non est  
Media, sed simplicis intelligentiæ: est enim  
veritas necessarissima, quòd, si confera-  
tur hoc auxilium, fiet consensus; vel dis-  
sensus: hanc vocant *scientiam disiuncti*.  
Disiunctum scientiæ ponunt inter Scien-  
tiam verè Mediam de consensu, aut Scien-  
tiam verè Mediam de dissensu, si confera-  
tur hoc auxilium. Quo sic rectè distincto,  
aiunt primò, scientiam *disiuncti*, præcedere  
debere ad decretum liberum collationis  
auxilij; & quidem verissimè; cum sit  
scientia necessaria.

40 Aiunt secundo, disiunctum scien-  
tiæ, hoc est, aut Scientiam Mediam de  
consensu, aut Scientiam Mediam de dis-  
sensu, si detur auxilium; indeterminatè,  
& vagè debere etiam præcedere ad decre-  
tum collationis auxiliij. Et de hoc nolo  
contendere: cum dicendum nobis sit con-  
tra Patrem Borrull, & Scientiam quoque  
Mediam determinatam de consensu debe-  
re necessariò præcedere ad decretum col-  
lationis auxiliij efficacis. Solum animad-  
verto, quòd bene notavit Ribaden. *disp. 4.*  
*Ribaden.* *num. 30.* & magis explicuit *disp. 11. cap.*  
*6.* necessitatè istam disiuncti scientiæ,  
essendi scilicet in Deo alterutram ex illis  
Scientijs Medijs, non esse formaliter ip-  
sas scientias; sed essentiam Dei necessa-  
rissimam intrinsecè repugnantem esse sine  
utraque.

41 Aiunt tertio, Scientiam Mediam  
determinatè de consensu, non debere ne-  
cessariò præcedere ad decretum collatio-  
nis auxiliij efficacis. In hoc convenire  
non possum ob rationes primæ conclusio-  
nis *sect. seq.* Et observatum velim, aliter  
comparari Scientiam Mediam determi-  
natam de consensu ad decretum collatio-  
nis auxiliij; & aliter ad consensum. Ad  
consensum est ita necessaria, ut poni ne-  
queat à nobis consensus, illã non existen-  
te

te in Deo; ad decretum verò non ita. Quamvis enim, si decretum valt auxilium, quia efficax ex intentione efficaciæ, necessaria ad id sit præscientia media de consensu: posset tamen idem auxilium à Deo decerni, quin decernatur, quia efficax, sistendo nimirum in intrinseca conducentia, & sufficientia auxilij: tunc autem nõ requireretur ad decretum collationis auxilij Scientia Media determinatè de consensu: talis enim modus decernendi collationem auxilij, si Deo possibile est, quamvis de facto coniungeretur cum consensu; intrinsecè tamen, & ex se compossibilis est cum consensu; atque adeo seiungibilis à Scientia Media de consensu: sicque ponitur ab aliquibus de facto.

### SECTIO V.

*Noster sensus, quatuor conclusionibus distinctim explicatus, circa directionem Scientiæ Mediæ.*

42 **P**rima conclusio. Neesse est Scientiam Mediam determinatam de consensu præcedere decretum divinum conferendi auxilium efficax. Vnde directio, latè dicta propositoria, solumque suafforia Scientiæ Mediæ, necessaria est ad Prædestinationem. Hoc postremum liquet: quia directio latè dicta suafforia, seu propositoria Scientiæ Mediæ, nihil aliud dicit, nisi præcedentiam Scientiæ Mediæ, non utcumque illuminantis, verum etiam præilluminantis Deum ad decernendum auxilium efficax: ergo stante illà præcedentiâ, & præilluminatione, & necessariò ad id stante, neesse est stare directionem, latè dictam propositivam Scientiæ Mediæ. Id quòd est mihi æque indubium, ac existentia Scientiæ Mediæ.

43 Ratio conclusionis est. Quia nequit Deus actu decernere collationem auxilij reipsà efficaci, quin sit in Deo Scientia Media, cognoscens fore consensum, si tale conferatur auxilium: sed nequeunt coexistere in Deo ista scientia, illudque decretum, quin ista scientia præcedat ad istud decretum: ergo non solum est verum, quòd præcedit; sed est neesse quòd præcedat ad illud. Consequentia liquida est. Maior est indubitabilis: ne dicatur Deus nescire aliquam veritatem. Minor autem ostenditur. Nam illa Scien-

tia Media est independens, & inconnexa cum tali decreto: potuit enim esse sine tali decreto; cum Deus habens illam scientiam maneat indifferens ad decernendam, aut non decernendam pro libito suo collationem talis auxilij: tale verò decretum est essentialiter connexum cum illa scientia; quatenus nequit esse in Deo sine illa: non enim nisi improvidè, minusque prudenter, posset Deus decernere collationem auxilij reipsa efficaci, ex intentione adhuc inefficaci consensu, absque notitia congruitatis auxilij ad consensum, ut vidimus *sect. 2. disp. 2. sect.* Atque hinc est, quòd valet illatio: *Decernit Deus auxilium efficax: ergo scit fore consensum, si detur auxilium*: quæ quidem Scientia Media est: non tamen valet e converso: *Scit Deus fore consensum, si detur auxilium: ergo decernit auxilium*. In hoc igitur genere prioritatis puræ independentiæ, seu inconnexionis, adversarijs ipsis nimis famulati, quam alij vocant, *in subsistendi consequentia*, tali decreto, talique Scientiâ Mediâ coexistentibus in Deo, nequit non existere scientia antecedenter ad decretum, & decretum consequenter ad scientiam: præsertim cum ad dictam inconnexionem accedat illuminatio Scientiæ Mediæ præscientia Visionis de auxilio, & de consensu ad decernendum auxilium pro consensu. Quo, nisi cæcutire velimus ad solem pomeridianum, sit innegabilis, aliqua prioritas necessaria Scientiæ Mediæ determinatæ de consensu ad decretum auxilij efficaci, ut ponatur consensus.

44 Hac Scientiæ Mediæ necessariâ præcedentiâ statutâ, dissidium esse potest minoris momenti: an propterea asserenda sit necessaria ad Prædestinationem, non solum Scientia Media; sed etiam directio Scientiæ Mediæ. Afirmat utrumque Quiròs: inde docens directionem Scientiæ Mediæ determinatæ de consensu esse Deo necessariam ad decernendum auxilium efficax. Movetur: quia vel Deus decernit auxilium, quia efficax ex motivo efficaciæ: & ad hunc modum decernendi certum est, esse necessariam præcedentiam, & directionem Scientiæ Mediæ de efficaciæ auxilij, ac proinde de consensu: vel decernit auxilium, quòd prænovit efficaci, quamvis non quia efficax, & ex motivo efficaciæ: & ad hunc etiam modum decern-

decernendi ait esse quoque necessariam: quia quamvis Deus sic præilluminatus, pro libito suo non decerneret auxilium quia efficax; esset tamen sic constitutus potens, ac liber ad sic decernendum auxilium, quia efficax: atque adeò præilluminatus per Scientiam Mediam efficaciæ in signo suæ libertatis apto ad sic decernendum, si vellet. Hoc autem intelligi nequit absque præcedentiâ talis Scientiæ Mediæ, in illo scilicet signo divinæ libertatis: atque adeò nec sine præcedentiâ Scientiæ Mediæ: ergo in utrovis modo decernendi est Deo necessaria directio Scientiæ Mediæ. Negant id tamen cum alijs Ribadeneyra, & Borrull. Quia, inquit, quamvis exinde probetur bene, Deum posse dirigi per talem Scientiâ Mediam; quatenus nempe potest decernere auxilium quia efficax; non tamen reipsà dirigi; nam actu dirigi dicit non solum posse sic decernere, sed actu sic decernere auxilium quia efficax. Cum autem neesse non sit, Deum sic decernere, quamvis possit; inde est quòd non est necessaria directio Scientiæ Mediæ, quamvis sit possibilis, & actu concedenda sit.

45 Hoc dissidium videtur conciliari posse per distinctionem duplicis directionis latæ, vel strictæ, prout discrevimus, & explicuimus *sect. præc. num. 1.* Quocirca iam constat ex conclusione prima, directionem Scientiæ Mediæ latè dictam propositivam, & suafforiam, esse non solum possibilem, actuque concedendam; verum etiam omninò necessariam ad decernendum auxilium efficax. Hoc probat optime ratio Patris Quiròs: & in hoc verum tenet. Loquendo autem de directione stricta Scientiæ Mediæ, non solum suafforia, verum etiam persuasoria, sit

46 Secunda conclusio. Directio Scientiæ Mediæ strictè dicta, non solum suafforia; sed etiam persuasoria, non est Deo necessaria ad decernendum auxilium efficax. In hoc convenio cum Ribadeneyra & Borrull: nec contra hoc quidquam probat P. Quiròs. Et ratio est: quia hæc directio non solum proponit, & suadet ad decernendum auxilium, quòd præcitur efficaci, representando bonitatem & motivum efficaciæ; verum etiam persuadet, hoc est, reipsa, & cum effectu movet Deum ad sic ex tali motivo decernendum auxilium, quia efficax. Hoc autem non est sic ne-

cesse: quia quamvis bonitas talis motivi sic proposita sit sufficiens, ut possit Deum movere ad sic decernendum auxilium quia efficax; non propterea Deum obligat, aut necessitat ad sic decernendum; cum possit idem auxilium efficax decernere ex alijs motivis sibi bene visis, quin decernat ex motivo efficaciæ. Cum ergo stricta directio Scientiæ Mediæ involvat Deum sic reipsa moveri, non est unde sit Deo necessaria ad prædestinandum, quamvis possibilis sit. Et hoc probat ratio Ribadeneyra, & Borrullij: & in hoc sensu verum tenent.

47 Tertia conclusio. Possibilis Deo est stricta Scientiæ Mediæ directio persuasoria ad decernendum auxilium efficax. Hæc conclusio est communis in Schola nostra, etiam apud illos, qui possibiles negant divinas Præfinitiones: & mihi videtur à veris Assertoribus Scientiæ Mediæ innegabilis. Ratio firma est: quia, cum efficaciæ auxilij bona sit, & representetur Deo per Scientiam Mediam antecedenter ad hoc, aut illud decretum conferendi auxilium, ea Scientiæ Mediæ representatio est; ut vidimus, ex una parte in signo apto, ut moveat ad hunc, aut illum modum decernendi: nec est ex alia parte cur non possit Deus specialiter benevolus per illà præilluminatus velle pro libito suo decernere ex industria tale auxilium, quia efficaci, ex motivo efficaciæ sibi placenti, non collaturus, si non præcivisset fore efficax. Sed hoc est, Scientiam Mediam efficaciæ strictè, & persuasoriè dirigere Deum ad decernendam collationem auxilij: ergo possibilis Deo est ea stricta directio Scientiæ Mediæ. Consequentia est liquida, fietque à fortiori liquidior ex conclusione quarta. Minor est explicatio in terminis strictæ directionis.

48 Maior autem probatur quoad secundam partem: nam quoad primam satis constat ex conclusione prima. Si enim aliquid obstarer, maximè vel incoheritas libertatis creatæ; eo quia talis scientia sic dirigens; & tale decretum sic conferendi auxilium sunt complexum antecedens consensum nostrum instar principij essentialiter connexi cum consensu; vel gratuitas beneficentiæ divinæ; eo quia Deus sic decernens conferre auxilium, non istud daret gratis, & omnino liberaliter; sed ex motivo efficaciæ involventis consensum, seu

*Supr. disp. 2.*

*Ribadeneyra, & Borrull.*

*Quiròs.*

fen opus nostrum. Atqui neutrum horum obstat: ergo non est cur non possit Deus prædicto modo post præscientiam illam Mediam efficaciam decernere re ipsa auxilium quia efficax, & ex motivo efficaciam. Probatum minor quoad utrumque obstatulum.

49 Non enim obstat primum, propter ea, quæ latè diximus *disp. 6. & 7. de Præfinitionibus*, salvantibus optimè libertatem nostram, non obstante quòd sint principia quodammodo consentis nostri absoluti, ad ipsum antecedentia, & cum ipso essentialiter connexa: quia nempe sunt evitabiles pro libito nostro: id quod currit pariter in complexo decreti, & Scientiæ Mediæ dirigentis, ut fiet planum in solutione obiectionum. Tum quia hoc ipsum obstatulum repellendum occurrit negantibus Præfinitiones, & directionem Scientiæ Mediæ, in complexo ab utrisque admittendo decreti de collatione auxiliij; & Scientiæ Mediæ, sive dirigentis, sive non dirigentis, de efficacia auxiliij, ut ostendimus eisdem *disp.* Non igitur id obstat debet directioni Scientiæ Mediæ. Quapropter dixi sæpè, atque iterum dico, difficultatem ex hoc capite objeci solitam contra Præfinitiones, esse à fere omnibus nostris subeundam pro directione Scientiæ Mediæ; & ab omnibus pro complexo innegabili Scientiæ Mediæ, etiam non sic dirigentis, & decreti collativi auxiliij efficaciam, quamvis non sit ex motivo efficaciam.

50 Nec obstat secundum: quia quòd dicimus, Deum strictè directum per Scientiam Mediam efficaciam auxiliij, decernere conferre auxilium quia efficax, & ex motivo efficaciam; non est, efficaciam auxiliij movere ad collationem auxiliij ad instar meriti: quòd esset inconveniens; sed alio modo nihil derogante gratuitati in conferendis auxilijs, ut respondendo ab obiectiones explanabimus. Nihil igitur est quòd obstat possit strictæ directioni Scientiæ divinæ Mediæ ad decernendam collationem auxiliorum efficaciam.

51 Quarta conclusio. De facto utitur Deus stricta directione suæ Scientiæ Mediæ ad decernendam collationem auxiliorum efficaciam: hoc est, præcedente illuminatione Scientiæ Mediæ de efficacia auxiliij illud decernit, quia efficax, & ex motivo efficaciam. Hæc conclusio insedit

altè Antesignanis Scholæ nostræ; estque sic annexa solidis principijs doctrinæ Scientiæ Mediæ, ut à nemine Nostrorum negari tutò possit. Ratio fixa est: quia supposita in Deo post Scientiam Mediam efficaciam potestate liberà sic decernendi auxilia iuxta conclusionem tertiam; & potestate aliter decernendi, iuxta secundam; sic de facto decrevisse, colligitur constantissimè ex Scripturis, & ex SS. Patribus, unde quo se modo gesserit Deus de facto pro libito suo, indagare, & colligere solemus, ac debemus: ut ostendemus opportunè *disp. seq.* agentes de modo, quo Deus de facto decrevit auxilia efficaciam. Sic ergo de facto decrevisse tenendum est: ac proinde strictam Scientiæ Mediæ directionem non solum esse Deo possibilem, sed de facto Deo concedendam ad decernenda auxilia efficaciam.

#### SECTIO VI.

*Obiectionum utili solutione nostræ conclusiones elucidantur.*

52 **O**bjicitur primò. Si decretum conferendi auxilium efficax dirigeretur in statu absoluto per Scientiam Mediam, dirigeretur etiam in statu conditionato: res enim in statu suo conditionato pendent conditionatè ab ipsèdem principijs, à quibus absolute in absoluto illi correspondente. Atqui decretum in statu conditionato non dirigitur per Scientiam Mediam: ergo neque in absoluto. Probatum minor: nam ad statum conditionatum consensus conditionatè futuri sub collatione huius auxiliij non præcedit, imò subsequitur Scientia Media; sicut nec ad absolutum Scientia Visionis, ut vidimus *disp. 2. à sect.* ergo sicut Scientia Visionis, quæ propterea non est causa rerum, ut vidimus ibidem, non causat consensum, nec dirigit ad decretum auxiliij in statu absoluto; pariter nec Scientia Media in conditionato.

53 Respondetur, prætermisissis variorum responsionibus, distinguendo maiorem ex latè dictis, & omnino relegendis *disp. 2. à sect.* Dirigeretur etiam in statu conditionato, qui sit obiectum veræ Scientiæ Mediæ, nego: in aliquo alio, qui sit obiectum simplicis intelligentiæ, propter connexionem scilicet suæ conditionis cum

even-

eventu conditionato, concedo maiorem. Et distinguo minorem: in statu conditionato, qui est obiectum veræ Scientiæ Mediæ, concedo: in aliquo alio correspondente Scientiæ simplicis intelligentiæ, nego minorem, & consequentiam. Cuilibet enim eventui absoluto correspondent varij status conditionati, sub quibus etiam esset, si tales condiciones ponerentur: ut patet in assentiente consilijs duorum, assensuro etiam consilio alterius: de eo enim assensu absoluto verum esset conditionatè, quòd poneretur si duo consulerent: si unus consuleret: si alter consuleret: quamvis in statu absoluto ponatur duobus consulentibus. Atque hinc ad rationem subiunctam pro maiori, dico, res in aliquo statu conditionato pendere conditionatè ab ipsèdem principijs, à quibus absolute in absoluto; non tamen in omni statu conditionato: sicque non infertur, quòd consensus in statu conditionato correspondente veræ Scientiæ Mediæ non patientis sub sua hypothesi quidquam intrinsecè connexum cum eventu, pendere debeat ab omnibus principis status absoluti, sed in aliquo alio statu conditionato; etiam verissimo; involuente ipsam Scientiam Mediam, & decretum sub sua hypothesi connexa cum eventu; ideoque non pertinente ad Scientiam Mediam; sed ad scientiam simplicis intelligentiæ, quam perperam nonnulli cognominant Scientiam Mediam reflexam: ut vidimus *loc. cit.*

54 Objicitur secundo. Multa dat Deus auxilia sufficientia non directus per Scientiam Mediam efficaciam; cum multa conferat non consensurus. Vel ergo illa seligit ex industria, ut conferat inefficaciam præ efficacibus; vel non ex industria? Si primum, ergo æquè dirigeret Deum Scientia Media inefficaciam ad dandum auxilium inefficax, quia inefficax; ac Scientia Media efficaciam ad dandum efficax, quia efficax. Si secundum, ergo multa confert, quæ in re evadunt efficaciam, non directus per Scientiam Mediam efficaciam; imò quasi non attenderet ad eorum efficaciam. Probatum: Non enim posset moraliter evenire, quòd ex multis millibus auxiliorum sufficientium, quæ conferret Deus non directus per Scientiam Mediam efficaciam, nullum evaderet efficax, nisi seligeret ex industria ea, quæ futura sint inefficacia;

quemadmodum, quòd ex cumulo bis mille pomorum, partim sanorum, partim putrium, si promiscuè ea singulatim distribueres quingentis hominibus; omnibus contingerent putrida, est moraliter impossibile, nisi putrida seligerentur ex industria. Ergo, si Deus ex cumulo omnium auxiliorum verè sufficientium non seligeret ex industria inefficaciam; moraliter evenire non posset, quòd ex multis millibus, quæ conferret non directus per Scientiam Mediam efficaciam; hæc omnia evaderent inefficacia: aliqua ergo, imò & multa evaderent & de facto efficaciam, non dirigente Scientiam Mediam efficaciam ad decretum de eorum collatione.

55 Sic ratiocinantur ex Lessio *Lesio: Ribaden.* Ribaden. nulli apud Ribadeneira *disp. 5. cap. 2.* ut sibi persuadeant, Deum in decernendis auxilijs non habere rationem ad efficaciam, vel inefficaciam; eadem daturum, sive quæ efficaciam sunt, forent inefficacia; sive e converso. Quorum tamen deceptio deprehenditur ex ipso exemplo pomorum, quò ducuntur; & seducuntur. Quamvis enim nequeat moraliter evenire, nisi per industriam, quòd quingentis contingerent poma putrida, si quingenta sola extraherentur singula singulis: si verò ex cumulo decem millium extraherentur bis mille singulatim pro totidem hominibus, moralissimè citra industriam posset evenire, quòd quingenta putrida contingerent singulatim quingentis ex illis hominibus. Sic autem res consideranda est in cumulo auxiliorum sufficientium partim inefficaciam: non enim omnia, quæ dat Deus ex illo cumulo, evaderent, aut evadunt inefficacia. Quod si ex omnibus consideres ea sola, quæ evadunt inefficacia, invenies magnam multitudinem inefficaciam: non quia ex industria sua seligerit in re Deus inefficaciam; sed quia ex omnibus, quæ Deus dedit, tu mente seligis ex industria tua ea, quæ evadunt inefficacia, non computando efficaciam, quæ promiscuè Deus dedisset.

56 Respondetur nunc ad obiectionem, concedendo antecedens, & admittendo secundam partem consequentiæ bipartite. Negatur autem illatio ex hac parte male deducta. Ad probationem distinguo antecedens iuxta explicationem nuper adhibitam exemplo pomorum: si Deus indiscriminatim conferret eam certam multitudinem auxiliorum ex toto cumulo effica-

Et cium

cium & inefficacium, cōcedo: si ex cumulo efficacium & inefficacium, quæ confert; computentur ea, quæ evaderent inefficacia, non computatis efficacibus, nego antecedens, & consequentiam. Sic enim; quamvis à Deo distribueute auxilia non seligantur ex industria sua ea, quæ sint inefficacia, fiet, quod evadat illa multitudo; quam computares efficacium; interiectis tamen multis efficacibus, ex industria tua non computatis.

57 Obijcitur tertiò contra primam præsertim conclusionem mihi certissimã. Si Scientia Media determinata consensus non solum requireretur, quin etiam prærequireretur necessariò antecedenter ad decretum de collatione auxilij efficaci; ideoque directio saltem latè dicta Scientiæ Mediæ, esset non solum Deo possibilis; quin etiam necessaria ad decernendum; haberet se Scientia Media necessariò antecedenter ad nostrum consensum absolutum; ad quem etiam se habet necessariò antecedenter decretum de collatione auxilij. Atqui hoc implicat: ergo & doctrina primæ nostræ conclusionis. Probatut minor: nam repugnat libertati nostræ omne necessariò antecedens ad consensum nostrum, & essentialiter connexum cum consensu nostro: sed complexum illud Scientiæ Mediæ sic dirigentis, & decreti, est essentialissimè connexum cum consensu nostro: quatenus nempe implicat, Deum præscire, quod si conferatur hoc auxilium, ponetur consensus, simulque decernere collationem auxilij, & à nobis non poni consensum: ergo implicat quod necessariò debeat antecedere consensum: ac proinde necessaria antecedentia, seu directio à nobis asserta Scientiæ Mediæ.

58 Nec satis quadrat pro expeditione præsentis difficultatis doctrina Præfinitionum. Hæ enim quamvis se habeant antecedenter & connexissimè cum actu præfinito, non sunt iuxta nos ad illum necessaria. At complexum istud iuxta nos & iuxta omnes, est necessarium ad consensum; cum dari nequeat in nobis consensus salutaris; quin in Deo detur complexum illud decreti de collatione auxilij, & Scientiæ Mediæ de positione consensus; si conferatur auxilium. Quapropter semper iudicavi, præsentem difficultatem esse maiorem difficultate Præfinitionum non ita necessariarum ad Prædestinationem; & esse

communiorum; cum à negantibus etiam Præfinitiones subeunda sit.

59 Pro responsione recolenda sunt, quæ pro Præfinitionibus diximus *disp. 2. Supr. disp. sic...* ubi aliquorum solutiones deseruimus. Ex ibi dictis, concessã planissimè maiori, ob rationes, quas dedi *disp. tit. negatur minor*. Ad probationem negatur maiori: nec enim eiusmodi connexio, nec antecedentia obstant libertati nostræ, dum modo illud sic connexum, & antecedens sit liberè evitabile pro libito nostro, ut diximus latè pro Præfinitionibus: nec item obstat, quod nunc dicimus pro præfinito complexo; illud sic connexum, & antecedens esse præterea necessariò requisitum ad consensum: quia hæc necessaria prærequisitio non tollit evitabilitatem pro libito nostro; atque adeo nec rationem fundamentalem salvandæ nostræ libertatis in consentiendo.

60 Resistunt fortiter huic nostræ responsioni Ribadeneira, & Borrull. Quia, inquit, si complexum istud Scientiæ Mediæ, & decreti necessariò antecedit ad consensum; necessariò antecedit ad libitum nostræ voluntatis, qui est ipse consensus: ergo non nisi implicatoriè dici potest esse impedibile, seu evitabile pro libito voluntatis. Respondetur, concessio antecedente, distinguendo consequens: pro libito illo voluntatis, ad quod antecedit, & prærequisitur, concedo: pro alio libito eiusdem voluntatis, ad quod nec prærequisitur, nec antecedit, nego consequentiam. Vnum libitum voluntatis est consensus, ad quem complexum illud antecedit, & prærequisitur: aliud libitum eiusdem voluntatis esset dissensus, ad quem, si voluntas, ut potest, vellent illud exercere, nec antecedit, nec prærequisitur prædictum complexum, utpote essentialiter incoexistibile cum dissensu, & nunquam extitutum extituro consensu. Quamvis ergo prædictum complexum non possit pro libito à nobis impediri, aut evitari per consensum, ad quem prærequisitur; potest evitari per dissensum, cum quo nec connectitur, nec coexisteret, eadem scilicet potestate, qua voluntas sic constituta potest dissentire: eadem enim ratione, qua dissensus esset impeditiò, & evitatio talis complexi, potestas dissentendi est potestas impeditiva, & evitativa ipsius. Intellige, quoad Scientiam Mediam, qua non stante,

Ribaden.  
Borrull.

iam non staret tale complexum: quamvis non propterea impedito decreto collationis auxilij non impossibile cum dissentiu.

## SECTIO VII.

Fortiores Adversariorum conatus contra præcedentes doctrinas.

61 **I**nstant fortius. Quia sequeretur, nec liberè dissentire: quod sic probant. Nō dissentit liberè, atque adeo nec culpabiliter, qui caret essentiali prærequisito ad consentiendum, quod tunc acquirere non est in eius facultate: sed dissentiens huic auxilio caret essentiali prærequisito ad consentiendum: siquidem caret dicto complexo, quod per nos est essentialiter prærequisitum ad consensum: & non est tunc in eius facultate illud sibi acquirere: non ergo liberè dissentit. Priorem partem minoris iam concessimus. Posterior verò probatur: quia dissentiens nequit illud complexum sibi acquirere per dissensum: cum potius dissensus sit impeditiò talis complexi: nec per consensum: quia, præterquam quod in dissentiente non est consensus, id, ad quod necessariò præsupponitur existentia alterius, nequit esse adquisitio primæ existentie alterius: sic enim, quia primum auxilium, quia cognitio, quia voluntas, quia iuxta alios prædeterminatio, sunt prærequisita, & necessariò præsupposita ad consensum salutarem, nequit consensus ipse esse illorum adquisitio. Similiter ergo si complexum illud est, ut dicimus, prærequisitum, & ex utraque sua parte necessariò præsuppositum ad consensum, nequit consensus esse adquisitio talis complexi: ergo dissentiens non habet facultatem adquirendi sibi per consensum, nec per dissensum, aut per quidquid aliud, tale complexum quoad Scientiam Mediam. Hoc censuit P. Borrull sibi evidentissimū *num. 879*. Sed excessit immeritissimè.

Borrull.

62 Respondetur, negando sequelam. Ad probationem, concessã maiori, negatur minor quoad posteriorem eius partem. Quamvis enim si nollet Deus conferre hoc auxilium, non esset per hoc auxilium in voluntate dissentiente facultas libera adquirendi sibi Scientiam Mediam de consensu; bene tamen collato hoc auxilio: quo iam est in voluntate facultas con-

sentiendi huic auxilio; atque adeo facultas decreto, & auxilio Scientiam Mediam de consensu, sicque sibi adquirendi prædictum complexum: quæ Scientia ideo non datur, quia voluntas non consentit. Ad probationem partis negatæ, concedo primam partem antecedentis, quod eam facultatem non habet tunc voluntas per dissensum; de cætero autem dico eam facultatem haberi tunc ab illa voluntate non formaliter per consensum; sed per potestatem consentiendi coexistentem dissensui; cum sit ipsa potestas consentiendi, cui utique non opponitur dissensus oppositus consensui. Itaque facultas, quam tunc habet dissentiens, adquirendi sibi Scientiam Mediam de consensu, est potestas, quam habet dissentiens; & adquisitio talis Scientiæ, esset consensus, si poneretur, ut tunc pro libito voluntatis potest. Unde cum proferimus, voluntatem dissentientem posse tunc sibi acquirere Scientiam Mediam de consensu, sic intelligi volumus, ut *posse sit per potestatem consentiendi, & acquirere esset per dissensum*: quemadmodum cum dicimus nos posse intelligere; *posse sonat formaliter intellectum; & intelligere, intellectionem*: quæ duo distinctissima confundit sensum obiectio obvolvens facultatem adquirendi cum acquisitione. Iam ergo loquendo, ut volunt, de acquisitione, distinguo hanc partem: id, ad quod necessariò præsupponitur existentia alterius, nequit esse adquisitio primæ existentie alterius per modum causæ physicè influentis in ipsum alterum, concedo: per modum determinativi obiectivi in genere intentionali, nego. Et in hoc sensu nego consequentiã. Nec quidem in alio sensu dici posset consensus noster adquisitio divinæ Scientiæ Mediæ ad ipsum prærequisitæ: nisi quatenus Scientia Media de consensu sub conditione huius auxilij indifferens ex se ad sic essendum, vel ad non essendum in Deo, determinatur intentionaliter ad essendum potius quam non essendum, ex eo quod collato auxilio fiat potius consensus, quam dissensus.

63 Porro in hoc genere determinativo intentionali; rectè potest, quod est posterius, esse ratio adquirendi, quod est prius. Patet in divina Scientia Visionis de consensu nostro, ut explicuimus *disp. 2. Supr. disp. sect. 2.* ex communibus doctrinis. Quæ quidem, cum sit prior consensu nostro,

infertur in genere determinativo intentionaliter ex consensu nostro : qui propterea rectè dicitur & est ratio illam adquirendi , seu ratio cur in Deo : illa namque in Deo est, quia fit à nobis consensus.

64 Dices, paritatem non tenere: quia Scientia Visionis, cum apud nos non sit causa rerum, non est prior naturâ, sed tempore tantum ad consensum nostrum absolutum : Scientia verò Media, utpote dirigens ad positionem consensûs, præcedit tempore, & naturâ consensum absolutum. Agnosco discrimen: quod tamen, ni fallor, relinquit locum substantiæ nostræ responsionis. Nam acquisitioni prioris per physicum influxum posterioris tam obstat prioritas temporis, quam naturâ, ut nobis est certum. Loquendo autem de acquisitione in genere intentionaliter determinativo, admittam semel huius generis acquisitione liberâ Scientiæ Visionis æternæ de consensu per consensum tempore subsequutum; id mihi facillè persuadeo de acquisitione Scientiæ Mediæ, naturâ quoque antecedentis consensum absolutum, per ipsum consensum. Hæc enim antecedentia aliunde veniunt ex natura Scientiæ Mediæ, propter suum modum cognoscendi conditionalem, diversum à modo absoluto Scientiæ Visionis, inconnexæ cum positione auxilij & consensûs, & præilluminantis ad decretum. Cum quo tamen discrimine bene stat, quod non potuisset esse in Deo ea Scientia Media de consensu in suo illo priori, si collato auxilio non poneretur absolute consensus: Quemadmodum enim nunquam habuisset Deus scientiam æternam de consensu in sua posterioritate ad decretum, si nunc non poneretur consensus; similiter nec Scientiam illam Mediam æternam de consensu sub conditione huius auxilij in sua prioritate ad decretum, si collato hoc auxilio non poneretur hic, & nunc consensus: quia nunquam fuisset verum, quod nunc poneretur consensus, si conferretur hoc auxilium: ut est ex terminis planissimum. Sicut ergo voluntas nunc dissentiens huic auxilio, potens consentire potest pro libito suo determinare & facere, quod Deus ab æterno sciverit absolute consensum per Scientiam Visionis de consensu connexam ex suo modo cognoscendi cum consensu absoluto; hæud secus potest pro libito suo determinare, & facere quod Deus sciverit ab æterno conditio-

natè consensum fore, si conferretur hoc auxilium, per Scientiam Mediam de consensu sub hac conditione inconnexam ex modo suo cognoscendi cum consensu absoluto. Ea namque connexio, vel inconnexio, atque adeo prioritas, vel posterioritas ad decretum, aliunde competit illis scientijs ex modis suis cognoscendi: nec possunt aliter esse, aut induci in Deo, nisi secundum ipsarum quidditates, à quibus sumitur discrimen illud prioritatis, vel posterioritatis: ideoque nihil faciens ad rem præsentem. Scientiam autem Mediam non posse aliter esse in Deo, nisi cum eiusmodi antecedentiâ, probatum est pro conclusione primâ.

65 Iam ad paritates in nos conglobatas num. 61. dico in primis; illud de Prædestinatione nihil prodesse, sive ponatur necessariò prærequisita, sive non necessariò: quia utrolibet modo evertit libertatem, cum non sit volentis, neque currentis; sed miserentis Dei; ut vidimus *supr. disp. 4.* sicque implicat in terminis suorum Patronorum consensum cum illa factum esse liberam acquisitionem illius. In alijs paritatibus primi auxilij, cognitionis, & voluntatis, firmatur potius quam offenditur nostræ doctrinæ. Nam in aliquo genere causalitatis, seu rationis intentionalis, bene posset consensus ipse voluntatis factus ex auxilio, esse acquisitio, seu ratio collationis primi auxilij, cognitionis, imò & voluntatis, naturâ antecedentium ad consensum. Primò: quia, ut multis in locis defendo, posset principium meriti cadere sub meritum, cuius est principium: sicque meritum posterius esset in genere intentionaliter ratio, seu causa meritorie acquisitiva sui principij tempore, & naturâ prioris. Secundò: quia iuxta omnes bonitas finis in reali sua existentia est naturâ posterior ad positionem mediorum, per quæ efficitur, & obtinetur; & tamen in genere intentionaliter causæ finalis est ratio, & causæ existentia mediorum tempore, & naturâ antecedentium: sicque est quodammodo acquisitio mediorum, quatenus re ipsa ponuntur, primòque existunt gratiâ finis, alias sæpè non extitura, nisi sic à fine causarentur: hoc est, nisi finis moveret intentionaliter ad positionem illorum.

66 Nec vereor, quod sic adstruatur mutua causalitas, & prioritas saltem in diverso genere. Mutuam enim causalita-

tem libenter admittimus: at non inter causas non causantes nisi ut existentes; sed in eo dumtaxat genere causarum, in quo negatur à nemine, scilicet intentionalium, quæ metaphoricè tantum causæ sunt, & causant quin in re existant: omnibus enim est in confesso, media causare physicè finem, & causari intentionaliter à fine, cuius gratiâ fiunt. Mutuam verò prioritatem negamus: Prioritas enim pro illis tantum causis admittitur; quæ non nisi existentes causant; non pro omnibus, quæ purè intentionaliter: ut patet in causis finalibus; quæ nondum in re existentes causant media, movendo intentionaliter ad eorum positionem. Atque adeo sine antecedentia, seu prioritate ad effectum sic causatum. Ex eo igitur modo, quo diximus, intentionaliter adquiri, seu induci à consensu nostro æternam Dei Scientiam Mediam directivè causantem consensum nostrum, ideoque illo priorem; non infertur consensum nostrum debere adinvicem esse illâ priorem: atque adeo non infertur mutua prioritas.

67 Quod si consensum velis vocare priorem Scientiâ in genere intentionaliter determinativo: sicque admittere quadamtenus mutuam prioritatem, sicut causalitatem, quatenus scientiâ antecedit consensum in genere directivo; & consensum scientiam in genere determinativo intentionaliter; non multum contendam. Nec aberrabis multum ab Aristotele: qui, ut iam monui alibi, agnovit hoc genus prioritatis determinativi, seu eligentis ad ea quæ determinantur, eliguntur, aut sequuntur electionem determinantis. Ut tamè ista dicantur ab avidissimis conquistatoribus, seu artificibus prioritatum, quibus ipse didici non nimis fidere; rerum potius, quam vocum amans; stat incolumis substantiâ nostræ doctrinæ. Cui equidem si non acquiescerem, nunquam percipere possem modum, quo dicimus, Scientiam Visionis existentem in Deo ab æterno antecedenter tempore ad consensum nostrum, adquiri liberè à nobis posse per consensum hodiernum nostrum. Nisi enim deviat ad hoc genus intentionaliter, & determinativè causandi, seu quasi causandi, æquè mihi difficile est, rem tempore subsequutam acquirere primam existentiam alterius, quæ tempore tantum; ac quæ & tempore & naturâ præcessit: ut expende-

*Supr. disp. 2.*

68 Insistit urgentius, & propius ad rem Theologicam doctissimus Ribadeneyra *disp. 4. a num. 7.* Sic enim sequetur, quod posset homo per libitum, & consensum suum acquirere sibi, non solum Scientiam Mediam de consensu suo; verumeriam divinum decretum de auxilio, atque adeo & primum quoque auxilium ad consensum suum: utrumque enim illud prærequiritur ad positionem consensûs non minus quam Scientia Media: & per nos dictæ acquisitioni, seu acquiribilitati non obstat antecedentia naturæ decreti, & auxilij ad consensum. Vnde subsequitur, quod homo non solum haberet in sua manu consentire primæ vocationi; quin etiam & primò vocari. Hoc autem est contra gratuitatem primi auxilij, & contra Augustinianum illud nobis gratissimum: *Si quispiam tribuit sibi, quod venit vocatus; non potest sibi tribuere, quod vocatus sit.*

69 Hæc est acrior huius puncti difficultas, sive præcedentia & directio Scientiæ Mediæ de consensu ad decernendum auxilium efficax, asseratur necessaria, sive non necessaria: ut videant admiratores primæ nostræ conclusionis, ab illis etiam, si quoquo modo teneatur præcedentiam, & directionem Scientiæ Mediæ, quantum non necessariam, subeundum esse quod difficile est. Etenim; sive Scientia Media præcedat; & dirigat necessariò; sive non necessariò; si de facto præcedit, ac dirigit ad præsens decretum, ut esse debet extra controversiam; Deus, iuxta quartam conclusionem; in qua convenimus, de facto ex directione Scientiæ Mediæ prænoscentis efficaciam decernit conferre primum auxilium efficax; quia efficax: hoc est, quia voluntas cum illo consentiet: ergo consensus noster ex illo auxilio, seu vocatione, & ex decreto, est Deo ratio cur creverit, & contulerit hoc auxilium præcedens consensum. Homo igitur hic, & nunc consentiens poterit sibi tribuere non solum quod veniat vocatus, scilicet consentiendo; verumeriam, quod vocatus sit. Quid ad Augustinum?

70 Teneamus in primis mentem Augustini, ut in re gravissima sanam doctrinam, sanumque loquendi modum teneamus. Ad duplicem scopum collimant eius verba. Primò adversus errorem Pelagianorum dicentium, in negotio salutis libe-

Ribadeneyra.

Augustinus.

rum



tum arbitrium incipere per conatum sine gratia factum, quem ex debito, ac merito suo sequatur vocatio supernaturalis: sicque naturam posse sibi tribuere primam vocationem, ut debitam merito; facta solis viribus arbitrij sine gratia. Secundò ad aliorum existimationem, dicentium, hominem posse tribuere sibi primam etiam vocationem, utpote illam merenti, si minus per conatum naturalem antecedentem, per bonum saltem usum subsequenter, qui esset actus supernaturalis, meritorius, & salutaris, ex ipsa prima vocatione factus. Quocirca docuit Augustinus, hominem per gratiam vocatum posse sibi tribuere quod veniat vocatus: nam venire est consensus hominis liberè cooperantis vocationi; factus tamen cum adiutorio ipsius divinæ vocationis gratuita; quòd verò vocatus sit, non posse sibi tribuere: quia prima gratiæ vocatio nec est liber hominis consensus; cum fiat in nobis sine nobis liberè in eo operantibus, ut explicuimus

To. de Gratia disp. 2. de Grat. sect. 1. nec ex merito ullo nostro detur nobis; sed omnino gratis.

Non enim ex merito antecedente ipsam primam vocationem gratiæ auxiliantis; cum ad illam, quæ prima est, non præcesserit actus noster salutaris: nec item ex merito subsequente, qui sit ipsius bonus usus supernaturalis: quia quamvis homo posset esse in aliquo genere meriti iuxta aliã Dei legem; nullatenus verò iuxta legem præsentem satis notam ex Sacris litteris, & Concilijs, ut ibi vidimus *disp. 2. sect. 1.* Stat ergo inoffensè, ac integrè Augustinianus sensus cum nostra doctrina. Quippe nec dicimus collationem primi auxilij tribui nobis posse, ut nobis formaliter liberam; neque ut merito nostro, aut antecedenti, aut subsequenti, debitam; sed esse à Deo omnino gratis; ac proinde non nobis tribuendam, sicut nobis tribui potest; cum adiutorio ipsius, consensus liber noster in auxilium gratuito prædonatum à Deo: quæ est tota mens Augustini.

71 Respondemus ex ijs in forma ad sequelam numeri 68. cum distinctione: posset homo per libitum & consensum suum acquirere sibi, non solum Scientiam Mediam de consensu suo; verumetiam divinum decretum de auxilio, ipsumque primum auxilium; acquisitione redolente rationem ullam meriti illa Dei dona inferentis ut præmium; negamus: acquisitio-

ne in alio genere intentionali citra omnem rationem causalitatis meritoria; concedimus: quamvis enim meritum causet præmium non physicè, sed moraliter intentionaliter; nõ tamen propterea omnis causalitas, seu quasi causalitas intentionalis est meritoria: ut patet in causalitate finalis: satis id distinguente S. Thom. quæst. 23. art. 5. *Ufus*, inquit, *gratiæ præscitus non est ratio collationis gratiæ, nisi secundum rationem causæ finalis*: & magis è re præsentis ipsa Scientia Media, aut Visionis de consensu, quæ in genere intentionali inducitur à consensu, & ratione consensûs, estque in Deo, quia consensus à nobis fit, aut quia fieret; quin tamen in alicuius venerit nentem, induci à Deo ut præmium in genere meritorio ex merito consensûs nostri. Non ergo semper causalis illa quia denotat rationem meriti, sed aliam valde diversam de genere etiam intentionali. Et quidem in præsentis causalis, quia efficax, non denotat, præter causalitatem finalem motivi efficaciam, nisi prænotitiam certam efficaciam in intendente: ut quando dicit æger, se eligere hoc medium ad sanitatem, quia scit per illud sanum fore; aut quia per illud sanus fiet. Vnde tota subsequela neganda est.

72 Non proinde volumus, quòd decretum, & primum auxilium adquiratur ab homine per consensum suum eodem omnino modo, quo Scientia Media; sed ad eum modum; cum accommodo tamen discrimine notissimo, ut à fortiori teneat quod diximus de decreto, & auxilio, ex omnium doctrina, circa Scientiam Mediam de consensu. Hæc enim, quamvis non esset in Deo, si collato hoc auxilio, voluntas non consentiret; si verò collato nunc auxilio consentiret, necessariò resultat ab æterno in Deo: at non ita necessariò decretum, aut collatio auxilij: quamvis enim ab æterno fuisset verum quòd voluntas consentiret, si conferatur hoc auxilium, posset Deus pro libito suo nec decernere, nec conferre auxilium. Solum igitur volumus, quòd, sicut voluntatem nunc consentire collato nunc auxilio, est ratio necessariò inducens in Deo Scientiam Mediam æternam de consensu sub hoc auxilio, quin eã ratio sit per modum meriti; ad hunc modum, voluntatem tunc consentire collato auxilio, quòd est idem ac auxilium esse efficax, potest esse aliqualis ratio congrua,


non

non quidem necessaria, hoc est, necessariò inducens in Deo decretum de auxilio; sed sufficientior, & opportunior, ut Deus allectus non solum à bonitate sufficientiæ auxilij, sed etiam à bonitate efficaciam & ipsius consensus, possit speciali benevolentiam affectu ex liberalitate sua decernere auxilium quia efficax; & ex speciali motivo efficaciam per Scientiam Mediam representat: citra rationem ullam meriti; atque adeo sine offensione gratuitatis primi auxilij: nam, ut vidimus, causalis, quia, non semper denotat motionem meritoriam; sed aliam de genere etiam intentionali: finalem scilicet ex certâ præscientia consequutionis finis, si adhibeatur tale medium: contra quod neutiquam faciunt verba Augustini. Nec aliam ratio-

nem significamus, cum dicimus, Deum ex directione Scientiæ Mediæ dare auxilium, quia efficax; hoc est, quia prænotit consentum fore, si detur auxilium; nisi, quòd in auxilio & consensu simul cognoscit Deus ceterò maiorem bonitatem; ideoque opportuniorem, sibi que placeantiorum rationem decernendi, & conferendi tale auxilium; quòd forte alioquin non decerneret; nec conferret ex bonitate solius sufficientiæ auxilij, non accedente ex certâ præscientiâ consensu.

73 Aliæ objectiones contra directionem Scientiæ Mediæ proponuntur, & solvantur *disp. seq. sect. 2.* quia directius faciunt contra divinæ voluntatis decretum de auxilio ut efficaci.

Infrà disp. 9.



## DISPUTATIO X.

### DE PRÆDESTINATIONE AVGVSTINIANA quoad actus divinæ voluntatis, quos includit.

**I**n actibus Præscientiæ venimus iuxta definitionem Augustini ad actus Præparationis mediorum divinæ Prædestinationis, qui sunt actus divinæ voluntatis. Non quidem ad eos, qui directè versantur circa finem Gloriæ, de quibus *disp. seq.* iuxta usurpationem aliam Prædestinationis pro electione ad Gloriam; sed ad eos, qui circa medias & sunt præsertim decreta divina auxiliorum efficacium Gratia; seu, ut loquitur Augustinus, *beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur*, Augustin. *quicumque liberantur*. Huc pertinent multa, quæ in genere diximus de Providentia *disp. 3. 4. 5. 6. & 7.* Reliqua percurremus.

Supr. disp. 3. 4. 5. 6. & 7.

#### SECTIO I.

An decretum divinum conferendi auxilium efficax decernat auxilium quia efficax; & ex motivo efficaciam

**H**æc est ipsissima difficultas strictè directionis Scientiæ Mediæ, ut expolvamus *disp. præc. sect. 1.* præsertim conclusionem quarta. Vidimus ibi, id om-

Supr. disp. 8.

nino affirmandum esse ab omnibus Afferentibus Scientiæ Mediæ. Probationes pro de facto remissimus in hunc locum, quas nunc exhibemus: sumptas præsertim ab auctoritate Sanctorum PP. ex Scripturis, necnon à congruentia rationum: qui est modus argumentandi Theologicus pro questionibus de facto in rebus, quas Deus aliter, & aliter potuit pro beneplacito suo decernere, & ordinare, qualis est modus decer-

decernendi auxilia efficacia, ut diximus ibidem *conclusionem* 2. & 3. Qui plura in id velit, adeat eruditissimum Montoyam a *disp.* 62. ad ult. que 66. Dabo selectiora.

*Montoya.*  
*Matth. 20.* 3 *Matth. 20.* super Parabolam Operariorum vineæ glossat Chrysostomus, Operarios aliquos vocatos tertiâ horâ, & undecimâ horâ, quia præscibat Deus, tunc bene operaturos, & non antea. Paulumque prope Damascum, & Latronem in Cruce, & non antea vocatos, ob eandem rationem.

*Augustin.* Similiter Augustinus, quærens, cur voluerit Deus, Regem Ninivitam inducere populo ieiunium, respondet: Quia erant quidam ex illis, qui non crederent prædicationi divinâ, nisi territi potestate terrenâ.

*Sapient. 4.* 4 *Sapientia 4.* scribitur de Iusto: Raptus est, ne malitia mactaret intellectum eius.

*Nissenus.* Vbi S. Gregor. Nissenus id accipiens de Infantibus, ait: Ne quod vi præsentia malum an mau verum est in eo, qui videtur fuisse, perficeretur. Ad modum igitur quo Deus illos abstulit, qui si vixissent, agerent malè; putandum est, dare alijs, quos vivere desinit, vitam, & auxilia, quia vi præscientiæ suæ animadversum est, actus bene, si vivant, & talia auxilia conferantur.

*Deuter. 22.* 5 *Deuteronomij 22.* loquitur de se Deus: Propter iram inimicorum distuli, ne forte superbi ent hostes eorum. Decrevit ergo pro tunc Deus, Hæbreos alioquin puniendos, non punire, quia præsciebat, quod si tunc punirentur, insultarent superbe eorum hostes. Sic igitur tam ad tollendas occasiones peccandi, quam ad elargiendâ auxilia gratiæ ad bene agendum, dirigitur strictissimè Deus per Scientiam Mediam variorum eventuum sub alijs, & alijs conditionibus præscitorum.

6 Hinc profundè S. Augustinus, animadvertens, quosdam vocari à Deo ut consentiant, alios non vocari, ne dissentiant, concludit *lib. 1. ad Simplic. quæst. 2.* Cuius autem miseretur, sic eum vocat, quando scit congruere, ut vocantem non respuat. Et tract. 73. in Ioan. *Matè usurus eo, quod accipit, Deo potius miserente, non accipit.* Utrobique commendat Augustin. misericordiam Dei vocantis per auxilia consenturos; & interdum non sic vocantis alios eo quod prænoverit, si vocarentur, dissenturos: ut tam in illis vocandis, quam in istis non sic vocandis, ut hinc, & inde patet, fiat directio Scientiæ Mediæ, prænoscentis, alios consenturos; alios dissenturos, si

taliter vocentur; & Dei misericordis benevolentia in decernendo alios vocare, quia si vocentur, consentient; alios non sic vocare, quia vocati dissentirent, & ne sic peiores fiant.

7 Iterum Augustinus *Serm. 19. de Verb. Dom. Nec Senatorem, nec Imperatorem, nec Philosophum, electos esse ad prædicationem: sciebat enim Christus, quia si eligeret senatorem, diceret Senator dignitas mea electa est.* Et subdit: *Idèque eligisse infirma muniti: non in se; sed in Domino gloriaturus.*

8 Rursus *lib. 1. de Bon. persever. cap. 6.* interrogat: *Dicat mihi quisquis audeat: ut illi a Deo dari non possit, quod à se posci imperavit? Hac certè qui sapit, non dico; desipit; sed insanit: insaniam utique reputans negare quod possit Deus nobis dare, quod, ipso sic volente, ab eo petimus. Atqui petimus idem idem ipso volente, sapèque iubente, auxilia, & quidem efficiacia, & ipsam efficiaciam ut talem: sicque videtur rogasse Christus.... per illa verba: Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat Fides tua: & .... specialiter pro Apostolis: Non pro mundo rogo; sed pro his, quos dedisti mihi. & .... Pater sanctè, serva eos, quos dedisti mihi.* Deus igitur ijs, & similibus precibus annuens decernit auxilia quæ efficiacia ex directione Scientiæ certissimè de efficiacia singulorum.

9 Accedit ratio congruentissimâ. Est enim verisimillimum, & creditu dignum de divina bonitate, quod in donis, quæ nobis elargitur, amat & vult omnem utilitatem, quam ex illis percipimus: ac proinde & auxiliorum efficiaciam nobis optimam, quando largitur nobis auxilia efficiacia: sic enim commendatur maximè largitoris benevolentia; & ratio beneficentiæ formalis etiam nos: quatenus præter alia motiva generaliora, movetur etiâ specialiter ex ipsa ratione beneficij, ac specialis beneficij penes omnem utilitatem, quam nobis importat à tanto largitore. At negari nequit specialem esse nobis utilitatem, quod auxilium sit efficax: Deus ergo istud decernere credendus est, quia efficax, & ex motivo efficiaciæ, quam prænoverit per Scientiam Mediam dirigentem. Hicque videtur unus è præcipuis fructibus doctrinarum Scientiæ Mediæ pro Scholæ nostræ fundamento: sine quo videri posset Scientia Dei Mediæ defendi sine

ope-

operæpreio.

10 Obiectiones aliquas adversus firmam istam veritatem proposuimus, & solvimus *disp. præced.* Superfunt aliæ expediendæ *sect. seq.*

## SECTIO II.

### Obiectiones expediuntur.

11 **O**biicitur primò. Scientia Mediæ inefficiaciæ auxiliorum inefficiacium non dirigit Deum ad ea conferenda, taliter ut ea decernat, quia inefficiacia: ergo neque Scientia Mediæ efficiaciæ efficiaciam ad ea conferenda, & decernenda, quia efficiacia. Respondetur, ex vero antecedente consequentiam esse falsam ob rationem apertissimè disparem. Cum enim inefficiacia auxiliij non sit bonum à Deo expetibile ut talis, potest quidem decernere, & conferre auxilium quamvis inefficax; non verò quia inefficax: quod præsert affectum Deo indignum, & industriâ ingrandi salutis nostræ, quærendo auxilia inefficiacia ex amore inefficiaciæ, quasi nolendo eadem conferre, si futura essent efficiacia: quod absurdum non sequitur ex decreto efficiacium, quia efficiacium, & ex directione Scientiæ Mediæ de efficiacia auxiliorum efficiacium. Scientia itaque illa Mediæ de inefficiacia inefficiacium dirigere potius Deum posset ad denegandâ ex motivo inefficiaciæ auxilia, quæ præscivit inefficiacia, ut ex Augustino expendebamus *num. 6.* & ad constituendum Deum liberum in collatione auxiliij inefficaci, ut possit aut illud conferre quia sufficiens, quamvis inefficax; aut denegare quia inefficax: quæ est directio Scientiæ Mediæ late dicta suaforia, merèque propositoria.

12 Obijicitur secundo. Deus decernens Angelis viatoribus auxilia, non habuit rationem ad eorum efficiaciam, vel inefficiaciam, ea decernens quia efficiacia ex directione strictè dictâ persuasoria: ergo similiter pro hominibus. Antecedens probatur: quia pro suo beneplacito decrevit Angelis auxilia cum certa proportionem ad perfectionem naturæ singulorum. Respondetur, negando antecedens. Ex cuius probatione nihil concluditur contra nos. Nam bene stat, quod Deus distribuerit Angelis auxilia entitativè sumpta cum certâ proportionem ad illorum naturas; & quod auxi-

lia, quæ sic erant entitativè commensurata iuxta singulorum naturas, & præterea futura essent efficiacia, decreverit conferre quia efficiacia ex directione Scientiæ Mediæ de efficiacia.

13 Obijicitur tertio. Si sic Deus decerneret, & conferret auxilium efficax, quia efficax ex directione Scientiæ Mediæ de efficiacia; conferret homini hic, & nunc hanc libertatem per auxilium efficax, quia præsciretur consenturus; alioquin non cõferendam: sed hoc est implicatorium: ergo modus iste decernendi auxilia ex directione Scientiæ Mediæ. Maior videtur nostra. Minor probatur. Si enim homo, ut potest, cum hac libertate dissentiret: daretur, & non daretur hæc libertas: quod est implicans: daretur; quia cum illa liberè dissentiret: non daretur: quia nunc datur per decretum ex directione Scientiæ Mediæ de consensu: non danda si voluntas dissentiret, ut in casu supposito dissentit. Confirmatur. Collato nunc per tale decretum fia à Scientia Mediæ directum auxilio, & homine sic constituto in hac libertate; non potest hæc libertas exerceri per dissentium: ergo non est vera libertas ad consensum. Consequentia patet ex natura libertatis, dicentis potestatem ad utrumlibet. Antecedens autem probatur. Nequid ea libertas exerceri per dissentium, calit quo non sit ea libertas, ut per se patet: neque casu quo sit: quia cum ipsa implicat dissentium, utpote impediens requisitum, sine quo ipsa non daretur; nempe Scientiam Mediam de consensu. Atque hinc est quod adigimur amplecti consequens implicatorium ex præmissis concessis in hoc syllogismo: *Si Deus præsciret, hanc libertatem fore inefficacem ad consensum, non existeret hæc libertas:* constituta videlicet per hoc auxilium: *Sed, si hæc libertas existeret cum dissensu, Deus præsciret illam fore inefficacem ad consensum: ergo si hæc libertas existeret cum dissensu, non existeret hæc libertas.* En consequens implicatorium ex præmissis iuxta nostras de decreto, & de directione Scientiæ Mediæ doctrinas concessis, aut concedendis.

14 Multus est Ribadeneira *disp. 3. Ribaden. cap. 3. & 4.* in hoc involucro ingeniosius enodando. Mihi rememorandum placet quod præmonui *disp. præced. num. 35.* Ex *Supr. disp. 8.* ibi dictis respondeo distinguendo ultima verba maioris: *alioquin non conferendam,*

ff

quan-

quantum colligere possumus ex præfenti modo eam decernendi, & conferendi; concedo: *alioquin non conferendam omnino*; subdistinguo: si neque hoc, neque alio modo sibi possibili, & nobis ex præfenti non arguibili, eam decerneret, nec conferret; concedo: si hoc modo non posito, vellet forte Deus alio modo ex præfenti à nobis non arguibili eam decernere, & conferre; nego maiorem: & sic distinctim, nego minorem. Ad eius probationem, nego sequentiam quoad secundam partem dilemmatis: Quamvis enim, si homo dissentiret esset; dicamus quod Deus non decrevisset, nec illi contulisset per hoc auxiliū hanc libertatem; quantum colligere possumus ex præfenti modo eam decernendi, & conferendi; posset nihilominus si vellet, eandem per idem auxiliū decernere & conferre alio modo sibi possibili, & à nobis ex præfenti non arguibili, scilicet per decretum non directum à Scientia Media de consensu.

¶ Ad confirmationem negatur antecedens: aut claritatis gratiā distinguatur: collato per tale decretum hoc auxiliū, sicque nunc constituto hominē in hac libertate; non potest hæc libertas exerceri per dissentium; contingendo dissentium cum tali decreto; & modo extrinseco constituendi hanc libertatem; concedo antecedens: ad hanc enim coniunctionem, ut in simili sæpè diximus, nulla est potestas: impediendo, seu evitando talem modum decernendi, & constituendi hanc eandem libertatem; nego antecedens: quo modo extrinseco evitato posset stare hæc eadem libertas per idem auxiliū, alio modo extrinseco constituta, scilicet per aliud decretum non directum à Scientia Media de consensu: hi enim modi extrinseci decernendi, & conferendi auxiliū, & constituendi libertatem, Deo possibiles, sunt contingentes huic auxiliū, & huic libertati. Hinc negatur consequentia: quia ut sæpè etiam diximus, vera libertas ad consensum non dicitur potestatem illam chymericam ad dissentium coniungendum cum illis modis extrinsecis; sed potestatem realem ad dissentium, illis evitatis. Ad probationem antecedentis dico, posse eam libertatem exerceri per dissentium: non casu, quo ea non sit; sed casu, quo esset: dissentium enim non pugnat cum ipsa; sed cum hoc modo extrinseco, ipsam ponendi per

hoc decretum directum à Scientia Media de consensu: qui modus evitabilis est pro libito voluntatis, & evitatus esset casu, quo hæc libertas exerceretur per dissentium. Decretum autem istud directum à Scientia Media de consensu non est requisitum, sine quo non daretur hæc libertas in omni casu; sed casu quo neque per hoc decretum sic directum, neque per aliud non sic directum vellet Deus illam ponere: in quo casu nec per dissentium, nec per consensum exerceri posset hæc libertas; siquidem nullatenus esset à parte rei.

16 Itaque minimè adigimur amplecti consequens illud implicatorium ex præmissis, per nos concessis, aut concedendis. Maiorem enim nō concedimus, sed distinguimus: si Deus præsciret hanc libertatem fore inefficacem, non existeret hæc libertas; quantum colligere possumus ex præfenti modo decernendi, & conferendi hoc auxiliū, quia efficax; concedo: omnino non existeret hæc libertas, subdistinguo; si nullo etiam alio modo decerneret Deus conferre auxiliū, concedo; si aliquo alio modo decerneret hoc idem auxiliū conferre; nego maiorem: & concessā minori, nego consequentiam. Quia; quamvis ex eo quod Deus nullo modo decerneret conferre hanc libertatem, rectè inferatur quod non existeret hæc libertas; non verò ex eo quod non decerneret hoc modo; si, ut potest; alio modo decerneret conferre hoc idem auxiliū intrinsecè constitutum huius libertatis.

17 Urgebis. Sequitur saltem, quod, si Deus decernens hanc libertatem, conferendo hoc auxiliū, quia efficax, ex directione Scientiæ Mediæ; simulque decerneret; ut potest; nullo alio modo illud conferre; in tali casu verum esset, quod nō existeret hæc libertas, si voluntas cum illa dissentiret. Ex quo subsequitur primò repugnantem in terminis: ergo non existeret hæc libertas, si existeret hæc libertas, voluntate scilicet ipsi dissentiente. Subsequitur secundò: ergo modus saltem ille divinus decernendi: *Volo conferre hoc auxiliū, quia efficax; & nullatenus illud conferre nisi sit efficax*; stare non posset cum libertate creata. Probatur: quia esset connexus cum consensu; & non evitabilis per dissentium: illud enim non posset voluntas evitare per dissentium: quia si dissentiret foret, non habuisset hanc libertatem. Subsequi-

sequitur tertio: ergo adigeremur amplecti consequentiam illam implicatorem ex præmissis concedendis, de qua num. 13: in tali namque casu vera foret absolute maior illa: *Si Deus præsciret, hanc libertatem fore inefficacem, non existeret hæc libertas.*

18 Respondemus, admissio casu, negando sequentiam. Aliud enim est, longèquè diversum, quod non existeret hæc libertas; si voluntas cum illa dissentiret; aliud est; quod non existeret hæc libertas; si præscisset Deus voluntatem cum illa, si daretur; consensuram fore: hoc secundum dicimus; quod nulla involvit implicatorem, ex quo non sequitur illud prius, quod in terminis implicat. Vnde prima subsequela falsa est; & malè subillata ex concessione nostrā. Negamus quoque secundam, eiusque probationem quoad non evitabilitatem. Nam voluntas in hac libertate constituta, & hic & nunc consentiens, sicut habet potestatem dissentendi, cum qua non opponitur modus ille decernendi, habet etiam potestatem ponendi impedimentum essentielle talis modi decernendi, nempe dissentium, cum quo modus ille decernendi essentialiter opponitur; nullatenus extiturus, si voluntas non esset consentens. Ad tertiam negamus etiam consequentiam. Nam adhuc, eo posito casu, non satis verè procederet maior præfati syllogismi: utpote non à nobis concedenda; sed ex dictis distinguenda sic: *Si Deus præsciret hanc libertatem fore inefficacem, non existeret hæc libertas*; eo quod ad sui existentiam requiritur non præsciri à Deo inefficax ad consensum; nego: eo quod Deus nolit eam aliter existere, nisi futura sit efficax ad consensum, concedo maiorem. Et concessā minori, negatur consequentia, utpote solum deducta ex parte maioris, quam negamus. Nam cum illo divino modo decernendi contingente huic libertati, non opponitur hæc libertas, sed dissentium; idcirco non potens poni, nisi impedito eo modo divino decernendi: qui modus non est de eo quod non existat hæc libertas, si cum illa voluntas dissentiret: id enim implicatorium non est, nec bene illatum ex concessionibus nostris; sed de eo quod non existat hæc libertas, si voluntas præsciretur à Deo quod cum illa dissentiret foret. Cum hac autem veritate conditionatā prædicto casu, nec opponitur consensus, nec

existentia huius libertatis, nec evitabilitas talis modi decernendi.

## SECTIO III.

An, & quomodo decretum de collatione auxiliij, quia efficax, sit magis beneficium, & augeat in auxilio rationem beneficij?

19 P. Roderit ad hæc legisse, quæ de maiori parte beneficij efficacis scripsimus disp. 12. de Gratia sect. 6. Ex quibus supponimus, decretum divinum conferendi auxiliū efficax esse formaliter beneficium; & secundum se magis beneficium, quam decretum de auxilio sufficienti: ea videlicet ratione qua auxiliū efficax est beneficium, & secundum se maius beneficium, præ sufficienti.

20 Addimus nunc, decretum conferendi auxiliū efficax ex directione Scientiæ Mediæ, quia efficax, esse specialiter formaliter beneficium: quatenus nempe vult ex speciali affectu benevolo auxiliū quia efficax: quæ ratio specialis benevolentiæ; ac beneficentiæ formalis non relucet in decreto conferendi idem auxiliū homini nō consenturo; imò nec in consensuro ex eodem auxiliū collato per decretum auxiliij efficacis; non tamen, quia efficacis.

21 Difficultas est: an ad rationem specialis beneficij in auxilio efficaci, sufficiat præcessisse in Deo, illud decernente; præscientiam efficaciam; an verò ulterius requiratur, dirigi strictè Deum ex ea præscientia ad illud decernendum: taliter nimirum, ut illud decernat, quia efficax. De hoc Ribadeneja disp. 5. & Quiròs disp. 21. ille affirmans; ille negans sufficere ad id eiusmodi præscientiam absque hoc modo decernendi. Punctim etiam Aldrete disp. 14. defendens, eiusmodi affectum, seu modum decernendi non requiri ad rationem beneficij; quinimò neque ad id requiri dictam præscientiam.

22 Dicendum videtur, rationem beneficij materialis augeri in auxilio ex adiunctione efficaciam: ex speciali autem illo affectu, seu modo decernendi auxiliū, quia efficax; augeri rationem beneficij formalis. Prior pars constat ex loc. cit. de Gratia, ubi speciales contra obiectivitates dissolvimus: quia auxiliū simul, & consensus est quid homini magis bonum, quam

To. de Gratia. disp. 12.

Ribaden. Quiròs.

Aldrete.

quam auxilium solum. Posterior verò pars liquet ex dictis: quia modus ille decernendi auxilium quia efficax ex directione talis præscientiæ, præferret specialem affectum benevolentiae divinæ erga hominē, cui sic decernit auxilium, præ alio, qui cū præcedente illa præscientia decerneret auxilium prævitum efficax; non verò quia efficax: quod valde interest ad rationem beneficentiæ formalis, quamvis materialiter non augeat rationem beneficij: idem namque bonum conferri à largitore potest affectu alio, & alio benevolentiae formalis.

23 Objici solet. Beneficium non crescit ex effectu pendente à voluntate recipientis, seu acceptantis: nam, ut fertur ex Seneca: *nemo sibi beneficium debet: sed quòd auxilium ex consensu recipientis sit efficax, pendet à voluntate recipientis: ergo nec materiale beneficium auxiliij, nec formalis beneficentia illud conferentis, crescit ex eo quòd auxilium ex consensu nostro fiat efficax: ergo quòd Deus ex directione præscientiæ de efficacia decernat, & conferat auxilium, quia efficax, nec auget in auxilio rationem beneficij materialis; nec in Deo rationem formalis beneficentiæ; sicut nec eam minuit, quòd auxilium ex voluntatis dissensu futurum sit inefficax. Nec ergo prædicta Scientiæ Mediæ directio, nec modus ille decernendi auxilia efficacia, quia efficacia; prodest quidquam ad rationem maioris beneficij, aut beneficentiæ divinæ: nec est proinde ratio, cur Deus in decernendis, & conferendis auxilijs respexerit potius ad illorum efficaciam.*

24 Respondetur tamen, distinguendo maiorem: & sic capi debet Senecæ pronuntiatum: si conferens beneficium neque physicè, neque moraliter conferat etiam tale effectum, concedo: si illum etiam effectum conferat, nego. Deus autem & physicè & moraliter nobis confert illum etiam effectum pendentem à nostra voluntate, nempe consensum nostrum: quatenus conferens auxilium, quod præcivit futurum efficax, & à fortiori illud conferens quia efficax, dat etiam consensum sibi principaliter tribuendum, quam nobis; propterea largiens nobis & posse, & velle, ut explicuimus sæpè in *Disputationibus de Gratia Actuali*. Unde concessa minori, negatur consequentia, & subillationes. Vbi negandum etiam est, non minui saltem

arguitivè auxilium in ratione beneficij per dissensum recipientis, quo futurum est inefficax, quando si recipiens consentiret, conferretur potius à Deo consensus ipse recipientis: ut evenit in Deo, dante tunc posse & velle; cum tamen dissentienti det solum posse, & non velle.

25 Objiciunt aliter. Conferat uni Deus auxilium æquale, cui non consentiat: si Deus id faceret non præsciens eventum, æqualiter utrique beneficeret: ergo & quamvis id faciat præsciens eventum, & decernens uni auxilium, quia efficax. Probatur consequentia: nec enim divina præscientia inefficaciæ minuit ex parte Dei auxilium; nec affectum illud conferendi: si ergo sine illa præscientia de consensu unius, auxilium unius esset æquale beneficium, ac alterius, etiam cum eiusmodi præscientia: ergo præscientia efficaciac, ac proinde decretum illi subnixum de collatione auxiliij, quia efficacis, non prodest ad maioritatem beneficij.

26 Respondetur ex doctrinis prædictorum Authorum inhaerentium vestigijs Patrum Suarez, & Vazquez. Respondetur, admissio, & intellecto casu de æqualitate entitativâ illorum duorum auxiliorum, verum esse antecedens de beneficentia formali: quamvis de materiali re ipsa plus boni reciperet, qui consentiret: negatur autem consequentia: quia accedente eiusmodi præscientiâ repræsentatur Deo largitori ea maior bonitas, ut excitet affectum illum benevolentiosem, & formaliter beneficentiosem quem importat modus ille decernendi.

27 Ad probationem consequentiæ distinguo, ut nuper, antecedens: præscientia efficaciac non minuit auxilium, nec divinum affectum, per se formaliter, concedo: occasionaliter, & arguitivè, nego antecedens: & duas consequentias.

28 Est dicere, quod præscientia divina inefficaciæ, quamvis non sit formalis minoritas beneficij in auxilio, seu formalis beneficentiæ in affectu, seu decreto illud conferendi; indicat tamen & arguit beneficium esse minus, quia arguit esse sine consensu, qui, quando est, beneficium etiam est; atque adeo faciens cum auxilio beneficium maius, quam esset solum auxilium: arguit etiam beneficentiam formalem esse minorem, quam si præscientia inefficaciæ non adesset: quatenus si eius loco

ad-

adesset præscientia efficaciac, decerneret Deus, aut saltem haberet occasionem & facultatem expeditam ad decernendum auxilium, quia efficax: qui modus decernendi non est compatibilis cum præscientia inefficaciæ; & est affectus specialiter benevolus: quod valde prodest ad rationem beneficentiæ formalis.

## SECTIO IV.

*An decretum efficax de auxilio sit exequutivum: an præfinitivum consensûs: an omnino simplex?*

29 HÆC singula longam seorsim postulabant discussionem, nisi eam in superioribus disputantes in genere de Providentiâ, & de Præfinitionibus; & alibi de indivisibilitate divini decreti exegissemus. Nunc opus nobis non est, nisi doctrinas illas generalius propugnatas ad Providentiam Prædestinativam specialiter applicare: quod facili, brevique negotio præstabimus.

30 Circa primum, dicendum est, divinum decretum efficax de auxilio inefficaci esse eadem ratione exequutivum collationis auxiliij; non verò positionis consensûs. Si verò sit efficax, ut de facto esse diximus, de auxilio efficaci quia efficaci, est exequutivum non solum de collatione auxiliij; sed etiam de positione consensûs. Vtraque pars constat ex *disp. 3. sect. 3. Diximus enim decretum divinum intrinsecè efficax, esse eo ipso exequutivum obiecti sic efficaciter voliti, & quidem per se sine adminiculo; profus supervacaneo, alterius decreti pure, ut multi vocant, exequutivi. Cum igitur decretum efficax de auxilio non efficaci sit efficax de collatione auxiliij, & non de positione consensûs; illius, & nõ istius est, exequutivum. Cumque decretum efficax de auxilio efficaci, quia efficaci, sit efficax de collatione auxiliij, & etiam de positione consensûs, est formaliter exequutivum utriusque. Objectiones adversus hoc dissolvimus *loc. cit.**

31 Circa secundum, dicendum est, divinum decretum efficax de collatione auxiliij efficacis esse de facto præfinitivum consensûs liberi nostri. Ratio nobis est expedita. Tum quia, quamvis potuisset Deus decernere auxilium efficax, & non,

Supr. disp. 8.

de facto tamen auxilium; quod decrevit, præsciens futurum efficax, decrevit ex directione talis præscientiæ, quia efficax, & ex motivo efficaciac, ut vidimus ibidem *num. 51. & in hac disp. sect. 1.* Hic autem modus decernendi præferret efficacem volitionem consensûs: quæ perinde est, ac præfinitio de consensu. Tum quia, ut latè vidimus *disp. 6.* ubi id ab objectionibus ex professo dissolvimus, divina Præfinitiones de actibus nostris liberis ex notitia Scientiæ Mediæ à Deo habitæ non solum Deo possibiles sunt incolumi nostra libertate; verum etiam Deo de facto concedendæ ex multis gravibus congruentijs, & Authoritatibus, quas expeditimus ibi *sect. 1.* Nihil igitur obstat, quominus de facto decretum de collatione auxiliij efficacis asseratur præfinitivum consensûs.

32 Circa tertium, displicet maximo-perè quod meditatatus est P. Borrull *disp. 14. sect. 3.* Deum de facto decernentem uno decreto auxilium efficax, quia efficax, ex directione Scientiæ Mediæ; habere simul aliud decretum non directum præ Scientiam Mediæ, quo decernit idem auxilium, non quia efficax, sed præcisim ex motivo intrinsecæ sufficientiæ. Hæc decretorum dualitas sine operæpræcio, & gratis excogitata maxime mihi exosa est. Nõ ex eo solum; quòd negotium totum Prædestinationis, sicut & de negotio toto incarnationis alibi docui, quinimo & cuncta à Deo volenda, & nolenda peragi à Deo iudicem per unicum decretum, non solum non realiter, sed nec virtualiter divisibile; verum etiam, quia adhuc multiplicitate aliorum decretorum ægrè permittenda, hæc in præcepti dualitas instructuosa profus & inutilis est; ideòque non nisi implacabilissima chymera, ex aliquorum nutu conficta, ut de simili dualitate decretorum pro applicatione Omnipotentiam memini me dixisse *disp. 3. sect. 3.* & de dualitate decretorum uno efficaci, alio inefficaci de sine Gloriæ pro Prædestinatione dicam *disp. seq. sect. 10.*

33 Ad quid enim, præcor, decretum auxiliij non quia efficacis, in præsentia alterius decreti eiusdem auxiliij quia efficacis, nisi ad multiplicanda pro libito, aut pro captu nostro decreta, Deum summum, ac infinite capax ad decernendum omnia simplici ductu indecentissima. Profecto, si aliqua ex nostris doctrinis, mihi vide-

Borrull.

Tom. de Christo, &amp; To. de Deo.

Supr. disp. 3.

1. fra disp. 10.

vide-

Seneca.

Suarez. Vazquez.


Supr. disp. 3.

Tom. de Gratia.

videretur defendi non posse absque eiusmodi prædijis, eo ipso non veram iudicarem. Præterea non possum non notare incoherentiam doctrinæ in prædicto modo discurrendi. Dicitur enim ex una parte dari in Deo decretum de collatione auxilij efficacis, quia efficacis ex directione Scientiæ Mediæ: quod sic explicant, ut illud auxilium Deus non conferret, nisi præsciretur efficax: ex alia vero parte dicitur, dari in Deo de facto aliud decretum de eodem auxilio non quia efficaci, virtualiter distinctum, ac divisibile à decreto illo de auxilio quia efficaci. Quomodo ergo per decretum auxilij quia efficacis decerneret Deus auxilium non conferendum nisi foret efficax; si simul habet de

facto aliud decretum efficax eiusdem auxilij non quia efficacis: per quod conferretur idem auxilium, quamvis non esset efficax?

34 In catce ex dictis in hac, & in præcedenti Disputatione observatum veium discrimen inter decretum, & consensum respectu Scientiæ Mediæ. Hæc enim connexius se habet ad consensum, posito auxilio; quam ad decretum: nam poterat esse sine isto decreto, posito per aliud eodem auxilio. In suo autem modo directivè inferendi decretum, auxilium, & consensum; immediatius se habet ad decretum, quam ad auxilium, & consensum: non enim, nisi medio decreto, infert collationem auxilij & positionem consensûs.



## DISPUTATIO XI.

### DE PRÆDESTINATIONE, UT EST ELECTIO formalis ad Gloriam.

**N**EC est, ut distinximus supra, alia acceptio usitatissima Prædestinationis: quæ sic accepta adæquatè stat in actu voluntatis divinæ volentis efficaciter aliquot præ alijs ad Gloriam perducere: quamvis & alios quoque & omnes velit salvos fieri; non tamen sic efficaciter. Dicitur *Electio*: non quidem in eo sensu, quo contrapositè ad intentionem quæ est volitio finis, vocatur electio actus volens mediæ; cum ea Dei electio prædestinativa sit potissimum volitio finis; sed quia in intendendo sine Gloriæ præfert Deus alios alijs, seligens è multitudine eorum qui vocantur, aliquos reipsa salvandos: iuxta illud Christi Matth... *Multi sunt vocati; pauci vero Electi.*

#### SECTIO I.

*Eliminato Hæreticorum errore, exponitur difficultas; & proponuntur Orthodoxorum sententiæ.*

**E**Rror fuit Calvinus, Deum ita independentem à meritis elegisse, ac prædestinasse aliquos ad Gloriam, & destinasse alios ad interitum, ut utrisque de-

sit libertas à necessitate, utpote non necessaria ad merendum, & demerendum. Quem errorem amplexi sunt novius Jansenistæ à nobis reiecti *disp... de Grat. & To. de Gratia disp... Innoc. X.* damnavit Innocentius X. in Bulla contra Jansenium: esset enim dicere Gloriam conferri Adultis ut coronam & præmium absque ullo, ingratu meritorum: cum ad meritum, sicut ad demeritum necessaria sit libertas à necessitate, ut ex supradicta Bulla,

Bulla, & ex alijs etiam fundamentis stabilivimus ibidem. Manet ergo certum Dogma Catholicum, quod Gloriæ ut coronam non conferretur adultis, nisi dependentem à meritis, & ab operibus liberis à necessitate: iuxta illud in hoc catholico sensu ex SS. Patribus intelligendum: *Nō coronabitur, nisi qui legitime certaverit.*

3 Hoc supposito, exoritur difficultas celebris inter Catholicos: an sicut Gloriæ, ut coronam, conferretur reipsa Prædestinatis; præcedentibus ad Gloriæ collationem ipsorum meritis; sic etiam decerneretur, aut præferriatur à Deo ex ipsorum meritis absolute prævisis à Deo antecederet ad eiusmodi decretum electivum: *antecedenter*; inquam, *prævisis*, non quidem tempore; cum tam divina prævisio, quam electio ab æterno in Deo sint; sed antecederet pro aliquo priori habitâ à Deo absolutâ prævisione meritorum per Scientiam Visionis ante electionem Prædestinatorum ad Gloriam, ut coronam? An verò illud decretum prædestinativum, seu Electio efficax ad Gloriam, ut coronam pro adultis, fuerit, aut potuerit esse in Deo antecederet & pro priori ad absolutam prævisionem seu ad Scientiam Visionis meritorum?

4 Nec excluduntur omnino ab hac, aut simili difficultate parvuli: Similiter enim disputari de illis potest: an, sicut Gloriæ, quæ ipsis conferretur, non ut coronam, sed ut hæreditas, subsequitur ad decessum in Gratia, quæ titulo Filiationis Dei est ius ad hæreditatem vitæ æternæ; sic etiam decretum efficax, quod est in Deo conferendi ipsis hæreditatem Gloriæ, subsequatur ad absolutam prævisionem decessûs in Gratia? Quapropter quæ de electione ad Gloriam, ut coronam dicimus pro adultis, applicari quodammodo poterunt electioni ad Gloriam ut hæreditatem pro parvulis: in quibus utique hæreditas Gloriæ præsupponit ius Filiationis; sicut in adultis corona Gloriæ obsequium meritorum.

5 Prima Sententiâ negat absolute, electionem efficacem ad Gloriam ante prævisionem absolutam meritorum. Ita Vazquez, & strenni ipsius Discipuli, Torres, Meratius, Moncæus, Alarcon, & Herize. Itemque Lessius, Amicus, Becanus, Martinus, Comptonus, Albertus, Bonav. & Alens. sequunturque gravissimi Recentiores.

Horum aliqui iudicant impossibilem electionem efficacem ad Gloriam ut coronam ante prævisionem absolutam meritorum. Alij, quamvis eam iudicent possibilem, negant pro de facto. Ut plurimum rem componunt dicentes, Deum antecederet volentem generaliter ineffaciter, omnes homines salvos fieri; & præscientem, per quæ quisque auxilia, si conferantur, exercebit actus meritorios usque ad perseverantiam finalem, decernere efficaciter conferre aliquibus præ alijs eiusmodi auxilia congrua: pro posteriori autem ad hoc decretum absolute visis illorum meritis finalibus, habere decretum efficax conferendi illis Gloriam: quod decretum est ipsorum præ alijs electio efficax ad Gloriam, ut coronam, pro posteriori scilicet ad absolutam prævisionem meritorum. Scio, Patrem Herize ponere pro priori ad decretum efficax auxiliorum, & Gloriæ; specialem quandam complacentiam Dei pro Prædestinatis; quamvis non intrinsecè efficacem, per quam iam prædiscernuntur à non prædestinatis, circa quos extat pro eo signo voluntas illa generalis, ut omnes salvi fiant. Scio etiam, Basilium Legionensem negasse pro Prædestinatis ante prævisâ merita voluntatem illam ineffacem, ut salvi fiant: quod in sensu nostro minime respueamus *sect... nu...*

6 Secunda Sententiâ affirmat absolute, Electionem efficacem ad Gloriam ut coronam esse ante absolutam prævisionem meritorum; imo & sine præscientiâ Mediæ ipsorum. Sic noviciss. Thomistæ cum nonnullis ex Scotistis. Hæc sententiâ rem sibi componit per decreta sua prædeterminantia, seu condeterminantia: quæ disjecimus *disp. 4. & 5.* Itaque dicunt, quod Deus, præcognoscens per simplicem intelligentiam, se posse sive per decreta, sive per auxilia determinantia connexa cum consensu nostro meritorio, & independentia à Scientiâ Mediâ, determinare quos voluerit ad operandum meritorie; eligit antecederet aliquos efficaciter ad Gloriam, ut coronam; & pro posteriori decernit & videt auxilia prædeterminativa ad merita perseverantia. Adduntque nec aliter posse id decerni, ac fieri à Deo.

7 Tercia Sententiâ docet divinam electionem efficacem Prædestinatorum ad Gloriam, ut coronam, esse in Deo pro priori ad absolutam prævisionem meritorum;

*Herize.*

*Legionens.*

*Thomist. Scotist.*

*Supr. disp. 4. & 5.*

*Vazquez. Torres. Merat. Monc. Alarcon. Herize. Lessius. Amicus. Becan. Martin. Compton. Albert. Bonav. Alens.*

*To. de Gratia disp... Innoc. X.*

*Bulla.*

Suarez.  
Molin.  
Arrib.  
Granad.  
Fasol.  
Bellarm.  
Ribaden.  
Quiròs.  
Aláret.

rum; dependenter tamen à prænotitia Scientiæ Mediæ. Sic Doctor Eximius, Molina, Arrubal, Granadus, Fasolus, Bellarminus, cum alijs quos citant, & sequuntur Ribadeneira *disp.* 13. Quiròs *disp.* 12. & Aláret *disp.* 6. Hæc sententia, quæ fertur in Schola nostra communior, rem sic componit: ut Deus præinstructus Scientiâ Mediâ efficaciam, & inefficaciam variorum auxiliorum ad actus meritorios Gloriæ, non præhabens decretum conferendi efficaciam, ac proinde non præsuppositâ absolutâ prævisione meritorum; eligat efficaciter Prædestinatos ad Gloriam; ut coronam: ex qua præelectione est decretum conferendi ea auxilia, quæ per Scientiam Mediâ præcisa fuerunt fore efficaciam, si conferantur; subsequuta posteriori Scientiâ Visionis meritorum absolutè futurorum. Additque communiter contra secundam sententiam pro prima, quod quamvis de facto sic decernatur, ac fiat à Deo; de possibili tamen non repugnare aliter fieri, ut componit P. Vazquez.

8 Quarta Sententia quosdam Sanctissimos, qui salvantur, fuisse electos ante merita absolutè prævisa, ut Mariam, Baptistam, & Apostolos; reliquos verò post absolutè prævisa merita. Citantur Gabriel, & Occamus: quibus accessisse dicitur Catherinus; malè tamen addens, reliquos electos post prævisa merita non esse dicendos Prædestinatos, quamvis Gloriam assequantur: quod quàm sit falsum, vidimus *disp.* 7. Huic quartæ sententiæ aliquatenus favere videntur Lessius, & Herize: ille, non negans B. Virgini electionem ante prævisa merita; iste verò, legendus *disp.* 23. à cap. 13. concedens, omnes confirmatos in Gratia ante mortem, fuisse sic eximie à Deo electos: factos tamen eo ipso moraliter impeccabiles.

9 Observa discrimen inter secundam sententiam Prædeterminatarum, & tertiam Patris Suarez: quod illa procedit per sua decreta prædeterminantia voluntates Prædestinatorum ad actus liberos meritorios, irresistibilia, ineluctabilia, & ab ipsis pro libito inevitabilia: atque adeò præfert easdem difficultates; & implicantias quas contra eiusmodi decreta prædeterminativa protulimus *disp.* 4 & 5. Ista verò ponit hanc divinam Electionem prædeterminativam, seu decretum Gloriæ ut coronæ non præsuppositâ absoluta prævisio-

ne meritorum; præsuppositâ tamen præscientiâ Mediâ meritorum per auxilia intrinsecè indifferentia: & sic attemperanter ad determinationem voluntatis creatæ liberæ, ut pro libito cuiuslibet sic prædestinati, seu efficaciter præelecti sit evitabile & impedibile eiusmodi decretum præelectivum, ne unquam extiterit in Deo: ideoque fiat optimè cum libertate creatâ, eadem ratione, qua id ipsum tenuimus *disp.* 6. de divinis Prævisionibus à nobis admissis. 6.

## SECTIO II.

*Arguitur ab impossibili pro Patre Vazquez contra Electionem ante prævisa merita.*

10 **H**VC applicanda sunt, quæ obicimus, & solvimus *disp.* 6. propugnantes contra eundem Vazquez, & Assecclas possibilitatem divinarum Prævisionum illasâ nostrâ libertate. Habent enim eandem viam contra præsentem electionem. Nunc ad specialiora contra dictam electionem veniendum est.

11 Arguitur primò. Si Deus decreto simili non præsuppositâ prævisione absolutâ demeritorum decerneret negare homini Gloriam, non haberet homo potestatem assequendi Gloriam: ergo si non præsuppositâ absolutâ prævisione meritorum decreto suo præelectivo prædestinaret hominem ad Gloriam, non haberet homo potestatem non assequendi Gloriam: ergo talis præeligendi modus non stat cum libertate hominis. Respondetur: negando antecedens, de quo *disp.* 13. *sect.*... Stando enim præsentem modo, & legi conferendi auxilia indifferentia ex præilluminatione Scientiæ Mediæ, posset in eo casu permisso homo evitare demerita, quæ pro libito nõ evitat; sicque mereri Gratiam, & perseverare: non quidem coniungendo evitacionem peccati, meritum, & perseverantiam cum eo decreto; sed evitando, & impediendo, ne tale decretum extitisset, utpote non extitutum, si Deus per Scientiam Mediâ non præcivisset, hominem finaliter non peccaturum, si cum talibus auxilijs constitueretur. Quod sufficit absolutissimè ad libertatem merendi, perseverandi, & assequendi Gloriam: ut circa Prævisiones divinas sæpè diximus. Vnde falsa est consequentia. Dixi: Stando præsentem modo, &

*Infra disp.*  
13.

legi conferendi auxilia, prout est quæstio. Si enim Deus aliter res ordinasset omnino decernens non elevare hominem ad Gloriam, quomodocumque liberè operaretur; verum esset antecedens procedens iuxta alium rerum ordinem extra quæstionem; & nulla consequentia iuxta præsentem Dei ordinationem, prout est quæstio.

12 Secundò. Quamvis sic concilieretur quomodo stet in sic Prædestinato potestas non assequendi Gloriam; nequit conciliari quomodo stet in imprædestinato potestas assequendi Gloriam: ergo non stat cum prædicto modo præeligendi, & prædecernendi ad gloriam, ut coronam, libertas imprædestinati ad assequendam Gloriam ut coronam. Probatur antecedens. Nullus assequitur Gloriam, ut coronam, nisi dicto modo præelectus: sed non est in potestate imprædestinati sic præligi: ergo nec assequi Gloriam ut coronam, nec salvari. Respondetur, negando antecedens. Ad probationem, concessis præmissis, negatur illegitima consequentia: quæ ut valeret, desiderat in maiori pro: nullus assequitur: terminum: nullus potest assequi: quo adhibito falsa esset maior; & bona, sed non vera consequentia. Itaque potest salvari, & assequi Gloriam imprædestinatus, quamvis Deus dicto modo præelectivo prædestinaret: quia, quamvis hic modus prædestinandi sit possibilis, & de facto sic existens; non est tamen necessarius; cum sit Deo possibilis alius modus prædestinandi non sic præelectivus: qui haberi potest pro libito cuiuslibet imprædestinati iuxta præsentem Dei leges constituti: ut exponemus *disp.* 13. *sect.*...

13 Tertiò. Admissâ de facto pro curatis Prædestinatis eiusmodi præelectione, damnantur omnes non sic præelecti. Deus igitur, qui respectu istorum non habuit eiusmodi præelectionem; non vult serio, & ex animo hos salvos fieri: faciens enim id, quo posito scit impediri finem, non vult serio assequutionem finis: Deus autem respectu imprædestinatorum habet nolitionem efficacem sic eos præeligendi; sciens sic impediri finem salvationis ipsorum: & non vult serio quod ipsi salvi fiant. Simili argumento respondimus *disp.* .. Ex ibi dictis respondetur in præsentem: in primis, difficultatem esse communem, & ab arguētibus quoque solvendam. Apud omnes enim Deus vult serio; ut homo non

*Suprà*  
*disp.*...

peccet, & ex animo confert auxilia, ut evitetur peccatum: quod tamen permittit, sciens sic non evitandum fore. Deinde, concessio antecedente, negatur consequentia. In cuius probatione distinguenda est maior: si id faciens moveretur, ut ita faciat, ex notitia impeditionis finis, verum est; falsum, si ex præscientia, bonitate, & amore aliorum finium, ut patescimus *loc. cit.* Deus autem ad nolendum eo modo præeligere de facto imprædestinatos, sciens, sine illâ non fore salvos; non movetur ex ista notitia ad nolendum eos præeligere; sed ex notitia aliorum finium propter quos sibi bene notos sic res disposuit. Vnde falsa est consequentia. Serio quidem, & ex animo amat mercator conservationem suarum mercium; cum voluntate tamen eas conservandi, quando eas in mare projicit ex sine conservandæ vitæ.

14 Quartò. Circa imprædestinatum positum in penultimo vitæ puncto cum Gratia, & in tentatione peccandi, iuxta sententiam istam disposuisset Deus hæc tria: nempe, quod talis homo salvaretur, si vincat tentationem: quod non fuerit præelectus ad Gloriam ante prævisa merita: & quod nemo non sic præelectus salvus fiat. Nunc sic: ut istæ Dei dispositiones non sint irritæ, necesse est conferri tunc à Deo tali homini auxilium inefficax: ergo deberet ex industria illud præefficaci seligere, & decernere, quia inefficax: quod tamen Deo repugnat ex dictis *disp. præced.* Respondetur, admittendo totum casum, & concedendo antecedens. Negatur tamen consequentia. Nam ex triplici illa dispositione Dei, prima quidem, & secunda independentes sunt à peccato finali talis hominis sic constituti: eo enim non evitato stat, quod homo salvus esset, si illud evitaret; & quod homo non præelectus fuerit ante merita prævisa. Tertia verò, ratione cuius complexum ex tribus connectitur cum peccato finali, iam est evitabilis pro libito talis hominis: quippe si ille hic & nunc, ut potest, perseveraret, præcivisset Deus per Scientiam Mediâ, quod sic constitutus fuisset perseveraturus & salvandus; & aliter prædestinandus, & sic nunquam fuisset verum, quod nemo non prædicto modo præelectus salvus esset: nec staret hæc præsentem Dei dispositio; & providentia. Necesse itaque non est, Deum ex industria seligere tali homi-

*Suprà*  
*disp.*...

Gabr.  
Occam.  
Cather.

*Supr. disp.*  
7.  
Lessius.  
Herize.

*Supr. disp.*  
4. & 5.

ni auxilium inefficax, quia inefficax; sed quod præsciens, talem hominem, si conferatur hoc auxilium, non perseveraturum, illud conferat, quamvis inefficax: sic enim fiat consequentissimè illa veritas, quòd nemo non eo modo præelectus salvus fiat.

15 Quintò. Decretum præelectivum Baptistæ, v. gr. ad Gloriam non fuit ad Gloriam divinæ Visionis in communi; fuit enim ad hanc Visionem glorificam, quam habet: sed hæc nequit à Deo sic decerni nisi præsupposità absoluta prævisione meritorum: ergo sic, & non aliter potuit esse electio prædestinativa. Probatur minor. Hæc numero Visio glorificam habet in Deo pro objecto actus meritorios ipsius Baptistæ: Beati enim vident in Verbo quæ pertinent ad ipsorum statum: nihil autem magis pertinet, quam id quo Gloriam meruerunt: sicque decretum de hac Visione, debet esse decretum de eo quòd Baptista videat per ipsam actus suos meritorios: ergo non potuit decerni hæc Visio, ac proinde nec Gloria Baptistæ, nisi ex præsupposità absoluta prævisione horum meritorum. Probatur hæc consequentia: nam objectum ut tale debet esse pro priori aliquo ad sui Visionem, iuxta doctrinam, quam diximus ex Aristotele *disp. 2.* res futuras esse pro aliquò priori ad Scientiam Visionis, cuius sunt objectum: ergo cum hæc Visio glorificam Baptistæ habeat pro objecto merita Baptistæ prout in tali tempore existentia, non potuit à Deo decerni, nisi ex præsupposita existentia talium meritorum, & ex absoluta eorum prævisione pro tali tempore.

16 Confirmatur. Posito Dei decreto de hac Visione glorificam, intelligitur iam hæc, ut existens pro tali tempore: ergo intelligitur eius objectum, ut præexistens: sed non ut præexistens ex vi decreti de tali visione: ergo ex vi alterius decreti prioris, in quo iam prævidetur à Deo absolute merita: sicque decretum de tali visione creata glorificam Baptistæ debet iam præsupponere divinam prævisionem meritorum. Probatur minor: nam sicut objectum ut tali tempore existens est pro priori ad sui visionem; sic decretum de tali objecto debet esse pro priori ad decretum de ipsius visione. Res enim decernuntur à Deo eo modo, & ordine, quo eveniunt: alioquin aliter decernerentur à Deo; &

aliter evenirent à parte rei.

17 Huic argumento quod magni fit à nonnullis respondetur, concessa maiori, negando minorem. Ad probationem, concessio antecedente cum toto suo fundamento, negatur consequentia. In cuius probatione distinguenda est maior ex doctrina mihi certà tradita *disp. 2.* quando obiectum ut tale aut irruit in sui Visionem, 2. aut saltem est minus connexum cum sui Visione, quam visio cum ipso, vera est maior; aliter neganda; ac proinde in univèrsum non vera de omni obiecto in genere, ut explicui *loc. cit.* Negatur autem consequentia. In qua fit grandis transitus à visione glorificam Baptistæ ad æternum Dei decretum de tali visione. Visio quidem illa supponit actus meritorios Baptistæ quos videt: non tamen proinde divinum decretum de tali visione debet supponere decretum de meritis: sicut nec quia visio supponit tempore merita, sequitur quod decretum divinum de meritis debeat tempore supponere decretum de Visione. Alia enim est præcedentia rerum volitarum; alia volitionum, sicut & cognitionum. Patet: nam in rebus volitis prius & tempore, & naturà sæpè est medium, quam finis; Mater, quam Christus; ignis, quam fumus, quin tamen propterea debeat esse prius volitio medij, quam volitio finis; decretum Dei de Christo, quam de Matre; sicut nec in nobis cognitio ignis, quam cognitio fumi. Hallucinatio igitur est, sedulo corrigenda, quòd ordo cognitionum, volitionum, seu decretorum imitari debeat ordinem obiectorum. Et ratio est in aperto: quia sæpè unum obiectum causat aliud, quin cognitio, seu volitio illius causet cognitionem, seu volitionem alterius. Hinc dicemus ad argumentum sequens non implicare quod decretum perseverantiæ finalis in Gratia non antecedit ad decretum Gloriam; quamvis perseverantia finalis in Gratia antecedit Gloriam.

18 Ad confirmationem, concessio antecedente, distinguendum est consequens: posito Dei decreto de hac Visione glorificam, intelligitur obiectum Visionis, ut præexistens ad sui visionem; perintrimus: præexistens ad decretum de sui Visione; negamus. Nam, ut diximus, non ex eo quod una res sit prior alià, inferitur, quod decretum de illa debeat esse prius decreto de alià: nõ enim debet esse prius in decerni,

ni, quod est prius in esse. Negamus deinde minorem subiunctam, eiusque probationem. Vbi noto ex dicendis *sect. seq.* quòd res eveniunt eo modo, & ordine; quo à Deo decernuntur, ut eveniant: eo, inquam, modo in illis volito; non tamen eo modo, & ordine volendi, quem Deus in decernendo observat. Sæpè enim vult aliquo modo prius quod evenit posterius; quavis non velit, evenire prius, quod evenit posterius. Idem cernere est in cognitionibus: verè namque fumum cognoscimus prius, quam cognoscamus ignem, signatà scilicet prioritate in cognitionibus; signatà tamen prioritate in rebus non vere cognoscimus fumum esse prius igne, seu esse prius, quam sit ignis.

### SECTIO III.

*Sextum argumentum specialius contra Præelectionem ad Gloriam, ut coronam, non præsupposità prævisione meritorum.*

19 **A**rguitur sexto pro Patre Vazquez. Implicat Gloriam conferri Prædestinato, exercitè prout de facto, ut coronam, & decerni, non præsupposita prævisione absolutà meritorum: ergo modus iste præeligendi ad Gloriam impossibilis est cum præsentem modo conferendi Gloriam. Antecedens probatur multipliciter. Primò: quia implicat in terminis conferri Gloriam exequentivè, nisi ut à Deo decernitur: ergo implicat conferri, ut coronam post merita absolute prævisa, ino & exercita; & decerni à Deo ante absolutam prævisionem meritorum. Secundò: quia quod confertur, ut corona, & ut præmium, confertur propter merita, & non gratis, ac purè liberaliter: quod autem prædecernitur à Deo antecedenter ad prævisionem meritorum confertur gratis, & non propter merita: confertur enim eo modo, quo decernitur à Deo: & decernitur gratis, ac liberaliter; & non propter merita: cum tamen in terminis implicet Gloriam conferri gratis; & non conferri gratis, sed propter merita. Tertiò: quia Deus conferens Gloriam ut coronam, confert, ut iustus Iudex, iuxta illud Pauli: *Reposita est mihi corona iustitias, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex.* Hoc autem implicat cum decreto gratis, libe-

raliter, & antecedenter ad merita præelectivo ad Gloriam: quemadmodum implicat, primum gratiæ actualis auxilium conferri à Deo gratis, ac liberaliter; & simul decerni remuneratoriè propter merita. Quartò: quia implicat, actionem externam imperatam, & actum internum imperantem non pertinere ad eandem virtutem. Si autem decretum Dei præelectivum ad Gloriam conferendam, esset in Deo antecedenter ad merita absolute prævisa; eiusmodi actus internus volutatis divinæ esset gratuitus, pertinens ad misericordiam, seu liberalitatem; collatio verò externa, seu executio Gloriam, esset remuneratio, pertinens ad iustitiam: quæ sunt virtutes diversa. Et saltem, ut executio ista sit ex iustitia, procedat necesse est ex aliqua voluntate seu decreto Dei, quod habeatur à Deo ex iustitia; ac proinde propter merita ex præsupposità prævisione meritorum.

20 Hoc argumentum est præcipuum in hoc puncto. Pro distinguunt gravissimi Theologi in divinis decretis diversos illos ordines decretorum intentionis, & executionis: ut dicant, Deum circa externam Gloriam ut coronam collationem temporalem habere ab æterno duo decreta intrinsecè efficacia: unum intentivum antecedenter ad absolutam prævisionem meritorum; aliud exequentivum subsequenter ad illam, & propter merita. Has doctrinas refecimus ex professo *disp. 3.* pertaxi distinctionem illam decretorum ordinis intentionis; & ordinis executionis. Non itaque possumus, nec volumus ad illam recurrere. Aliter ergo respondendum est: & quidem verosimilius, ac solidius cum Montoya, Granada, Esparza, aliisque primæ notæ Theologis. Ex quibus, absolute negato primò antecedente.

21 Ad primam eius probationem, distinguo antecedens: implicat conferri Gloriam, nisi ut à Deo decernitur, signato modo obiectivo volito à Deo per decretum Gloriam; concedo: si enim non conferretur eo modo à Deo volito, irritum esset Dei decretum: signato modo formaliter eam decernendi; nego antecedens: non enim Deus voluit, ut isto modo conferretur. Sicque nego consequentiam & rem in hac ipsa subiecta materia explico. Modus formalis volendi, seu decernendi Gloriam est æternus, & increatus; modus obiectivus volentis in ipsa collatione temporali

Gloriæ, est temporalis, & creatus: quippe Deus ab æterno & non in tempore, volitione increata, non verò creatâ, voluit, seu decrevit conferri Gloriam in tempore, non verò conferri ab æterno: cõferri collatione creatâ; non verò increata. Itaque loquendo de modo formali divino volendi, seu decernendi, verû est, quod non conferitur Gloria ut à Deo decernitur: sicque antecedentia ad prævisionem meritorum est modus ipse formalis volendi decreti præelectivi; & non est modus obiectivus volitus in rebus, scilicet in collatione creatâ Gloriæ. Decretum enim illud præelectivum, quamvis antecedenter ad merita velit conferri Gloriam; non tamen vult, Gloriam conferri antecedenter ad merita, sed conferri post merita prævisa, & posita, ut reipsâ conferatur. Vnde quoad modum obiectivum à Deo volitum in rebus Gloria conferitur, ut Deus ab æterno antecedenter ad prævisionem meritorum voluit, in tempore conferri: conferitur enim post merita: & hoc voluit antecedenter ad merita Deus: sicut antecedenter ad hoc tempus voluit Gloriam conferri post hoc tempus. Quod est nimis clarum.

22. Ad secundum concessâ priori parte, utimur simili distinctione inco cussâ quoad secundâ: quod prædecernitur à Deo antecedenter ad prævisionem meritorum, conferitur gratis, & non propter merita, si prædecernitur, conferri gratis, & non conferri propter merita, ut accidit in primis auxilijs gratiæ actualis; concedo: si prædecernitur conferri nõ gratis, & cõferri ante merita; sed cõferri post, & propter merita, nego. Sic enim non est Gloriam conferri gratis; sed gratis decerni, ut conferatur non gratis; sed conferri propter merita: ut nunc accidit in Gloria Adulorum: quam utique Deus gratis illis voluit decreto suo præelectivo; non tamen conferendam gratis; sed conferendam ex meritis prævisis, & exercitijs. Exemplum ex Patre Suarez: est similiter clarum in homines qui volens sibi equum suum, postquam noluit alijs vendere, rogatus ab amico vult illi vendere: quo in casu volitio illa vendendi est gratuita, benevola, & expers obligationis illam habendi; & tamen est volitio collationis equi non gratuita; sed ex pretio iusto. Gratis ergo vult conferre equum; sed non conferre gratis.

23. Ad tertiam, concessâ libentissime

maiori, distinguo minorem: hoc implicat cum decreto gratis, liberaliter, & antecedenter ad merita præelectivo ad Gloriam conferendam gratis, liberaliter, & antecedenter ad merita, concedo: conferendam ex meritis, post, & propter merita, nego. Hoc autem posteriori modo habet se in Deo decretum præelectivum Prædestinatorum ad Gloriam ut coronam, quamvis habeatur non præsuppositâ absolutâ prævisione meritorum. Decretum verò conferendi prima gratiæ actualis auxilia non se habet hoc modo: quia non solum est gratis, & ante meritum; sed est de auxilijs illis primis conferendis gratis, & ante meritum: & hoc modo in rebus à Deo volito reipsâ conferuntur. Vnde patet clara disparitas ad rem præsentem.

24. Ad quartam, est quoque distinguendum. Implicat, actionem externam imperatam, & actum internum imperantem non pertinere ad eandem virtutem, aliquo modo, concedo: eodem omnino modo, nego. Pertinent, inquam; *aliquo modo*: quia, cum actio externa afficiatur, & denominetur ab imperio interno, nequit non habere aliquem saporem virtutis ad quam pertinet actus internus imperans: cumque imperium internum habeat formalem suam honestatem respectivè ad actionem externam, tanquam ad ipsius obiectum amatum, nequit non fortiri aliquam denominationem boni, ab actione externa quam honestè vult: sicque dicuntur quodammodo actus internus, & actio externa pertinere saltem analogicè ad eandem virtutem. Verumtamen, *non omni eodem modo*. Sæpè enim actus internus in circumstantijs, in quibus exercetur, quavis respiciat actionem externam, quæ est materia alicuius virtutis, ideoque sortiatur formaliter honestatem talis virtutis; ipse tamen non est materia talis virtutis: ut videre est in illo, qui sponte vult vendere equum amico: ubi volitio vendendi cum non cadat sub debitum non est materia iustitiæ, sed gratuitatis; versatur tamen circa collationem equi ex pretio; quæ est materia iustitiæ.

25. Ad hunc ergo modum dicimus, quod præelectio ad Gloriam, ut coronam est materialiter, & ut aiunt subiectivè gratuita, id est materia liberalitatis, utpote non cadens sub debitum, respicit tamen, & vult materiam iustitiæ, & non nisi ex debi-

debito conferendam, nempe collationem Gloriæ non conferendam nisi ex meritis: ideoque dicitur participare formaliter honestatem iustitiæ quam scilicet in obiecto suo honestissimè vult. Et e converso collatio illa obiectiva Gloriæ volitæ per eiusmodi Dei præelectionem, quamvis sit materia iustitiæ, & ex debito meritorum, participat aliquid de liberalitate & gratuitate, quatenus imperatur à volitione illâ gratis, & liberaliter à Deo habita sine debito illam habendi, & causatur à primo auxilio exhibito gratis, & non ex debito meritorum sic præelecti, seu prædestinati.

26. Atque hinc negatur illud quod ultimum dicitur, quod, ut exequutio externa, seu passiva Gloriæ sit ex iustitia debet procedere ab actu interno divino habito ex iustitia, seu qui sit materia iustitiæ, ex debito, & propter merita: quamvis versetur honestissimè circa materiam iustitiæ; ideoque participet modo supradictio formaliter honestatur iustitiæ, quam vult & intendit, prædecernendo collationem Gloriæ non nisi ex iustitia, & ex meritis exercendam. Sic expeditur solidè huius argumenti difficultas sine recurra à duos ordines decretorum intentionis, & exequutiones sine quibus existimant multi, alioquin Assertores Præelectionis ante prævisa merita, defendi non posse ab hoc sexto argumento. Sed de hoc redibit sermo *sect. 8.* ubi faciemus satis rationi nobis obijci solitæ pro distinctione horum ordinum decretorum, quoad præsens attinet.

#### SECTIO IV.

*Arguitur ab incongruenti pro de facto contra supradictam Præelectionem.*

27. **P**rimò. Cum enim conferat Deus reipsâ Prædestinatis Gloriam, ut coronam; incongruum videtur, quod prima Dei volitio de Gloria ipsorum fuerit præcisim à ratione coronæ; & postmodum fuerit alia Dei volitio eiusdem Gloriæ ut coronæ, sive exequutiva, sive denuo eadem intentiva. Respondetur, confitendo id fore, & esse: quoque nobis incongruentissimum, quamvis à multis doctis pronuntiatur: ut bene notat Montoya *disp. 12. sect. 7.* Nos autem non multiplicamus illas Dei volitiones, ut videbimus *sect. 11. num.* Sed dicimus volitionem primam,

seu potius unicam, quæ Deus prælegit Prædestinatum ad Gloriam fuisse determinatè, & efficaciter ad Gloriam, ut coronam in adultis, & ut hereditatem in Parvulis; eandemque exequutivam collationis Gloriæ, ut coronæ propter merita quoad adultos.

28. Secundò. Incongruens est, quod Deus non prius decreverit, & absolutè præviderit, id quod prius in re ponitur. Cum ergo merita ponantur, prius, quam Gloria, ut corona, prius debet esse decernere & prævidere merita, & pro posteriori decernere Gloriam ut coronam: & hunc ordinem invertere nequit non esse incongruentissimum. Respondetur negando absolutissimè antecedens. Est enim modus agendi valde congruens velle prius finem, quam media: præsertim in agente qui conditionatè præsciis est, & antecedenter certissimus de utilitate mediorum, quibus finis assequibilis est, & quibus assequendus, qualis est Deus per Scientiam Mediam. Atque hinc est vulgatum illud: *Quod est prius in intentione est posterius in executione.* Vnde consequentia falsa est, & incongruens.

29. Tertiò. Divinæ promissiones debent conformari divinis decretis; cum sint istorum signa: in Deo præsertim fidelissimo conformia semper cum suo significato: sed promissiones divinæ de Gloria antecedenter ad positionem meritorum sunt condicionales, & non absolutæ; si nempe homo perseveranter decedat in Gratia: ergo similiter decreta: ergo antecedenter ad merita, eorumque prævisionem non habuit Deus decretum absolutum & efficax præelectivum ad Gloriam; sed solum condicionale; si scilicet homo perseveranter decedat in Gratia: atque adeo absoluta Dei electio ad Gloriam non est nisi post prævisionem meritorum perseverantis in Gratia. Respondetur distinguendo maiorem: debent conformari penes firmitatem, & infallibilitatem, concedo; penes modum, existentem in Deo, nego: unde est, quod promissiones fiant in tempore; cum tamen decreta fuerint ab æterno. Concessâ deinde minori; negatur consequentia. Quamvis enim decretum absolutè præelectivum ad Gloriam fuerit ab æterno antecedenter ad absolutam prævisionem meritorum, & promissiones exprimantur in tempore conditiona-



tionatè æquiparantur in infallibilitate, & firmitate obtinendæ Gloriæ, ut coronæ ab omni decedente in Gratia: nam veritas ista condicionata non tollitur per præelectionem illam absolutam.

30 Quartò. Deus incitat Prædestinatos ad bene operandum sic: *damnaberis nisi merearis; Gloriam, & decesseris perseveranter in Gratia.* Huiusmodi autem comminationes inanes essent, si Deus non præsuppositâ absolutâ prævisione meritorum prælegisset efficaciter ad Gloriâ: non ergo congruit modus iste præeligendi. Respondetur, negando minorem. In primis enim comminationes illæ, non essent inanes: nam taliter Deus decreto illo non præsupponente prævisionem meritorum prælegit ad Gloriam, ut simul decreverit Gloriam conferendam, propter merita excitanda per illas ipsas comminationes. Deinde nec sunt falsæ: nam significant, sic dispositam esse Dei voluntatem, ut ipsi qui præelecti sunt, non essent præelecti, nec prædestinati; sed potius damnarentur, si non decederent perseveranter in Gratia: id quod rectissimè stat, cum præsentî præelectione, sive præsuppositâ, sive non præsuppositâ absolutâ prævisione meritorum, ac decessûs in Gratia: dummodo ea Dei præelectio præsupponat Scientiam Mediam meritorum, ac decessûs in Gratia, sitque pro libito hominis sic Prædestinati, & præelecti evitabilis. Unde nulla est consequentia.

31 Quintò. Prædictus modus prædecernendi, & præeligendi esset Prædestinatis causa incuriæ; & reprobis causa desperationis æternæ salutis. Possent enim quisque iure dicere apud se: vel sum sic à Deo præelectus; vel non sum: si sum, fieri nequit, quòd non salver: ut quid ergo fatagam laborare pro salute? Si non sum, ergo cum infallibile sit non sic præelectos non salvari, non est cur sperem salutem, nec cur pro illa laborare fatagam.

32 Scopulus est hic, in quem impigerunt hæretici Prædestinatistæ, cuique statim obviis; sive Prædestinatio sit per electionem ante, sive post absolutam prævisionem meritorum; in utraque verò sententia ab omnibus cordatis evitandis. Legendus super hoc Augustinus cap. 16. & Prosper. 17. de Boni Persever. & ex illo Prosper lib. 2. de vocat. Gent. cap. 25. sic eloquutus: *Nec per electionis propositum liberi ar-*

*bitrij devotio relaxatur; cum implenda voluntatis Dei ita sit præordinatus effectus, ut per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum: & qui bona gesserint non solum secundum propositum Dei; sed etiam secundum merita coronentur.*

33 Respondetur ex ijs, negâdo totam sequelam, & probationem. Non enim sequitur ex dicta Præelectione incuria in Prædestinatis: quia, quamvis infallibile sit, sic præelectum salvandum esse; infallibile pariter est non esse salvandum nisi per opera sua meritoria: quæ si non adhibeat, non fuisset præelectus, neque ante, nec post merita prævisa: ideoque oportet mereri perseveranter, nè liberè ponat impedimentum, quo nec ante, nec post prævisionem meritorum electus esset. Nec sequitur desperatio in reprobis: quia homo reprobus hic & nunc instructus auxilijs ad merendum, & perseverandum, quamvis non habeat in manu sua existentiam dictæ præelectionis gratuitæ; bene verò positionem suorum meritorum, suamque perseverantiam: quod si faceret non foret reprobus, quamvis illi deesset eiusmodi Dei præelectio; sed aliter prædestinatus: nam, ut diximus, modus iste sic præelectivè prædestinandi, quamvis possibilis sit, & de facto detur, non est necessarius ad obtinendam coronam Gloriæ. Curet igitur homo, speretque salutem, dum non habet certam suæ reprobationis revelationem. Quam si fortè aliquis haberet, exurgit nova difficultas pertinens ad Tractatum de Spe: an sperare teneretur, aut possent: de quo doctè P. Petrus de Oxea disp. 5. de Spe.

34 Nec huius quinti argumenti vim satis effugiunt Arguentes. Ponant enim electionem prædestinativam Dei, ut volunt, post absolutam prævisionem meritorum. Et dicat similiter homo: vel Deus decrevit dare mihi, quæ prænovit fore congrua, & efficacia, si dentur, ad finalem perseverantiam; vel non decrevit. Si decrevit, quidquid agam, salvus ero: ecce incuriam. Si non decrevit, quidquid ergo laborem, infallibiliter damnabor; ecce desperationem. Et ecce utrinque difficultatem communem, quâ circumagitur humana mens: subiicienda tamen humillimè Deo in utralibet sententia & serenanda ex doctrinis SS. Patrum quibus innittitur solidè nostra responsio.

Oxea.

35 Sextò. Si Deus sic prælegit Prædestinatos non præsuppositâ absolute prævisione meritorum, mirum est, quòd non multos elegerit: id enim esset congruentius bonitati, & largitati divinæ. Sed certe mihi magis mirum est, homines Theologos tam anxie id nobis opponere. Respondetur enim, hoc arcanum sibi Deum reservasse. Aut dicant, si norunt, arguentes. Cur Deus non multò pluribus decrevit conferre auxilia, quæ novit, si conferrentur, fore congrua, & efficacia ad finaliter perseverandum? Sic enim multò plures abs dubio fuissent electi post prævisa merita. Cavendum utrinque nobis est à nimio scrutinio inscrutabilis Providentiæ Dei, cuius altissimos fines plerumque non penetramus. Sistendum in eo est, quòd Supremus Dominus, sic aut sic volens, aut non volens, nemini facit iniuriam; cum nemini debeat eiusmodi præelectionem; sicut nec decretum conferendi auxilia, quæ novit congrua, & efficacia fore, si dentur; & huc revocandum responsum illius qui vocavit Operarios in Vineam suam Matth. 20. *Amice non facio tibi iniuriam: tolle quod tuum est, & vade.*

Matth. 20.

36 Septimò. Videtur modus iste divinus præeligendi aliquos ante prævisa merita non congruere divinæ voluntati seriæ salvandi omnes, & dandi etiam reprobis auxilia ut salvi fiant. Primò: quia voluntas illa salvandi omnes indicat omnibus dari auxilia, quamvis non aequalia, ex equali tamen voluntate salvandi omnes: non autem darentur auxilia ex equali voluntate, si aliquibus darentur ex voluntate illa præelectiva speciali; & alijs non. Secundò: quia cum voluntate Dei seriæ salvandi omnes non stat, Deum aliquibus quærere ex industria auxilia inefficacia, quibus non salvi fient. Sic autem quæreret Deus inefficacia non præelectis: ne enim aliquis non sic præelectus assequatur coronam Gloriæ, opus est non illi decernere auxilia, quæ prænovit Deus efficacia fore, si dentur, ad finaliter perseverandum in Gratia.

37 Respondetur, optimè quidem congruere. Ad primam rationem oppositam dicimus, Deum, sicut pro beneplacito suo dat aliquibus præ alijs auxilia uberiora, & quæ prænovit efficacia fore, si dentur; similiter pro beneplacito suo præeligere illos præ alijs: quòd quantum ad præsentem congruentiam perinde est: nec est in-

conveniens, quòd ex hac speciali voluntate præelectiva det Prædestinatis auxilia, & non sic reprobis, circa quos non est ea Dei voluntas: dummodo ex voluntate seriæ quod & ipsi salventur & sufficiente, ut, si volunt, fiant aliter prædestinati, & assequantur Gloriam, conferat illis auxilia sufficientia ad perseverandum in Gratia. Ad secundam, negamus, Deum proinde quæsiturum ex industria pro sic non prædictis auxilia inefficacia: quippe hac ipsa daret; si prænovisset quòd fuissent efficacia ad perseverandum: quo in casu aut eos etiam prælegisset, aut modo non sic præelectivo prædestinati essent. Itaque isti nõ ideo habent auxilia efficacia, quia non sunt à Deo præelecti; quinimò, ideo non sunt præelecti; aut ideo reprobi sunt, quia auxilia quæ à Deo habent sunt inefficacia: quòd per ipsos stat. Alias incongruentias opponit nimis acriter Martinus disp. 19. quibus tamen facilè repellendis sufficientem doctrinam paravinus in responsionibus suprapositis.

Martin.

## SECTIO V.

*Arguitur in eundem scopum pro Patre Vazquez ab Autoritate.*

38 ET primò quidem ex Scripturis. Nam Matth. 25. loquitur æternus Iudex ad Prædestinatos: *Possidete paratum vobis Regnum: & redditur ratio ex meritis: Esurivi enim, & dedistis mihi manducare, &c.* Ergo merita sunt causa, seu ratio non solum possessionis Gloriæ; quin etiam & preparationis, seu electionis æternæ ad Gloriam: ergo electio fuit post merita absolute prævisa: nam prævisa dumtaxat conditionatè non sufficiunt ad remunerationem absolutam. Respondetur, per ea iusti Iudicis verba solum significari Regnum Gloriæ ut coronæ possidendam propter merita: nec aliter paratum seu decretum esse à Deo Prædestinatis, nisi possidendum propter & post merita. Quòd autem æterna Dei preparatio fuerit propter & post merita prævisa, & non subiectivè gratis; non nisi gratis, & immeritò exinde arguitur. Sic exposito genuinè antecedente, negatur consequentia; & subillatio. Quòd verò merita prævisa dumtaxat conditionatè non sufficiant ad remunerationem absolutam; non probat-

Matth. 25.

Augustin.  
Prosper.

bat non sufficere ad absolutè, & gratis prædecernendam Gloriam non nisi propter, & post merita absolutè prævisa, absolutè conferendam.

2. Pet. 1. 39 Secundò ex 2. Petri 1. ubi mone-  
mur: *Satagite, ut per bona opera certam  
vestram vocationem, & electionem facia-  
tis.* Si autem electio Dei prædestinativa  
intrinsecè efficax haberetur, non præsup-  
posità absolutà prævisione meritorum, non  
redderetur certa per merita; cum ex se sit  
antecedenter infrustrabilis. Observare de-  
berent arguentes, ea verba comprehendere  
etiam vocationem: quam quidem nec  
ipsi ponunt post merita absolutè prævisa.  
Vnde est quod Beda, & alij apud Riba-  
denevram *disp. 3. cap. 3.* exponunt, ibi  
sermonem esse potius de vocatione, &  
electione ad Fidem, quam ad Gloriam.  
Quidquid tamen de hoc sit, respondetur,  
moneri nos ibi ut faciamus electionem, &  
vocationem certam: id est, sortientem re-  
ipsa effectum suum per assequutionem  
Gloriæ, mediâ perseverantiâ nobis liberâ.  
Aut, si mavis, certam: id est, nobis notam,  
& manifestam: quod facimus per exem-  
pla bonorum operum.

Roman. 8. 40 Tertiò ex Roman. 8. ubi Paulus:  
*Quos præscivit, & prædestinavit:* id est;  
quos prævidit Deus benè usuros auxilijs  
gratiæ, prædestinavit, & elegit, conformes  
fieri imagini Filij sui: scilicet, per Gloriam  
ex Hieronym. Ambros. & Augustin. Ele-  
ctionem igitur præcessit prævisio merito-  
rum. Respondetur, variis esse expositiones  
huius Textûs ad litteram apud Montoyam  
*disp. 9. sect. 1.* Sunt qui dixerint, quòd præ-  
scivit, ibi sumitur pro actu voluntatis, ut nõ  
semel alibi præsertim Roman. 11. *Non  
reputit Deus plebem suam, quam præscivit:*  
id est, quam dilexit, ut ex Augustin. Sal-  
meron. Justiniano, & Pererio accepit Ri-  
bas *cap. 2.* sicque sensus erit: quos dilexit,  
elegit, & prædestinavit conformes fieri  
imagini Filij sui per Gratiam. Retentâ  
verò cum eodem Augustino, Ambrosio, &  
Gregorio significatione verbi, *præscivit*  
pro actu intellectûs; & verbi, prædestina-  
vit pro actu voluntatis, eos eligente ad  
conformationem per Gloriam. Dicunt alij  
cum Caietano, apud Montoyam, significa-  
ri eos, quos Deus postea præscivit Sanctos  
futuros, prædestinasse prius ad Gloriam:  
non enim necesse est Paulum servasse in  
verbis ordinem rerum. Alij exponunt ver-

bum, *præscivit*, non de absolutâ prævisio-  
ne; sed de præscientia conditionata Scien-  
tiæ Mediæ: taliter nimirum, ut eos Deus  
prædestinaverit, quos præscivit benè ope-  
raturus, si darentur auxilia, quæ reipsâ da-  
ta sunt. Alij sic exponunt quasi dicatur,  
quòd eos, quos Deus prævidit ex ipsius  
præelectione absolutè salvandos, prædesti-  
navit ad Gratiam adoptionis, qua confor-  
mes fiant imagini Filij sui. Vnde nulla est  
consequentiâ contra præelectionem ante  
merita absolutè prævisa.

41 Quartò ex 3. Apocal. ubi dicitur: *Apocal. 3.*  
*Tene quod habes, ne alius accipiat coronam  
tuam.* Vnde videtur sequi, quòd electio  
ad coronam Gloriæ non est efficax ante-  
cedenter ad absolutam prævisionem meri-  
torum: quibus utique Gratia retinetur.  
Respondetur non id sequi. Nam, dato,  
quòd sermo sit ibi de corona Gloriæ, quòd  
tamen de corona Gratiæ exponitur cum  
alijs à S. Thom. & ab alijs aliter apud S. Thom.  
Cornelium; non pugnat cum præelectione  
ad Gloriam à nobis assertâ. cum illa nam-  
que benè stat, Scripturam hortari nos ad  
merita per quæ Gratia retinetur, & obti-  
netur Gloria: liberi namque sumus ad  
Gratiam promerendam, quâ finaliter de-  
perditâ impediremus liberè ne Deus præ-  
elegisset nos. Accedit quòd ille ipse merus  
amittendi coronam quo per illa verba cõ-  
cutimur, est unum è medijs, per quæ præ-  
scivit Deus, multos perseveraturos & sal-  
vandos.

42 Quintò ex Augustino, Quippe 1. *Augustin.*  
*ad Simplic. quest. 2.* explicans Paulinum  
illud Roman. 8. de Elau reprobo, & de  
Jacob Prædestinato: *Cum nondum nati fuisset,  
aut mali, ut secundum electionem pro-  
positum Dei maneret, &c.* eloquitur sic:  
*Quia illud, propositum nempe Dei, manet  
ut iustificet credentes, ideo invenit opera,  
quæ iam eligat ad Regnum Cælorum: nam  
si non esset electio, non essent electi: nec re-  
ctè diceretur: quis accusabit adversus ele-  
ctos Dei. Non tamen electio præcedit iusti-  
ficationem; sed electionem iustificatio: nemo  
enim eligitur, nisi iam distans ab illo, qui  
reijcitur Vnde quod dictum est, quia elegit  
nos Deus ante mundi constitutionem, non vi-  
deo quomodo sit dictum, nisi Præscientiâ.*  
Sermo est de electione ad Gloriam: quæ  
electio dicitur ab Augustino posterior iu-  
stificatione: ibi: *Præcedit electionem iusti-  
ficatio: non quidem tempore; cum electio  
sit*

fit ab æterno; sed in Dei præscientia: qua-  
tenus nempe Deus prius ratione prævidit  
hominem finaliter iustificatum; ideoque  
pro posteriori elegit illum ad Gloriam.  
Quoniam verò reprobis non retinet spua-  
liter eam Gratiæ iustificantis iustitiam;  
propter quam eligatur; ideo dicitur  
ille, qui electus est, aliquid habuisse, ra-  
tione cuius sit *distans ab illo, qui reijcitur,*  
& dignus electione: quòd nequit esse nisi  
perseverantia finalis meritoria: non qui-  
dem in re exercita ante electionem; sed  
ante electionem absolutè prævisa: ergo  
non fuit iuxta Augustinum in Deo Præ-  
destinatorum electio, nisi ex præsuppositâ  
absolutâ prævisione meritorum. Hoc certè  
testimonium Augustini negorium facisset  
pro Patre Vazquez, & varias extorsit res-  
pensiones præ rei difficultate.

43 Respondent multi, & graves; per  
distinctos ordines divinatorum decretorum  
intentionis, & executionis: dicendo, duo  
dari in Deo decreta efficacia de Gloria  
Prædestinati: unum iuventivum, antece-  
dens prævisionem absolutam meritorum;  
& de hoc loquuntur, quando ponunt ele-  
ctionem prædestinativam ante prævisa  
merita: aliud executionivum subsequens ad  
prævisionem absolutam meritorum: & de  
hoc explicant Augustini testimonium. Cæ-  
terum, quam longè sit Augustinus ab hu-  
iusmodi cogitatu expendit dignè Monto-  
ya: & cuique sincerè legenti fiet perspi-  
cuum. Ego quidem eam distinctionem  
decretorum, & ordinum intentionis, &  
executionis reieci ex professo *disp. 3.*  
Addo, quòd, quamvis alioquin ei acquie-  
vissem, idoneum minimè putarem ad sol-  
vendam difficultatem. Et ingenuè fateor,  
me potius iturum in sententiam Patris  
Vazquez contra præelectionem ante præ-  
visa merita, quam in huiusmodi respon-  
sionem: quæ mihi bonæ causæ malum pa-  
trocinium visa semper est; quamvis à mul-  
tis ad multa obtudatur.

44 Respondent alij solidius, & sincere-  
rius confitendo, Augustinum planè in præ-  
dicto loco sensisse pro sententia Patris  
Vazquez adversus electionem ante prævi-  
sa merita. Postea tamen id maturius re-  
tractasse in alijs libris, quos senior exar-  
avit, in quibus expressè scripsit oppositum,  
ut videbitur *sect. 7.* & colligere est ex *lib.*  
*1. Retract. cap. 23.* ubi retractat quòd alibi  
docuerat, non posse dici hominem ele-

ctum, nisi prius in eo esset aliquid, ratio-  
ne cuius dignus centeretur electione. Ita  
cum Bellarmino Granado *disp. 4. sect. 4.* Bellarm.  
Quam responsionem referunt Montoya *Granad.*  
*disp. 10. sect. 4.* & Petavius *tom. 1. Dogmat. Montoya.*  
*lib. 9. cap. 14.* ille, reputans eam valde  
probabilem; iste, eam defendens à conie-  
cturis Lessij, & Vazquij. *Petar. Lessio. Vazquez.*

45 Respondet tamen aliter Montoya  
ad verba Augustini ex ipsa contextura.  
Additur enim: *Non quia invenit Deus ope-  
ra bona in hominibus, quæ eligat, ideo ma-  
net propositum iustificationis ipsius; sed quia  
illud manet, ut iustificet credentes, ideo enim  
opera invenit, quæ iam eligat ad Regnum  
Cælorum.* Accedit quòd 1. de Prædest. *cap.*  
*19.* scribit super locum Ephesiorum 1. *Ephes. 1.*  
*Elegit nos ante mundi constitutionem, ut  
essemus Sancti:* glossat enim sic: *Non quia  
futuros nos tales præscivit; sed ut essemus  
tales per ipsam electionem gratiæ suæ: scilicet  
gratuitam, ut opportunè notat Riba-  
denevra disp. 13. num. 22.* cum ergo nos  
prædestinavit, opus suum præscivit. Ex qui-  
bus conijcit Montoya, Augustinum in  
verbis contra nos adductis *num. 42.* non  
sumere præscientiam pro notitia merito-  
rum præcedente ad electionem; sed vel pro  
ipsa electione iuxta expositionem iam no-  
tatam *num. 40.* vel pro Scientia Visionis  
subsequente, aut comitante ipsam electio-  
nem. Eo enim ipso quòd Deus eligat, vi-  
det homines fore suos: & hoc quidem vi-  
det ante mundi constitutionem exerci-  
tam. Quòd autem ait Augustinus: *Nemo  
eligitur, nisi distans iam ab eo, qui reijci-  
tur:* non significat, quòd ante electionem  
præsupponitur homo distans, seu discretus  
à reiecto per merita sua, ex quorum præ-  
visione postmodum eligatur; sed quòd qui  
eligitur, eo ipso quòd sic præ alio eligatur,  
fit, & est iam distans, & discretus ab eo  
qui reijcitur: per ipsam scilicet electio-  
nem, seu per Dei propositum illum præ  
alio iustificandi finaliter: quòd verissimum  
est, quamvis illa electio habeatur à Deo  
gratis non præsuppositâ prævisione meri-  
torum.

46 Desidero semper in prædictis res-  
pensionibus, quantumvis operosè excogi-  
tatis, lucem ad illa Augustini verba: *Non  
tamen electio præcedit iustificationem; sed  
electionem iustificatio:* quam nec in P. Pe-  
taviõ satis claram invenio. In ijs autem  
verbis videtur haberi intentum Patris Vaz-  
quez: *Hh*

quez : quatenus iustificatio per merita prævisa, asseritur præcessisse ad electionem prædestinativam : atque adeo electionem non fuisse ante, sed post prævisa merita. Quapropter, aut adhaerendum est responsioni numeri 44. aut aliâ viâ indaganda mens Augustini.

Perez. 47 P. Antonius Perez disp. 1. de Prædest. August. cap. 5. quest. 2. num. 49. observat perutiliter, Augustinum in prædicto loco clarè distinxisse electionem, quæ consequitur ad iustificationem; & electionem significatam nomine præscientiæ, quæ est ante mundi constitutionem. Hæc electio est æterna, ideoque ante mundi constitutionem: illa verò est temporalis, ideoque consequens ad iustificationem; & iustificatio illam præcedens: estque non quidem decretum Dei ab æterno electivum; sed ipsa segregatio ad Gloriam executiva, & exercita, qua post perseverantiam finalem separantur in tempore agni, deducendi ad Regnum, ab hædis, qui repelluntur: aptèque vocatur electio & segregatio passiva, seu obiectiva: quemadmodum in phrasi Theologica satis consuetâ series ipsa mediocrum creatorum, quæ præparat Deus in suos fines, vocatur non semel *Providentia*: scilicet passiva, & obiectiva: & series auxiliorum efficacium ad perseverandum vocatur, *Prædestinatio*, scilicet, passiva similiter & obiectiva; præsertim dum agimus de causis Prædestinationis, ut videbimus *disp. 5. q. præsertim sect. 1.* Quo etiam modo *disp. 5. q. præsertim sect. 1.* iustificatio sumitur pro æterna Dei voluntate iustificandi nos; & communiùs pro temporali infusione Gratiæ.

48 Hinc lucem totus accipit Augustinus in eo loci: sic videlicet dilucidè, ac genuinè intellectus, ut quando dicit: quod præcedit electionem iustificatio: & nemo eligitur nisi iam distans ab eo, qui rejicitur: loquitur de electione passiva, & obiectiva, quæ est ipsa segregatio executiva temporanea ad Gloriam, seu ipsa collatio Gloriæ: quam electionem, seu separationem prædestinati à reprobo esse post prævisionem, imo & positionem meritorum, & post iustificationem nemini est dubiù. Quin tamen propterea negemus, tam ab ipso Augustino, quam ab alijs multò communiùs sumi electionem pro decreto æterno Dei prædestinantis: quæ æterna Dei electio non proinde asserenda est in Deo post absolutam prævisionem meritorum,

& post iustificationem. At hoc in loco, ubi ait Augustinus electionem esse post iustificationem, satis clarè contradistinguit Augustinus duas supradictas acceptiones electionis, & loquitur de passivâ & obiectivâ; cum de alia nequeat nisi violenter intelligi, esse post iustificationem.

49 Sextò arguitur ex eodem Augustino *Serm. 7. de Verb. Dom.* ubi ait: *Elegit Deus, sicut inquit Apostolus, & secundum suam gratiam, & secundum illorum iustitiam.* Distinguit igitur duas electiones; unam citra merita prævisa, quæ est ad Gratiam; alteram ex meritis prævisis, quæ est electio ad Gloriam. Respondetur, totum id aptissimè verificari de una, & eadem electione ad Gloriam, & quidem habitâ ante absolutam prævisionem meritorum. Dicitur enim optimè *secundum gratiam Dei*, quatenus gratis & antecederet ad merita nostra habetur à Deo: & dicitur, *secundum iustitiam nostram*, quatenus gratis à Deo habita vult nobis Gloriam conferri non gratis, sed propter merita, quorum præmium sit collatio Gloriæ: ut explicimus *sect. 3.* Alios Augustini Textus sibi obijciunt, & pro se, ac pro nobis exponunt eruditè Montoya *sect. 5. & Aldrete sect. 8. & 9.*

50 Septimò ex Ambrosio *5. de Fide cap. 2.* sic sancte. *Quos præsevit, & prædestinavit. Non enim ante prædestinavit, quam præsevit; sed quorum merita præsevit, eorum præmia prædestinavit.* Respondetur cum Montoya *disp. 11. sect. 6.* huic testimonio, & alijs similibus applicari facile posse doctrinas præcedentium responsionum. Saltem fit illi satis id intelligendo de præscientia Mediâ meritorum, quæ præcedit abs dubio electionem non supponentem prævisionem absolutam eorumdem meritorum.

51 Dices. Sancti PP. sæpiùs insinuant eam præscientiam, de qua loquuntur, esse rationem, & veluti causam prædestinationis, seu electionis: ergo nequeunt intelligi de præscientiâ conditionatâ Scientiæ Mediæ, sed de absolutâ Scientiæ Visionis. Nam scientia conditionata de meritis non est apta movere ad electionem, sicut nec merita conditionata; cum de non electis habeat Deus præscientiam conditionatam multorum meritorum, quæ facerent, si in hac, aut illa auxiliorum hypothese constituerentur: propter quæ tamen nõ prædestinan-

nantur, aut eliguntur.

52 Respondetur eam præscientiam, aut merita sic conditionatè præscita non dici causam, seu rationem prædestinationis meritoriam, seu per modum meriti: id enim redoleret Semipelagianismum; sed causam quasi physicè expretsivam, & rationem requisitam, ut Deus possit eligere, & prædestinare per merita, quos velit: neminem enim posset sine illa præscientia; quin tamen omnes teneatur ex simili præscientia præeligere; sed quos vult pro suo libito, ac supremo prædominio. Sic autem explicato antecedente, negatur consequentia. Ad cuius probationem dicimus, scientiam conditionatam de meritis, sicut nec merita purè conditionata, non esse aptam movere remuneratorie ad electionem; est tamen apta ad præilluminandum Deum, ut possit pro suo beneplacito eligere ad Gloriam per merita certus, & securus de eventu per hæc media. Hoc autem significari potest, cum dicitur præscientia illa Mediâ, ratio, & causâ divinæ præelectionis: non quidem causâ meritorie determinans ad electionem; sed formaliter constituens Deum potentem eligere. Sæpè namque potestas faciendi datur pro ratione facti: unum hominem scribere, & alium non; quia unus habet calamum, & alius non; hominem videre, & non lapidem; quia homo habet oculos, & non lapis, & sic similia in fatis usitato modo loquendi: cui sese accommodant passim Sancti Patres, non semper intenti ad rigorem metaphysicum. Aliorum Patrum testimonia sibi obijcit, & explicat copiosè Montoya: quæ prætereo: quia ex dictis in responsionibus hætenus datis facili negotio exponi possunt.

## SECTIO VI.

*Præfertur Sententia Patris Suarez de electione prædestinativâ ante prævisa merita, varijs conclusionibus explicata.*

53 **P**rima conclusio. Implicat, absque præilluminatione Scientiæ Mediæ meritorum, electio absoluta efficax ad Gloriam ut coronam, ut ponitur à Thomistis, necessaria ad salutem, essentialiter infufragabilis, & pro nostro libito non evitabilis. Sic universim cum Eximio Docto-

res nostri: consequenter ad doctrinam, quam expendimus *disp. 4.* adversus Præfinitiones Thomisticas prædeterminativas. *Supr. disp. 4.*

54 Implicat, inquam, in primis ex capite libertatis. Nam eiusmodi electio & inducit apud Thomistas præfinitiones prædeterminativas, quæ, ut ibi vidimus, stare non possunt cum indifferentia libertatis nostræ; & ipsa per se est ab intrinseco sui connexa cum corona Gloriæ, & cum meritis; essentialiter infufragabilis, & à libito nostro nec impedibilis, nec evitabilis; atque adeo prorsus inattemperata, liberæ determinationi arbitrij nostri: Pugnat ergo ab intrinseco sui cum essentia liberi arbitrij nostri, haud secus, ac Præfinitiones divinæ prædeterminativæ, quas ibi ex hoc capite reiecinus.

55 Implicat deinde ex capite æquitatis divinæ. Homo namque non sic à Deo præelectus, obligatur adhuc à Deo ad finaliter perseverandum, sicque ad coronam gloriæ, & salutem consequendam. Vel ergo obligatur eo ipso ad esse sic præelectum, vel non? Si primum; iam ergo divina illa præelectio constituitur in manu consilij humani, fitque hominis volentis & currentis: quod negatur. Si secundum; ergo obligaretur homo à Deo ad id quod non est in sua manu; imo & ad quod prorsus impossibile, ac chymera est. Est enim, apud hos Authores, prorsus chymericum, hominem finaliter perseverare, & salvari; & non esse sic à Deo præelectum.

56 Implicat tandem in terminis suorum Authorum. Homo namque sic præelectus à Deo posset aut in sensu composito, aut in sensu, ut aiunt, diviso non perseverare finaliter: alioquin necessariò, & nullatenus liberè perseveraret in Gratia: sed non posset, adhuc in sensu diviso, finaliter non perseverare: ecce ergo apertissimam implicantiam terminorum. Probatur minor: Si enim posset quoquo modo non perseverare finaliter, & ultimò tentatus amittere Gratiam; posset eodem ipso modo, aut frustrare, aut evitare divinam præelectionem: sed hoc, iuxta hos Authores, in quocumque sensu implicat; cum eiusmodi electio sit essentialissimè ab intrinseco sui infufragabilis; & non sit pro nostro libito evitabilis, utpote nec ratione sui, nec ratione Scientiæ Mediæ, cui innitatur, attemperans se determinationi creaturæ volentis, & currentis: in nullo igitur sen-

sensu posset homo sic à Deo præelectus non perseverare finaliter, & ultimò tentatus amittere Gratiam, Maior, in qua res vertitur, monstratur. Omnis enim, qui verâ, & non chymericâ potestate, potest amittere Gratiam, aut habet hanc potestatem ad amissionem Gratia ponendam simul cum prædicta sua electione ad Gloriam; aut sine prædicta electione: non enim aliter reipsa ponibilis est amissio Gratia, nisi aut cum, aut sine prædicta electione. Primum, est habere potestatem ad frustrandam electionem: nam Gratiâ finaliter amitti, quod est non obtineri Gloriam, est frustrari electionem ad Gloriam. Secundum, est habere potestatem ad evitandam pro libito suo electionem: nam poni amissionem finalem Gratia sine ea electione, est ex ipsi terminis non dari, ac proinde evitandam esse talem electionem. In quo non est dare medium: ut contra Præfinitiones prædeterminativas urgebamus *disp. 4. sect. 1.*

*Supr. disp. 4. sect. 1.*

57 Secunda conclusio. Possibilis Deo est electio ad Gloriam ut coronam ex præ illuminatione Scientia Medie, non præsuppositâ absolutâ prævisione meritorum. Ita Suarez cum alijs citatis *num. 7.* estque proculdubio communior sententia nostræ Scholæ contra Vazquez, & alios citatos *num. 5.*

58 Præcipua probatio est solutio argumentorum oppugnantium possibilitatem talis præelectionis: ut præstitimus satis superque *sect. 2. 3. 4. & 5.* Accedunt testimonia Scripturarum, & Sanctorum Patrum adducenda pro de facto *seq. sect.* ex quibus à fortiori deducitur eiusmodi præelectionem divinam esse possibilem.

59 Et quidem, si repugnaret; aut repugnaret ex capite lætæ libertatis nostræ requisitæ ad meritum Gloriam, ut coronam; aut ex eo quod Gloria, ut corona non datur gratis, sed post, & propter merita? At non ex primo capite, ut evicimus *disp. 6.* pro nostris Præfinitionibus: quas utique imitatur præelectio ad Gloriam in efficacia, in infrustrabilitate, in præsidio Scientia Medie, & in evitabilitate prohibito nostro. Nec ex secundo; quia quod Gloria non datur gratis, sed post, & propter merita, rectè stat cum eo quod gratis prædecernatur non conferenda gratis, sed conferenda post, & propter merita, ut fecimus manifestum *sect. 3.* Nihil ergo super-

est, unde eiusmodi præelectio non sit Deo possibilis non præsuppositâ absolutâ prævisione meritorum.

60 Tertia conclusio. Possibile quoque Deo fuit non præelegisse efficaciter ad Gloriam ut coronam antecedenter ad absolutam prævisionem meritorum. In hoc conveniunt Suarez, & Vazquez adversus Thomistas. Et ratio nobis est: quia isti ex eo maximè id reputant impossibile, quod existiment, non posse decerni & applicari media efficacia ad consequitionem finis, nisi ex præintentione intrinsecè efficaci finis: unde inferunt quod, cum Deus prædestinans velit & applicet media efficacia ad consequitionem Gloriam, nequit id præstare nisi ex præintentione efficaci Gloriam, seu ex præelectione ad Gloriam antecedente ad decretum, & ad applicationem mediorum, atque adeo ad prævisionem absolutam meritorum. Ceterum antecedens esse falsum vidimus ex professio *disp. 3. sect. 1.* Non est ergo unde repugnet quod Deus sic res ordinasset, si voluisset. Sic diximus in simili *disp. 6. sect. 10.* quod, quamvis possit Deus præfinire actus liberos creaturarum, potuisset tamen illos non præfinire, quin propterea fieri desinerent.

*Supr. disp. 3.*

*Et disp. 6.*

61 Potuisset itaque Deus absque præintentione intrinsecè efficaci Gloriam directus per Scientiam Mediam de efficacia, & de inefficacitate auxiliorum secundum se indifferentium decernere & conferre homini auxilia quæ præcivit efficacia fore ad finaliter perseverandum, sicque illum prædestinare, & perducere ad Gloriam per merita. Quod non ita intelligo, ut præhabuerit Deus præintentionem non intrinsecè efficacem Gloriam, & ex illa decerneret auxilia efficacia ad merita, & post merita prævisa haberet novum decretum intrinsecè efficacem conferendi Gloriam. Hoc enim iudico repugnans divinæ simplicitati in decernendo; Deoque indignum, quod pro priori velit decreto non intrinsecè efficaci, quod pro posteriori vult decreto intrinsecè efficaci: ad quid enim cunctatio ista indignissima in decernendo apud Deum pro priori infinitissimè instructum ad decernendum efficaciter, si tandem efficaciter decreturus est? Sed ita intelligo, & intelligi volo, ut Deus, si habiturus est post merita prævisa decretum intrinsecè efficacem conferendi Gloriam, illud habeat indivisibiliter ante merita prævisa indi-

indivulsi à decreto conferendi auxilia efficacia, ut salvetur simplicitas Dei in decernendo omnia uno ductu. Si verò ex decreto non intrinsecè efficaci de Gloria confertur auxilia efficacia, per idem etiam conferat Gloriam sine novo decreto intrinsecè efficaci: cum multiplicitas virtualis decretorum divinæ perfectioni repugnet, ob rationes, quas expendi *disp. 8. de Attrib. sect. 4.*

*To. de Deo disp. 8.*

## SECTIO VII.

### Quarta conclusio pro de facto.

62 Quarta conclusio. De facto electio Dei prædestinativa ad Gloriam, ut coronam, fuit non præsuppositâ absolutâ prævisione meritorum. Ita Suarez cum sententia communiori, contra Vazquez, Comptonum, aliosque citatos *num. 5.* Hæc conclusio, cum procedat de facto, in re, quæ potuit pro Dei beneplacito aliter, & aliter esse, ac decerni, probanda potius est ex testimonijs ipsius Dei, accedentibus Sanctorum expositionibus, quam ex urgenti ratione. Congruentias dabimus intra. Autoritatum autem

*Suarez. Vazquez. Compton.*

*Roman. 9.*

63 Prima sit ex Apost. Roman. 9. sic scribente de Iacob, & Esau. *Cum nondum nati fuissent; aut aliquid boni egissent aut mali; ut secundum electionem propositum Dei maneret; non ex operibus, sed ex vocante dictum est; quia Maior serviet Minori: sicut scriptum est: Iacob dilexi; Esau odio habui. Et paulò deinceps: Ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ; quæ præparavit in gloriam. Ex quibus arguitur sic. Deus elegit aliquos, cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent. At hoc non ex operibus: sicut non ex meritis absolutè prævisis: imò ex vocante, scilicet ex Deo pro beneplacito suo eligente, non præsuppositâ tali prævisione. Super quæ clarissima Pauli verba audiendus Augustinus contra duas Epistolas Pelag. lib. 2. cap. 7. discurrens sic: Propter quod profectò desipitis qui, dicente Veritate, non ex operibus, sed ex vocante, vos dicitis; ex futuris operibus, quæ Deus illum facturum esse præsciebat, Iacob fuisse dilectum: atque ita contradicitis Apostolo, dicenti: non ex operibus: quasi non possit dicere: non ex præsentibus, sed ex futuris operibus. Quo præcludit Augustinus responsionem, quæ diceret aliquis, divinam illam dilectionem, si-*

*Augustin.*

ve electionem non fuisse ex operibus, quæ tunc essent; sed quæ tunc absolutè prævisa essent in mente divina antecedenter ad electionem.

64 Secunda ex 1. ad Ephesios. *Elegit Ephes. 1. nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti; & immaculati in conspectu eius in charitate, qui prædestinavit nos secundum propositum voluntatis suæ.* Sermo nem hic esse, non præcisè de electione ad Gratiam, seu ad Fidem, ut exponunt aliqui cum Cornelio, sed potius de electione ad Gloriam, supponunt cum alijs Augustinus, & Hieronymus apud Ribadeneyram: & indicatur per illud: *ut essemus immaculati in conspectu ipsius; & clarius per illud ex 2. Timoth. 2. Omnia sustineo propter electos, ut & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu cum gloria cælesti.* Efficax igitur ad Gloriam electio; quam vocat Apostolus *Propositum*, & Prædeterminationem, dicitur esse ante mundi constitutionem; atque adeo antecedenter ad hominum merita: videlicet, absolutè prævisa. Quod magis explicat dicens, fuisse eam electionem, *ut essemus sancti*: non certè, quia eramus sancti: ac proinde non subsequenter ad absolutam prævisionem meritorum; sanctitatis, & perseverantiæ finalis.

*Alapid.*

*Rom. 8.*

65 Tertia ex eodem ad Roman. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum ipsi, qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Et Propositum, quod apud Apostolum est Prædeterminatio Gloriam: & pergit hoc ordine: *Quos prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & iustificavit; quos autem iustificavit, illos & glorificavit*: satis indicans ex illo Proposito, & electione fuisse in Deo voluntatem vocandi ad Gratiam sic præelectos ad Gloriam: atque adeo eiusmodi Propositum esse gratis in Deo; utpote antecedens ad prævisionem iustificationis, & meritorum, quæ vocationem per auxilia subsequuntur.

66 Quarta ex verbis Christi Luc. 12. *Nolite timere pusillus Grex: quia complacuit Patri vestro, dare vobis Regnum.* Complacuit quidem illa sonat gratiam Patris electionem, & voluntatem elevandi ad gaudium Regni non habitam ex meritis electorum, sed ex beneplacito Patris complacitis, & præcipientis. Ioannis itidem 15. *Non vos me elegistis; sed ego ele-*

*Ioan. 15.*

& gratiæ suæ tribuit Dominus, ut excludere videatur formalissimè antecedentiã, & intuitum meritorum. Hinc Augustinus

Augustin.

1. de Prædest. cap. 17. *Quis audiat Dominum dicentem: non vos me elegistis; sed ego elegi vos: & audeat dicere, credere homines, ut eligantur; cum potius eligantur, ut credant.* Plura huius ponderis Petavius, & Montoya.

Petav.

Montoya.

Augustin.

67 Quinta ex Augustino cap. 7. de Corrept. *Electi sunt per electionem gratiæ, non præcedentium meritorum.* Loquitur de electione ad Gloriam, ut patet ex contextu: ait enim esse ad regnandum cum Christo; ex illa venire auxilia ad iustificatiõnem, & gratiam finalem: illam vero vocat more suo, electionem gratiæ, id est, gratuitam; & non ex debito meritorum, in absolutâ prævisione præcedentium. Pergit autem sic. *Quicumque ergo ab illa originali damnatione divinæ gratiæ largitate discreti sunt; non est dubium quod procuretur eis audiendum Evangelium; & cum audiunt, credunt; & in Fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant.* Supponit itaque, electionem ad Gloriam esse gratis, & non consequenter ad decretum, & prævisionem meritorum, & perseverantiæ: quæ quidem ex illo fine Gloriæ gratis præsentatæ procurantur à Deo. Atque hinc S. Thom. art. 4. dixit, intentionem finis esse priorem electione mediorum, & Prædestinationem, quæ nimirum, ut sæpè ex Augustiniana definitione distinximus, sit species Providentiæ mediorum, præsupponere, quòd Deus intendat salutem. Vnde super illud Pauli: *Elegit nos ante mundi constitutionem; se & Paulum explicat sic: Id est, ut eum inspiciamus, quia Visio est tota merces secundum Augustinum: & hoc fecit non nostris; sed in charitate suâ; non nostrâ.*

S. Thom.

Prosper.

Fulgent.

Gregor.

Montoya.

Concil.

Valent.

68 Sexta: quia præter Prosperum, Fulgentium, Gregorium, aliosque PP. apud Montoyam cit. hanc divinam præelectionem ante prævisionem meritorum protestatus est gravissimus Antistitum Gallicanorum Confessus, ut habetur in Concilio Provinciali Valentino Can. 3. in hæc verba conceptissima: *In electione salvandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonum: in damnatione autem periturorum meritum malum præcedere iudicium Dei.* Nihil expressius.

69 Accedunt pro hac sententia ratio-

nes congruentiæ magni faciendæ, quas expendit Tannerus disp. 3. quasi. 1. Nonnullas iam insinuavimus. Præcipuam expendo sic. Qui finem expetit serid, & ardèter, videns in medio quod eligit, unam utilitatem magnam, & aliam maiorem, creditur velle medium ob istam maiorem, nisi aliunde constet sic non velle. At certè Deus serid, & ardenter expetit æternam nostram salutem: in quem finem dat alijs auxilia, quæ vitio ipsorum non sunt efficacia; alijs verò dat, quæ sunt efficacia ad perseverantiam usque, & assequutionem Gloriæ: & quidem benè præcius antecedenter ad suum decretum ea dandi, fore non solum sufficientia, quin etiam efficacia, si dentur, & coniungenda cum perseverantia finali, & cum assequutione Gloriæ. Si ergo auxilia, quæ inefficacia sunt, dare vult ob utilitatem illam sufficientiæ minus præcipuam; alia profectò, quæ prænovit fore efficacia ad Gloriam, incredibile est, quod non efficaciter velit ea dare, ob istam præcipuam utilitatem; quia, scilicet re ipsa obtinebunt Gloriam. Hoc autem est, nondum præsuppositâ prævisione absoluta auxiliorum, & meritorum, voluisse efficaciter huiusmodi auxilia, & quia coexistura cum corona Gloriæ: quod est re ipsa voluisse efficaciter coronam Gloriæ, & prælegisse salvandos ad illam, non expectatâ ad sic volendum & præligendum, absoluta prævisione meritorum, nec expectato anteriori decreto collationis auxiliorum.

70 Sic abs dubio congruit eximio amori divino erga Prædestinatos, & Electos suos, in Scripturis, ac SS. Patribus commendatissimo, festinus iste affectus ad Gloriam suorum specialissimus, & præelectivus, liberaliter, & omnino gratis à Deo præhabitus: quem utique ex modis loquendi Sacrarum Scripturarum colligunt Sancti Patres, & primores Theologi: exinde hortantes nos, ut in ea divina electione benevolentissima agnoscamus potius misericordiam, & liberalitatem Dei, salvos nos facientis, quia voluit nos: id pro cunctis protestante Davidem: *Salvum me fecit, quoniam voluit me: & iterum: Salvum faciat eum, quoniam vult eum.*

71 Tandem observare operæpretium est ex eruditissimo Petavio cap. 6. iuxta mentem Augustini, considerandum esse genus humanum coram Deo Prædestinante, veluti unam massam: ex qua Deus alios segregat

Tanner.

Petav.

segregat ad Gloriam electione gratuita; alijs relictis in interitum. Quod autem eiusmodi electio sit gratuita, non solum, quatenus non est ex debito, ac meritis naturalibus cum gratia factis, persuadet exemplum Jacob electi, quo usi sunt Paulus, & Augustinus: eius enim electio dicitur absolutissimè, non ex operibus: sicque neque ex naturalibus, neque ex supernaturalibus. Ea igitur segregatio Prædestinativa, seu electio ad Gloriam, de qua Paulus, & Augustinus, omnino est misericorditer, & gratis; atque aded nullatenus habita à Deo ex meritis nostris prævisis. Sic dignius intelligitur, Deum per eam gratuitam electionem esse qui primò discernit Prædestinatos à reprobis, iuxta dictum Apostoli: *Quis est qui te discernit?*

#### SECTIO VIII.

*An prædicta Dei electio prædestinativa sit decretum absolutum simul indivisibiliter intentivum, & executivum?*

72 **M**eminimus non semel plurimum ex Authoribus nostræ sententiæ, qui eam ut defendant, præter decretum primò præelectivum efficac ad Gloriam antecedenter ad absolutam prævisionem meritorum, quod vocant purè intentivum, ponunt aliud in Deo de eadem Gloria; virtualiter, ut aiunt, à primo illo diversum, quod vocant executivum subsequenter ad prævisionem meritorum. Sicque electio Dei efficac ad Gloriam, quavis sit intrinsecè efficax, non est simul indivisibiliter intentivum, & executivum.

73 Displicuit mihi maximo perè varijs in locis, ac denuò displicet ista Theologia. Non solum ex doctrina generali, quam tueor, de indivisibilitate divini decreti contra virtuales multiplicitates decretorum, quam variè varij sibi concinant; quin etiam specialiùs propter urgentia parum fundamenta, quibus innitur superflua illa diversitas decretorum ordinis intentionis, & executionis, ut exigimus ex professio disp. 3. sect. 3. & 4. Ex ibi dictis expediemus nos breviter à præfenti difficultate.

Supr. disp. 3.

74 Atque in primis, eiusmodi præelectionem efficacem esse decretum absolu-

tum, quamvis in sui adimpletione pendeat à positione meritorum, aliarumque conditionum, supponendum nobis est ex dictis de decreto præfinitivo disp. 6. num. 3. Nec quidquam sese offert addendum.

Disp. 6. sect. 1.

75 Dicendum deinde est, eiusmodi Præelectionem intrinsecè efficacem, esse indivisibiliter decretum intentivum, simul & executivum collationis Gloriæ Prædestinatorum, ut coronæ pro Adultis, & ut hereditatis pro Parvulis; pro sua cuiuscumque differentia temporis. Est consecrarium ad ea, quæ diximus disp. 3. de indistinctiõne decretorum intentionis, & executionis. Nec occurrit quidquam in hoc puncto quod ab ea doctrina nos dimoveat ad multiplicanda superflua divina decreta virtualiter diversa cum iactura divinæ supercomprehensionis, & simplicitatis in decernendo.

76 Opponunt nobis specialiter in hoc puncto Patroni distinctiõnis virtualis decretorum ordinis intentionis, & executionis, quòd absque volitione Dei interna, & æternâ, saltè executivâ, habitâ ex iustitia propter merita, atque aded consequenter ad absolutam prævisionem meritorum, intelligi nequit Deum velle conferre, & re ipsa conferre remuneratoriè Gloriam adultis propter merita, & ex iustitia. Quod sic probant. Nam Gloriam conferri propter merita, ut re ipsa conferatur in tempore, non est præcisè, merita præcessisse; & postea Gloriam conferri: posset enim Deus, quamvis præcesserint merita, conferre Gloriam ex alijs motivis, & non propter merita: ergo Deum conferre, ut re ipsa confert, Gloriam propter merita, dicit præterea aliquem affectum, seu aliquod decretum divinæ voluntatis, habitum à Deo intuitu, & ratione meritorum, verèque ex meritis absolutè prævisis, cum non sufficiant conditionatè prævisis per Scientiam Mediam: quæ quidem, sicut non sunt in statu sufficiente ad conferendum præmium remuneratoriè propter illa; ita neque ad decernendum conferre præmium propter illa. Atqui eiusmodi affectus divinus nequit esse decretum intentivum Gloriæ, quòd, ut dicimus, non præsupponit absolutam prævisionem meritorum: debet igitur esse decretum aliud executivum collationis Gloriæ habitum à Deo post absolutam prævisionem meritorum; sicque verè ex meritis.

Hinc

Quiròs.

76 Hunc discursum opponit P. Quiròs *sect. 6.* cui si respondeatur, nihil, me iudice, superest momenti, aut contra nostram conclusionem, aut pro distinctione decretorum ordinis intentionis, & executionis. Mihi quidem non est intelligibilis; imo potius planior nostra doctrina sine novo illo decreto executivo subsequuto ad absolutam prævisionem meritorum; & ingenuè fateor, facilius me venturum in sententiam Patris Vazquez negando prorsus præelectionem ante merita prævisa, quam in supervacaneam istam, Deoque Summo indignam multipliciter divinorum decretorum.

77 Ad probamentum huius assumpti, concedo libenter antecedens, & distinguo consequens: Deum conferre Gloriam propter merita dicit aliquem affectum, seu aliquod decretum habitum à Deo intuitu, & ratione meritorum exercitium vim suam meritivam respectu talis affectus, seu decreti, nego: respectu Gloriam, quam talis affectus intendit, non utcumque conferri, sed conferri propter merita, concedo. Non igitur inferitur, quòd eiusmodi affectus, seu decretum debeat esse ex meritis; sed quòd Gloria, quæ remuneratoriè præmiium, & corona est, sit ex meritis: & quidem non solum prævisis, quin etiam & exercitis: & hoc ipsum totum vult præintentione illa divina gratis, & non ex meritis nostris à Deo præhabita: quam quidem minimè merentur Prædestinati, nec per merita conditionatè, nec per absolute prævisa, nec per exercita; sed collationem Gloriam subsequutam ad merita prævisa, & exercita, prout necesse est ad rationem remunerationis. Vnde de cætero nihil concluditur.

78 Insistes urgentius. Meritum, cum sit causa non nisi intentionalis præmij, eatenus dicitur causare præmiium, quatenus movet animum remuneratoris ut velit conferre præmiium: ergo intelligi nequit causalitas meritorum in præmiium Gloriam sine aliquo affectu, seu decreto voluntatis habito ex meritis & propter merita absolute prævisa, quo Deus velit efficaciter executivè se conferre Gloriam. Hoc autem est decretum executivum, diversum propterea ab intentivo habito gratis antecedenter ad merita absolute prævisa.

79 Respondetur distinguendo antecedens: quatenus movet animum remunera-

toris, qui vel ob suam imperfectionem, vel ob alias causas, ut contingit in nobis, non præhabuit antecedenter ad meritum voluntatem conferendi præmiium propter meritum; concedo: si eam voluntatem iam gratis præhabuit, ut sentimus de Deo; nego antecedens; & consequentiam. Cum enim Deus antecedenter ad positionem, & prævisionem absolutam meritorum iam præhabuerit decretum illud præelectivum conferendi Gloriam propter merita; post prævisionem, & positionem meritorum, non est necesse quòd prævisio absoluta, sicut nec quòd positio exercita meritorum inducat in eius animum novam voluntatem, seu novum decretum habitum ex meritis, ad exequentiam collationem Gloriam propter merita; sed sufficit ad totum id illud decretum gratis præhabuit, & non ex meritis: quia illud decretum totum id efficaciter voluit, & medio illo sine novo decreto sic executivè confertur Gloria propter merita cum sufficientissimo influxu intentionalis meritorum, non in decretum Gloriam, sed in collationem remuneratoriè Gloriam, quæ est præmiium.

## SECTIO IX.

*An dicta Dei præelectio ad Gloriam, ut coronam, sit simul prævisio meritorum: totumque Prædestinationis negotium peragatur unico Dei decreto, nec virtualiter divisibilis?*

80 **V**trumque libenter affirmo. Priorem partem quoad possibilitatem, & actualitatem divinarum prævisionum cum præsidio Scientiæ Mediæ sine præiudicio creatæ libertatis, stabilitam reliquimus ex professo *disp. 6.* Quoad indivisibilitatem verò divinarum Præelectionis præelectivæ ad Gloriam à decreto prænitivo meritorum, sicut & collativo auxiliorum, persuadent mihi rationes omnes, quibus usus sum *disp. 8. de Attrib. sect. 4.* & sæpè alibi contra multipliciter, & divisibilitatem virtuales divinorum decretorum: absque necessitate inductam à multis, quibuscum olim sentiebam. Nulla ergo cum sit necessitas distinguendi decretum Dei præelectivum ad Gloriam à decreto collativo auxiliorum, & prænitivo meritorum, præstat abs dubio hæc omnia peragi à Deo simplicissimè per

unicum decretum uno ductu indivisibili efficaciter eligente Prædestinatos ad Gloriam, preparante auxilia, & prænitente merita. Ad quid enim illa Dei quasi cunctatio in decernendo per decreta virtualiter diversa, & divisibilia post supercomprehensivam prænotitiam eventuum omnium per scientias simplicis intelligentiæ, & Mediæ? Rationes in oppositum dissolvimus *loc. cit.* Addo nunc illustre testimonium Augustini 5. de Civit. cap. 9. *Semel loquutus est Deus: duo hæc audi: quoniam potestas est Dei; & tibi, Domine, misericordia: quia tu reddes unicuique secundum opera eius.* Habes hæc Dei prædestinantis misericordiam, hominis prædestinati merita, & præmia: hæc autem omnia *semel*, hoc est, uno ductu, *loquutus est Deus: intelligitur immobiliter, hoc est, incommutabiliter. Sicut novit incommutabiliter omnia, quæ futura sunt, & quæ ipse facturus est.* Non quidem cunctanter in volendo, sicut nec in præsciendo; sed *semel*, ac indivisibiliter.

Augustin.

81 Posterior pars est consecutaria ad prædictam nostram doctrinam de indivisibilitate divini decreti. Quo scilicet Deus infinitissimus, præsupposita Scientiæ Mediæ de omni eventu contingenti sub qualibet hypothese possibili simplicissimè, ac perfectissimè voluit cuncta volenda, & noluit cuncta nolenda. Sic dixi *disp. 6. de Incarn. sect. 7:* totum negotium Incarnationis, & Redemptionis dispositum à Deo fuisse per unicum decretum omnia supercomprehendens, alia volendo, alia nolendo, alia inducendo, alia permittendo, alia efficaciter, alia ineffaciter, sine virtuali multiplicitate, & divisibilitate decretorum. Sicque dico coherentè de toto negotio Prædestinationis: ob easdem rationes, quas ibi cum bonis Authoribus dedidi ubi ad obiectiones etiam responsum est cum utilitate doctrinæ. Nec obest, quòd merita nostra sint sapientis actus penitentiarum, Martyrij, & aliarum virtutum supponentes peccata. Nam & hos quoque actus posse à Deo prænitiri, quin velit peccata, quibuscumque connectantur, vidimus latè *disp. 7. à sect. 10.* Nec ad id cogit præsens doctrina: eo pro nunc contenta, quòd Deus prædecernens Gloriam velit eodem indivisibili decreto eorum actuum merita eo volendi modo, qui Deum alioquin non dedecet.

Supr. disp. 7.

Supr. disp. 6.

To. de Deo disp. 8.

82 Dices. Hæc Gloriam corona posset obtineri à Prædestinato per alia auxilia, aliaque merita: imo & eadem Gloria sine meritis, ut hereditas seorsim à ratione coronæ: oportet igitur quòd Deus prædecreverit hanc gloriam huic prædestinato independentè ab ijs meritis ex illo prioris modo prædecernendi. Possent pari iure inferre oportuisse quòd Deus prædecreverit huic Prædestinato Gloriam præcisim à ratione coronæ, meritorum, & libertatis; & pro posteriori apud se determinasse rationem coronæ, libertatis, & meritorum. Respondetur, dato toto antecedenti, consequentiam esse falsam, & nullam. Nec enim sic oportuit, nec decuit Deum. Quavis enim ea obiecta non sint ad invicem secundum se connexa; Deus tamen perfectissimus intendens, ac providens, comprehensive penetrans omnia media, & omnes utilitates mediorum, sive requisitorum, sive non requisitorum, potuit, & voluit sic decernere per eandem intentionem finis Gloriam hæc meritorum, & auxiliorum media ex multis in infinitum, quæ menti occurrebant. Quod si voluisset, ut potuit; ad hunc Gloriam gradum huius Prædestinati eligere alia media diversa ab ijs, quæ de facto voluit, & appolluit, non præintendisset finem huius Gloriam per hoc decretum, quòd de facto est indivisibiliter volitio horum mediorum; sed per aliud, quòd indivisibiliter esset volitio aliorum. Addo nec possibilem Deo esse alium decernendi modum cunctabundè per multa simul decreta virtualiter divisibilia, ut vidimus locis citatis.

83 Dices iterum, negari non posse Deum decrevisse media ex intentione Gloriam: idè absolute prævidere merita absolute futura, quia futura sunt; & non econtra, atque aded, quia decrevit eorum positionem, multa permittere peccata in poenam aliorum; atque adeo nec decretum permissivum posteriorum, & à fortiori nec prævisionem penitentiarum de ipsis, haberi à Deo posse, nisi consequenter ad decretum permissivum & absolutam prævisionem priorum. Atqui hæc & alia huiusmodi, quæ involvi necesse est in serie, & negotio Prædestinationis, nec defendi, nec intelligi possunt absque multiplicitate, divisibilitate; ac virtuali antecedentia variorum decretorum priorum, & posteriorum: Implicat igitur per-

agi apud Deum unico ac simplici decreto totum negotium divinæ Prædestinationis.

84 Similem difficultatem mihi obiectis in simili disp. 6. de Incarn. sect. 11. Ex isto disp. 6. dictis ibi latius pro solutione, & explanatione, respondeo nunc, concedendo totam maiorem, & negando minorem. Ea enim omnia, & alia similia salvantur rectissime per indivisibile decretum sic volens simpliciter pro libito Dei cuncta illa obiecta, ut una velit fieri propter, & non econtra; media poni propter finem, & non econtra: quod non est dari in Deo duo decreta, unum circa finem, & aliud circa media; sed dari unum volens hæc media in eum finem, & volens hunc finem per ea media ex speciali suo modo volendi: ut sæpe nos uno actu indivisibili volumus finem & medium; & prout vult finem est intentio, & prout vult medium est electio penes diversas considerationes rationis nostræ absque intrinseca distinctione virtualitatum in re. Vnde negatur consequentia.

85 Extenditur doctrina responsionis ad illud, quod dicitur in maiori de actu poenitentiae præfinito circa peccatum permissum in poenam alterius peccati. Fate-mur, ibi intervenire decretum de poenitentia, permissionem primi, & secundi peccati, & Scientiam Visionis prioris peccati, in cuius poenam permittitur posterius. Dicimus tamen decretum de poenitentia, permissionem & Scientiam Visionis prioris peccati, & permissionem posterius, esse unum, & idem in Deo sine distinctione virtuali. Quod autem ex intentione poenitentiae dicatur permitti peccatum, non est, quia decretum permissivum peccati oritur virtualiter à decreto intencivo poenitentiae; sed quia Deus uno ductu omnino intrinsece indivisibili, quem nos aliter, & aliter concipere possumus & solemus ratione nostrâ, vult poenitentiam, & permittit, seu non impedire peccatum; & hoc quidem propter bonum poenitentiae; & non econtra ex speciali modo quo versatur indivisibiliter decretum illud divinum circa hæc obiecta: circa quæ ipsa possit se aliter efficere Deus, habens pro alio rerum ordine, loco istius decreti, aliud decretum quo permittit peccatum non præfinito poenitentiam.

86 Ad hunc quoque modum, quod posterius illud peccatum permissum in

poenam prioris, dicatur permitti à Deo ex eo quia habet Scientiam Visionis peccati prioris, non est quia Scientia hæc Visionis antecedit virtualiter ad decretum permissivum peccati posterioris, ideoque debeat à decreto virtualiter distingui; sed quia realiter formaliter perfectio illa divinæ mentis quæ simul & indivisibiliter est permissio ac visio peccati prioris, & permissio & visio etiam peccati posterioris ex speciali suo modo reali essendi in Deo, ac denominandi Deum, habet velle permittit peccatum posterius, quia videt prius; non verò quia videt posterius. Hæc latius loc. cit. de Incarn. & disp. 8. de Attrib. sect. 1. ubi feci satis ad ea, quæ communiter obijciuntur.

87 Dices tandem, negari non posse, dari in Deo voluntatem salvandi omnes: ultra quam voluntatem generalem circa omnes, quæ quidem esse nequit intrinsece efficax, cum non omnes salventur; datur simul in Deo alia voluntas, seu decretum efficax salvandi Prædestinatos: ergo necesse est admittit in Deo hæc saltem duo decreta simul in hoc rerum ordine: unum generale circa omnes non intrinsece efficax; aliud intrinsece efficax speciale circa Prædestinatos.

88 Doctrinam antecedentis, prout à multis video sinistrè intelligi, iam correximus num. 61. Et iuxta id, quod ibi insinuavi, nego nunc antecedens & consequentiam. Verum quidem est, dari in Deo voluntatem salvandi omnes: & non esse de omnibus efficacem. Hoc tamen noli sic intelligere, ut sit in Deo unum decretum, quo ineffaciter velit omnes salvari; & aliud virtualiter, ut aiunt, distinctum, quo velit efficaciter aliquos salvari, qui propterea sunt Prædestinati. Absint, precor, eiusmodi divinarum apprehensiones: ad quid enim decretum intrinsece inefficax salvandi illos, quos decreto intrinsece efficaci vult salvari? Sic ergo intelligendum id est aptissime, ut Deus circa omnes habeat voluntatem, quod salvi fiant, iuxta illud: *Omnnes homines vult salvos fieri*: quæ voluntas est unicum Dei decretum circa Prædestinatos intrinsece efficax; non verò intrinsece efficax circa alios: sicque omnes ex modo suo volendi comprehendit, volens omnes salvos fieri: quamvis non de omnibus id velit efficaciter; sed de Prædestinatis. Quid in hoc, aut contradictionis,

1. Tim. 2.

nis, aut difficultatis est?

89 Quid nobis dicendum de decreto Dei prædestinativo, seu præelectivo ad Gloriam, præcisim à ratione coronæ per merita, seu puræ hæreditatis; subsequuto postea alio decreto de eadem Gloria obtinenda per merita collatis principijs immediatis intrinsece indifferentibus? Dicam in primis ex superioribus hos modos decernendi divisim, & quasi pedetentim Deo summo prorsus repugnare. Deinde casu per impossibile permissio, dicam, ut in simili dixi disp. 7. sect. 2. servatis servandis huiusmodi modum decernendi non nociturum nostræ libertati ob rationes ibi positas. Sic Doctor Eximius apud Arriagam econtra opinantem tom. 1. disp. 35. sect. 3.

Supr. disp. 7.

Suarez: Arriaga.

## SECTIO X.

Ad quam divinam virtutem pertineat dictum Dei decretum præelectivè prædestinativum?

90 Dicunt alij pertinere *subiectivè* ad virtutem liberalitatis; quatenus eiusmodi decretum est beneficium erga electos gratis à Deo habitum, & non ex debito, aut propter ipsorum merita. *Obiectivè* verò pertinere ad virtutem iustitiæ: quatenus nempe versatur circa obiectum, seu materiam iustitiæ; cum velit Gloriam electis conferri in præmium post, & propter merita.

91 Hoc ferè idem, quamvis non per eosdem terminos, dicunt alij, distinguentes duos modos, quibus actus dicuntur pertinere ad aliquam virtutem: vel *formaliter*, & *elicitivè*; quatenus per ipsos amatur materia talis virtutis ex istius motivo: vel *materialiter*, & *imperativè*; quatenus ipsi secundum se sunt apta materia, ut amentur, & imperentur ex motivo talis virtutis. Aiunt ergo decretum Dei præelectivum *formaliter* & *elicitivè* pertinere ad virtutem iustitiæ; non verò *materialiter*, & *imperativè*.

92 Ex utroque isto loquendi more dicendum videtur, prædictum Dei decretum præelectivum *materialiter*, *imperabiliter*, seu *subiectivè* non pertinere ad virtutem iustitiæ; sed liberalitatis, ac misericordiæ. Est enim beneficium erga electos, ipsis indebitum; utpote non ex ipsorum meritis à Deo habitum: atque adeo apta


quasi materia, ut imperetur, aut per se ipsam ametur ex motivo liberalitatis, ac misericordiæ. Adde & ex motivo aliarum virtutum Charitatis, magnificentia, &c. quas Deus sic præeligens exercet erga nos. Vnde est quod SS. Patres varie appellant divinam illam præelectionem, modò misericordem; modò liberalem; modò gratuita.

93 Dicendum secundò, *formaliter*, & quasi *elicitivè*, vel, ut alij loquuntur, *obiectivè*, pertinere ad varias etiam virtutes. Eiusmodi namque divina præelectio, quatenus est volitio auxiliorum, est etiam *obiectivè* liberalitas, & misericordia, cum auxilia saltem prima, quæ sunt exordium Prædestinationis exercitæ, conferantur ante meritum Prædestinati, gratis, & non ex debito: quatenus verò est volitio Gratia iustificantis, & Gloriam, non est *obiectivè* mera liberalitas, nisi in radice primi auxilij omnino gratuiti, cum Gratia iustificans, & Gloria non dentur Adultis nisi ex meritis. Est insuper Fidelitas; quatenus in remuneratione per Gloriam vult implere Deus quod promissit; Caritas erga Deum, quatenus sic implere, ac retribuere est Deo placens, & gloriosum: erga homines; quatenus id ipsum est nobis bonum convenientissimum. Estque tandem stricta iustitia; quatenus, ut alibi defendo, Deus de rigore iustitiæ rependit Gloriam Prædestinatis merentibus. Has, inquam, & alias virtutes propter earum motiva formalia honestissima, exercet optimè Deus optimus *formaliter*, *elicitivè*, seu *obiectivè*, in decreto suo præelectivo ad Gloriam secundum varios respectus ad diversa obiecta.

94 Dices. Pro signo, quo Deus antecedenter ad absolutam prævisionem meritorum prædecernit Gloriam, nondum Gloria est debita Prædestinato; quandoquidem merita nondum sunt exercita: ergo eiusmodi decretum sic præelectivum nequit *formaliter*, & *elicitivè* pertinere ad virtutes iustitiæ, & fidelitatis: quarum materia est quid debitum. Per actum enim alicuius virtutis non amatur, quod non est materia talis virtutis. Respondetur, negando consequentiam. Ad hoc enim ut *formaliter* & *elicitivè* tale decretum pertineat ad eas virtutes, sufficit quod pro eo signo tendat affectivè in materiam talium virtutum: non quidem debitam pro eo signo; sed debitam pro signo, aut tempore,

quo conferetur exercitè Gloria post merita : totam enim hanc honestatem vult in illo signo præintentiuè affectus ille diuinus sic præeligens , & amans verè materiam prædictarum virtutum ; ex motivo

honestatis specialis reluctantis in earum exercitio; quamvis ille ipse affectus non sit materia ipsarum ; sed actus habens pro obiecto materiam ipsarum.



# DISPUTATIO XII.

## DE CAUSIS MERITORIIIS PRÆDESTINATIONIS.

**M**ERITORIIIS, inquam. Quia Prædestinatio, si sumatur pro actibus æternis Dei Prædestinantis, non habent causam *materialem*; cum per idemtitatem purissimã sit in ipso Deo, & ipse Deus. Neque *formalem*; cum simplicissima sit, nihilque recipiat. Neque *efficientem* physicam; cum sit ens à se. Pro *finali* habet ipsius Dei gloriam extrinsecam; & Gloriam beatitudinis intrinsecæ Prædestinato. Vnde manet dumtaxat quæstio de causa meritoria. Si verò Prædestinatio sumatur obiectiue, prout est ipsa series exercita rerum ad extra, seu beneficiorum supernaturalium, per quæ Deus ab æterno prædestinans nos in tempore dirigit ad Gloriam; habet pro causâ materiali animam Prædestinati: pro formali, nullam; cum ea ipsa dona ac beneficia nobis intrinseca sint potiùs accidentales formæ: pro efficiente physica, Deum; ac sæpe ipsam animam à Deo ad id elevatam; sæpeque habitus, & auxilia anteriora: ut diximus suo in loco *disp. 4. de Gratia*. Vnde in hoc etiam sensu, quem ex Antonio Perez probavimus *disp. 10. sect. 5.* devolvitur quæstio ad causam meritoriam.

To. de Gratia disp. 4. Supr. disp. 10. Perez.

### SECTIO I.

*Errores Hereticorum; & opiniones Catholicorum. Vnde materia presentis Disputationis elucidatur.*

Manich. Priscilian. Lamber. Calvin.

**P**rimus error erat Manicheorum, & Priscillianistarum. Qui, cum negarent, ut postea Lutherus, & Calvinus, liberum in nobis arbitrium, atque adeo causam prædestinationis per modum meriti; aut reprobationis per modum demeriti; aliam physiologicè assignabant: scilicet, bonum, aut malum corporis tem-

peramentum, ab astris derivatum, trahens irresistibiliter ad virtutem, aut vitium. Damnatur à Trident. Sess. 6. Can. 4. & 5.

Trident. Origen. Pitagor.

**3** Secundus fuit Origenis Adamantij: qui, tinctus partim commento Pitagoreorum de transmigracone animarum in varia corpora, dixit, causas meritorias Prædestinationis, seu Reprobationis, esse merita, seu demerita facta ab animabus priùs tempore creatis, antequam corporibus coniungerentur. Hæc tamen temporaria animarum prioritas ad sua corpora reijcitur in Animalicis. Vnde corrumpunt merita, & demerita exercita in illo priorita-

Lateran. Leo. Hieronym. Augustin. Nyssen. Suarez. Pelag. Celest.

ritatis statu: ut definitum est in Concilio Lateranen. sub Innocent. III. & à Leone I. Epist. 91. & impugnatum à SS. Hieronym. Augustin. & Gregor. Nysseno apud Suarez lib. 2. de Prædestin. cap. 4.

Tom. de Gratia. Arausic. Trident. Augustin.

**4** Tertius error fuit Pelagij, & Celestij dicentiu præcedere in nobis actus solius naturæ viribus factos, qui sint sufficiens causa moralis meritoria, ob quam Deus nos prædestinet; detque vires ad ulteriores progressus prædestinationis exercitæ. Sentiebant enim gratiam non esse nobis simpliciter necessariam ad omnes actus salutare, ut explicuimus in disputationibus de Gratia Actuali, eiusque necessitate. Damnatur ab Arausicano 2. & à Trident. Sess. 6. Can. 1. 2. 3. & deinceps: & impugnantur varijs in locis ab Augustin.

Arausic. Trident. Augustin. Prosper.

**5** Quartus fuit Semipelagianorum, seu Malsiliensium dicentiu causam meritoriam Prædestinationis parvulorum esse posse merita quæ fecissent: si ad usum rationis pervenissent, quamvis nunquam absolute faciendâ. In Adultis verò, quamvis admitterent in progressu actus meritorios, ad quos gratia esset simpliciter necessaria, dicebant tamen ante primum gratiæ auxilium; quod est exordium Prædestinationis, præcedere in homine aliquos actus, solius naturæ viribus factos, meritorios primi auxilij supernaturalis: sicque admitterebant ex parte prædestinati causam moralem meritoriam totius prædestinationis supernaturaliter exercitæ inceptam viribus naturæ. Damnatur hoc in eodem Arausicano, & Tridentino Sess. 6. cap. 5. declarantè: *Iustificacionis exordium in Adultis à Dei per Christum gratiã sumendum esse: & oppositum anathematizante Can. 1.* Scripsere contra hunc errorem Augustin. & Prosper.

Scot. Gabriel. Durand. Caietan.

**6** Opinio prima, tribui solita Scoto, Gabrieli, Durando, & Caietano ait, dari ex parte Prædestinati aliqualem causam moralem totius suæ Prædestinationis, etiã quoad primum auxilium: scilicet per aliquos actus naturales bonos, qui possunt esse moralis dispositio ad primum auxilium. Aliqui miscent hanc doctrinam cum erroribus nuper expositis de causa meritoria prædestinationis per actus naturales apud Vazquez *disp. 91. cap. 10.* Caterum prædicti Authores Catholici non propterea notantur de hæresi: aut quia id non docuere pertinaciter, ut excusat Suarez:

Vazquez. Suarez.

aut quia ex unius scripto id acceperunt absque examine, ut excusat Herize, multus de hoc puncto *disp. 26.* aut quia dispositionem illam moralem non asserébant per modum meriti; sed fortè merè negativam. Nam dispositio quæ sit positivè causa moralis, & non per modum meriti, vix explicabilis est; ut expendit doctè Ripalda *disp. 18.*

Herize.

Ripald.

**7** Opinio secunda, quæ videtur insinuari ab Alensi, ait, dari posse ex parte nostra causam moralem Prædestinationis, quoad primum etiam auxilium, per ipsos actus supernaturales meritorios, qui fiunt ex ipso primo auxilio, & sunt bonus usus ipsius. Atque hinc fortè dixit Henricus paulò aliter, actum nostrum supernaturalem ex gratia factum; quo benè utimur primo ipsius gratiæ auxilio, esse, non quidem causam dispositivam, impetratoriam, aut meritoriam primi auxilij; sed conditionem, sine qua non. Possunt hæc tripliciter intelligi. Primò taliter, ut consensus ipse, seu bonus usus supernaturalis adulti Prædestinati dicatur pura conditio, sine qua non prædestinatus esset: & hoc est certum; sicut & quod sine merito implicat assequutio gloriæ, ut coronæ. Secundò taliter ut ille bonus usus dicatur ratio alliciens Deum largientem auxilium, quia efficax; ex directione scilicet Scientiæ Mediæ de consensu salutari: & hoc est quod diximus, & explicuimus *disp. 9. sect. 5.* Tertiò taliter, ut ille bonus usus sit ratio, & causa purè finalis collationis primi auxilij; & hoc est verissimum; cum conferat Deus auxilium, ut consentiamus.

Alens.

Henriq.

Supr. disp. 9.

**8** Opinio tertia, quæ tribuitur Richardo, Gersoni, & Soto, ait, opus bonum antecedens viribus naturæ factum, esse posse dispositionem impropiam; & remotam ad primum auxilium gratiæ: sicque agnoscunt in Prædestinato dispositionem, & aliqualem causam Prædestinationis, quoad primum etiam auxilium, quod dicitur exordium Prædestinationis exercitæ.

Richard. Gerson. Sot.

**9** Opinio quarta, tribui solita Sancto Bonaventuræ, ait, dari ex parte Prædestinati causam meritoriam Prædestinationis quoad omnes Prædestinationis effectus: omnes enim meretur Prædestinatus, aut condignè, aut saltem congruè. Hoc, quamvis vocibus videatur aliquibus sonare errorem Malsiliensium, aut opinionem relata *num. 6.* in sensu tamen Bonaventuræ lon-

Bonavent.



longè distat ab illis : non enim intelligit nomine effectuum Prædestinationis gratias omnes etiam auxiliantes; sed Gratiam iustificantem, perseverantiam, & Gloriam: quas cum præcedant actus nostri meritorij ex gratia actuali facti, infert consequenter omnium effectuum Prædestinationis dari causam meritoriam ex parte Prædestinati adulti; ex gratia tamen auxiliante præveniente, quam non numerat inter effectus Prædestinationis.

*Ocham.* 10 Opinio quinta, quæ tribuitur Ochamo, docet, Prædestinationem dici solam æternam electionem ad Gloriam, eamque Dei electionem esse antecedenter ad absolutam prævisionem meritorum: sicque ait, dari ex parte Prædestinati causam meritoriam totius Prædestinationis; quamvis non omnis decreti, seu divinæ volitionis præparandi, & conferendi auxilia gratiæ. Id explicuit P. Franciscus Turrianus, utens distinctione Prædestinationis ad Gratiam, & Prædestinationis ad Gloriam, prout ex Anselmo retulimus *disp. 8. nn. 8.* dicensque istius, & non illius dari ex parte Prædestinati causam meritoriam.

11 Opinio sexta negat omninò, dari ex parte Prædestinati causam meritoriam Prædestinationis; sive sumptæ pro æterna Dei electione ad Gloriam, sive sumptæ quoad omnes eius effectus: eo nimirum quòd tam illa Dei electio habeatur à Deo gratis non præsuppositâ absolutâ prævisione meritorum; quam prima etiam auxilia Gratia, quæ sunt initium Prædestinationis exercitæ, conferantur quoque Prædestinato gratis, & nullatenus ex debito, aut ex merito nostro. Hanc communiorē, veramque Sententiam Doctoris Eximij exponemus in hac disputatione.

12 Hinc vide, usitatissimas inter Scholasticos esse, duas illas acceptiones Prædestinationis, quas pro genuinâ intelligentia Augustini distinximus ex Anton. Perez *disp. præced. num. 47.* Vnam pro sola formali electione ad Gloriam, ut patet ex opinione quinta: aliam pro præparatione, & collatione exercitæ mediolorum, ut patet ex alijs opinionibus: quæ præsentem controversiam de causis Prædestinationis reducunt ad causas seriei auxiliorum, & actuum, aliorumque donorum, per quæ Prædestinatus exercitè perducitur ad Gloriam: eam scilicet beneficiorum seriei intelligendo nomine Prædestinationis:

obiectivæ, nimirum, ac exercitæ; usurpatis methonymicè effectibus pro causa.

13 Nobis iam non est futura contentio de causa meritoria electionis æternæ Dei: cum satis sit hoc exagitatam utrinque *disp. præced.* ubi defendimus cum P. Suarez, eiusmodi electionem prædestinativam haberi à Deo, non præsuppositâ absolutâ prævisione meritorum; ac proinde omnino gratis, & non ex meritis nostris, quæ sint causa meritoria talis præelectionis. Contentio ergo præsens est de causa meritoria Prædestinationis exercitæ quoad eius effectus, seu quoad seriem mediolorum, seu beneficiorum Dei, quæ Prædestinato conferuntur in tempore ad consequendam tandem per merita Gloriam, ut coronam.

14 Et non quidem quoad omnes, qui generalissimè dicuntur, effectus Prædestinationis: nam in ijs comprehendî etiam possunt multa dona naturalia, ut videbimus *disp. seq.* Sed quoad effectus supernaturalis: inter quos primum gratiæ actualis auxilium dicitur presens exordium Prædestinationis exercitæ: quod primum auxilium si mereatur sibi Prædestinatus, dicitur in terminis præsentis controversiæ dare ex parte sui causam meritoriam suæ Prædestinationis exercitæ, quoad omnes eius effectus. Quoad alia enim dona ulteriorum auxiliorum, Gratia iustificantis, & Gloriæ non est dubium, dari ex parte prædestinati causam meritoriam virtute priorum auxiliorum, citra proprium meritum, ac debitum collarorum.

## SECTIO II.

*An Prædestinatus per opera naturalia bona det causam meritoriam suæ Prædestinationis?*

15 **C**onclusio omninò negans est omninò tenenda adversus errores Pelagianorum, & Semipelagianorum: imò & adversus aliorum opiniones relatas *nu. 6. & 7.* & habetur iam tanquam de Fide. Itaque ratio prædestinandi fuit divinum beneplacitum, non expectans, neque exigens causam ex parte nostra meritoriam totius seriei gratiarum, per quas conficitur exercitè prædestinatio à primo initiali auxilio supernaturali inclusivè ad usque collationem Gloriæ.

16 Ratio firma est. Quia si Deus dona

*Supr. disp. 10. Suarez.*

*Infrà disp. 12.*

gratiæ decrevisset, & conferret propter opera naturalia, tanquam propter causam meritoriam gratiæ, iam gratia non esset gratia in sensu sano Scripturarum, & SS. Patrum: non enim esset purè gratis collarum: necesse igitur est, quod saltem quoad primum auxilium sit absque causa meritoria, & citra debitum ex parte nostra. Antecedens expressit Apostolus *ad Rom. 11.* ubi, loquens de gratia Theologica per Christum, docet, non dari ex operibus, quia si sic daretur, iam non esset gratia, sed merces: ibi: *Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia.* En ex Apostolo repugnantiam in eo quòd gratia sit gratia, & quòd detur ex operibus: siquidem iam non esset gratis; sed ex debito meritorum. Ut ergo in donis gratiæ, quibus exercetur divina Prædestinatio, stet ratio gratiæ Theologiæ, & gratuitatis strictæ ad mentem Apostoli, dicere necesse est, eiusmodi dona non conferri Prædestinato *ex operibus*, id est, ex meritis, saltem quoad primum seriei donum, sive auxilium, quòd dicitur exordium Prædestinationis: ut in illo dicatur Deus gratis, & ex beneplacito suo incipere misericorditer negotium nostræ iustificationis, & Prædestinationis exercitæ. Quòd autem deinceps alia dona subsequentiã conferantur ex operibus meritorij Prædestinati factis per auxilia anteriora, non obstat rationi gratuitatis: quia radicantur in primo auxilio collato purè gratis. Addendum, quòd Paulus non ait: *iam non ex meritis; sed generalius: iam non ex operibus:* ut non solum excludat causam meritoriam condignam; quin etiã & congruam, & impetroriam, & moraliter dispositivam ex nobis nostræ Prædestinationis.

*Ioan. 15.* 17 Consonant aliæ Scripturæ. *Ioan. 15.* *Sine me nihil potestis facere:* nihil scilicet sine gratia per Christum conducens ad salutem: ergo quia opera naturalia nequeunt esse causa meritoria Prædestinationis: essent enim salutaria, quin necesse foret, esse ex gratia. Multa in id dedimus in disputationibus de Gratia. *2. Corinth. 3.* *Non quidam sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* Salus certe nostra exorditur à bona cogitatione, quæ dicitur ab Apostolo non esse à nobis, quasi ex nobis: hoc est: non ex viribus solius naturæ: ergo quia

*Rom. 11.*

cogitationes, aliavè opera naturæ, quæ quidem possunt esse à nobis quasi ex nobis, nequeunt meritorie conducere ad salutem; atque adeo nec esse causam meritoriam Prædestinationis.

19 *Rom. 11.* *Quis prior dedit illi, Rom. 11. & retribuetur ei?* Quo monstrat Paulus, nihil nos facturos dignum retributione gratiæ, & gloriæ, nisi Deus prior incipiat conferendo gratis prima saltem gratiæ auxilia: ergo quia opera naturalia, quæ possent fieri sine gratia, nequeunt esse causa meritoria Prædestinationis, prout dicit primum etiam auxilium in serie beneficiorum Dei, quibus dirigimur ad gloriam.

20 *1. Corinth. 4.* *Quis enim te discernit? Quid habes, quod non accepisti? Quid gloriaris, quasi non acceperis?* Si autem Prædestinatus viribus suis mereretur totam illam seriem effectuum suæ Prædestinationis, suis se viribus in hoc discerneret à reprobo: in quo seorsim à gratia Theologica posset maximè gloriari, quasi non accepisset ex gratia, sed ex debito.

21 Huc etiam faciunt Sacri Textus, quibus *disp. præced. sect. 7.* monstravimus, Præelectionem divinam haberi à Deo gratis. Illud præsertim de Iacob, & Esau *ex 9. ad Roman. Non ex operibus, sed ex vocante dictum est, &c.* Vbi tamen ex ibi dictis observandum est, quòd Prædestinatio sumpta pro Præelectione, quæ est voluntas Dei prædestinativa, dicitur semper, & est gratuita. Sumpta verò obiectivè quoad effectus, quos causat in Prædestinato, est purè gratuita quoad primum auxilium, quòd quidem non vult conferri ex meritis: non verò sic gratuita quoad alia dona subsequentiã, quorum multa vult conferri ex meritis Prædestinati. Quodsi aliquando dicimur mereri divinam voluntatem prædestinativam, intelligendum est, denominativè ab effectibus, quorum aliquos post primum auxilium verissimè meremur. Sic scitè animadvertit Anton. Perez *cap. 5. quæst. 16.* inde concilians varias SS. Patrum loquutiones.

22 Constabunt prædictum Dogma contra Pelagium Sacra Concilia. Arauscanum *2. Can. 3.* damnat illum, qui dixerit, *per invocationem humanam:* hoc est, humanis viribus factam, gratiã Dei posse conferri. & *Can. 7.* illum, qui dixerit, *per naturam vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertineat vita æterna, cogitare,*

Trident.

ut expedit, aut eligere, &c. Tridentinum Sess. 6. cap. 5. loquens contra Semipelagianos tribuentes libero arbitrio initium gratiæ, statuit, iustificationis exordium in Adultis à Deo per Christum Iesum præveniente gratia sumendum esse: hoc est, ab eius vocatione, qua, nullis eorum præcedentibus meritis, vocantur. Vbi vox universaliter negativa, nullis, excludit meritum etiam congruum in operibus naturæ ad gratiam; atque aded causam omnem meritoriam prædestinationis quoad omnes eius effectus ex parte prædestinati per opera naturalia.

23 Obijcitur pro Pelagio. Quia si homo nequit mereri Prædestinationem suam per actus naturæ: ergo non habet in sua potestate salvari: cum non sit in eius potestate habere gratiam, sine qua nequit mereri. Respondetur, negando consequentiam: quia, quamvis non sit in hominis potestate habere illam gratiam; habet tamen illam ex Dei liberalissimi beneplacito per Christum: quâ à Deo gratis collatâ, iam ponitur in hominis potestate salus per opera supernaturalia consequenda: quod si prærogatâ gratiæ non correspondeat, sibi imputet: iam enim per Deum non stat.

24 Obijcitur secundò. Quia si naturæ viribus nihil possumus facere movens meritorie Deum, ut prima conferat auxilia: ergo frustra conamur, & oramus, quantum in nobis est, in negotio salutis. Respondetur negando similiter consequentiam: adest enim præstò nobis ex Deo gratia præveniens, quâ misericorditer suppositâ, non frustra conamur, & oramus: omnes enim illi boni conatus nostri sunt supernaturales, & ex gratia, quæ stat ad ostium & pulsat, ac illuminat omnem hominem, ut adstruximus disp. 7. de Gratia

To. de Gratia disp. 7. sect. 3. & disp. 12. sect. 11. & 12. & 17.

25 Obijcitur tertio. Quia si Deus in hoc salutis negotio non attenderet ad diligentiam, & conatus naturales bonos; imò hæc omnia æqualiter peracta videns in duobus hominibus, unum pro suo beneplacito prædestinat, & alium non; ergo fieret vitiosè acceptor personarum. Respondetur, negando hanc etiam consequentiam. Vitium enim acceptionis Personarum ex S. Thom. 2. 2. quæst. 63. incurritur circa materiam debitam; non vero in donis purè gratuitis. Vnde longè distat

S. Thom.

Deus ab eiusmodi vitio: quippè nemini debet donum Prædestinationis: sicque, ut posset utrumque illum prædestinare, aut neutrum; potest unum prædestinare, altero relicto.

26 Obijcitur quartò pro Semipelagianis Parabola talentorum, quæ data sunt Matth. 25. unicuique secundum propriam virtutem: quo videtur significari, dona supernaturalia gratiæ dari plura, vel pauciora iuxta virtutem propriam unicuiusque: hoc est, prout se unusquisque disponit proprijs liberi arbitrij viribus, magis, aut minus merendo prima etiam auxilia gratiæ. Respondetur, neutiquam id significari; sed, Deum, prout se unusquisque; adhibita propriâ cooperatione, per priora gratiæ auxilia supernaturaliter, ac meritorie disponit, distribuere regulariter ulterioria auxilia, & subsequentes gratias: ut explicat aptè similitudo illa talentorû, quam in omnibus, & per omnia tenere non est necesse.

Matth. 25.

27 Obijcitur quintò Axioma celebre Theologicum: *Facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam.* Ergo quia per actus prævios naturales bonos datur ex parte Prædestinati causâ meritoria gratiæ, atque aded & prædestinationis, quoad omnes eius effectus ex gratia deinceps procedentes. Respondetur, negando consequentiam. Non enim illam infert prædictum Axioma rite intellectum, ut latè discussimus disp. 12. de Gratia sect. 12. Non enim sic debet intelligi, ut Deus conferat gratiam homini, quia antecedenter ad illam facit, quod est in se, viribus naturæ; sed ita, ut homini facienti quod est in se, hoc est, benè honestèque operanti, non denegeret Deus gratiam; quinimo illam Deus antecedenter præveniendò gratis conferat, ut faciens quod est in se, non solum benè, sed etiam supernaturaliter, & salutariter id faciat. Sic dicimus inoffensè, quod causâ secundæ operanti confert Deus suum concursum: non quia ipsa operatur antecedenter ad concursum Dei; sed quia præparatum habet concursum suum cuicumque causâ secundæ operanti. Quam securam, sinceramque Axiomatis intelligētiam firmavi loc. cit. & propugnatam postea libens legi à P. D. Augustino de Herrera Complutensi disp. 14. de Prædest. sect. 2. Vnde nulla prorsus obiectionis illatio.

To. de Gratia disp. 12.

28 Obijcitur sextò pro opinione rela-

ta

ta num 6. Quia, admittâ iuxta ipsam ex parte nostra per vires naturæ causâ prædestinationis, etiam quoad primum auxilium, non per modum meriti condigni, sed congrui, stat ratio gratuitatis, qua primum etiam auxilium dicatur nobis conferri gratis: ergo ex ratione gratuitatis, non benè arguimus ex Apostolo, negandam omnino causam Prædestinationis quoad omnes eius effectus ex parte Prædestinati per bona opera naturalia antecedentia primum auxilium. Antecedens probatur: quia, cum meritum congruum non fundet debitum, adhuc datur gratis & non ex debito, quod datur ex merito congruo. Confirmatur ex eodem Apostolo ad Roman. 3. ubi dicimur, *iustificati gratis per gratiam Christi: cum tamen ad iustificationem præcedant in adalto dispositiones per modum meriti congrui infusionis Gratia.* Confirmatur secundò ex Tridentino Sess. 6. cap. 8. explicante, nos ided dici ab Apostolo *gratis* iustificari; *quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, sive Fides, sive opera, ipsam iustificationis gratiam promerentur: cum tamen dispositiones peccatoris præcedentes Gratiam iustificantem, eam mereantur de congruo, sintque causæ morales illius, ut ex ipso Trident. vidimus disp. 20. de Gratia sect. 1. Causalitas ergo live ratio meriti congrui stat optimè eum eo quod dicatur dari gratis quod datur de congruo intuitu illius.*

Rom. 3.

Trident.

To. de Gratia disp. 20.

29 Respondetur, stare quidem cum ratione & causalitate meriti congrui aliqualem rationem gratuitatis; eo quod non habeat æqualitatem cum præmio quod causat. Non tamen stat perfecta, puraque gratuititas, quam quoad primum saltem auxilium nos docet Apostolus, omnindè, & absolutè negans, non solum dari ex meritis; sed nec ex operibus, ut expendebamus num. 16. quò meritum etiam congruum exclusit: *alioquin gratia, iam non est gratia:* hoc est, non omnino gratis. Et hæc est intelligentia Conciliorum, & SS. Patrum constantissima. Vnde negandum est antecedens de perfecta & pura gratuitate, qualem fueri debemus in primo saltem auxilio, quod est exordium Prædestinationis. Ad probationem dico: non dari hoc modo purè gratis quod datur ex merito congruo: iam enim datur ex operibus, intuitu operum, & propter opera: quavis non ex rigoroso debito, ideoque relin-

quatur locus aliquali gratuitati minùs puræ.

30 Ad confirmationem adhibent multa Suarez lib. 2. cap. 6. & Herize disp. 25. cap. 9. Vbi rectè notant, iustificationem interdum sumi pro sola infusione Gratia iustificantis; interdum extensius pro toto negotio iustificationis involuente dispositiones ad infusionem Gratia, & incipiente à primo auxilio: In hoc autem posteriori, & ampliori sensu sumitur, quando dicitur & intelligitur esse omnino gratis: gratuitate scilicet radicâtâ in primo auxilio parè gratis collato, quod est exordium iustificationis, sicut & Prædestinationis exercita: quamvis deinceps in progressu iustificationis usque ad infusionem Gratia iustificantis interveniant multa, imò & ipsa Gratia infusio, quæ sunt ex meritis congruis supernaturalibus ipsam præcedentibus; subsequentis tamen ad primum auxilium purè gratis collatum ex operibus omnino nullis prædestinati, seu iustificati illud præcedentibus.

Suarez. Herize.

31 Ad secundam ex Tridentino respondent varia varij apud Suarez, & Herize. Ego quidem videre mihi videor in Textu Concilij duas nuper notatas acceptiones iustificationis. Priori utitur Concilium, quando ait nihil eorum quæ iustificationem præcedunt; posteriori verò, quando ait: *iustificationis gratiam promerentur.* Quasi dicat, nihil quod ex parte nostra præcedit ad infusionem Gratia iustificantis, promereri gratiam, totumque negotium iustificationis: quia nihil est ex parte nostra, quod mereatur primum auxilium: non enim Fides, & opera supernaturalia; cum hæc subsequantur ad primum auxilium quod supponunt omnino gratis collatum: non opera naturalia: quia hæc nullam habent rationem meriti, nec causæ meritoria adhuc de congruo respectu præmij alicuius supernaturalis, ut est iam certum ex ipso Concilio, & expendimus disp. 24. de Gratia sect. 5. Vnde, concessâ consequentiâ de gratuitate minùs purâ: non obtinent intentum arguentes contra puram primi auxilij gratuitatem excludentem omnem modum meritorium essendi ex operibus, in sensu Pauli.

To. de Gratia disp. 24.

## SECTIO III.

*An Prædestinatus det causam suæ Prædestinationis per opera supernaturalia subsequenta, quæ sint bonus usus gratiæ præcedentis.*

32 **C**ertum est, bonum usum supernaturalium esse posse causam meritoriam plurimum effectuum Prædestinationis subsequentium ad prima auxilia. An verò omnium, etiam quoad primum auxilium gratiæ præsuppositum ad bonum ipsius usum, qui est consensus noster salutaris; decidendum nunc est: tam pro de facto iuxta præsentem legem contra secundam opinionem relatum *num. 7.* quam pro de possibili iuxta aliam Dei legem & Providentiam.

33 Prima conclusio pro de facto iuxta præsentem Dei legem est omnino negativa. Sic Theologi ferè omnes. Colligitur ex doctrina Pauli ad Rom. quam expendimus *num. 16.* Gratiæ namque, in radice saltem primi auxilij, ita strictè dicitur ab Apostolo esse gratis in nobis, ut nullatenus sit *ex operibus.* Quo loquendi modo excluduntur abs dubio opera nostra, tam naturalia, quam supernaturalia; tam antecedentia, quam subsequenta à ratione causæ meritoria Prædestinationis, seu gratiæ, quoad primum auxilium, quod est initium Prædestinationis exercitiæ.

34 Accedit ratio Theologica. Quia pro de facto colligitur ex promissionibus Sacramentorum Scripturarum omnia opera bona nostra remunerari à Deo cumulatiſſimè per alia dona multiplicis gratiæ, & gloriæ subsequenta. Cum autem operum nostrorum valor sit limitatus & expleatur per præmia subsequenta non extenditur simul eorum condignitas, nec congruitas ad præcedentia: quamvis alioquin forte posset in aliquo genere meriti, si iuxta præsentem legem non infunderetur adæquatissimè tota circa præmia subsequenta.

35 Sicque, ut rectè ponderat Suarez *disp. 10. de Incarnat. sect. 4.* videtur maxime congruere magnitudini, liberalitati, & bonitati Dei munificentissimi erga inopiam, & imbecillitatem nostram ad merendum apud ipsum: quod nempe prima merendi principia largiatur nobis liberaliter, & omnino gratis: ipsa vero merito-

ria opera, quæ sunt bonus usus supernaturalis priorum principiorum ordinentur adæquatissimè ad ulteriora præmia. Igitur de facto iuxta præsentem Dei Providentiam in nullo genere meriti dat prædestinatus causam suæ Prædestinationis quoad omnes eius effectus, & prima auxilia per bona opera subsequenta, quæ sunt bonus usus ipsorum.

36 Obijcies quod idem dicit Apostolus, dari nobis à Deo primam vocationem, & auxilia: *ut essemus Sancti.* Hoc est *Ephes. 1.* ut sanctè, beneque operemur: ergo intuitu operum eo saltem modo meritorio qui iuxta doctrinas de Merito solutorio, possibilis est in operibus subsequentibus ad præmium antecedens. Huic objectioni feci satis *disp. 23. de Gratia sect. 6.* Ex ibi late dictis respondeo, negando consequentiam, illegitimè procedentem de possibili iuxta aliam Dei legem, ad actum iuxta præsentem, resistente actuali Providentia Dei. Porro, quamvis iuxta doctrinam nostram de Merito solutorio, possibile sit meritum in nobis, quod moveat ad præmium in genere causæ finalis; at non omne quod movet in genere causæ finalis est eo ipso meritum solutorium: ad hoc enim alia plura requiruntur, ut suis in locis explicui. Vnde ex eo quod iuxta Apostolum elegerit nos Deus, & conferat auxilia prima, *ut essemus Sancti;* non infertur nos id mereri per opera sancta quæ sunt bonus usus priorum auxiliorum: atque adeo manent ea opera subsequenta in genere puræ causæ finalis, quin fortiantur ullam rationem causæ meritoria.

37 Secunda conclusio. Loquendo de possibili iuxta aliam Dei legem, & providentiam, non posset Prædestinatus dare ex parte sua causam meritoriam suæ prædestinationis quoad primum auxilium in genere meriti Remunerandi; bene verò in genere Meriti Solutorij. Hos terminos, hancque perutilem distinctionem Meriti explicui, & adstruxi ex professo *disp. 23. de Gratia sect. 4. 5. & 6.* iuxta quam postea resolvi *disp. 28. sect. 3.* principium meriti non posse cadere sub meritum, cuius est principium, in genere meriti Remunerandi; bene verò in genere meriti Solutorij: quod est in re idem, ac dicere opus meritorium subsequens, quod est bonus usus auxilij, posse in hoc genere meriti, & non in illo esse causam meritoriam pri-

mi etiam auxilij à quo procedit. Ex ibi dictis de pro nunc expedite, ac summam rationem conclusionis quoad utramque partem.

38 Quoad priorem: quia natura meriti Remunerandi est movere ad conferendum præmium, quia est; ad modum scilicet causæ efficientis moralis. Implicat autem ex terminis conferri præmium, quod est principium operis, quia tale opus est; cum verè opus non dum sit, aut non pro priori sit, quando confertur eius principium: & ille modus dandi significat antecedentiam operis ad collationem sui principij: quod implicat manifestè. In hoc igitur genere meriti Remunerandi, profus implicat in quacumque lege opera quæ sunt bonus usus, & effectus auxilij, esse causam meritoriam auxilij, quod est ipsorum principium.

39 Quoad posteriorem: quia è diverso natura meriti Solutorij est movere ad conferendum præmium, ut sic tale meritum pro præmio anticipato solvens ad modum scilicet causæ finalis. Stat autem optime, quod Remunerator, ut fiat illi solutio meritoria, & quasi in spe obsequij sibi grati anticipet principium meriti, ut meritum & obsequium sibi fiat. In hoc igitur genere meriti Solutorij posset Deus, iuxta aliam legem, & Providentiam sibi possibilem conferre prima etiam auxilia propter bonum usum supernaturalium, sibi que obsequiosum: & postea Prædestinatus mereri solutorie, & meritorie solvere pro auxilio sibi prærogato: sicque adhibere causam meritoriam primi etiam auxilij: si sic voluisset Deus res ordinare. Nolum tamen ob rationes insinuatam *num. 34. & 35.* quippè potius voluit prima auxilia conferre gratis: & bonum usum ipsorum remunerare adæquatissimè præmijs subsequentibus: quo supposito non superest in eo nostro bono usum ratio ulla meritoria ad dona quoque præcedentia, quale semper est primum auxilium, utpote Prædestinationis exordium.

## SECTIO IV.

*An Christus Dominus fuerit causa meritoria nostræ Prædestinationis; etiam, ut electio est.*

40 **E**xtra dubium mihi est ex dictis *disp. 17. de Incarnat. sect. 5.* Christi

stum fuisse causam meritoriam Prædestinationis nostræ quoad omnes effectus creatos de quibus supra: quos omnes videtur comprehendisse signanter Apostolus *Ephes. 1.* nomine Benedictionis spiritualis: *Benedictus Deus, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo:* id est, propter Christum; seu ex meritis Christi. Quem in scopum alia de eodem *disp. 6. sect. 3.*

41 Difficultas præfens est quoad æternam electionem, seu voluntatem Dei prædestinativam: an eam nobis Christus promeruerit: an verò sicut habita fuit à Deo gratis & non ex meritis nostris; fuerit etiam omnino gratis & non ex meritis Christi: Non fuisse ex meritis Christi tenent Scotus, & alij apud Aldret *disp. 15.*

42 Communior verò, veraque sententia affirmat fuisse ex meritis Christi: sicque Christum fuisse causam meritoriam nostræ Prædestinationis, etiam, ut æternam Dei electio est. Sic colligitur à fortiori ex ijs, quæ diximus *disp. 6. de Incarnat.* nihil decrevisse Deum antecedenter ad decretum de Christo merente; & alia cuncta decrevisse propter Christum merentem, & ex meritis Christi, sive Remunerandis, sive Solutorijs. Non est ergo cur voluntas Dei prædestinativa Electorum non fuerit in Deo intuitu meritorum Christi: sicque fuerit Christus causa meritoria electionis prædestinativæ. Id quod indicasse videtur Apostolus ubi supra: postquam enim dixerat omnem gratiæ benedictionem dari nobis ex meritis Christi, veniens ad electionem Dei æternam, ait: *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem:* quo significatur, ipsam quoque electionem fuisse in Deo ex meritis Christi.

43 Quinimò & de voluntate divina salvandi etiam reprobos id videtur intenuisse Paulus dum *1. Timoth. 2.* dixit: *omnes homines vult salvos fieri: unus enim Deus, unus & Mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus:* quod sic intelligit Augustinus, ut illud quod dictum erat: *Omnes homines vult salvos fieri;* non sit in Deo, nisi per Christum Mediatorem. Eiusmodi autem Dei voluntas ad reprobos etiam extenditur.

44 Nec obstat prædictæ nostræ sententiæ, doctrina, quam sequimur de unitate, ac indivisibilitate divini decreti. Cum hoc enim unico decreto, omnia

indivisibiliter attingente stat, quod sic, aut sic habeatur à Deo de facto. Dicimus ergo sic de facto extitisse, & existere in Deo, ut quavis non habeatur ex meritis nostris, ut potè aliter adæquatissimè remunerandis; habeatur tamen ex meritis Christi condignissimis ad omnia. Quod in re nihil est aliud, quam modus ipse indivisibilis volendi præsentis decreti divini; cum possit aliter Deus omnia velle, aut nolle alio decreto possibili indivisibiliter omnia etiam attingente aliter, & aliter.

*Arriag. Ribaden.* 45 Est difficultas apud *Arriagam disp. 37.* & *Ribadeneyram disp. 22. cap. 4.* an Christus fuerit causa meritoria prædestinationis, prout est electio unius præ alio non electo. In præsentia voluntas Dei prædestinativa, & est Dilectio, & est electio: Dilectio, quia est maximè benevola; electio, quia non sic est ad omnes, cum non omnes sint prædestinati. In alia verò providentia, qua Deus, ut possit, omnes prædestinasset, voluntas Dei prædestinativa esset quidem Dilectio, ut potè maximè benevola; non tamen esset electio: quia non sic aliquos diligeret, alijs non similiter dilectis. Quo supposito, & exposito, quaeritur: an Christus in ordine præsentis providentiæ merens, fuerit causa meritoria prædestinationis non solum ut est dilectio; verumetiam, ut est electio unius præ alio.

46 Respondendum iudico negativè, absolute loquendo in rigore sermonis. Quia Prædestinatio, ut modo iam explicato electio est, dicit hos prædestinari & alios non prædestinari. Christus autem meruit quod ij prædestinentur: & quavis non sic in actu secundo meruerit quod alij prædestinentur; non tamen meruit quod alij non prædestinentur: hæc enim diversissima sunt: aliud enim est non mereri quod prædestinentur; aliud mereri quod non prædestinentur. Primum concedimus; secundum negamus: ac proinde meruisse prædestinationem; ut electio est unius, reiecto alio. Quia, alios non prædestinari non est materia præferens rationem præmij respectu meritorum Christi, nec pro qua possit Christus orare, aut applicare gratificationem merita sua.

## SECTIO V.

*Quo pacto, & ordine fuerit pro voluntate sua, Christus causa meritoria divina voluntatis prædestinative.*

47 **R**atio dubitandi. Quia merita Christi sunt sufficientissima pro Prædestinatione omnium hominum. Cum autem non omnes sint prædestinati, sumi hoc debet ab speciali aliqua meritorum Christi applicatione quoad efficaciam, ut eligantur potius ij. Potuit hoc peragi dupliciter. Vno modo, taliter ut Christus obtulerit æquè pro cunctis merita sua sufficienter; & Pater pro beneplacito suo ea acceptaverit, & efficaciter applicaverit pro ijs; quibus, ut à Patre intuitu meritorum Christi præelectis, voluerit etiam consequenter Christus merita sua efficaciter applicari. Alio modo taliter, ut Christus, habens à Patre optionem applicandi pro ijs, aut pro alijs, aut pro omnibus efficaciter merita sua, applicaverit, potius pro ijs; ideoque Pater hos potius prædestinaverit: non verò alios, quia pro alijs non sic voluit Christus applicare. Utrolibet ex ijs modis salvatur, prædestinationem fuisse propter merita Christi; & Christum fuisse causam meritoriam Prædestinationis: cum discrimine tamen, quod iuxta priorem modum quasi subsequatur electivè voluntas Patris ad voluntatem applicativam Christi; econtra verò iuxta posteriorem voluntas applicativa Christi subsequatur ad voluntatem electivam Patris.

48 Pro priori modo stant cum multis, Aldrete, Arriaga, & Ribadeneyra. *Aldrete. Arriaga. Ribadeneyra.* Primò: quia *Ioan. 17.* dixit ad Patrem Christus: *Non pro mundo rogo; sed pro ijs, quos dedisti mihi;* scilicet pro electis: ergo quia hanc eorum electionem dederat Pater in optionem Christi, per cuiusmodi orationem applicantis specialiter merita sua. Secundò: quia *Ioan. 13.* dicitur: *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus.* Et *Matth. 28.* *Data est mihi omnis potestas.* Ad hanc ergo plenitudinem potestatis pertinuit, & oportuit ad Christi gloriam, prædicta eligendi optio: quam significasse videtur Christus *Ioan. 15.* dicens ad Apostolos: *Non vos me elegistis; sed ego elegeri vos.* Tertiò: quia sic videtur prophetatum *Isai. 53.* ubi de Christo: *Voluntas Domini in manu eius dirigitur:* ergo in manu ac bene-

beneplacito Christi constituta fuit à Patre voluntas etiam electiva Prædestinationum, iuxta priorem modum id explicandi.

*Suarez.* 49 Pro posteriori autem modo stat Doctor Eximius cum gravissimis etiam Theologis, quibus adhæreo. Primò: quia sic videtur significasse Christus ipse *Matth. 20.* dum rogatus pro sedibus respondit: *Sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis; sed quibus paratum est à Patre meo.* Præferens se in eo negotio prædestinationis ad præparationem, & præviam voluntatem Patris. Secundò: quia videtur rationi magis consentaneum, arcanum istud electionis prædestinativæ deferri ad æternam ac increatam Dei voluntatem, cum eiusmodi ordinis prælatione ad creatam voluntatem Christi. Tertiò, & præcipuè: quia, ut rectè *Suarez lib. 2. cap. 24.* Deus præsumit actus omnes voluntatis creatæ Christi: ergo & actum etiam, quo specialiter applicuit merita sua pro Prædestinatis: ergo creata hæc applicatio Christi supponebat increatam illam Dei præsumptionem, non præsuppositam absolutam prævisionem ipsius. Illa autem divina præsumptio præferret iam specialem Dei voluntatem prædestinativam electorum: sicque quælibet oratio, seu applicatio creata specialis efficaciter Christi pro Prædestinatis, in subsequitur non solum tempore, quin etiam naturam ad specialem voluntatem electivam Patris.

*Ioan. 17.* 50 Ad primum argumentum oppositum ex *Ioan. 17.* respondetur, Christum ante illa verba dixisse: *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi;* & postmodum: *pro his rogo, quos dedisti mihi.* Per quæ potius indicatur Christum pro illis specialius orasse & applicuisse, quia præelecti; & præcommendati erant à Patre. Unde negatur consequentia.

51 Ad secundum ex *Ioan. 13.* negatur etiam consequentia: plenitudo enim illa potestatis data Christo non tollit quominus voluerit illam exercere iuxta præsuppositum beneplacitum Patris: præsumptis etiam ipsum liberum exercitium Christi. Neque quod dixit ad Apostolos: *Non vos me elegistis; sed ego elegeri vos,* tollit, quominus eos potius elegerit ex præcedente Patris voluntate quos eos potius eligeret.

52 Ad tertiam ex *Isai. 53.* negatur tertio consequentia. Quinimò inde potius

datur intelligi, præsuppositam omnino fuisse voluntatem divinam ad creatam Christi; illamque divinam dirigendam in manu Christi, id est executioni mandandam per voluntatem creatam Christi conformissimam.

## SECTIO VI.

*An per Orationem: an per gratiarum actionem: & in quo genere meriti.*

53 **H**æc difficultas negotium facefferet, nisi exagitata, decilaque iam à nobis fuisset *disp. 28. de Incarnat. To. de Christi. disp. 18.* Plurimum est loquutio indiscriminatim, Christum, omnia remuneratoriè meruisse: & pro omnibus orasse. P. Vazquez *disp. 94. cap. 3.* ait cum distinctione, orasse pro Prædestinatis, qui post ipsum fuerunt; pro alijs verò qui præcesserunt non orasse; sed gratias egisse. Quæ opportunissima distinctio cadit optinè respectivè ad effectus prædestinationis antecedentes existentiam Christi, & ad alios tempore subsequitos.

54 Dicendum nobis est primò, Prædestinationem quoad effectus suos reipsa subsequitos ad existentiam Christi orantis meruisse Christum, orando pro illis; quoad effectus verò reipsa antecedentes, non ita; sed gratias agendo, aut alio modo non inepto. Ratio mihi constans est, in qua convenio cum P. Vazquez. Quia inepta esset oratio petere Christum à Patre pro Adamo quod creetur in innocentia; pro Abrahamo, quod decedat in gratia; pro Matre Virgine quod concipiatur sine originali; & quod sit ipse Mater: hæc enim iam erant peracta: pro quibus opportunum fuit Christo gratias agere, potius quam orare. Quemadmodum nos non nisi ineptissimè oraremus nunc Deum, ut convertat Saulum, ut vocet Petrum ad Apostolatam, ut salvet Baptistam, & alia huiusmodi: pro quibus certè non oramus; sed gratias agimus, & laudamus Deum. Itaque Christus pro effectibus Prædestinationis antecedenter iam collatis, applicuit sua merita: non pro illis orando, sed gratias agendo: pro effectibus verò subsequitis aptissimè orasse, sicque pro illis orando applicuisse sua merita. Utrumque hunc modum exercuit opportunissimè, interdum orans, ut *Ioan. 17.* *Non pro mundo rogo; sed*

*sed pro his, &c. ut servet eos à malo: interdum gratificans, ut Matth. 11. Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis: id est: Laudo, & gratias ago: & sermo est de secretis Gratia, & Gloriæ pro Prædestinatis, ut ex Hieronymo. Chrystostom. & Ambrosio. interpretatur Cornelius.*

*55 Dicendum secundò, effectuum Prædestinationis, & beneficiorum subsequentium fuit Christus causa meritoria in genere meriti Remunerandi; præcedentium verò non nisi in genere meriti Solutorii. Non enim nisi cum hoc aptissimo, ac utilissimo discrimine applicari à Christo, aut acceptari à Deo potuerunt merita pro cunctis sufficientissima: ut remissivè terigimus sect. 3. ex disputatis alibi lato calamo.*

*56 Dices. Si pro præteritis non potuit Christus orare; ergo nunquam potuisset petere à Patre Prædestinationem nostram quoad voluntatem Dei prædestinativam: hæc enim ab æterno præcesserat ad omnem rationem Christi. Hoc autem videtur esse contra omnes: & præsertim contra Augustinum dicentem in Enchirid. apud S. Thom. 1. p. quæst. 19. art. 8. Nullus fit Salvus, nisi quem Deus voluerit salvari: & ideo rogandus est, ut velit. Sed Deum id velle est ab æterno: ergo potuit Christus orare pro præcedentibus ad ipsius rationem, & existentiam.*

*57 Respondetur negando consequentiam: Nam voluntas illa Dei, cum sit æterna, fuit cum præteritis, est cum præsentibus, & erit cum futuris, semperque contingens, quia semper eadem: & secundum quod erit contingenter cum futuris cadere potest non ineptè sub oratione, sicut & sub desiderio. Nec aliud probant Augustini verba: quinimò in illis ipsis est notatu dignum hoc acumen animadvertum à Valentia tom. 3. disp. 6. quæst. 2. punct. 8. non enim dicit Augustinus, quod Deus rogandus est ut voluerit: hoc enim esset ineptia; sed, ut velit: quod est maxime oportunitum. Vnde, concessa minori subsumpta, distinguo consequens: potuit Christus orare pro præcedentibus, nego: pro præcedentibus etiamque extirpatis quatenus contingenter sunt, concedo. Talis autem est qualibet libera Dei voluntas.*

*Valent.*

## SECTIO VII.

*An homo purus valeat esse causa meritoria Prædestinationis alterius. Et quid in factò de B. Virgine.*

*58 SI Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet, est celebre pronunciatum Augustini Serm. 1. de Sanctis. Et cap. 22. de Bon. persever. Si quis sunt nondum vocati; pro eis ut vocentur oremus: fortassis enim sic prædestinati sunt, ut nostris orationibus concedantur, & accipiant eandem gratiam, qua velint esse, & efficiantur electi.*

*59 Ex ijs, & alijs Sanctorum PP. Loquutionibus docet Vazquez, de facto contingere quod purus homo sit causa Prædestinationis alterius, quoad omnes etiam effectus. Nihil enim obstat, quominus id intelligatur de primo quoque auxilio: utpote potente cadere sub meritum congruum, aut impetrationem alterius hominis iuxta doctrinam communem, quam tradidimus disp. 28. de Grat. sect. 9.*

*60 P. Suarez lib. 2. cap. 24. negat exinde inferri, hominem esse causam Prædestinationis alterius. Ad id enim non sufficit, mereri aliquos effectus Prædestinationis: alioquin, & prædestinationis suæ dici quoque posset homo causa meritoria; cum aliquos ipsius effectus sibi mereatur; nempe auxilia subsequuta, iustificacionem, & Gloriam; sed est necesse, quod omnes mereatur. Atqui nec Stephanus Paulo, nec alius homo purus alteri, valet omnes prædestinationis effectus mereri: ergo nec esse causam absolutè prædestinationis alterius. Minorem probat. Nam illa ipsa oratio Stephani pro Paulo, & auxilia collata Stephano ad sic merendum, & orandum, sunt effectus prædestinationis Pauli: ad hunc enim profuerunt, & ex hoc sine ut proficerent etiam Paulo, collata sunt Stephano: eam autem suam orationem, aut prima saltem auxilia ad sic deinceps orandum non sibi promeruit Stephanus; cum non sibi promeruit principium sui meriti, saltem primi. Sic etiam Godoy disp. 68.*

*61 His utrinque auditis existimo primò, ex verbis Augustini non satis probari sententiam Patris Vazquez: quia solum probatur Stephanum meruisse, vel impetrasse aliquod ex effectibus prædestinationis.*

*Augustin.*

*Vazquez.*

*To. de Grat. disp. 28. Suarez.*

*Godoy.*

*nationis Pauli, nempe conversionem: quod ut bene ait Suarez non sufficit, ut absolutè dicatur causa prædestinationis. Nec refert, quod verè dicatur Paulus non convertendus, aut salvandus, si Stephanus non orasset: nam verè quoque dicitur non salvandus, si Paulus ipse non converteretur, aut si non finaliter perseveraret; quin propterea valeat ipse dici causa meritoria suæ prædestinationis. Non amplius probat secundus locus Augustini.*

*62 Existimo secundò, verè dici à Patre Vazquez purum hominem posse alteri mereri omnes effectus Prædestinationis: id scilicet intelligendo non malè à primo auxilio alteri in se collato usque ad perseverantiã, & Gloriam. Verè quoque dici à P. Suarez non posse: id intelligendo generalius quoad omnes effectus prædestinationis, computatis etiam auxilijs collatis alijs hominibus intuitu salutis huius hominis, ob rationem datam à Suarez in suo sensu etiam bono. Procedunt hæc iuxta præsentem Dei legem, & providentiam. Nam iuxta aliam Deo possibilem possent conferri à Deo auxilia Stephano merenti, & oranti, sicque Paulo proficienti; & non intuitu profectus Pauli; sed ex alijs finibus. Posset etiam prima illa auxilia sibi ad orandum collata mereri sibi in genere meriti Solutorii iuxta dicta sect. 3.*


*63 Restat decisio pro modo loquendi: an id quod dicit P. Vazquez, & non negat P. Suarez, quod nempe unus alteri possit mereri omnes effectus prædestinationis à primo suo auxilio ad usque perseverantiã & Gloriam, sit satis ut absolutè dici possit causa meritoria prædestinationis alterius.*

*64 Inclino in modum loquendi affirmativum Patris Vazquez. Primò: quia, ut vidimus sect. 1. communiter Theologi in hoc sensu disputant de causa Prædestinationis ex parte Prædestinati; scilicet, quoad omnes effectus à primo auxilio collato homini prædestinato: & qui negant, ideo negant, quia negant hominem posse sibi mereri primum suum auxilium: & qui af-*

*firmabant, ideo affirmabant, quia affirmabant id posse. Secundò: quia Augustinus alijsque PP. adversus Mafsilienfes, ut negent ex parte nostra causam nostræ Prædestinationis. in id intendunt, quod nemo mereatur sibi primum suum auxilium, quod vocant Prædestinationis exordium. Si igitur unus potest alteri mereri primum etiam auxilium, quod in ipso est exordium prædestinationis, & deinceps reliquos effectus; potest iuxta receptissimum modum loquendi Patrum, & Theologorum, absolutè dici, posse esse causam meritoria prædestinationis alterius hominis. Tertio: quia si ad sic loquendum requirentur illa omnia quæ vult P. Suarez, nec Christus dici posset causa meritoria nostræ Prædestinationis; cum nec sibi mererit Unionem hypostaticam, quæ fuit principium suorum meritorum valde nobis proficuum ad prædestinationem nostram.*

*65 Quid tandem dicendum de B. Virgine. Docent piè Scriptores aliqui Mariani fuisse causam meritoriam de cõgruo Prædestinationis omnium Prædestinatorum: utpote omnium Regina, & cum Christo Corredemptrix. De quo Alarcon, Alarc. & eruditè id affirmans Aldrete disp. 18. Aldrete. sect. 4. alijsque ex Nostris, quos sequitur mihi commendatissimus P. Franciscus Garau in sua Deipara elucidata.... Facile Garau. credo, pijsimam Matrem gratias Deo læpius egisse pro cunctis beneficijs antecedenter collatis singulis hominibus; & pro subsequentibus enixè orasse: suisque meritis omnibus ad salutem profuisse: non tamen omnibus in genere meriti remunerandi.*

*66 Nec dictis obstat, quod prima gratia auxiliatrix conferatur cuicumque Prædestinato, gratis; alioquin non futura gratia, sed debitum ex operibus. Per id enim excluditur meritum ex parte ipsius Prædestinati; non verò ex parte aliorum: scilicet Christi, Mariæ, aut alterius fortè Prædestinati.*



## DISPUTATIO XIII.

## DE EFFECTIBVS PRÆDESTINATIONIS.

**I** X dictis *disp. preced.* colligi potest, ac debet, varias esse apud varios usurpationes effectuum Prædestinationis: alias alijs laxiores; alias laxissimas. Sunt qui eos contraxerint ad iustificationem, perseverantiam, & Gloriam. Sunt qui latius, & communiùs eos enumerent à primo gratiæ actualis auxilio per omnia subsequenta beneficia gratiæ usque ad Gloriam. Sunt qui eos extendant latissimè ad omne id, quod fit in bonum Prædestinati à Deo ut Prædestinante; sicut vocatur opus, seu effectus artis quidquid fit ab Artifice ut tali. Quocirca requirunt sequentes conditiones. Primò, quòd sit à Deo volente. Secundò, quòd spectet ad ordinem gratiæ, aut saltem extrinsecè ordinetur à Deo ad supernaturalem beatitudinem Prædestinati. Tertio, quòd procedat à voluntate qua discernit Deus prædestinatum à reprobis. Quarto, quòd aliquantulum profit ad Gloriam reipsa consequendam. Sumimus Prædestinationem, sive pro Augustinianâ prout est Species Providentiæ; prout est electio ipsa formalis ad Gloriam: & eius effectus in genere causæ efficientis moralis seu directivæ: hoc enim modo actus intellectûs dirigentes; & actus voluntatis imperantes causant, seu inducunt opera quæ physicè efficiunt potentia exequutrix.

## S E C T I O I.

*An Gloria, & Gratia iustificans sint effectus Prædestinationis.*

**2** Affirmatur communiter, & meritò de Gloria. Præterquam enim quod est supernaturalissimam convenientiam illi præmaximè conditiones requisitæ ad rationem effectûs Prædestinationis: cum sit à Deo volita, donum speciale pro Prædestinatis, & abs dubio procedens à Deo ut prædestinante: iuxta gradationem Apostoli: *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & iustificavit; quos autem iustificavit, illos & glorificavit.*

**3** Dices ex Durando. Prædestinatio

non est de fine, sed de medijs: Gloria igitur, quæ finis est non est effectus Prædestinationis. Distinguiamus tamen antecedens: verum de Prædestinatione, ut est species Providentiæ; falsum de Prædestinatione pro formali præelectione. Negamus autem consequentiam in utroque sensu. In primo: quia quamvis Prædestinatio sit de medijs, est in ordine ad finem, cuius positio sequitur effectivè ex positione medijs. In secundo: quia consequentio finis rectè dicitur effectus intentionis finis: à qua causatur in suo genere intentionali.

**4** Dices iterum. Prædestinatio dirigit ad Gloriam, ut terminum ad quem: ergo effectus prædestinationis sunt quasi gressus ad terminum: atque adeo non ipse terminus,

terminus, qui est Gloria. Distinguiamus etiam antecedens: ut terminum ad quem, præcisè attingendum, ut evenit in termino itineris materialis, non causato à gressibus, negamus; ut terminum attingendum, simulque causandum; concedimus antecedens. Ad consequentiam dicimus, effectus alios prædestinationis esse quidem gressus ad terminum Gloriæ; at sunt gressus illum causantes; atque adeò nihil obstat quominus ipsa Gloria sit etiam ulterior effectus Prædestinationis.

**5** Affirmatur etiam de Gratia iustificationis, in qua finaliter perseveratur: ob eandem rationem, quam pro Gloria posuimus *nu. 2.* Dices. Sola voluntas dandi Gloriam est Prædestinatio: sola igitur Gloria est effectus Prædestinationis; non vero Gratia. Relicto antecedente facile distinguibili per duas celebres usurpationes Prædestinationis; unam Augustinianam, prout Prædestinatio est species Providentiæ; licque, *Præscientia, & Preparatio beneficiorum Dei, &c.* aliam pro formali præelectione; negatur absolute consequentia. Quamvis enim Prædestinatio sumatur pro sola voluntate divina dandi Gloriam, infert in Deo voluntatem dandi Gratiam, quæ sit ius ad Gloriam: licque collatio etiam Gratia esset effectus causatus à Prædestinatione.

## S E C T I O II.

*An Gratia etiam per peccatum interrupta?*

*Vazquez.  
Merat.  
Becan.  
Suarez.*

**6** Negant Vazquez, Meratius, Becanus, & alij. Affirmo tamen cum Suarez, & communiore Sententia. Quia Gratia iustificans semel collata, quamvis deinceps interrumpatur per peccatum, infunditur Prædestinato ex intentione efficaci Gloriæ: cum qua tandem reipsa coniungitur reviviscens per penitentiam usque ad perseverantiam finalem, ut diximus *disp. ult. de Gratia*: non est ergo cur non dicatur, ac sit effectus Prædestinationis.

*To. de Gra.  
ii. disp. 23.*

**7** Obijcies. Gratia per peccatum interrupta non prodest prædestinato, nisi ut restaurata per penitentiam: ergo sola eius restauratio est effectus prædestinationis, non verò prima ipsius existentia. Respondetur nimis probari. Sic enim nec prima existentia Gratia continuata esset effectus prædestinationis: non enim prodesset præ-

destinato, nisi ut coniuncta cum perseverantia finali. Itaque, concessio antecedente, neganda est consequentia malè deducta: sicut ex eo quod color non videretur nisi ut lucidus; inferre quis vellet solam lucem videri, & non colorem. Antecedens enim, per illam quasi reduplicationem, amandato puerili Dialectismo, solum significat Gratiam illam non prodesse reipsa Prædestinato ad assequutionem Gloriæ, si post interruptionem, non restauretur. Cum quo stat veritas nostræ doctrinæ: quòd nempe, quamvis interrupta per peccatum, si tandem restauretur per penitentiam finalem, sit effectus prædestinationis: quatenus prodest reipsa prædestinato ad Gloriam, utpotè correspondentiam, non solum merito penitentia subsequuta; verum etiam Gratia per penitentiam restaurata.

**8** Obijcies iterum. Gratia peccato interrupta est quid reprobis etiam commune: ergo non est in Prædestinatis effectus Prædestinationis. Respondetur, verum esse antecedens de Gratia illa secundum se; non verò de Gratia collata à Deo cum prænotitia, & intentione restorationis, & conjunctionis cum gloria: hoc enim non est quid reprobis commune. Sicque negatur consequentia: Deus enim id præsciens, & intendens illam primò confert, mediâ restoratione reviviscens, & profuturam Prædestinato, utpote reipsa coniungendam cum Gloria ipsi etiam correspondentiam.

**9** Obijcitur tertio. Gratia primitus Adamo collata, & mox per lapsum interrupta non fuit effectus Prædestinationis Adami: sic ergo nec gratia alijs collata, & interrupta. Sunt qui concedant antecedens: non quia prima Gratia Adami fuerit per lapsum interrupta; sed quia putant non fuisse primò collatam ex meritis Christi: quod requiri volunt ad effectum Prædestinationis. Melius tamen negatur antecedens. Quamvis enim hæc etiam conditio requiratur, falsum nobis est, Gratiam primitus Adamo collatam in statu innocentia non fuisse per Christum, & ex meritis Christi: ut vidimus *disp. 17. de Incarn. sect. 4.* pro quo multa Scripturarum, Sanctorumque PP. testimonia dedimus *ibidem disp. 6. sect. 3.* videnda otiosius apud Aldrete *disp. 19. & 83. de Incarn. & ibidem apud Suarez disp. 5.*

*To. de Chri.  
st. disp. 17.  
& 6.*

*Aldrete.  
Suarez.*

**10** Quod dictum est, de Gratia per peccatum interrupta, intelligendum simi-

liter est de meritis Prædestinatorum per peccatum mortificatis; & postea reviviscuntibus per pœnitentiam: ob paritatem rationis.

## SECTIO III.

An auxilia, & opera bona supernaturalia?

11 **D**E operibus, seu actibus supernaturalibus Prædestinatorum dixerunt Henricus, & Molina, esse effectus Prædestinationis, ut sunt supernaturales, & à Gratia; non verò, ut sunt vitales à libero arbitrio: quia ut tales non profunt ad Gloriam. Hæc tamen præcisio, aut falsum, aut nihil momenti continet. Falsum: quia in actu supernaturali vitalitas, & supernaturalitas non plusquam ex modo nostro concipiendi discernuntur. Nihil verò momenti: quia per similes rationis nostræ præcisivinculas, dici similiter posset, nec Gratiâ, nec Gloriam esse effectus Prædestinationis, ut præcisè sunt ens, aut accidens: nam ut tales præcisim, nec sunt supernaturales, nec conducunt ad Beatitudinem: quod tamen frivolum est.

12 Dicendum est ergo, quoad actus supernaturales, esse quidem Prædestinationis effectus, etiam ut vitales, & ut à libero arbitrio sunt: hoc est, eorum etiam vitalitatem, & libertatem esse effectum Prædestinationis. Sic Suarez cum communiti sententia. Nec id in re negat Molina, ut expendit rectè Ribadeneyra *disp. 24. à num. 35.* Ratio est: quia actus meritorij supernaturales hominis Prædestinati, sunt beneficia Dei ut prædestinantis; profunt ad Gloriam, & illam tandem adipiscuntur, reviviscunt, si forte per peccatum subsequutum mortificati sunt, in eam à Deo efficaciter præordinati: & non solum profunt secundum supernaturalitatem; quin etiam secundum vitalitatem, & libertatem; cum alioquin meritorij non essent: ergo ut supernaturales, & ut liberi, & ut vitales, sunt effectus Prædestinationis.

13 Quoad auxilia responderi solet cum discrimine efficacium, & inefficacium, quæ conferuntur Prædestinatis. De efficacibus affirmat communis, & vera sententia esse effectus Prædestinationis: quia dantur à Deo ut prædestinante ex intentione Gloriæ, præfinitendo merita, quæ medijs auxilijs vocantibus, & adjuvanti-

bus, exercentur cum fructu Gloriæ; & colligitur ex verbis Pauli: *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit, &c.* De inefficacibus negant Valentia, & Becanus: eò quia auxilia profunt ad Gloriam medijs dumtaxat actibus salutaribus, quos causant: cum igitur inefficacia eos reipsa non causent, nihil profunt reipsa, & exercitè Prædestinatis ad assequutionem Gloriæ: ergo non sunt effectus Prædestinationis. Nihil tamen minus affirmat id meritò Suarez etiam de inefficacibus: sequiturque Godoy *tom. 2. in 1. p. disp. 64 §. 5.*

14 Ratio, simulque responsio ad fundamentum contrarium est. Quia, quamvis auxilia inefficacia non profunt reipsa medijs actibus, ad quos per se primò movent; profunt tamen medijs alijs fructibus occasionaliter resultantibus: scilicet, aut quatenus animum prædestinati pulsando, illum emolliunt, ne indurescat, alijsque auxilijs resistat; aut quatenus sui experimento, & memoria excitant gratitudinem; aut, quatenus videns Prædestinatus, se tot auxilijs excitatum non respondisse, compungitur, & humiliatur. His igitur & similibus modis possunt occasionaliter prodesse, & in id à Deo ut prædestinante ordinari: nec est cur sic de facto à Deo non ordinentur in Prædestinato, etiam dum est in statu peccati. An autem sit casus de facto, in quo nullum ex ijs fructibus importet Prædestinato reipsa auxilium inefficax, inexploratum nobis est. Non esse, videtur aliquibus insinuari ab Apostolo dicente: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum ijs, qui secundum propositum vocati sunt Sancti.* Quod si daretur ille casus, tale auxilium non foret effectus prædestinationis; cum reipsa nihil profectus conferat ad Gloriam.

15 Dices: per hæc non probari auxilium inefficax esse Prædestinationis effectum: iam enim auxilium illud esset efficax ad occasionandum aliquem ex supradictis fructibus, quibus correspondet Gratia, & Gloria. At hoc dicitur extra rem: absolute namque eiusmodi auxilia vocantur inefficacia; quia non fit consensus, ad quem per se primò excitant, ut eum causarent: quidquid sit de illis fructibus occasionaliter exinde resultantibus. Quod si hanc velis vocare aliqualem efficaciam, de nomine contendes contra communem loquendi morem.

Hæc

16 Hæc de auxilijs Prædestinato intrinsecis, quæ sunt illustrationes, & inspirationes gratiæ actualis. Quid iam de extrinsecis, in nobis minime receptis, ut sunt Incarnatio, Sacramenta, miracula, prædicatio, Dei protectio, aliorum preces, & alia huiusmodi? Hæc etiam omnia, præter Incarnationem, quæ causa potius quam effectus Prædestinationis est, esse effectus Prædestinationis nostræ, docent multi. Quia Sacramenta, miracula, & alia nuper recensita applicata providentissimè Prædestinato, sic illi profunt, ut præseverit Deus, illis adhibitis, assequutorum reipsa Gloriam. Non autem est cur existimemus, non adhiberi à Deo huiusmodi adminicula tam opportuna ratione fructus reipsa percipiendi à Prædestinato in ordine ad Gloriam, quam reipsa consequetur: ergo dicenda sunt suæ Prædestinationis effectus.

17 Mihi distinguenda videtur duplex usurpatio effectuum Prædestinationis, prout distinximus *num. 1.* Una laxior pro omni dono, seu beneficio utcumque supernaturali in bonum Prædestinati à Deo ut prædestinante. Alia strictior pro serie beneficiorum gratiæ intrinsecæ, à primo auxilio intrinsecò, usque ad Gloriam: & in hac posteriori usurpatione loquuntur cum Concilijs, Sanctisque PP. communiter Theologi, dum primum gratiæ actualis auxilium intrinsecum vocamus *inivium*, sive *exordium* Prædestinationis: hoc est effectuum Prædestinationis. In priori sensu laxiori valet ratio posita pro eo quod auxilia etiam extrinsecæ sint effectus Prædestinationis. Non verò in posteriori sensu magis stricto, & magis conformi modo loquendi Conciliorum, & Sanctorum Patrum.

18 Dicitur est: præter Incarnationem. Quia de ista, sitne dicenda effectus Prædestinationis nostræ; necne? Est potior difficultas, devoluenda ad modum divinum decernendi Incarnationem. Hanc esse quoque effectum Prædestinationis nostræ vult Montoya *disp. 57. sect. 9.* cum Valentia, & Molina. Negant e contra Suarez, Vazquez, Arrubal, Herize, & alij apud Quiròs *disp. 16. num. 6.* Quia quamvis Incarnatio fuerit valde conducens, & proficua ad hominum Prædestinationem; at potius fuit nostræ Prædestinationis causa, quam effectus: cum primum Dei decretum fuerit de

Christo, & reliqua fuerint à Deo decreta propter Christum.

## SECTIO IV.

An dona naturalia: & substantia etiam, sive existentia Prædestinati?

19 **B**onorum naturalium tria sunt genera. Quædam necessaria intrinseca, ut substantia ipsius Prædestinati, & proprietates connaturaliter debita. Quædam, intrinseca accidentalia, sive per industriam adquirentia, ut Scientiæ, Artes, & virtutes morales; sive congenita per causas naturales, ut complexio, robur, ingenium. Quædam extrinseca, ut divitiæ, honores, Patria, Parentes, Amici, Magistri, educatio, occasiones obvia, temporum, & locorum opportunitates varia.

20 Omnia hæc in Prædestinato esse effectum Prædestinationis, volunt Suarez *lib. 3. cap. 7.* quem sequuntur Montoya, Herize, Bannez, Ioan. à S. Thom. Ribas, Granad. Arriaga, & Godoy *tom. 2. in 1. p. disp. 62 §. 3.* Negant è diverso P. Vazquez, Fasol. Albelda, Merarius, Arrubal, Alarcon, Cornej. quoad substantiam saltem Prædestinati, & bona connaturalia primi generis.

21 Certum est mihi, nullum horum bonorum, utpote in re naturalium, sive primi, sive secundi, sive tertij generis, esse effectum Prædestinationis strictius loquendo, prout communiter à Concilijs, & SS. Patribus accipiuntur effectus Prædestinationis pro serie beneficiorum supernaturalium à primo auxilio intrinsecò Gratia, quod vocant prædestinationis exordium, usque ad perseverantiam finalem, & Gloriam: ut iam distinximus *num. 7.* & iuxta id exclusimus à ratione effectuum Prædestinationis in hoc probatori sensu auxilia extrinseca. Solum ergo controversi hoc potest iuxta laxiorem acceptionem effectuum Prædestinationis pro quocumque beneficio, utcumque supernaturalitate aliqua extrinsecâ affecto, in bonum Prædestinati à Deo prædestinante, quod reipsa inserviat ad consequutionem Gloriæ.

22 Prima conclusio pro de possibili. Non repugnat quod omnia hæc sint effectus Prædestinationis in hoc laxiori sensu, quando exercitè inserviunt & profunt ad assequutionem Gloriæ. Quemadmodum

Henric.  
Molin.

Suarez.

Ribaden.

Rom. 8.

Valent.

Becan.

Suarez.

Godoy.

Roman. 8.

Montoya.

Valent.

Molin.

Suarez.

Vazquez.

Arrub.

Herize.

Quiròs.

enim Deus humanitatem naturalem Christi voluit creare ordinando illam supernaturaliter ad naturalem sui Filiationem; & substantias naturales, earum creationes ordinando ad suos fines naturales; potuit substantiam Prædestinati, aliaque dona secundum se naturalia describitura quoquo modo per elevationem gratiæ ad allequendam beatitudinē super naturalem, decernere ex intentione adipiscendæ Gloriæ. Sic autem in hoc sensu essent effectus Prædestinationis: utpote subserviētia Prædestinato ad assequutionem finis Gloriæ, & ex intentione huius finis collata Prædestinato à Deo.

23. Secunda conclusio pro de facto. Verisimile est, mihi que credibile, quod docet Suarez, & cum illo Godoy ex Sancto Thomâ, sic se Deum gessisse iuxta præsentem modum decernendi: sicque omnia illa esse de facto in Prædestinatis effectus Prædestinationis. Primò: quia id videtur Apostolus significasse, dum generaliter dixit: *Omnia cooperantur in bonum ijs, qui secundum propositum vocati sunt Sancti*: ubi, cum nihil excipiatur, notante id Augustino, intelligendum planè venit, substantiam ipsam prædestinati, aliaque dona secundum se naturalia, conferri à Deo ex proposito, seu decreto prædestinativo in finem Gloriæ: non quidem ut media per se in id conducentia, sed ut in id passivè assumptibilia à Prædestinante. Secundò: quia *Isai. 43.* ait Deus de Populo electo, quo significantur Prædestinati: *Omnes, qui invocant nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum, & feci eum*: quasi dicat, creationem, ipsamque substantiam Prædestinati fuisse à Deo Prædestinante in finem Prædestinationis; atque adeo istius effectus. Tertio: quia hæc existimatio maximè congruit benevolentia divini erga suos Prædestinatos, quam tantopere nobis commendant Scripturæ, Sanctique PP. Cui ergo non sic credamus; cum aliunde nihil sit quod obstat?

24. Dices, ob stare, quod effectus Prædestinationis debent esse indebiti naturæ, & de ordine gratiæ: unde est quod primus effectus Prædestinationis numerari soleat primum gratiæ auxilium collatum Prædestinato: quod propterea vocatur à Concilijs, & Sanctis Patribus exordium Prædestinationis: quodque si Prædestinatus mereretur per opera antecedentia naturalia,

ut errabat Pelagius, diceretur dare ex parte sua causam Prædestinationis: quam illationem inficiabantur SS. Patres. Non autem id rectè inferrent contra Pelagium, si substantia prædestinati, aliaque dona connaturalia antecedentia primum auxilium, essent effectus Prædestinationis: nam illa dona connaturalia non mereretur Prædestinatus, sed supponeret, quamvis mereretur primum auxilium. Ergo nullatenus dici possunt effectus Prædestinationis substantia ipsa Prædestinati, aliaque dona connaturalia.

25. Respondetur per hæc rectè probari substantiam Prædestinati, aliaque dona connaturalia non esse effectus Prædestinationis in strictiori sensu, in quo loquebantur SS. Patres contra Pelagium, ut ultro fatemur, agnoscendo & numerando ut primum effectum, & exordium Prædestinationis, primum auxilium: primum scilicet inter effectus supernaturales, & de ordine gratiæ, ideoque non potens cadere sub meritum operum naturalium. Non tamen in sensu laxiori, in quo procedit nostra conclusio, ut iam animadvertimus. Itaque, concessio toto antecedente, concedimus etiam consequentiam, in sensu illo strictiori. Illam tamen negamus in ampliori, usitato etiã non ineptè inter Theologos: in quo primum gratiæ auxilium, quamvis sit primus effectus prædestinationis inter effectus secundum se supernaturales de ordine gratiæ, ideoque exordium Prædestinationis, ut erat loquutio SS. Patrum; non verò est primus inter omnes omnino Prædestinationis effectus: qui non propterea dicuntur, nec sunt exordium Prædestinationis; quia secundum se non ad finem Prædestinationis positivè conducent, neque ut meritum, nec ut principium, cui connaturale, ac debitum sit opus meritorium Gloriæ.

26. Insistes. Primus effectus Prædestinationis, quomodocumque sumatur, est saltem aliqualis ratio; seu occasio ad alios, qui subsequuntur: sed nihil naturale potest esse ratio, nec occasio ad ulteriores Prædestinationis effectus supernaturales, qui subsequuntur: ergo nec substantia Prædestinati, nec alia dona connaturalia, utpote antecedentia ad primum Gratia auxilium, possunt ullo modo dici effectus Prædestinationis. Respondetur distinguendo maiorem: est aliqualis ratio, seu occasio data

per

To. de Gratia disp. 7.

per modum meriti, seu moraliis dispositionis, cui subsequētia dona supernaturalia debeantur, nego maiorem; aliqualis ratio per modum habilitatis physica, & occasio non tam ab homine data, quam à Deo pro libito suo accepta, concedo maiorem: & in hoc sensu concessæ maioris, negantur minor, & consequentia. Nam, ut vidimus *disp. 6. de Gratia à num. 93.* hæc maior habilitas, seu conducentia physica in naturalibus ad supernaturalia innegabilis est; cum certum sit, naturam rationalem habere aptitudinem, ut elevetur ad supernaturalia, quam non habet natura irrationalis. Neque hanc negavere SS. Patres adversus Pelagium; sed conducentiam moralem per modum meriti in operibus naturalibus ad dona supernaturalia, sive aliam, cui ista deberentur, ut bene expendit Ripalda *disp. 14. num. 27.*

Ripald.

27. Dices iterum. Prædestinatio est preparatio mediorum, quibus Prædestinatus perducitur ad Gloriam: sed hæc preparatio supponit creaturam existentem vel exituram: ergo existentia, sive substantia creaturæ prædestinatæ nullatenus esse potest effectus Prædestinationis. Probatur minor: nam ea preparatio supponit intentionem glorificandi creaturam: ergo & existentiam creaturæ. Respondetur distinguendo maiorem; Prædestinatio est preparatio mediorum diversa ab ipsa electione ad Gloriam, nego: quæ sit indivisibiliter ipsa formalis electio ad Gloriam, concedo maiorem. Nego autem minorem, & consequentiam. Satius enim est, quod preparatio divina mediorum, quæ est ipsa electio prædestinati ad Gloriam, velit faciatque futuram existentiam creaturæ, sicut & mediorum ex fine Gloriæ obtinendæ à Prædestinato per illa media: sicque ipsa quoque existentia, seu substantia Prædestinati est volita à Deo ut prædestinante, ordinata ad finem Gloriæ, & effectus Prædestinationis. Tota probatio minoris falsa est: nam ea mediorum preparatio est ipsamet electio ad Gloriam: ex hoc etiam sine decernens existentiam creaturæ, sicut & præniens media meritorum, ut vidimus *disp. 10. sect. 8. & 9.*

Supr. disp. 10.

28. Dices tandem. Substantia Prædestinati decreta est à Deo antecedenter ad decretum existentia Christi, ac proinde meritorum Christi; sed effectus Prædestinationis debet esse donum ex meritis

Christi, ac proinde decerni à Deo consequenter ad decretum meritorum Christi: ergo nequit esse, nec dici effectus Prædestinationis. Maior probatur: quia Christus saltem merens non est à Deo decretus, nisi post absolutam prævisionem existentia peccati Adæ: ante quod iam intelligebantur existentes, seu absolute futuri Prædestinati, qui in Adamo peccaverunt. Multa hic ranguntur altioris indaginis reperenda ex disputationibus de Incarnatione. Ex ibi late scriptis *disp. 6.* negamus maiorem: nihil enim decrevit Deus antecedenter ad decretum Christi sui, ut vidimus ibi *sect. 3.* Minor posset negari ex P. Suarez *cap. 2. num. 6.* Illa tamen concessa, negatur consequentia. Ad probationem maioris negatur prima & præcipua pars antecedentis ex late disputatis ubi supra *sect. 4.*

To. de Christi disp. 6.

29. Urgent. Si enim substantia Prædestinati, aliaque dona connaturalia, ut complexio, ingenium, &c. essent effectus Prædestinationis, & ex meritis Christi, diceretur Christus propter hæc etiam passus, & mortuus. Hoc autem recusat Augustinus *Epist. 105.* scribens: *Christus pro nullis, ut homines conderentur; sed pro impijs mortuus est, ut iustificarentur*: non quidem ut ingeniosi, robusti, divites, aut nobiles essemus; sed ut sancti & beati essemus. Ergo, quia nec substantia prædestinati, nec supradictæ dotes naturales, sunt, ut effectus prædestinationis, decreta à Deo propter merita Christi. Respondetur negando sequentiam, & loquutionem antecedentis rectè recusatam ab Augustino: & deinde consequentiam. Certè namque non propter quamlibet rem, quæ per Christum aut merentem, aut orantem à nobis petitur, & à Deo conceditur, dicitur absolute Christus mortuus: frequenter enim pluviam, sanitatem, victoriam perimus ritu Ecclesiastico per Christum; & sæpè per Christum obtinemus: quin propterea dicitur absolute Christus propter eiusmodi temporalia incarnatus, passus, & mortuus. Quia nempe hæc loquutio cadit absolute dumtaxat in ea, propter quæ Christus præcipue venit, alioquin non venturus, aut saltem non passurus, nec moriturus: sicque dicitur incarnatus, passus, & mortuus *propter homines, & propter nostram salutem.*

Augustin.

Nec aliud intendisse creditur Augustinus.

SE-



## SECTIO V.

An permissio peccati: permissi etiam in poenam alterius?

30 **T**riplicem peccati permissionem discernit, & explicat doctè Montoya *disp.* 12. Primam formalem in actu primo, & æternam pro voluntate, qua Deus finit homines peccaturos in manu consilij sui, præparans omnipotentiam exclusis principijs necessitantibus, & impedimentis inevitabilibus, nolens tamen cõferre auxilia, quibus, si conferrentur, novit, quòd peccatum evitaretur. Secundam obiectivam in actu etiam primo; pro collatione auxiliorum inefficacium, non collatis efficacibus, sic constitutã in tempore libertate creatã in actu primo. Tertiam exercitam in actu secundo, pro ipsã commisione creatã, & temporali peccati à Deo permissi, consistentem in ipsã actione peccaminosa voluntatis creatæ committentis; & concursu Dei permittentis.

31 Certum est, permissionem peccati in hoc tertio sensu esse non posse Prædestinationis effectum; cum enim sit actio ipsa peccaminosa creaturæ, nequit esse quid volitum à Deo, prout ad effectum prædestinationis requiritur. Certum etiam, permissionem in primo sensu amari à Deo; cū sit actus increatus Dei honestissimus. Non tamen dici potest effectus prædestinationis, nisi terminativè, quatenus respicit ut sui obiectum permissionem secundo modo sumptam. Itaque devolvitur difficultas ad permissionem secundo modo sumptam.

32 Hanc esse à Deo non utcumque volibilem; sed præfinibilem docet latè Montoya *sect.* 2. quinimò, & de facto præfiniri à Deo: citatque pro se plures Doctores *sect.* 3. quos inter Angelicum, Subtilem, & Eximium: quibus facile assentior. Et ratio est: quia permissio peccati & secundo modo sumpta dicit libertatè creaturæ per auxilia sufficientia, seclusis efficacibus. Totum autem hoc potest Deus efficaciter velle: potest enim sanctissimè velle entitatem voluntatis, cognitionem indifferentem, & auxilia sufficientia; & nolle dare alia, quæ prænovit efficaciam fore si darentur: cum ad hæc danda nullã lege teneatur.

33 Idcirco Montoya *disp.* 24. cum

Suarez iudicat permissionem peccati eo secundo modo sumptã esse in Prædestinationis effectum Prædestinationis. Sequuntur Granado, Arriaga, Quiròs, Ribadeneyra, Aldrete *disp.* 21. Anton. Perez *disp.* 1. de Prædest. August. *cap.* 3. *quæst.* 7. Godoy *disp.* 63. & communiter Thomistæ. Ex adverso id negant Vazquez, Arrubal, Herize, Alarcon, alijque complures.

34 Placet pars affirmans: quam ultrò amplectuntur Authores, quos citavimus, & sequuti sumus *disp.* 9. *sect.* 10. pro divina præfinitione poenitentia, non præsuppositã absolutã permissione, & prævisione peccati. Præfens enim doctrina consequentissima est ad ea, quæ ibi diximus à ratione, & autoritate.

35 Ratio nunc sub brevibus est. Quia permissio peccati, secundo illo modo accepta, est quid à Deo volibile, ut nuper vidimus. Deinde de multis Prædestinatis prænovit Deus per Scientiam Mediam, quòd si permittatur illius peccatum, in se reversi conterentur fervidissimè, humiliabuntur, aliosque exercebunt eximios actus poenitentia meritorios Gratia finalis, & Gloria. Id autem præsciens Deus potest ex intentione prædestinativa in finem talis Gloria præfinire illos actus poenitentia, compunctionis, & humilitatis, & in eundem finem velle permittere peccatum: quod totum firmavimus latè *loc. cit.* & ab argumentis oppositis defendimus. Sic ergo permissio peccati esse potest effectus Prædestinationis. Nec est cur ita de facto non sit.

36 Elucet passim hæc veritas in Scripturis, & Sanctis Patribus videndis apud Suarez, Montoyam, Aldretem, & Godoy. Romanorum 11. scribit Paulus: *Conclusit enim Deus in incredulitatem, ut omnium miseretur.* Et ad Galat. 3. *Conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex Fide Iesu Christi daretur credentibus: super quæ plura Cornelius. Augustinus Serm. 124. expendit fructus, propter quos permisit Deus peccatum Petri. Cap. 28. de Nat. & Grat. & cap. 11. Enchirid. & cap. 7. & 9. de Corrupt.* indicat Apostolum generalitèr dicentem: *Omnia cooperantur in bonum ijs, qui secundum propositum vocati sunt sancti;* respexisse quoque ad permissiones peccatorum. Gregor. Magnus *Homil.* 21. in *Evang.* multa profert de finibus, ob quos permissum est peccatũ Petri.

Suarez.  
Granado.  
Arriaga.  
Quiròs.  
Ribadeneyra.  
Aldrete.  
Perez.  
Godoy.  
Vazquez.  
Arrub.  
Herize.  
Alarc.  
Supr. disp. 9.

Suarez.  
Montoya.  
Aldrete.  
Godoy.  
Rom. 11.  
Galat. 3.  
Alapid.

Augustin.  
Gregor.

Da-

Damasc.  
Isidor.  
Ambros.

Damascen. *lib.* 2. de *Fid.* *cap.* 29. Isidor. *lib.* 2. de *Sum. Bono* *cap.* 29. & Ambros. de *Pœnit. Davidis* repetunt; Deum permittere peccata ex fine; ut peccatores exerceant actus humilitatis, emendationis, poenitentia, aliosque similes sibi gratissimos, & ad præmium Gloria consequendum conducentissimos. Quo satis significatur, permissiones peccatorum in Prædestinationis esse effectus Prædestinationis: utpote ex intentione efficaci divina ad tantam gloriam subservientes occasionaliter varijs actibus virtutum meritorijs Gloria reipsã consequenda.

57 Extenditur doctrina ad permissionem peccati, quòd dicitur permitti in poenam alterius. Hoc enim non tollit, quominus secundi quoque permissionem possit velle Deus, ac reipsã velit in Prædestinato ex intentione poenitentia de utroque in finem Gloria consequenda. Sed occurrit dubium: qua ratione veniat intelligi, unum peccatum permitti à Deo in poenam alterius: cum poena debeat esse volita à Iudice infligente; & Deus non possit velle peccatum. Ob hanc rationem dubitandi, id iudico sic intelligendum, ut peccatum non directè, sed indirectè dicatur alterius peccati poena. Quatenus nempe Deus auxiliorum suorum dominus, offensus per peccatum prius, deinde non vult peccatori in libertate constituto conferre auxilium, per quod, si conferretur, prænovit Deus peccatum posterius evitatum iri. Hanc ergo denegationem, seu subtractionem auxilij efficacis vult directè Deus in poenam, quã positã, sit infallibiliter peccatum; quin tamen velit peccatum Deus: quia *Deus volens iniquitatem non est;* quamvis bene noverit, ipso tale auxilium denegante, hominem peccatorem. Itaque peccatum non tam entitativè, & in se dicitur poena peccati prioris, quàm denominativè, & in alio: nempe in denegatione auxilij, quo evitaretur peccatum posterius: quæ auxilij denegatio est à Deo volita, & directè poena à Deo infligta iustissimè propter peccatum prius. Sic Ribadeneyra *disp.* 8. *cap.* 2. imitatus Patrem Vazquez: sicque debent intelligi Sancti PP. apud Montoyam *disp.* 38. *sect.* 3.

Psal.

Ribadeneyra.  
Vazquez.  
Montoya.

58 Obijcitur primò. Peccatum non est, nec potest dici effectus Prædestinationis, quamvis requiratur ad poenitentiam, & prodesse possit occasionaliter præ-

destinato ad humiliationem: similiter ergo nec permissio peccati. Negatur tamen consequentia de permissione in secundo sensu supradicto sumptã: hæc enim est verè volibilis à Deo; peccatum verò, sicut & nec permissio eius exercita in actu secundo, prout in tertio sensu sumpta, non est quid à Deo volibile: nec absolute effectus & opus Dei.

59 Obijcitur secundo. Effectus prædestinationis debet esse gratia per Christum: sed nequit esse, nec dici gratia per Christum permissio peccati; cum potius sit subtractio, seu denegatio gratia: ergo nequit esse, nec dici effectus Prædestinationis: sicut dici nequit Christus venisse, & passus esse, ut Deus permitteret peccata. Respondetur, concedendo maiorem de gratia extrinseca; prout loquimur in hoc ampliori sensu effectuum Prædestinationis: & distinguendo minorem: permissio secundum se sumpta entitativè, & intrinsecè, nequit esse, nec dici gratia per Christum, concedo: sumpta extrinsecè, & denominativè, quatenus gratis à Deo ordinata per Christum ad poenitentiam, & Gloria peccatoris prædestinati; nego minorem, & consequentiam: nam, ut supra monuimus, hæc ratio amplior gratia sufficit ad effectum Prædestinationis in sensu etiam ampliori Scholasticorum: & ut dicatur sic esse ex meritis Christi. Nec propterea dicimus absolute Christum venisse, & passum esse, ut Deus permitteret peccata. Tum propter id quod in simili circa loquutionem istam animadvertimus *num.* 29. Tum quia, non dicimus utcumque, ex meritis Christi esse, quòd Deus permittat peccata; sed quòd sic permittat, scilicet, ex intentione poenitentia reipsã obtenturã Gloria.

60 Obijcitur tertio difficultus. Quia sequeretur, Christum posse orare, ac petere pro nobis à Patre permissionem nostri peccati: cum possit orare pro effectibus prædestinationis. Vnde subsequeretur & ipsum quoque Prædestinatum posse petere à Deo permissionem sui peccati, ac proinde subtractionem auxilij efficacis: conformando nimirum orationem suam orationi Christi. Cateram hæc obiectio non est specialis contra nostram Sententiam; sed ab omnibus sustinenda, & solvenda est. Nam, si prædicta permissio peccati sit, si ne sit effectus Prædestina-

na-

nationis, amari potest, & amatur à Deo: unde videtur sequi, quod & peti à Christo; quin etiam & à nobis: conformando nostram voluntatem, ac petitionem voluntati Dei.

*Suarez.* 61 Tetigit hoc punctum eximie Doctor Eximius tom. 2. de Relig. lib. 1. cap. 21. num. 5. & 14. Sequela distingui potest: Christus posset orare, ac petere pro nobis permissionem nostri peccati, ut coniungendam cum peccato, aut quia utilem ad peccatum; nego; nec enim Deus sic illam amat: ut proficuum ad poenitentiam, & quia utilem ad alios actus bonos, & ad consequentiorum gloriæ, concedo; & hoc quidem quamvis videat coniungendam cum peccato: hoc enim modo, & cum hac notitia illam amat Deus.

*Ribaden.* 62 Subsequelam vertunt in dubium nonnulli apud Ribadeneyram disp. 23. num. 22. quibus minus bene adherere videtur Illustrissimus Godoy disp. 63. num. 17. Absolutè tamen neganda est de permissione proprii cuiuscumque peccati: nam unum posse in aliquo casu ex fine bono petere à Deo permissionem peccati alieni, minus difficile est, ut legitur apud Aldrete disp. 21. sect. 1. & non satis discernitur à Godoy cit. Ratio negatæ subsequelæ est ex Suarez cit. quia ad evitandum proprium peccatum obligatur quis præ alieno ante omnia: ita strictè, ut nec pro salute totius mundi, liceat homini vel venialiter peccare: contra quam obligationem delinqueret abs dubio, petens sibi à Deo denegationem auxilij efficacis, quo denegato certò peccaret. Et quamvis Deus suâ potentia, & sapientia possit malum nostri peccati convertere in bonum nostrum,

possitque iuste, rectèque ratione suæ universalis providentiæ, uti illo medio permissionis in finem nobis bonum; non ita nobis licet, eam velle, aut petere; quia respectu particularis voluntatis humanæ, id sic velle prohibetur ab ipso Deo: quia non quidquid Deus vult, potest homo velle: quippe non semper Deus vult, imò aliquando prohibet, ut illud homo velit. Sic Deus vult quandoque hominem fulmine percelli: quod velle non sic licet homini, repugnante lege Charitatis.

63 Quomodo cum hac verâ doctrina stet petitio illa nostra quotidiana orationis Dominicæ: *Fiat voluntas tua*: quæ videtur petitio generalis, atque ad eò se extendens ad voluntatem etiam permissivam nostri peccati per subtractionem à Deo etiam volitam auxilij efficacis, quo peccatum nostrum evitaretur; id, inquam, omnes tenemur explicare, & componere, seorsum etiam à præsentis difficultate: de quo doctè Montoya d. sp. 23. sect. 2. & fusiùs disp. 16. sect. 2. itemque Granadus tract. 8. disp. vnic. sect. 6. P. Suarez utriusque præluces loc. cit. respondet optimè, petitionem generalem, & regulam conformandi nostram voluntatem voluntati divinæ non extendi ad voluntatem divinam permittendi nostrum peccatum, sed intelligi debere rationabiliter: non semper in obiecto voluto; quod quamvis Deus velit; non tamen vult, ut nos velimus; imò prohibet: propter diversam habitudinem eiusdem obiecti ad Deum ratione suæ universalis providentiæ; & ad nos, quibus

id Deus ipse quandoque prohibet, ut velimus.

(\*\*\*)

## D E R E P R O B A T I O N E I M P I O R V M.



**I** VONIAM eadem in multis esse solet ratio contrariorum, multa necesse fuit dicere de Reprobatione inter disputandum de Prædestinatione: quæ nunc non sunt cum tædio repetenda; sed potiùs memoriâ retinenda. Per abusum vocum nonnulli antiquitus reprobos appellabant Prædestinatos ad malum, quasi *Prædestinatio* vox sit communis ad Providentiam, quâ aliqui salvantur Prædestinati ad bonum; & ad Providentiam, qua alij pereunt prædestinati à Deo in malum, ut legere est apud Card. de Aguirre disp. 115. sect. 1. Sed abusivæ huic loquutioni occurrerunt Patres Concil. Arausic. 3. Can. 25. hoc anathemate: *Aliquos divina potestate ad malum prædestinatos esse, non solum non credimus; sed etiam, si sunt qui tantum mali credere velint, cum omni detestatione anathema dicimus.* Providentia ergo, qua impij pereunt, non dicitur Prædestinatio ad malum; sed dicitur *Reprobatio*: ipsique, non à Deo in malum prædestinati; sed *Reprobi* vocantur. Vocantur etiam *Præsciti*. Non quia Prædestinati quoque non præsciantur à Deo: quippe Deus omnia prænovit, & approbative specialiter *novit qui sunt eius*, ut potiùs dici valeant *Reprobi, Nesciti*, iuxta verbum Christi: *Nescio vos*; sed quia *Reprobi* sunt purè præsciti, & non approbati; Prædestinati verò à Deo etiam approbati, & electi; ideoque non benè appellati vocabulo illo communi etiam ad *Reprobos*. Sic vulgò per vocabulum *animal* significari solent absolutè bruta, utpote purè animalia: quamvis alioquin homo quoque sit animal.

## DISPUTATIO XIV.

DE NATURA DIVINÆ PROVIDENTIÆ  
Reprobatiuæ.

2 **N**ARI in Deo Providentiam reprobatiuam, est æquè certum, ac est certum mori aliquos in peccato mortali: & in inferni gehennam detrudi iuxta illud Christi Iudicis Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum.*

Matth. 25

Nec id dedecet Deum optimum: cùm nullo iure teneatur omnes prædestinare; & neminem reprobet, nisi largiens quidquid sufficit ut saluari possit, constituensque illum in manu consilij sui. Nec aliunde indecens est, quòd non omnis creatura ordinata à Deo in finem Gloriæ, eū assequatur: non enim pro omnibus intendit Deus eum finem omninò efficaciter: voluntatem autem Dei non intrinsicè efficacem non impleri, non est inconueniens, ut vidimus *disp. 1. sect. 5.*

Supr. disp. 1.

## SECTIO I.

Quid sit Reprobatio negatiua: quid positiua?

3 **R**eprobatio est, *Providentia Divina, qua creatura rationalis permittitur cadere in culpam gravem finalem, & supplicio damnatur æterno.* In hanc definitionem in re coeunt aliæ, quæ vocibus diversis leguntur apud varios Authores.

4 Itaque Reprobatio, sicut & Prædestinatio, utpotè species Providentiæ, constituitur per actus divinos intellectus, & voluntatis. Ex parte intellectus, præter simplicem intelligentiam, dicitur notitiam de medijs, aut modis, quibus adhibitis, creatura peccabit, & in peccato suo morietur: quæ notitia, ut suppono, pertinet ad divinam Scientiam. Ex parte voluntatis dicitur ex intentione inefficaci Gloriæ, decretum conferendi auxilia sufficientia, & nolitionem dandi efficaciam ad evitandum peccatum finale. Huiusmodi autem constitutio creaturæ in ea libertate, & notitia certa Scientiæ Dei, præscientis, quòd, si sic constitutur, non evitabit peccatum finale, est complexum iam ab intrinseco connexum cum finali peccato: ex cuius prævisione habet Deus voluntatem damnandi hominem.

5 Hoc est etiam discriminis Reprobationem inter & Prædestinationem, quod Providentia Prædestinativa per meritum Gloriæ supponit intentionem Gloriæ successuræ meritis. At Providentia reprobatiua per demerita digna pœnæ non supponit in Deo intentionem pœnæ successuræ demeritis: quinimo supponit etiam in Deo intentionem Gloriæ, quamvis non efficacem: ex qua videlicet intentione Gloriæ providet reprobo media sufficientia ad evitandum peccatum, & assequendam Gloriam. Ex prævisione autem peccati finalis habet Deus voluntatem infligendi pœnam.

6 Difficultas est: an Reprobatio includat essentialiter istud Dei decretum, seu voluntatem infligendi pœnam: an antecedenter ad istud decretum intelligatur sufficienter constituta per complexum illud actuum intellectus, & voluntatis circa media? Difficultati huic ut satisfaciant, distinguunt Theologi Reprobationem Negatiuam, & Positivam.

7 Negativam, inquiunt, intelligi satis constitutam antecedenter ad decretum damnationis, per complexum ex decreto constituendi creaturam in tali libertate per talia auxilia, & ex prænotitia divina, quòd per ea auxilia, si dentur, non evitabitur peccatum finale. Non ergo dicitur nega-

## SECTIO II.

An Reprobatio positiua, seu destinatio ad pœnam fuerit, aut potuerit esse in Deo antecedenter ad prævisionem absolutam demeritorum?

11 **T**otum id affirmant huius temporis Thomistæ post Alvarez, & latè Godoy *disp. 69.* Totum id negat cum Suarez univèrsam se à Societas, ut videre est apud Quiròs *disp. 17.* Ribadeneira *disp. 24.* nostrumque Borrull *de Voluntate Dei disp. 15.* & ex alijs Cornejus referens Ferrariensem, & Durandum. Medium quid tenuit Zumel, asserens Reprobationem positivam fuisse in Deo antecedenter ad absolutam prævisionem peccati personalis; subsequenter verò ad prævisionem originalis. Quid ex nostris sentierit P. Granadus, constabit ex conclusione secunda.

12 Prima conclusio. Omnino dedecet Deum, & implicat decretum positivè reprobativum antecedenter ad absolutam prævisionem demeritorum, infrustrabile, & non evitabile pro libito suo à reprobo. Primò: quia funditus everteret libertatem reprobi ad perseverandum finaliter; ut contra Præfinitiones prædeterminativas ostensum est latè *disp. 4.* Secundò: quia esset, ut aiunt, inductivum divinæ prædeterminationis ad actum creaturæ demeritorium, atque adeò peccaminosum: quod repugnat divinæ sanctitati, ut latè vidimus *disp. 7. à sect. 4.* Tertio: quia, ut etiam vidimus *disp. 10. sect. 6.* simile decretum efficaciter præelectivum ad Gloriam ex multis capitibus Deo, nobisque repugnat: ergo à fortiori sic damnativum ad pœnam. Nec satis illud mitigat Zumel: quia alia est pœna correspondens peccatis personalibus; alia, peccato dumtaxat originali. Deus ergo, si nequit decernere pœnam pro originali ante absolutam prævisionem originalis, pariter nec pro personalibus ante prævisionem personalium: non enim satis esse potest prævisio originalis ad cõmensurandam pœnam pro personalibus.

13 Ex ijs omnibus summam arguimus sic. Eiusmodi decretum positivè reprobativum de ordine, ut aiunt, intentionis, taliter est ex intrinsecis suis repugnans salvationi, ut chimera sit repugnantissima, hominem salvari, & tale decretum in Deo esse. Qui ergo obligaretur ad actum salvari,

Mm 2

stan-

negativa, quia non stet in actibus divinis positivis, quasi Deus possit manere suspensus, aut purè omittens; sed quia nondum cõsideratur in illo complexo actus volens exclusionem Gloriæ, quamvis consideretur actus nolens eligere efficaciter ad Gloriam. Reprobationem autem positivam dicunt includere actum illum, voluntatem, seu decretum, quo vult Deus infligere pœnam finaliter peccanti.

8 Hinc cerno duas Reprobationis acceptiones; uti & duas in simili acceptiones Prædestinationis notatas *disp. 8. num. 2.* & alibi sæpè. Vnam pro formali electione à Gloria, & damnatione ad pœnam: & hæc est *Reprobatio positiua*: & sic non est species Providentiæ; cùm adæquatè stet in actu divinæ voluntatis seorsim ab actibus intellectus, & voluntatis circa media. Alteram pro præscientia illa, & præparatione mediorum, quibus homo non evitabit peccatum finale, nec finaliter merebitur Gloriam, quamvis eam Deus intendat: & hæc est *Reprobatio negatiua*: estque species Providentiæ, quam definitivimus *num. 3.* ad modum ex adverso Prædestinationis Augustinianæ.

Supr. disp. 8.

9 Alijs vocibus discriminant alij duas istas reprobationes. Vocant *permissivam*, quam nos vocavimus, *negativam*, & diximus esse speciem Providentiæ. Vocant *punitivam*, quam nos vocavimus, *positivam*, & diximus esse decretum divinum damnationis. Uterque modus loquendi est satis opportunus, & rem eandem diversis vocibus explicans.

10 Oportet etiã observare duas alias acceptiones reprobationis, quas ex adverso observavimus cum fructu in Prædestinatione *disp. 10. num. 47.* Vnam formalem increatam, pro actibus in Deo ab æterno existentibus. Aliam obiectivam, seu passivam, pro serie auxiliorum, & tentationum usque ad peccatum finale, & supplicium æternum. Sic enim intelligentur multa dicta Sanctorum Patrum ad mentem Augustini: ut notavimus *loc. cit.* ex Anton. Perez.

Supr. disp. 10. sect. 5.

Perez.

stante simul in Deo tali decreto; obligatur ad chimeram repugnantissimam: ad quam ponendam, nec antecedenter, nec consequenter, nec in sensu composito, nec in sensu diviso, dari potest ulla potestas: & à fortiori, nec moralis obligatio: cum obligari nemo possit ad impossibile ex Trident. Concil. Trident. & ex Bulla Innocent. X. contra Iansenium. Atqui reprobis nunc viator, circa quem, iuxta sententiam istam, habet Deus hic & nunc eiusmodi decretum, obligatur hic, & nunc ad salvari, ut est per se certum: quin valeat obligari ad illud repellendum, utpote non in ipsius manu constitutum, nec pro libito suo evitabile: ergo obligaretur ad chimeram repugnantissimam, ad quam nulla dabilis est potestas. Præterea. Aut obligaretur ad salvari coniuncto illo decreto: aut seiuncto: salvari coniuncto illo decreto cum salvatione, est chimera: salvari eo seiuncto, non est in manu hominis: alioqui posset pro libito seiungere, aut evitare pro facultate sua tale decretum. Ad quid ergo obligaretur ille miser? aut quænam illi superesset vera potestas se salvandi? Vnde leges, aliquos apud Suarez *lib. 5. cap. 3.* & apud Quirós *num. 6.* severè censurasse Theologiam istam. Ego verò, quantumvis in meis principijs durissimus iste videatur sermo, ab omni censura abstineo; ne Authores, qui contrarij sint, vel esse forsitan videantur, à me ullatenus su-gillentur.

14 Secunda conclusio. Neque cum præsidio Scientiæ Mediæ, neque cum evitabilitate pro libito nostro talis decreti, datur, aut dabilis est in Deo reprobatio positiva, destinans hominem ad pœnam æternam antecedenter ad absolutam prævisionem demeritorum. In hoc dissensit P. Granat. Granatus eiusmodi reprobationem dabilem esse in Deo cum prædictis adminiculis. Immeritò tamen.

15 Hanc conclusionem non probo ex eo quod eiusmodi decretum positivè reprobativum cum prædictis adminiculis Scientiæ Mediæ, & suæ evitabilitatis tolleret reprobi libertatem: quippe iudico, quod non obstaret libertati per eandem rationes, quibus *disp. 6. & 10.* defendimus decretum præelectivum ad Gloriam non præsupposità absolutà prævisione meritorum, & divinas Prævisiones stare posse cum libertate. Nec conclusionem probo

ex eo quod Deus sic prædecernens pœnã, deberet velle, aut inducere culpam: quippe iudico, neque id sequi: sicut nec simile quid sequi diximus *disp. 9. à sect. 10.*

16 Probamus igitur id à multiplici autoritate. Dicitur enim sepè Deus nolle mortem peccatoris: mortem non fecisse: & non latari in perditione vivorum: quod non solum de morte per peccatum, aut de morte temporali; sed de morte damnationis æternæ capiendum est: oppositum autem dicendum videretur quoad reprobos, si antecedenter ad absolutam prævisionem peccatorum, habuisset Deus decretum, & desiderium efficax eos in æternum damnandi. Hinc Concil. Valent. *cap. 3.* ponit disertissimè debitum discrimen in Dei voluntatibus præmiandi, & damnandi per hæc illustria verba: *Fatemur, in electione salvandorum misericordiam salvandorum præcedere meritum bonum; in damnatione verò periturorum meritum malum præcedere iudicium Dei.* Loquitur de misericordia Prædestinationis, & de iudicio, seu decreto damnationis: deque illà docet haberi à Deo non ex meritis præsuppositis; de isto autem haberi ex demeritis præsuppositis; in absolutà scilicet prævisione: non enim capax est alterius sensus illa adversativa confessio.

17 Præluxerat Theologiæ lumen Augustinus *epist. 105.* dicens: *Querimus causam Prædestinationis; nec invenimus: Reprobationis verò causam querimus, & invenimus; scilicet peccata, ex quorum prævisione est in Deo Reprobatio.* Et *lib. 3.* contra Julianum *cap. 10.* *Bonus est Deus, iustus est Deus: potest sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest sine malis meritis damnare, quia iustus est.* Plura locupletissimus Petavius *lib. 9. & 10.* His Patrum, nostrisque doctrinis sese eregione opposuerunt Calvinus, durique Calvinistæ Beza, & Zanchius iactanter effati: *Parem facimus electionem, & reprobationem in ipsarum causis: nam sicut Deus prædestinavit Iacob non ex operibus, sed ex Prædestinantis gratia; sic etiam reprobavit Esau non ex operibus; sed ex libera Dei prosequenti & reprobantis voluntate.* Respondet Godoy *num. 57.* quoad hoc non errasse Calvinum. At quid ad Augustinum causam reprobationis invenientem in reprobo; non verò prædestinationis in Prædestinato; si concedimus Calvinò, *parem electionem, & repro-*

*Supr. disp. 9.*

*Concil. Valent.*

*Augustin.*

*Petavius.*

*Calvin. Bez. Zanch.*

*Godoy.*

*bationem in earum causis?*

18 Responso solet esse: per hæc significari decretum damnationis non esse executivè ante absolutam prævisionem peccati finalis: hoc est, non velle pœnam infligi ante, sed post culpam: cum quo stat, quod decretum pœnæ sit antecedenter ad prævisionem absolutam culpæ. Quemadmodum diximus, & explicuimus *disp. 10. sect. 3. & 6.* electionem ad Gloriam ut coronam non præsupponere absolutam prævisionem meritorum, & esse ante merita, non verò de danda gloria ante merita; sed post merita. Contra tamen manifestè: quia hæc responso contendit æquiparare quoad hoc decretum de pœna propter demerita, cum decreto de Gloria propter merita; contra disparitatem, quam inter illa prædicant adducta Conciliorum, & Sanctorum testimonia. Si enim sibi constaret prædicta responso, in quo precor, staret discrimen assignatum inter hæc ab Augustino, & Concilio Valentino assignetur, obsecro, istud discrimen; quod adhuc non video. Nec est recursus ad ordines diversorum decretorum intentionis, & executionis. Tum quia hos in Deo decretorum ordines, tanquam insubstantes, insequuti sumus ex professo *disp. 3. sect. 3.* Tum quia in hac eadem diversitate decretorum æquiparandi essent ordines in Deo decernendi Gloriam, & decernendi pœnam, contra disparitatem intentam, & assertam ex Scripturis à SS. Patribus.

19 Respondent alij ponendo inter hæc aliquale discrimen ex eo quod decretum divinum de damnatione supponat prævisionem absolutam peccati originalis, cum tamen præelectio ad Gloriam nullius meriti nostri prævisionem præsupponat. Contra tamen multipliciter. Primò: quia id saltem valere nequit pro Angelis reprobis: immanibus utique ab originali peccato. Secundò: quia prævisio peccati originalis solum prodesse potest ad decernendam pœnam illi correspondentem; cur ergo similiter ad decernendam pœnam correspondentem personalibus non præcedat prævisio personalium? Tertio: quia Deus adhuc post originale, imò & post multa personalia, desiderat sermò, & procurat, ut reprobi salvi fiant, & ad id provider illis auxilia, vocat, & invitat utique ad mortem in peccato: ergo non nisi

ex prævisione peccati finalis, & mortis in peccato decernit pœnã damnationis æternæ. Nec enim videtur stare posse cum sermo illo desiderio Dei destinatio iam efficax ad damnationem; nisi ex prævisione absolutà frustrationis præcedentium mediorum, & peccati finalis, ut latè profertur Ribadeneyra *ubi supra.*

20 Probat insuper conclusionem nostram Aldrete *disp. 23. sect. 4.* Quia decernere efficaciter pœnam æternæ damnationis antecedenter ad absolutam prævisionem culpæ, præfert nimium affectum puniendi, redoletque vitium crudelitatis, indignum Deo, Principe benignissimo. Cuius alioquin perfectissimæ iustitiæ sufficiens datur locus, si ex absoluta culpæ prævisione decernat pœnam: sic nimirum ut pœnam dicatur ideo decernere, quia prævidit culpam, quasi per motus & impulsus à prævisione culpæ; non verò econtra ideo prævidere culpas, quia decrevit pœnas, quasi permissurus culpas, ut infligat pœnas. Nec sufficit dicere, Deum esse Dominum, Supremum. Hoc enim valere posset ut absque vitio iniustitiæ posset Deus sic decernere; non verò ut absque labe crudelitatis, & savitiæ: quod etiam dedecet Deum: estque illi omnino repugnans: quippe nec est, nec potest esse crudelis, & atrox, quantumvis sit iustus, & rectus.

21 Si queratur à me, qui divini decreti, Scientiæque Visionis indivisibilitatem propugno, quid rei sit, Deum decernere damnationem ex absoluta prævisione demeritorum; cum nec virtualiter velim distingui in Deo decretum, & Scientiam Visionis; respondeo ex *disp. 8. de To. de Deo Attrib.* id in re, quidquid sit de nostro modo concipiendi, nihil esse aliud, quam, præsens Dei decretum, quod simul est ab æterno volitio pœnæ, & visio culpæ, ex modo suo efficiendi Deum realiter velle pœnam, quia videt culpam; & nec realiter Deum denominare videntem culpam, quia vult pœnam: qui utique modus immitis efficiendi & denominandi Deum videntem & decernentem, omnino repugnet Deo.

### SECTIO III.

*Obiectiones.*

22 **P**rima. Non præsupposità absolutà prævisione peccati omnino prærequisiti

*Trident. Innoc. X.*

*Granat.*

*Supr. disp. 6. & 10.*

*Ribaden.*

*Aldrete.*

*To. de Deo disp. 8.*

Supr. disp. 9.

quisiti ad poenitentiam, præfinit Deus absolute efficaciter poenitentiam, ut docuimus *disp. 9. sect. 10.* similiter ergo poenam dānationis, non præsuppositā absolutā prævisione culpæ, quamvis prærequirat culpā. Negamus tamen consequentiam ob manifestam disparitatem. Quia nempe hoc posterius redolet affectum sævitie Deo indignum, ut vidimus: non sic illud prius; cum ea poenitentia sit homini salubris in vitam æternam: nec Deum ullo ex capite dedecet illam intendere, & ex illius intentione permittere peccatum, ex fine quod resurgat homo cautior, & humilior ad uberiores Gloriam: ut multis expendit Aldrete cit.

Aldrete.

Supr. disp. 10.

23 Secunda. Prælegit Deus ad Gloriam, ut coronam, non præsuppositā absolute prævisione meritorum, ut defendimus latè *disp. 10.* Cur ergo non similiter prædecernat, aut saltem prædecernere possit poenā dānationis antecedenter ad absolutam prævisionē demeritorum? Respondemus, ob disparitatem clarā. Quia illud prius est congruentissimum misericordie, clementie, ac liberalitati Dei O. M. istud verò posterius vergeret in sævitiam, & crudelitatem: & esset, ut ita dicam, liberalitas suppliciorum: quod monstrum videri debet in optimo Principe, & maxime in Deo Patre misericordiarum: de quo appositisimè Augustin. *lib. 4. de Trinit. cap. 12.* *Causa tamen supplicij non est iustitia Iudicis: sed meritum criminis:* quasi Deus non nisi absolutissimā Visione culparum permotus, & impulsus velle possit irrogare supplicium.

Augustin.

24 Tertia. Vt Deus rectè velit negare quod non debet, nulla alia requiritur ratio, præter supremum ipsius Dominium; sed nemini debet electionem ad Gloriam: ergo, ut velit efficaciter aliquibus gloriam denegare; sufficit eius voluntas pro prædominio in suas creaturas, & in sua dona; quin necesse sit fumere rationem ex demeritis. In primis hæc obiectio nihil probat pro de facto: quia, quamvis sic non esset necesse, posset Deus pro eodem suo prædominio nolle decernere dānationē, nisi ex absolutā prævisione causæ meritorum: & quidem conformius ad ipsius indolem clementissimam: & deinde loquendo de possibili, concedi posset tota de denegatione Glorice per reprobationem negativam, quæ esset mera non ele-

ctio ad Gloriā. Loquimur verò de reprobatione positiva per decretum damnatum ad æternam poenam. De hac autem non probat obiectio; posse esse ante absolutam prævisionem demeritorum; sed quod id non foret contra iustitiam ratione supremi dominij Dei. At hoc non sufficit, ut Deo dicatur possibilis; cum repugnet ex ratione sævitie & crudelitatis Deo indignissimæ, ac repugnantissimæ.

25 Quarta. Quod *Sapient. 12.* dicitur ad Deum: *Ipsū quoque, qui non debet puniri, condemnas: exterum astimas à tua virtute:* ergo quia minime dedecet Deum, habere saltem decretum punitionis æternæ ante prævisionem culpæ. Respondetur, non sic legi, nec interpungi Textum correctum in Biblijs Syxtinis: sed potius pro nobis sic: *Ipsū quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum astimas à tua virtute.* Consequentiam satis similem ex Textu illo vitiato intulit Calvinus apud Corneliū ibi: & peiorem potuisset inferre; scilicet punitionem ipsam ante culpam commissam.

Sapient. 12.

Calvin. Alapid.

26 Quinta & præcipua. Quia *Rom. 9.* scripsit Apostolus: *Cum nōdum nati fuissent, aut aliquid boni, aut mali egissent, ut secundum electionem propositum Dei maneret; non ex operibus; sed ex vocante dictum est, quia maior serviet minori: sicut scriptum est: Iacob dilexi; Esau autem odio habui.* scilicet, *Malach. 1.* Sicut ergo per hæc significatur præelectionem ad Gloriam non fuisse ex meritis absolute prævisis; sic nec dānationem ex demeritis: atque adeo utramque antecedenter ad absolutam prævisionem meritorum, aut demeritorum. Si dicas verba Malachie non intelligi de electione Iacobi, & exclusionem Esau ab hæreditate æternæ Glorice; sed hæreditate temporali suæ domūs; occurrit oprimè Godoy *num. 4.* quidquid sit de sensu literali Malachie, Paulus certè sensum transtulit ad Spiritualia: & huic mystico sensui stare debemus iuxta Pauli mentem cum Sanctis Ecclesie Patribus.

Roman. 9.

Malach. 1.

Godoy.

27 Cæterum, stando sensui spirituali intento ab Apostolo, quàm procul distet hic locus ab scopo obijcientium, legere est apud Cornelium eviscerantem ibi genuinè sensum intentum à Paulo eā allegoriam, diversum utique ab accommodatione ad Prædestinationem Iacobi, & reprobationem æternam Esau: de quo certè nondum

Alapid.

dum constat fuisse damnatum. Admissā tamen in sensu saltem accommodatitio eā communiori intelligentiā de Prædestinatione, & Reprobatione, dico, exinde satis probari, electionem ad Gloriam esse non ex operibus, scilicet absolute prævisis, sed ex vocante, scilicet gratis: quia absolutissime gratuita est. At non sic probatur exinde reprobationem non esse ex operibus; id enim nec est è re, nec è mente Pauli: nec habet rationem gratiæ, cui repugnet esse ex operibus, ut est per se certum.

28 Ad summum itaque dici potest inferri exinde non esse ex operibus reprobationem negativam: quatenus nempe non præsuppositā absolutā prævisione meritorum prælegit Deus ad Gloriam aliquos, & alios nō sic prælegit: sed ex prævisione demeritorum decrevit damnare ad æternū supplicium. Nec quantumcunque exprimentur, & torqueantur, aliquid amplius significare possunt Apostoli verba. Dices: vocem illam: *odio habui:* significare positivum decretum dānationis singulariter odiosum reprobis. Respondetur tamen phrasim esse tritam in Sacris Litteris *odio habere* pro negligere, seu non amare, seu minus diligere. Sic *Gen. 29.* dicitur Lia à Iacobo: *Odio habita:* id est, *neglecta,* aut minus amata præ Rachele. Et *Luc. 14.* iubemur *odisse* Patrem, Matrem, Vxorem, &c. id est, negligere, præ animam; aut minus amare, quàm animam. Ad hunc ergo modum intellige odio habitum Esau, & in illo significatos reprobos antecedenter ad demerita, id est, *non dilectos,* seu *non electos;* sicut Prædestinati significati in Iacob. Hæc autem est Reprobatio negativa, de qua non est quæstio: sicque relinquitur aptissimè ad mentem Pauli locus veritati conclusionis nostræ: quod nempe decretum dānationis ad æternū supplicium, in quo decreto stat reprobatio positiva, non est nisi ex demeritis absolute prævisis. Plura Cornel. in eum Pauli locum, & Petavius *lib. 10. cap. 1.*

Gen. 29.

Luc. 14.

Alapid. Petav.

Rom. 9.

29 Sexta obiectio. Nam ibidem subdit Apostolus, quod *Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum:* & utitur exemplo figuli: *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem; aliud verò in contumeliam?* Similiter ergo

potest Deus prælibito, ac prædominio suo, non præsuppositā prævisione meritorum, & demeritorum alios ad Gloriam prædestinare; alios verò deijcere ad interitum æternæ poenæ. Respondetur hanc consequentiam non inferri legitime ex Textu Pauli. Tota namque Textus veritas stat rectissime cum eo quod Deus positivè reprobaverit impios ex absolutā prævisione peccati finalis: sic enim satis ostendit potentiam suam simul cum patientia non repugnantem clementie. Nec est ibi verbum, quod oppositum persuadeat. Quod si de Pharaone iudicat ibi Paulus, Deum illi permisisse peccata, & duritiam cordis: *ut ostendam in te virtutem meam, & ut annuncietur nomen meum,* scilicet per punitionem; non est quia Deus permittat peccatum ex fine punitionis: non enim est laus, nec perfectio iusticie intendere punitionem; sed illam velle ob alios fines decentissimos, impellente tamen prævisione delicti. Est tamen stylus Scripturæ, significare quasi finem, id, cuius occasione res fit, quamvis non ex eius intentione fiat.

30 Septima. Quia S. Thom. *quest. 23. art. 5.* ait. *Quare hos eligat ad Gloriam, & illos reprobet, non habet rationem, nisi divinam voluntatem.* Quemadmodum ergo Deus eligit aliquos, quia vult, non præsuppositā absolutā prævisione meritorum, reprobat alios non nisi quia vult, non præsuppositā absolutā prævisione demeritorum. Respondetur negando consequentiam de reprobatione positivā: & S. Thomam intelligendum de negativa: ne sit contrarius Augustino *cit. num. 17. & 23.* aliter, & aliter loquenti de causā Reprobationis, ac Prædestinationis ex parte nostra. Quidquod S. ipse Thom. explicat se distinctissimè *lect. 2. ad cap. 9. Roman.* dicens conformiter ad Augustin. *Præscientia meritorum non potest esse aliqua ratio Prædestinationis; sed præscientia peccatorum potest esse aliqua ratio Reprobationis.* Nec patitur hæc antithesis S. Thom. effugium Illustrissimi Godoy ad decretum dānationis purè exequutivum, nullatenus approbandum ab Augustin. & Thom. quibus adhæsit Concilium Valentinum *cit. num. 16.* Nec obeft, quod alibi dixerit S. Thom. Deum voluisse ostendere bonitatem suam, quantum ad aliquos, quos reprobat per modum iusticie puniendo.

S. Thom.

Augustin.

S. Thom.

Godoy.

Non

S. Thom.

Non enim propterea dicit Deum id velle, non præsuppositâ absolutâ prævisione demeritorum: contra quod ipse docet ubi supra, & *quest. 6. de Verit. art. 1.*

## SECTIO IV.

*An divinum decretum reprobationis positivæ sit ab æterno intrinsecè efficax, & absolutum?*

31 **D**iximus, huiusmodi decretum haberi à Deo ex absolutâ prævisione demeritorum: quia nempe per Scientiam. Visionis prævidet absolutè finale peccatum. Qua doctrinâ inter nostros suppositâ, docet singulariter P. Borrull *sect. 2.* eiusmodi decretum positive reprobativum; habitum à Deo ex præsuppositâ absolutâ prævisione demeritorum, non esse ab æterno ab intrinsecò absolutum; sed conditionatum: si nempe homo finaliter in peccato decesserit: nec absolutè denominare Deum decernentem punitionem, donec adimpletur in re conditio peccati finalis & decessus in peccato. Movetur autem multipliciter.

32 Primò. Quia si tale decretum esset ab æterno absolutum, esset iniustum: nam iniustum est damnare absolutè hominem ab æterno pro delicto non commisso ab æterno: cum constet, neminem absolutè posse damnari ante causam cognitam, & existentem.

33 Secundò. Quia peccatum dum nondum est, non reddit hominem dignum odio, & pœna, qua reddet quando erit: ergo sententia condemnans absolutè hominem, antequam peccatum reipsâ sit, non posset non esse iniqua: condemnaret enim hominem nondum dignum tali condemnatione. Maximè: quia cum peccatum nondum actu existit, homo est iustus, & in Gratia: sicque illum absolutè condemnare, esset absolutè condemnare iustum, & amicum: quod, præterquamquod est iniustum, stare nequit cum amore amicitie divinæ.

34 Tertiò. Quia Deus adhuc præsuppositâ absolutâ prævisione peccati, nequit anticipare pœnam ad culpam: ergo neque absolutam sententiam pœnæ. Nam homo ante commissionem culpæ innocens est; & sicut non meretur pœnam, ita nec sententiam pœnæ: quæ quidem sententia iam induit rationem pœnæ.

35 Quartò. Quia nequit tempore Deus anticipare ad commissionem peccati odium suum inimicabile contra peccatorem: ergo neque sententiam, seu decretum absolutum damnationis æternæ. Peccatum enim æquè meretur odium divinum inimicabile, & damnationem: & sicut Deum odisse inimicabiliter hominem, ante peccatum quo reipsa offenditur, redolet, ac præferet malevolentiam Deo indignam; sic etiam damnare per absolutum suum decretum hominem ante peccatum, quo fit reipsa dignus damnatione, redolet, ac præferet favitiam, & crudelitatem alienam à Dei pietate, & clementia.

36 His videtur Patri Borrull concludi, decretum Dei æternum damnativum non esse ab æterno absolutum; sed conditionatum: in hunc sensum: *Homo, qui finaliter peccaverit, morte moriatur æternâ: reddi autem absolutum in tempore, positâ per hominem conditione sui peccati finalis: taliter ut postea non sit opus novo decreto ad infligendam pœnam.*

37 Pia videntur hæc. Sunt tamen minime vera, & contra communem ac omninò tenendam Sententiam Theologorum contestantium, aut supponentium, decretum Dei æternum reprobationis positivæ esse ab æterno intrinsecè efficax, & absolutum: pro quo videri potest Aldrete *disp. 13. de Volunt.* Nec oppositum satis probant argumenta Patris Borrull.

38 Ad primum enim negatur, id esse iniustum. Iniustum quidem esset hominem pro delicto non commisso ab æterno, damnari absolutè à Deo ab æterno ad pœnam sustinendam ab æterno; at Deus non sic damnat; sed ex absolutè prævisio & cognito delicto ad pœnam infligendam post commissum delictum. Quod ab omni iniustitia procul est.

39 Ad secundum, concessò antecedente, negatur consequentia. Quamvis enim iniquum esset, damnare hominem ad sustinendam, antequam sit dignus; non verò ad sustinendam, postquam dignus sit: maximè, si Iudex optimè cognovit omnia, & prævidit dignitatem pœnæ, & nequit ex perfectione sua incipere habere in tempore decretum damnativum. Talis autem est Deus. Nec obest status Gratiæ, & amicitie divinæ: quia non à Deo damnatur, nisi ad pœnam sustinendam, postquam per peccatum amisit Gratiam, & amicitiam.

Ad

40 Ad tertium, concessò antecedente, negatur consequentia. Alioquin maneret homo indemnis, & impunis: cum nequeat Deus incipere habere in tempore decretum damnativum, quod ab æterno non habuerit. Ad probationem dico, sententiam secundum se non esse pœnam; sed causam pœnæ, quæ est effectus sententiæ: solumquè dici posse pœnam terminativè, & relatè ad eius obiectum pœnale. Verum autem est, hominem ante commissionem culpæ esse innocentem: & nec mereri pœnam, nec sententiam pœnæ: fit verò dignus pœnâ, & sententiâ pœnæ, quando in tempore committit culpam. Cum autem Deus non possit in tempore incipere habere decretum sententiæ, quod non habuerit ab æterno; fit homo dignus in tempore non quidem sustinendi pœnam ab æterno, sed pœnam in tempore, quam Deus, aliter impotens decernere, decrevit ab æterno ex certissimâ, & absolutâ prævisione culpæ committendæ in tempore ante inflictionem pœnæ, quæ est effectus sententiæ æternæ Dei in uno genere; & in alio effectus culpæ.

To. de Deo  
disp. 14.

41 Ad quartum, communiter Authores negant antecedens: sed quam difficulter id varijs viis negent, vidimus *disp. 14. de Attrib. sect. 3.* Ex ibi dictis, concessò antecedente cum P. Suarez negamus consequentiam. Quia odium inimicabile Dei est pœna peccati, decretum vero, seu sententia pœnæ, talisque odij divini, quamvis sit in pœnam, hoc est, in ordine ad pœnam, non tamen est pœna peccati; sed est volitio pœnæ inductiva pœnæ, & odij inimicabilis in tempore incipientis, ut ab obiectibus defendimus ibidem *sect. 5.* Volitio autem pœnæ non est pœna, sicut nec est præmium volitio præmij, quamvis sit in ordine ad præmium: alioquin dictæ volitiones facerent Deum ab æterno præmiatorem, aut punientem, sicut faciunt volentem præmium, aut pœnam. Nego tandem hoc redolere, aut præferre malevolentiam Deo indignam; cum non nisi ex absolutâ prævisione decernat Deus pœnam damnationis, non infligendam nisi post peccatum in re commissum: non est enim nisi perfectissima necessitas decreti divini essendi ab æterno, si aliquando extitum est, pertinens ad irrevocabilitatem, & ad Attributum divinæ immutabilitatis in decernendo: ut expendimus *loc. cit. de Attrib.*

42 Tam sic depulsis rationibus contrarijs, ratio nostra pro communi sententia est. Primò: quia eiusmodi decretum dumtaxat conditionatum damnandi hominem, si decesserit in peccato, non est cur non sic posset haberi à Deo ante absolutam prævisionem demeritorum: Oleum ergo, & opera perditur in comprobando contra Thomistam decretum divinum Reprobationis positivæ nec esse, nec posse esse in Deo, non præsupposita absoluta prævisione demeritorum.

43 Secundò: quia eiusmodi decretum conditionatum Reprobationis positivæ haberi similiter posset à Deo erga Prædestinatos. Modus enim ille decernendi, comminandi, seu volendi, quod *qui finaliter peccaverit, morte moriatur æternâ*, si conditionatus dumtaxat est ab æterno, solum vult de singulis, quod damnentur si moriantur in peccato finali: sicut è diverso modus divinis decernendi, promittendi, aut volendi quod *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*, solum vult de singulis, quod salventur, si finaliter perseverent. Quemadmodum ergo iste modus conditionatus haberi potest à Deo etiam circa reprobos; sic & ille circa Prædestinatos: ergo nequit in illo stare specialis ratio decreti reprobativi.

44 Tertiò: quia exinde fieret ulterius, quod Deus ex intrinsecis suæ divinæ voluntatis nihil omnino intrinsecum quoad affectum, seu denominationem diceret erga Reprobos, quod non diceret erga Prædestinatos, quandoquidem ad supradictum affectum conditionatum sola superadderetur ex parte reproborum adimpletio conditionis peccati finalis, quæ quidem extrinseca Deo est. Vnde, erga Luciferum, & Iudam reprobos, quoad intrinsecum affectum Dei nullum decretum intrinsecè damnativum esset in Deo, quod simul non esset, aut esse posset circa Prædestinatos, circa Michaellem, circa Baptistam, erga B. Virginem. Hoc autem nefas esse videtur ex terminis.

45 Quartò tandem: quia id quod dicitur, decretum illud divinum damnativum ab æterno conditionatum, reddi in tempore absolutum per positionem conditionis, est æquivocatio manifestè falsa. Nam decretum conditionatum ex modo suo essentiali volendi est conditionatum, sicut scientia conditionata ex modo essentiali


Nu

tiali

tiali cognoscendi est conditionata. Vnde, sicut hæc non redditur absoluta per positionem suæ conditionis ; quia non variat modum suum essentialem cognoscendi, quamvis in nobis succedere possit nova cognitio ex modo suo cognoscendi absoluta ; similiter nec illud redditur absolu-

tum per positionem suæ conditionis; quia non variat modum suum essentialem volendi : quamvis in nobis succedere possit, & soleat nova volitio ex modo suo afficiendi absoluta : ut rectè proficitur P. Oxea disp. 5. de Charit. num. 64. & nos ex illo animadvertimus.

Oxea.



# DISPUTATIO XV.

## DE CAUSIS, ET EFFECTIBVS REPROBATIONIS.

**I** VC reducemus etiam nonnulla de voluntate divina salvandi omnes: ut clarius perspiciatur, quam procul sit Deus optimus à ratione causæ, cui attribui possit interitus Reprobatorum : iuxta illud Osee 13. *Perditio tua, Israel: tantummodo in me auxilium tuum: id est: Perditio tua ex te: ut est communis sensus apud Cornelium.*

Ose. 13.

Alapid.

### SECTIO I.

Quanam sint causa Reprobationis, tam positiva, quam negativa

**Q**Uæreretur causam Reprobationis negativæ, est quæreretur causam, seu rationem, cur Deus non prælegerit omnes ; aut cur non omnibus voluerit conferre auxilia, quæ prænovit efficacia fore ad perseverantiam finalem.

**3** Aliqui sumere tentant rationem à peccato originali præviso, quamvis in multis iam remisso: quia adhuc remissum quoad culpam, potest causare aliquam pœnam, atque adeo denegationem auxiliorum efficacium. Hoc tamen in primis valere nequit pro Angelis reprobis. Deinde nec rem concludit pro hominibus: nam ex una parte etiam seorsim à peccato originali potuit aliquos prædestinare, relictis alijs : qui quidem coipso essent negativè reprobi, id est, non prædestinati, sicut alijs: ex alia verò parte peccatum originale commune est ad reprobos, & prædestinatos: quo tamen præviso Deus aliquos prædestinat, & alios non.

**4** Idcirco communior est Theologorum sententia apud Suarez lib. 5. cap. 5.

Suarez.

Reprobationis negativæ non dari causam ex parte hominis ; sed revocari debere ad solam voluntatem Dei pro beneplacito suo eligenti aliquos; & non sic omnes: seu volentis, aliquibus conferre auxilia, quæ, si conferantur, prænovit efficacia fore, ne finaliter peccarent; alijs verò non sic volentis ea conferre. Et in hunc sensum capiendi sunt de reprobatione negativa S. Thom. & alij, quando dicunt, nec Prædestinationis, nec Reprobationis dari causam ex parte nostra; sed utramque reduci debere ad Dei voluntatem.

**5** Obstat videtur testimonium S. Prosperi resp. 3. ad Gallos dicentis de Reprobis : *Non necessitatem puniendi habuerunt, quia prædestinati non sunt; sed ideo non prædestinati, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præseiti sunt.* Vbi videtur Reprobationi etiam negativæ, expressè per illa verba: *Non prædestinati: dedisse causam ex parte Reprobatorum.* Respondet Suarez, ex contextu constare satis, loqui Prosperum de reprobatione positiva: quæ quia semper coniuncta est cum negativa, solet sapius per negationem significari.

Prosper.

Suarez.

**6** Mihi in primis verum est, Deum ad Reprobationem præcisisse negativam, hoc

hoc est, ad non eligendos aliquos ad gloriam ; seu ad non conferenda illis auxilia congrua, per quæ, si conferrentur, prænovit, quòd finaliter perseverarent ; non indignis causâ ex parte ipsorum. Hoc enim potuit Deus pro suo supremo dominio, quamvis non in pœnam, ob rationes sibi notas. Verum deinde est, in reprobis, qui originaliter peccaverunt, potuisse Deum denegare auxilia ulteriora congrua, sicque permittere peccatum finale ratione, & in pœnam originalis absolute prævisi, etiam quoad culpam remissi. Quòd enim originale fuerit etiam in multis Prædestinationis, probat quidem eam rationem culpæ originalis non necessitare Deum ad sic se gerendum, non verò probat non esse Deo sufficientem rationem. Verisimile tandem est, Deum sic se gessisse de facto erga reprobos. Sicque dici possunt dedisse in genere demeriti per originale causam suæ reprobationis negativæ, usque ad peccatum finale ; non vero ad primam permissionem originalis ; atque adeo non quoad omnem omnino seriem reprobationis exercitæ. Sic Suarez cit.

Suarez.

Supr. disp. 8.

Perez. To. de Grat. disp. 12. de Grat. sect. ult. & supra disp. 5. num. 34. quòd, quamvis homo finaliter peccans non sit causa per peccatum suum finale; cur Deus non contulerit ipsi auxilia, quibus prænovit, quòd si conferrentur, evitaretur; ac proinde cur medijs illis auxilijs non illum prædestinaverit; esse tamen in causa, cur positus à Deo per auxilium sufficiens in hac libertate non prædestinatus sit: & hoc modo causa reprobationis suæ negativæ: quatenus scilicet ex ipso est, quòd decreto divino conferendi hoc auxilium ad non peccandum finaliter, non accesserit divina Scientia Media, quâ

**7** Præterea opportuna mihi videtur ad loquendum in hoc puncto distinctio duplicis Prædestinationis ; Prælectivæ scilicet, quam explicuimus disp. 11. & diximus sect. 6. nec Deo, nec nobis esse necessariam ad assequutionem coronæ Gloriæ; & Augustinianæ, de qua disp. 8. 9. & 10. Loquendo de prima, ratio reprobationis negativæ: hoc est, cur Deus non eo modo efficaciter prælectivo alios prædestinaverit, petenda est ex sola divina voluntate ob rationes sibi notas, quæ nos latent. Loquendo tamen de secunda, respondendum est per aliam distinctionem perutilem, à nobis ex Anton. Perez observatam disp. 12. de Grat. sect. ult. & supra disp. 5. num. 34. quòd, quamvis homo finaliter peccans non sit causa per peccatum suum finale; cur Deus non contulerit ipsi auxilia, quibus prænovit, quòd si conferrentur, evitaretur; ac proinde cur medijs illis auxilijs non illum prædestinaverit; esse tamen in causa, cur positus à Deo per auxilium sufficiens in hac libertate non prædestinatus sit: & hoc modo causa reprobationis suæ negativæ: quatenus scilicet ex ipso est, quòd decreto divino conferendi hoc auxilium ad non peccandum finaliter, non accesserit divina Scientia Media, quâ

hoc est, ad non eligendos aliquos ad gloriam ; seu ad non conferenda illis auxilia congrua, per quæ, si conferrentur, prænovit, quòd finaliter perseverarent ; non indignis causâ ex parte ipsorum. Hoc enim potuit Deus pro suo supremo dominio, quamvis non in pœnam, ob rationes sibi notas. Verum deinde est, in reprobis, qui originaliter peccaverunt, potuisse Deum denegare auxilia ulteriora congrua, sicque permittere peccatum finale ratione, & in pœnam originalis absolute prævisi, etiam quoad culpam remissi. Quòd enim originale fuerit etiam in multis Prædestinationis, probat quidem eam rationem culpæ originalis non necessitare Deum ad sic se gerendum, non verò probat non esse Deo sufficientem rationem. Verisimile tandem est, Deum sic se gessisse de facto erga reprobos. Sicque dici possunt dedisse in genere demeriti per originale causam suæ reprobationis negativæ, usque ad peccatum finale ; non vero ad primam permissionem originalis ; atque adeo non quoad omnem omnino seriem reprobationis exercitæ. Sic Suarez cit.

Deus prænovit, quòd, si conferretur ei hoc auxilium, non esset finaliter peccaturus. Quem in modum exponemus disp. Infr. disp. seq. sect. ... dictum illud : *Si non es prædestinatus, fac ut prædestineris.*

**8** Iam, agendo de Reprobatione positiva, causam, seu rationem illius ex parte Reprobi esse suum peccatum finale, constat ex SS. Augustin. & Thom. & ex Concilio Valentino disp. præced. sect. 2. & 3. & ex rationibus, quibus ibi probatum est, Deum non habere decretum positivè reprobativum, seu damnationis aternæ, nisi ex absoluta prævisione peccati finalis. Alia peccata Reprobi antecedentia ad finale, tam remissa, quam irremissa, tam mortalia, quam venialia possunt etiam dici causa reprobationis positivæ, quatenus fuerunt radix, & causa veniendi ad mortale finale : & irremissa quidem, quatenus decretum damnativum vult pœnam aternam illis quoque correspondentem, & augmentem pœnam, quæ soli finali corresponderet.

### SECTIO II.

An & qualis verè sit in Deo seria voluntas salvandi Reprobos: non solum signi, sed etiam beneplaciti?

**9** UT plenius intelligatur, quam sit longè Deus à voluntate, cui possit ex se primò tribui Reprobatio positiva, five dampnatio creaturæ, venit hoc in loco declaranda voluntas eius seria, qua vult omnes homines salvos fieri, atque adeo illos etiam ; qui non salvantur, scilicet reprobos. Circa quam exagitat doctè Ribadeneira disp. 6. & 7. sequentes difficultates.

1. Timot. 2.

**10** Primam : an ea Dei voluntas salvandi reprobos sit dumtaxat signi; an etiâ beneplaciti. Dicit solet voluntas signi, quæ verè & in re non est in Deo ; significatur tamen quasi esset : ex effectu scilicet aliquo, qui solet arguere in nobis eiusmodi voluntatem reipsa existentem. Sic in Scripturis tribuitur Deo ira, dolor, tristitia, pœnitudo; cum tamen in Deo huiusmodi affectus verè & propriè non sint. *Voluntas beneplaciti* dicitur, quæ reipsa verè est in Deo, ut voluntas condendi mundum, creandi hominem, & salvandi Prædestinatos.

**11** Iam ergo voluntatem divinam salvandi

Nu 2

yandi

vandi reprobos non esse voluntatem beneplaciti, sed tantum signi existimarunt Banez, Alvarez, Zunel, Legionensis, alijque apud Ribadeneiram *num. 3.* Nituntur in eo præcipue; quod existiment repugnare in Deo reipsâ dari voluntatem, quæ non impleatur, & non obtineat omnem finem suum: cum autem voluntas illa salvandi eos, qui reipsâ non salvantur, non adimpleatur, nec obtineat hunc finem, nequit esse voluntas verè existens in Deo, quamvis sic quodammodo significetur. Caterum eam horum AA. existimationem esse prorsus falsam vidimus *disp. 1. sect. 5.* ubi respondentium satis est ad eius rationes.

12 Dicendum omnino est cum S. Thomâ, Suarez, Vazquez, & communiori sententia; eam voluntatem, qua Deus vult omnes homines salvos fieri, esse voluntatem beneplaciti, verè, ac propriè existentem in Deo. Pitra Petavius *lib. 10. à cap. 3.* Ripald. *tom. 3. disp. 23. à sect. 17.* Quiros *disp. 19. & Ribadeneira disp. 6. cap. 4.* Durum enim est, parumque pium, ut expendit optimè Suarez, dicere, aut cogitare, Deum verè non voluisse salvos fieri eos, pro quorum salute mortuus est: est autem de Fide mortuum esse pro ijs etiam, qui non salvantur. Id præsertim attestante Deo ipso in prædictis Pauli verbis: quæ quidem clarissima cum sint, nostram expriment conclusionem: & in sensu proprio intelligenda sunt ex Augustini regula: quod Scriptura in sensu proprio capiatur, ubi clarum non obstat inconveniens.

13 Dices, eundem Augustinum ea Pauli verba sic varijs in locis intellexisse, ut ea Dei voluntas impleatur: ergo quia sensit, non esse verè, ac propriè in Deo circa salutem reproborum; cum certum sit circa eos non impleri. Respondetur verum esse antecedens. At in illis locis, aut loquebatur Augustin. de voluntate illa divina, quatenus pro aliquibus est efficax, ut exponit S. Thom. aut, si loquutus est, prout est quoad omnes, mutavit postea sententiam monitus ab Hilario, ut colligit Suarez *lib. 4. cap. 1. ex Prospero dicente pro August. Magistro suo: Qui dicit, quod non omnes homines vult Deus salvos fieri, durius loquitur, quam loquendum est de altitudine inscrutabilis gratiæ Dei.*

14 Secunda difficultas. An eiusmodi divina voluntas salutis reproborum sit efficax? Respondetur non esse simpliciter ef-

ficacem; esse verò secundum quid. Explicatio. Est secundum quid efficax: quoad aliqua media, quæ reipsâ infert ad salutem reproborum; imò & quoad alios fines, qui reipsâ obtinentur sic à Deo, ut diximus *disp. 1. sect. 5.* Non verò simpliciter, & plenè: quia finem Gloriæ, quem intendit, non obtinet quoad reprobos.

15 Nihilominus tamen quoad finem etiam Gloriæ reproborum vocatur ab aliquibus aliquantulum efficax. Vno modo, *conditionaliter*: cum absque alia voluntate sit sufficiens ad conferendam reipsâ Gloriam reprobis, si perseverarent: ut colligit Ribadeneira *num. 13. ex divinis promissionibus.* Alio modo, *quantum ex Deo est*: quia non utcumque bene afficit Deum erga Gloriam reproborum; quin etiam taliter, ut reipsâ Gloriam illis obtineret per auxilia, quæ vult adhibere, & adhibet, nisi resisteret aliena determinatio. Sic Ribaden. *num. 17. ex Ripald. cit.*

16 Tertia difficultas: an eiusmodi Dei voluntas salutis reproborum sit in Deo seria, ac vere ex animo? Respondetur affirmativè ex nuper dictis. Vnde non est ad instar simplicis velleitatis; sed est verum, & absolutum desiderium. Explico, & probo. Vult unus ire Romam simpliciter velleitate: desiderat alius ire Romam taliter ex parte sua adhibens ad id multa media, ut cum huiusmodi desiderio stare nequeat, quod ipse ex propria determinatione à proposito desistat. Vult ire tertius plenè efficaciter: taliter nimirum ut cum hoc suo desiderio stare nequeat ullatenus impediri, quoad ipse possit. In volendo salutem reproborum habet se Deus secundo modo: atque adeò non per modum simplicis velleitatis: quia dicitur *Prov. 13. vult, & non vult piger*: sed quasi ex animo dicens: *utinam salvi fiant omnes, nec obstat determinatio sua, huic desiderio meo.*

17 Dices, videri imbecillitatem intendentis intendere finem, quem non assequitur. Cum igitur Deus non assequatur finem Gloriæ reprobis, dicendum est, illam revera ac seriò non intendisse, nec voluisse. Respondetur: procul id esse à nota imbecillitatis, quando sic intendens, aut volens sic intendit pro libito suo, potens utique, si veller, aliter intendere, & assequi finem. Vnde nulla est consequentia.

18 Dices iterum. Vel Deus per eiusmodi

modi voluntatem desiderans finem Gloriæ, potest illum assequi; vel non potest? Si non potest; ecce imbecillitatem indignam Deo: si potest; ergo voluntas illa non est ex animo, & seria: qui enim seriò vult, & potest, facit. Respondetur, posse, iuxta præiorem partem dilemmatis: & negatur illatio: cuius rationem distingo: qui seriò vult plenè efficaciter, concedo; qui non ita, nego. Nam modus serius desiderandi medius inter simplicem velleitatem, & desiderium plenè efficax, optimè intelligitur, ut explicuimus *num. 16.* eo ipso quòd adhibeat media, quibus obtineretur finis, nisi obstat determinatio alterius voluntatis: cui præsertim ad alios fines expedit dare facultatem liberam obtinendi finem illum sibi convenientissimum.

19 Dices tertio. Non seriò vult Deus Gloriam reprobi per media, quæ non confert, ut est certum. Deinde nec per media, quæ confert: ergo per nulla. Probatur secunda pars: quia certò scit Deus, per hæc media non esse obtinendam Gloriam à reprobo: nec posse, non volente homine, obtineri: aut ergo imprudentia esset, aut imbecillitas velle Gloriam per hæc media: conferat ergo Deus alia media; aut non intendat, nec velit finem Gloriæ reprobi. Respondetur negando secundam partem. Ad probationem, concessio antecedente, negatur consequentia. Nam ea Dei notitia neutiquam obstat seriæ suæ intentioni: in quam utique minimè influit: Deus enim non intendit finem Gloriæ per illa media, quia norit non profutura; sed quia novit esse sufficientia, quamvis vitio reprobi non profutura ad finem Gloriæ reipsâ consequendum. Quod reprobo ipsi imputandum est; Deus verò nullo iure obligandus ad alia conferenda.

20 Dices tandem. Illa Dei voluntas vel terminatur ad Gloriam reprobi, ut possibilem: & hoc non; quia hæc terminatio est necessaria; & illa Dei voluntas est libera. Aut terminatur ad Gloriam reprobi, ut existentem, vel ut absolute futuram: & neque hoc: quia talis Gloria nec est, nec erit: nullo igitur modo Deus illam verè, ac seriò vult. Respondetur cum Vazquez apud Ribaden. *num. 33.* terminari ad Gloriam possibilem, ut existentem: desiderando scilicet, quòd existat. Quoniam verò ea libera Dei voluntas ex mo-

do suo tendendi non id desiderat plenè efficaciter, non infert talem Gloriam existente, aut extitura esse. Sic æger, proposita sibi sanitate possibili, quæ re ipsâ non existet, desiderat eam ut existentem: non secundum existentiam, quam habeat, quando desideratur: tunc enim solum habet intentionalem, quam æger non desiderat; sed secundum existentiam realem, quam haberet, si obtineretur à parte rei: quod desiderat æger. Vnde, concessa secundâ parte dilemmatis, negatur consequentia.

### SECTIO III.

An prædicta Dei voluntas sit Reprobis benevola, & benefica?

21 Vtrumque affirmandum est omnino. Quia per eiusmodi voluntatem, gratuito, ac misericorditer à Deo habitam, vult Deus Reprobis sincerissimè bonum Gloriæ, & ex hoc fine multa bona gratiæ suæ: ecce benevolentiam. Deinde multa gratiæ dona re ipsâ adveniunt Reprobo ex illa suæ salutis voluntate: ecce beneficentiam. Hoc posterius punctum tetigimus, ac defendimus *disp. 12. de Grat. sect. 6.* Ex ibi dictis, & ex legendis apud Aldretum *disp. 12.* Ribadeneiram *disp. 7. & 8.* & Esparzam *quæst. 5. de Incarn. ad 3.* ab utroque nos hic breviter expediemus.

22 Obijcies. Deus ex eiusmodi voluntate volens conferre reprobo auxilia, præsciens fore inefficacia ad perseverandum, & ad Gloriam promerendam, & assequendam; præcipit simul eidem, ut perseveret, & Gloriam sibi promereatur, & assequatur: ergo eiusmodi Dei voluntas in ijs circumstantijs, nec est reprobo benevola, nec benefica. Antecedens est ex concessis in facto. Consequentia probatur: quia non est benevolentia erga hominem, nec est beneficentia velle homini quod beneficium ipsi non est: sed in prædictis circumstantijs Deum sic se gerere cum homine, non est ipsi beneficium: ergo divina voluntas sic se gerendi cum homine non est benevola, nec benefica homini. Probatur minor: quia non est beneficium homini id quod melius esset homini non esse, quam esse: sed in prædictis circumstantijs melius esset reprobo id ex tali Dei voluntate non esse, quam esse: ergo id non esset tali

To. de Grat. ti. disp. 12.

Bañez.  
Alvar.  
Zunel.  
Legion.  
Ribaden.

Supr. disp. 1.

S. Thom.  
Suarez.  
Vazquez.

Petavius.  
Ripald.  
Quiros.  
Ribaden.  
Suarez.

Augustin.

S. Thom.

Suarez.

Prosper.

Ribaden.

Ripald.  
Ribaden.

Prov. 13.

Vazquez.  
Ribaden.



tali homini beneficium. Minor hæc patet: quia homini reprobo melius esset abs dubio nullum auxilium in ijs circumstantijs habuisse, quo denegato saltem non peccaret; melius, eiusmodi voluntatem in Deo non fuisse; quinimò & melius, ipsum nunquam extitisse: iuxta illud Christi ad Iudam reprobum Matth. 26. *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille: id est melius, ut ex phrasi Hæbreorum, qui non utuntur comparativis, exponit S. Hieron. apud Alapid. Cornel. ibi.*

23 Respondetur, concessio toto antecedente, negando consequentiam. Ad probationem, concessa maiori, negatur minor. Ad cuius probationem distinguitur minor: melius esset homini id ex tali Dei voluntate non esse, quàm esse, spectatis ijs terminis secundum se, seorsim à circumstantia libera homini sui mali usûs, negatur minor: coniunctim cum circumstantia homini libera, ipsique imputanda sui mali usûs, concedo minorem, & nego consequentiam. Sic in eodem exemplo Iudæ, si secundum se spectentur nasci, aut non nasci, bonum erat ei nasci, & melius quàm non nasci: nasci verò, & finaliter impenitere, & tandem, ex culpa, non Deo benefactori, sed Iudæ male utenti beneficio imputanda, damnari; nec melius, nec bonum erat ei: quin tamen proinde nasci desinat esse beneficium creationis. Similiter ergo ad probamentum ultimæ minoris dico, homini reprobo illa omnia esse ipsi secundum se beneficia, & ex voluntate benevola Dei: quia bonum, ac melius est homini secundum se habere à Deo auxilium quo possit salvari, quàm non habere; & in Deo fuisse voluntatem quod salvetur, quàm non fuisse; & ipsum extitisse, quàm non extitisse: quod autem hæc Dei beneficia coniuncta cum malo ipsius usûs fiant ipsi ex culpa sua quid nec melius nec bonum, sibi imputet; at certè non tollit ab illis rationem beneficij, nec ab eiusmodi Dei voluntate rationem benevolentia.

24 Vergebis. Electurus unum è duobus non esset homini benevolus, nec beneficus, eligens id, quod pensatis cunctis circumstantijs minùs expedit homini. Atqui cum circumstantia quòd homo reprobus possit eiusmodi Dei voluntate, auxilijs, & præcepto, peccaturus est, & damnandus, minùs expedit homini reprobo

totum id habere, quàm non habere, & ipse omnium concius prudenter eligeret sibi totum id non habere, quàm habere: ergo Deus totum id certò sciens, & alterutrum facturum erga hominem, non est benevolus, & beneficus erga talem hominem, eligens, quòd totum id habeat. Omis- sis aliorum solutionibus.

25 Respondetur distinguendo maiorem: si id secundum se, & citra culpam ipsius minùs expedit homini, concedo: si minùs expedit homini ob circumstantiam vitio suo appositam, & ab eligente non intentam, nego maiorem: & distinguo minorem: minùs expedit homini totum id non habere, quàm habere, ob circumstantiam vitio suo appositam, & ab eligente non intentam, concedo; citra illam, nego minorem, & consequentiam: quia quod ex culpa sua totum id vertatur in malum ipsius, fiatque minùs eligibile totum id habere, quàm non habere, non tollit, quominus Deus totum præsciens, volens, & eligens quod bonum est, & nullatenus intendens malum, imò intendens circumstantiam boni consensus, & evitacionis peccati, & damnationis, benevolenter; ac beneficè se gerat erga illum hominem. Quod autem homo ipse reprobus prudenter sibi eligeret totum id non habere, quàm habere; iam hoc est ex vitio ipsius: quia nempe malus ipsius usûs facit, ne totum illud complexum sit prudenter eligibile, & honeste volibile: & reverà prudentius erat sibi eligere eam Dei voluntatem, & auxilia, & evitacionem sui mali usûs, quem ipse vult, & Deus præscire quidem potest; velle tamen non potest.

#### SECTIO IV.

*An ex prædicta seriâ voluntate provideat Deus omnibus, etiâ Reprobis, mediâ sufficientia ad salutem. Remissivè?*

26 **R**emissivè, inquam; quia de hoc regi distinctim, & ex professio disp. 12. de Gratia partim contra Hæreticos; partim contra Scriptores aliquos Catholicos respectivè cum debito discrimine, ut fas est.

27 Ibi à sect. 1. usque ad 5. monstravi contra Jansenianos, in statu etiâ naturæ lapsæ, in quo versamur, dari hominibus à Deo

Deo auxilia gratiæ verè sufficientia, quæ tamen efficacia non sunt. Quod ad reprobos etiam, ut perseverent, aut ne finaliter peccent, extendendum est: cum Christus pro omnibus, etiam reprobis, mortuus sit; ut contra Jansenium definiit Innoc. X. 28 Sect. 7. obstinatis etiam & excæcatis probavi adesse per Christum auxilia sufficientia ad salutem, dum in via sunt; ex voluntate scilicet illa, qua vult Deus omnes homines salvos fieri.

29 Sect. 8. & 9. defendi, ex eadem Dei voluntate generalissimâ adesse auxilia sufficientia gratiæ per Christum negativè etiam infidelibus, Ethnicis, & Barbaris, quantumvis à Fide remotis.

30 Sect. 10. explicui modum, quo ex illâ voluntate salvandi omnes providit Deus auxilia quoque sufficientia gratiæ per Christum pro Parvulis absque Baptismo decedentibus. Non quidem in se ipsis; cum incapaces sint illustrationum & inspirationum institutarum ad honestè, ac meritorie agendum; sed in alijs adultis in ordine ad ipsos.

31 Sect. 11. explicui, quibus temporibus adsint singulis auxilia sufficientia gratiæ: ex illâ nimirum generalissimâ Dei voluntate salvandi omnes: ut dicere iure valeat omnino nullus; per Deum abest.

32 Et tandem sect. 12. explicui verum, germanumque sensum celebri Axiomatibus: *Faciendi quod est in se, Deus non denegat gratiam: cuius expositio desiderari posset in præsentibus Disputationibus, nisi ibi fuisset exactè pertractata.*

33 Ex quibus omnibus consecrarium nobis pergratum est, Sacris Scripturis, Sanctisque Ecclesiæ Patribus maxime consentaneum; Deum optimum ex voluntate illa sua salvandi omnes, omnibus omninò viatoribus conferre auxilia suæ gratiæ per Christum sufficientia, quibus salvari possint, & quidem ex fine, ut salventur: Adultis quidem in se ipsis, Parvulis verò in alijs. Ita Card. Bellarm. lib. 2. de Gratia cap. 5. Suarez de Reprobatione cap. 1. 2. 3. & 4. Lessius disp. 6. de Prædest. Valentia 1. 2. disp. 8. & quoad Adultos consentit Vazquez disp. 96. & communiter Auctores nostri.

34 Nec satisfacit Illustrissimus Godoy id cum alijs doctissimæ lux Scholæ Theologijs sic intelligens disp. 70. §. 4. ut non omnibus reprobis Adultis viatoribus

dentur auxilia sufficientia ad salutem, prout dare correlativum est ad recipere; sed prout dari est præcisè offerri: sicque ait non omnibus conferri, sed offerri auxilia sufficientia, ut salventur. Cum autem id quod offertur, dum non confertur, verè non habetur ab homine, sicut nunc verè non habemus Gloriam, quavis promissam, & oblatam, nondum tamen collatam; sequitur de primo ad ultimum, multos homines viatores à Christo redemptos absolutissimè non habere auxilia gratiæ per Christum adhuc sufficientia ad salutem.

35 Theologia profectò nimium undequaque difficilis. Dicunt, auxilium sufficiens (iam enim non loquimur de prædeterminativo efficaci) omnibus offerri à Deo; sed non omnibus conferri. Scire vellem: an illa Dei oblatio, nondum collato auxilio sufficienti, verè præstet, quòd homo pro libito suo possit facere conferri sibi auxilium sufficiens oblatum; aut id verè non præstat? Si id præstat: ergo antecedenter ad omne auxilium gratiæ sibi collatum, & in se receptum, est iam homo verè potens salutariter operari, sibi que comparare pro libito suo collationem primæ auxiliij gratiæ: quod vergit in Pelagianismum, & est recedere à principijs Theologicis, ex quibus unanimiter negamus, dari posse ex parte nostra causam nostræ Prædestinationis quoad primum auxilium, ut vidimus disp. 1. sect. 1. Sup. disp. 1. Si verò id non præstat, ut est necesse dicere; ergo oblato & nondum collato auxilio sufficienti, nondum est homo potens operari suam salutem, nec agere quidquam salutare: quomodo ergo obligari valet ad vere poenitendum, ad perseverandum, & ad salvari? Unde argumentamur sic: omnis homo, quandiu est in hac vita, potest salvari: alioquin esset iam extra statum salutis, similis in hoc damnatis, ac demonibus: sed salus hominis non est possibilis, nisi per gratiam: ergo saltem sufficientem debet habere, quandiu est in hac vita.

26 Respondet Godoy num. 79. ex Godoy. Bañez concedendo maiorem, & minorem, Bañez. & negando consequentiam. Atque in primis retorquet difficultatem in hoc syllogismo: *Omnis homo, quandiu est in hac vita, potest credere: sed non potest credere, nisi per gratiam: ergo homini confertur gratia ad credendum sufficiens: quasi ab omnibus neganda*

Innoc. X.

Matth. 26

Hieronim. Alapid.

Bellarm. Suarez. Lessius. Valent. Vazquez.

Godoy.

To. de Gratia. disp. 12.

da sit consequentia, concessis præmissis. Deinde dat suam rationem: *Quia ut homo dicatur potens salvari, sufficit, quod, licet non habeat gratiam dantem potentiam; possit tamen illam recipere, & Deus possit illam conferre: &, quia, licet homo gratiam sufficientem ad salutem non habeat, potest tamen, quandiu est in hac vita, recipere illam; cum potentia obedientiali ad illam recipendam gaudeat, & Deus possit illam infundere, consequens fit, quod verè dicatur, omnem hominem, quandiu est in hac vita, posse salvari; & nihilominus, quod non omnis homo gratiam sufficientem supernaturalem recipiat.* Hæc Illustrissimus Godoy; idemque ferè Gonetus in Manuali ad finem Tractatus quinti.

27. At quod hæc exciderint à Sapientissimis Authoribus Godoy, & Gonet, haud possum non mirari. Profectò, aliud est, hominem esse potentem salvari; & aliud valde distinguibile est, posse à Deo fieri potentem: sicut aliud est, hominem non cæcum posse videre; & aliud est, hominem cæcum à Deo fieri potentem videre. Hæc autem velle confundere, est plusquam cæcutire. Sic ergo homo habens sibi collatum auxilium sufficiens est vere potens salvari; qui vero tale auxilium nondum habet sibi collatum, quantumvis oblatum, verè non est potens salvari, nisi habeat in sua manu conferri sibi auxilium oblatum: sicut absolute non est potens videre cæcus, quamvis sit capax recipiendi à Deo potestatem videndi: & sicut non esset potens salvari homo qui nec collatum, nec oblatum à Deo haberet auxilium sufficiens, quamvis esset capax, cui à Deo offerretur, & conferretur. Quenam ergo est ista potestas salvandi, quam ij Authores concedunt homini non habenti à Deo collatum auxilium sufficiens? Certè non alià quam concedunt ad videndum homini cæco. Ideo Illustrissimus Tapia per has doctrinas discurrrens tom. 2. *Caten. Moral. lib. 1. quæst. 4. art. 4.* rotundè pronunciat, quod *infideles pure negativi non possunt de lege ordinaria salvari.* Consequenter quidem; sed non ad verum. Nec ad mentem, ut reor, S. Thom. 3. p. quæst. 86. art. 1. *Corp. disertè pronunciantis: Dicere quod aliquod peccatum sit in hac vita, de quo quis penitere non possit, erroneum est.*

28. Vnde procedimus sic. Nullum peccatum est in hac vita, de quo quis pœ-

nitere non possit: & quidem salutariter: de pœnitentia namque salutariter pro remissione peccatorum loquitur clarè S. Thom. oppositum censens erroneum. Quomodo ergo cum hoc stat, quod infideles negativi, qui quidem in hac vita sunt, & ratione ac libertate utuntur, nec incapaces sunt sicut parvuli, auxiliorum gratiæ actualis, non possint salvari? Certè enim dum pœnitere salutariter possunt, salvari possunt. Dicere autem quod id possunt, sine auxilio gratiæ ipsis collato per solam potestatem, quam vocant extrinsecam, auxiliij oblato, est dicere, Sanctum Thomam eam tantummodo potestatem ad salutariter pœnitere, & salvari illis concessisse, quæ competit homini cæco à nativitate ad videndum; seu cuicumque homini ad mortuos suscitandos, eo quod capax sit fieri à Deo potens ad hæc, & similia. Falsa sanè intelligentia Præcepti Angelici. Et quidem memores esse deberent: ij Authores rationum, quibus enixè negant potestates naturales fieri posse potentes ad actus supernaturales per assistentiam extrinsecam Omnipotentis specialius applicatæ, eo quod repugnet fieri de non potente potentem sine receptione alicuius intrinseci, prout retulimus *disp. 5. de Gratia sect. 10.*

29. Præterea argumentor ita. Potestas hæc ad pœnitendum, & ad salvari, nulli peccatori viatori deneganda, talis est ut obligetur quilibet homo peccator ad pœnitendum: sed si solum esset potestas extrinseca supra explicata per auxilium oblatum, & non à Deo collatum, quodque conferri, vel non conferri non est in manu, & pro libito hominis, talis non esset, ut homo sic posset obligari: ergo hæc dumtaxat non est potestas, quæ ex gratia per Christum cõpetit omni homini adulto viatori: quæ propterea debet esse vera potestas per auxilium collatum, & in se receptum, quo saltem fiat salutariter potens ad acquirenda sibi auxilia ulteriora ad actus proximiores iustificationi, & salvationi. Consequentia est liquida: maior nota: alioquin non omnes peccatores obligarentur ad pœnitendum, nec peccarent per impœnitentiam finalem. Minor patet: quia si eiusmodi potestas sic explicata sufficeret, ut homo sic posset obligari; posset cum simili potestate obligari cæcus ad videndum, & quilibet homo ad mortuos suscitandos: quod quis non refellat, aut nõ

To. de Gratia disp. 5.

## SECTIO V:

Quinam sint, rectèque dicantur effectus Reprobationis positiva, aut negativa?

32. **Q**uemadmodum effectus Prædestinationis debet esse quid inductum à Deo, ut prædestinante; sic effectus Reprobationis à Deo ut reprobante: in quo consideranda etiam venit distinctio Reprobationis positivæ, & negativæ superius explicata.

33. Effectus Reprobationis positivæ, quæ est decretum æternum Dei damnativum ad pœnam æternam, est abs dubio inflictio pœnæ æternæ. Hæc enim est à Deo ut iudice volita, & causatur à decreto illo Dei positivè reprobato.

34. Sunt qui velint apud Suarez *lib. 5. Suarez. cap. 7. num. 11.* mortem ipsam in peccato esse iam effectum reprobationis positivæ. Alij negant: quia decretum positivè damnativum, sicut non habetur à Deo, nisi ex prævisione absoluta peccati, sic neque nisi ex prævisione mortis in peccato; atque adeo mors in peccato non est effectus, sed potiùs causa in æterna sui prævisione decreti divini damnativi. Ipse verò Suarez distinguit: nam aliquando mors acceleratur ex speciali Dei ordinatione, v. gr. in Dathan, & Abiron: & tunc ait eiusmodi pœnam esse iam effectum decreti damnativi: inflictam specialiter ex prævisione peccatorum, quin tale decretum habeatur ex prævisione absolutâ talis pœnæ; sed ex prævisione peccatorum, in quorum punitionem decernitur specialiter talis pœna continuanda cum æterna. Ordinariè tamen mors sic non evenit, sed cursu generali causarum naturalium: & sic ait mortem reproborum ordinariè non esse effectum reprobationis positivæ, quia non habetur à Deo decretum damnativum circa istos, nisi ex absolutâ prævisione mortis in peccato.

35. Tria dicam in sensu meo. Primum: non esse mihi dubium, Deum non solum circa illos mortis extraordinariæ, & acceleratæ; sed etiam circa alios reprobos, posse decernere mortem & infernum non ex prævisione absolutâ mortis, sed peccati: & sic in omnibus esset mors effectus Reprobationis positivæ. Secundum: verisimile mihi esse, quod ait, circa alios de facto mortem ordinariam non esse sic de-

Oo

cre-

videat non stare cum doctrinis Ecclesiæ damnantis in Trident. & in Bullis Pontificijs eos, qui docent Deum præcipere impossibilia, ut expendimus *disp. 12. de Gratia sect. 5.* contra Baiojansenianos. Nec recurrere iam licet ad libertatem in Adamo, in quo reliqui peccavimus originaliter. Hoc enim effugium iam præcluserit Alexand. VIII. in damnatione primæ propositionis Decreti sui Pontificij anni 1690.

30. Retorsio nobis obiecta *num. 26.* nos minimè ferit. Quippe, non concedimus maiorem; sed distinguimus: *Omnia homo, quandiu est in hac vita, potest credere: potest, inquam, potestate proximâ credendi, nego: potestate remotâ credendi, quæ sit proxima per auxilia collata gratiæ ad actus acquisitivos potestatis proximæ credendi, concedo maiorem: & concessâ minori, negamus consequentiam: quia quamvis omnibus non solum offeratur, sed cõferatur gratia sufficiens ad actus acquisitivos gratiæ sufficientis ad reipsa credendum; non tamen omni homini hæc confertur; quia non omnes faciunt illos actus, sed illos pro libito culpabiliter omittunt: sicque pro libito & culpabiliter non credunt.*

31. Itaque, quamvis non omnis homo habeat gratiam sufficientem ad credendum in re; cum certum sit multis deesse prædicationem Evangelicam; at omnis habet actu collatam gratiam sufficientem, ut salutariter se disponat ad fidem: & ut exerceat actum supernaturalem nolendi peccare: qui actus est volitio virtualis implendi omne divinum præceptum: ac proinde & credendi casu quo præceptum urgeat: & dici potest quasi *Fides in voto:* ad modum quo actus contritionis est Sacramentum Baptismi, aut pœnitentiæ in voto: quamvis interdum verè contritus non cogitet de Baptismo, aut de Pœnitentiâ Sacramentali, ut explicuimus ibidem *sect. 9.* Vbi respondimus ad omnia, quæ possent nobis objici in præsentia. Ibi quoque explicuimus appositè rationem infidelitatis negativæ: in qua nimis hærent Godoy, & Salmanticensis: & lubens legi ferè illam ipsam nostram explicationem apud Illustrissimum Tapia, ubi supra *art. 2. num. 4.*

Godoy.  
Salmant.

Tapia.  
Inf. disp....

De quò nos iterum *disp.... de Fide.*

cretam & volitam à Deo, sed potius ex absoluta prævisione mortis, decretam esse pœnam inferni: sicque mortem non esse effectum reprobationis positivæ. Tertium: non esse inverosimile mortes acceleratas aliorum simul cum æterna pœna esse de facto decretas ex sola prævisione peccatorum: sicque esse effectus Reprobationis positivæ. Quia hanc aliqualem differentiam videtur indicare modus ille divinus extraordinarius occidendi aliquos reprobos.

36 Difficultas est de permissione peccatorum, an sit effectus Reprobationis positivæ? Peccata non esse supponimus; quia non sunt quid volitum à Deo, adhuc ut Iudice damnante, & reprobante, sicut nec à Deo ut prædestinante. Circa permissiones peccatorum affirmant aliqui, peccati permissiones esse effectum Reprobationis positivæ: quia sunt effectus divinæ Providentiæ: atqui non prædestinativæ: ergo reprobativæ. Nobis tamen falsa est minor ex disp. 12. sect. 5. Alij affirmant de permissione peccati posterioris permisi in pœnam alterius; negant verò de permissione prioris peccati: hæc enim cum non habeat rationem pœnæ, non est à Deo, ut vindicæ. Alij affirmant de permissione peccatorum, quibuscumq; moritur reprobis; non verò aliorum, quæ reprobis etiam interdum remittuntur. Melius tamen P. Suarez num. 9. nullam peccati permissionem ait esse effectum reprobationis positivæ. Cum enim decretum positivæ reprobationis non habeatur à Deo, nisi ex absolutâ

prævisione peccati finalis, habetur etiam ex absolutâ prævisione antecessentium: ac proinde permissiones non sunt effectus decreti damnativi: nec verum est, Deum permittere peccata, ut damnet, seu quia damnet; imò potius damnare, quia ipso in alium finem permittente, reprobis peccata committit.

37 Reprobationis autem negativæ ait Suarez num. 12. permissionem peccati nunquam remittendi, ideoque proprij reprobatorum, esse effectum reprobationis negativæ, id est, non prædestinationis: ita scilicet, ut verum sit, Deum permittere hunc peccare, seu velle denegare auxiliū, quod prænovit efficax ad finaliter pœnitendum, quia hunc non prædestinavit: & in hunc sensum adducit Augustinum cap. 14. de Bon. persever. dicentem, reprobo non dari vocationem efficacem; quia non fuit altiori modo à massa perditionis discretus. Melius tamen alij, ut legere fufius est apud Aldrete disp. 23. sect. 6. nullam permissionem peccati volunt esse effectum reprobationis negativæ; atque adeo eundem duntaxat æternæ pœnæ effectum concedi debere reprobationi negativæ; ac positivæ, nisi quæstio revocetur ad nomina. Et ratio est: quia nullam permissionem peccati disponit Deus ex intentione non prædestinandi hominem; nec id significant Augustini verba; non enim vox Quia denotat semper causalitatem finalem, sed aliqualem rationem dicti, ut intelligamus hominem habiturum à Deo vocationem efficacem, si præelectus à Deo fuisset.


Suarez.

Augustin.

Aldrete.

Supr. disp. 12.

Suarez.



## DISPUTATIO XVI.

### PROMISCUA DE PRÆDESTINATIONE, ET Reprobatione.

**I** VNT aliqua, quæ ex æquo spectant ad Prædestinationem, & Reprobationem: quæ propterea in hanc disputationem promiscuam fecernere, ac remittere placuit: ne cum tædio eadem, aut similia repetere cogemur.

SE-

### SECTIO I.

Nec Prædestinationis, nec Reprobationis effectus est iactura libertatis humanæ, ut exerrant Heterodoxi.

Luther. Calvin.

2 **Q**VI scilicet, errantes cum Lutero, & Calvino, docent, unum ex effectibus Prædestinationis esse, tollere libertatem, & imponere Prædestinatis necessitatem obtinendi Gloriam: taliter, ut ad eam non obtinendam, non maneat liberi à necessitate. Id quod similiter docent de Reprobatione: scilicet necessitate reprobos ad damnationem. Eos perfringit Arriaga disp. 57. sect. 1. De quibus, & de antiquioribus Hæreticis Prædestinarianis, à quibus propagatus est diversimodè prædictus error, agit eruditè Card. de Aguirre tom. 3. disp. 115. & 116. post Petavium, Decamps, & Sirmondum.

Arriaga.

Aguirre. Petavium. Decamps. Sirmondum. Trident.

Innoc. X.

3 Damnatus est hic error noviter in Tridentino Sess. 6. ubi stabilitur liberum hominis arbitrium in negotio salutis: & novius ab Innoc. X. signanter in nobis statuente libertatem non solum à coactione; verum etiam à necessitate in Bulla cõtra quinque Propositiones Jansenianas.

4 Ratio autem defendendi catholicum dogma, & negandi, iacturam nostræ libertatis non esse effectum Prædestinationis, aut Reprobationis, petenda est ex latè disputatis in superioribus. Vidimus enim, ac dedimus & ab objectionibus defendimus suis in locis modum, quo divina Præscientia infallibilis; quo divina Præelectio intrinsecè efficax, factam, rectamque relinquunt nostram libertatem: ex quibus divinis perfectionibus inferre volunt Hæretici homines necessitari.

5 Obijciunt enim primò. Non est in libera potestate hominis prædestinari à Deo, aut reprobari: deinde iam prædestinatus non habet in sua potestate non perducere ad Gloriam: similiterque reprobatus non habet in sua potestate perducere ad Gloriam: ergo necessitatur per Prædestinationem ad assequendam Gloriam, & per Reprobationem ad amittendam. Respondetur, priorem partem antecedentis non esse omnino veram; sed distinguendam ex sect. seq. Posterior pars, quæ ad præsens actinet, debet semper distinguere, ut sæpè in simili distingimus: iam prædestinatus non

habet in sua potestate non perducere ad Gloriam, coniungendo amissionem Gloriæ cum prædestinatione, concedimus: ad hoc autem nec antecedenter ad Prædestinationem est in homine, nec in Deo ulla potestas: amittendo Gloriam, sicque evitando prædestinationem, & faciendo, ne fuisset Prædestinatus; negamus; ad id enim semper est in homine viatore potestas, positâ etiam & suppositâ æternâ Prædestinatione: quatenus habet principia immediata indifferentia, constitutiva libertatis ad merendum, & perseverandum: quorum modum operandi non immutat Prædestinatio: sicut neque præscientia, nec præfinitio, ut vidimus suis in locis: præsertim

Supr. disp. 6.

6 Urgent, & obijciunt secundò. Impossibile est, Deum velle intrinsecè efficaciter, & infrustrabiliter, ut homo consequatur Gloriam, aut velle, ut damnetur homo; & hominem habere potestatem frustrandi, & reddendi inefficacem illam Dei voluntatem: saltem ergo, si Deus prædestinat hominem per præelectionem intrinsecè efficacem, non præsuppositâ absolutâ prævisione meritorum, non manet in homine potestas reddendi inefficacem talem prædestinationem: ergo nec amittendi Gloriam: ergo hæc saltem Prædestinatio sic præelectiva habet pro effectu iacturam libertatis hominis: sic prædestinati, & præelecti. Respondetur, verum esse antecedens cum sua prima consequentia. Subillationem nego: aut claritatis causâ distinguo: non manet in homine potestas amittendi Gloriam, coniungendo amissionem Gloriæ cum illa præelectione, concedo: hoc enim esset illam frustrare, ac reddere inefficacem: ad quod nulla unquam fuit, nec est potestas in terra, aut in Cœlo: non manet in homine potestas amittendi Gloriam sic impediendo, seu evitando, ne unquam extiterit talis præelectio, aut similiter reprobatio, nego: hoc enim non esset frustrari, aut reddi inefficacem præelectionem, aut reprobationem: quod implicat; sed esset nunquam extitisse: quod non implicat: cum sit prædictum liberum, & contingens: ut sæpè animadvertimus, præsertim in ijs ipsis terminis disp. 1. sect. 6. Et absolute nego ultimam consequentiam.

Supr. disp. 1.

7 Angit in ijs semper Adversarios

Oo 2

dif-

difficultas intelligendi, quomodo in tempore sit in nobis vera potestas impediendi, seu evitandi, nè extiterit id, quod extitit ab æterno. Hoc tamen explicuimus *Supr. disp. 2.* *disp. 2. sect. 6.* ex ipsa intrinseca perfectione divinatorum prædicatorum æternorum. Et specialiter quoad Reprobationem legi potest P. Suarez *lib. 5. cap. 8.*

Supr. disp. 2.

Suarez.

Rivo.

8 Offendit in hanc doctrinam verissimam Petrus de Rivo. Quam respuens, negavit Deo præscientiam, & volitionem æternam futurorum contingentium, ut constat ex ipsius causa Romam delatæ à Lovaniensibus, referente fideliter Patre

Aldrete.

Thomas.

Aldrete *disp. 23. de Scientia Dei;* adversus inanes narratiunculas, quas ex alijs refert, ac fovet Joannes à S. Thom. *disp. 20. de Scient. art. 6.* Afferbat ergo: quod Deus non vult res, priusquam fiant; & generaliter nihil præcedere per lineam successionis eventum futuri contingentis, quod eiusmodi eventum inferre possit per necessariam consequentiam: ideoque specialiter: non esse verum dicere modò: mortui resurgent: quod generale iudicium erit. Has autem propositiones, postea iussu Sixti IV. ab ipso retractatas, probabat Rivo, quia, ex quo ad præcritum non est potentia, illud, scilicet ab æterno connexum cum eventu contingenti, esset inimpedibile: sed ex inimpedibili per necessariam consequentiam non sequitur, nisi inimpedibile: hincque inferebat eventum fore necessarium, & nullatenus nobis liberum, si ab æterno Deus illum præsciret, aut efficaciter vellet, sive prædestinando, sive reprobando.

9 Huic sylogismo docti illi, sanique Lovanienses, quibus contra Rivum favit tunc Pontifex, non respondebant negando minorem: quippè rectè noverant (contra quod frustra per terminorum implicatiam conatur Illustrissimus Godoy *disp. 54. num. 25.*) per eiusmodi inimpedibilitatem, seu inevitabilitatem æternæ Dei præscientiæ, & prædestinationis perimi, & per impedibilitatem, & evitabilitatem, quam asserimus, salvari libertatem nostram. Quinimo, relicta minori in sua veritate, ut eam quoque reliquit Pontifex; negabant maiorem rectè nobiscum explicantes modum, quo id, quod ab æterno extitit, sit, verèque dicatur inimpedibile, & evitabile per libertatem nostram temporaneam: quod est nostra fun-

Godoy.

damentalis doctrina. Hæc legere est in ipsorum Sapientium Lovanensium verbis apud Aldrete *cit. & apud Herreram quæst. 17. de Scient. sect. 2.* adversus nimis voluntarias aliquorum narrationes in facto causæ Petri de Rivo.

Aldrete. Herrera.

SECTIO II.

An, & quomodo sit in manu Prædestinati damnari, & in manu Reprobi salvari, ac prædestinari: & per quem sit, reprobū non esse prædestinatum?

10 **V**ulgatum est illud, quod refertur ex Augustino apud Suarez *lib. 5. cap. 8.* & apud alios passim, quamvis in Operibus Augustini non repertiatur: *si non es prædestinatus, fac, ut prædestineris.* Cuius proloquij recta intelligentia ad explicandam, & tuendam libertatem tam in Prædestinatis, quam in Reprobis in perseverantia finali, & in assequutione Gloriarum, aut in damnatione pœnæ per necessaria est: & me iudice, in sententijs Prædeterminatarum constituentium infrustrabilem, & inevitabilem præelectionem ad Gloriam, & prædamnationem æternam ad pœnam independentem à Scientia Media, impossibilis: per decreta vero ritè attemperata Scholæ nostræ pro libito hominis evitabilia, & à præscientia Dei Media dependentia, suavius expeditibilis, & declarabilis: ut verum sit, quod falsum esse non potest: *Non dixeris: per Deum abest: Perditio, tua.*

Suarez.

Eccli. 15. Osee. 13.

11 Quod sic expono. In manu reprobis constituti à Deo hic, & nunc in hac libertate per hæc auxilia stat consentire, vel dissentire: ac proinde quod Scientia Dei Media prænoverit talem hominem perseveraturum finaliter, si per hæc auxilia constitueretur in tali libertate: sic ergo hæc eadem potestas, qua homo reprobis hic & nunc ex Dei decreto constitutus potest consentire, & perseverare, est potestas ad faciendum, quod præciverit Deus, ipsum consensurum, & perseveraturum, si à Deo constitueretur in tali libertate. Hæc autem Dei præscientia pro libito hominis sic à Deo constituti ex Dei decreto in tali libertate; adest iam Prædestinatio Augustiniana: scilicet Præscientia, & Præparatio mediolorum, quibus certissimè liberaretur à damnatione ipse reprobis, qui con-

constitutus à Deo in tali libertate dissentit auxilijs, & damnatur: ideoque verè potens salvari, & esse prædestinatum eadem libertate, qua potest consentire.

12 Ad hunc etiam modum prædestinatus hic & nunc constitutus per hæc auxilia in hac libertate, qui re ipsa consentiens finaliter perseverat; habet in manu sua dissentire, sicque non finaliter perseverare; atque adeo facere, quod nunquam fuerit verum, quod si constitueretur per hæc auxilia in tali libertate, consentiret, & perseveraret: sed imò quod dissentiret, & finaliter peccaret: qua præscientia in Deo existente iam non esset prædestinatus per hæc media, per quæ de facto prædestinatus est.

13 Dixi notanter: *per hæc media, per quæ de facto prædestinatus est.* Quia habere, vel non habere alia, & per alia aliam libertatem, si per hæc in ista libertate constitutus non consensurus esset, non est in manu hominis, sed Dei, misericorditer, & gratis conferentis media gratiæ, per quæ possit homo mereri Gloriam, imò & potentis alioquin hominè sine meritis transferre ad Gloriam, sicque quoquo modo hominem prædestinare, sicut & creare pro divino suo beneplacito, si sic iuxta alterius Providentiæ leges voluisset.

14 In quo cernere est discrimen prædestinabilitatis à reprobabilitate. Nam positivè prædestinare posset Deus quemlibet non solum per alia auxilia, quæ potest adhibere, & non vult; sed independentem etiam à meritis. At positivè reprobare decreto scilicet punitivo, & damnativo æternæ pœnæ damni & sensus, non potest, salva clementia, ac benignitate suâ, nisi ex absolutâ prævisione demeritorum, ut vidimus *disp. 14.*

Supr. disp. 14.

15 Vnde sit perspicuum, quod, quamvis, prout loquimur, respectivè, seu contractè ad præsentem libertatem per hæc auxilia hic, & nunc collata prædestinato, & reprobo ad finaliter perseverandum, sit in manu reprobis salvari, & esse prædestinatum, sicut & consentire, scilicet per hæc auxilia; & sit in manu prædestinati damnari, & non esse prædestinatum, sicut & non consentire, scilicet per hæc auxilia. Attamen absolutiùs loquendo magis quodammodo est in manu reprobis salvari, & esse prædestinatum, quam sit in manu prædestinati, damnari, & esse reprobum. Quia

ad affirmandum verè reprobum adultum posse salvari, & posse esse prædestinatum pro libito suo, sufficit, quod per hanc libertatem, in qua de facto constitutus est à Deo per hæc auxilia, possit bene agere, & perseverare: iam enim eo ipso esset prædestinatus, ut explicuimus. At ad affirmandum verè prædestinatum posse damnari, & fieri reprobum, non sufficit, quod per hanc libertatem, in qua de facto constitutus est à Deo per hæc auxilia, possit male agere, & finaliter peccare; sed requiritur præterea, quod Deus noverit eum per alia auxilia congrua constituere in alia libertate, aut sine proprijs meritis ad Gloriam transferre; quod non est in eius libertate hic & nunc; sed in manu Dei.

16 Per hæc adversus reprobos stant sincerissimè veritates illæ divinæ: *Non dixeris: per Deum abest: Perditio tua ex te.* Coarguunt enim, & obiurgant Reprobos adultos prout hic & nunc constitutos per auxilia verè sufficientia Gratiæ ipsis à Deo non solum oblata, verum etiam collata: quibus, si ut possunt, ac debent, pro libito consentirent, bene agerent, perseverando in bono usque ad finem, sicque per decretam, quod iam ex Deo est conferendi ipsis hæc auxilia; & per præscientiam divinam, quæ culpa ipsorum abest, de eo quod si conferrentur ipsis hæc auxilia, consentirent, & bene agerent, essent certissimè prædestinati Prædestinatione Augustiniana, & sufficientissima ad salutem re ipsa consequendam.

17 Dixi: *Prædestinatione sufficienti;* quia quamvis sic constituti non possint pro suo libito facere, ut sint prædestinati prædestinatione intrinsecè efficaciter præelectiva aut merita absolutè prævisa; non tollit quominus possint pro libito fieri prædestinati. Nam ut constat ex *disp. 11. sect. 6. & ex disp. 8. sect. 3.* hic modus sic præelectivus prædestinandi, quamvis de facto in Deo sit, necessarius non est, ut homines prædestinentur, & salvi re ipsa fiant.

Supr. disp. 8. & 11.

18 Nec sequitur exinde, reprobum posse esse causam meritoriam suæ Prædestinationis in sensu, quo id cum communi Theologorum suffragio negavimus adhuc de Prædestinatis *disp. 12. sect. 2. & 3.* Quia ad sic loquendum opus esset, quod posset mereri sibi omnem seriem auxiliorum sibi collatorum à primo usque ad

Supr. disp. 12.

ulti-

ultimum: quod repugnat iuxta præsentem Dei legem. Verumtamen, ut reprobis possit pro libito suo salvari, & sic facere ut sit prædestinatus, non requiritur quod possit sibi mereri primum auxilium; sed quod illud iam habeat misericorditer, & gratuito collatum à Deo: ut reipsa iam habet homo constitutus à Deo in hac libertate: in qua suppositione verissima, stat verissime ipsius potestas ad salvari, & ad prædestinari, non minus quam ad consentire pro libito auxilijs, quibus pro libito dissentit: ut similiter explicant Aldrete Ribaden. disp. 22. & Ribadeneira disp. 21.

Aldrete.  
Ribaden.

19 Hic opus etiam est, habere præ oculis, quod cum Anton. Perez distinximus Supr. disp. 15. num. 7. ex dictis disp. 12. de Gratia num. 153. aliud esse, hominem omnino non esse prædestinatum: aliud verò, hominem sic iam à Deo misericorditer constitutum per hæc gratiæ suæ auxilijs hic & nunc in hac libertate non esse prædestinatum. Illud prius tribuendum est Deo, sicut & multos homines possibiles non produxisse; istud posterius tribuitur homini, qui imputatur & non Deo, quod ijs auxilijs à Deo collatis non consentiat, & quod Deus non præscierit per hæc consenturum. Super hoc autem meritisimè cadunt obiurgationes illæ: *Non dixeris: per Deum abest: Perditio tua ex te.*

Supr. disp.  
11.

20 Dices. Iuxta præsentem providentiam, ut diximus disp. 11. sect. 7. Deus prædestinat. præeligendo efficaciter ad Gloriam non præsuppositâ absolutâ prævisione meritorum: ergo ideo homo sic prædestinatus non dat per sua merita, utpote non antecedenter absolutè prævisa, rationem, & causam talis prædestinationis: imò potius ideo perseverat, & salvatur, quia sic à Deo præelectus est: ergo Iudas ideo non perseverat, nec salvatur, quia non sic præelectus est: sicut enim affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis: ergo per Deum abest, quod Iudas non salvetur, nec sit prædestinatus.

21 Respondetur, concessio antecedenti, concedo primam partem consequentiæ, & distinguo causalem secundæ partis: ideo sufficienter, concedo: quod est dicere illam esse rationem sufficientem, ideo, necessario, nego: quod est dicere illam non esse rationem necessariò requisitam, quamvis sit sufficiens: sicut hic ignis est ratio & causa sufficiens ad calefaciendum; non vero ra-

tio necessaria: nam, ut diximus, modus iste sic præelectivus non est necessarius ad prædestinandum, & salvandum, quamvis sufficiens sit; & de facto detur. Nego deinde secundam, significatâ per causalem quia ratione causalitatis propriæ, & per se quamvis indirectè, per accidens, logicè & argutivè rectè inferatur ex non præelectione damnatio. Nec proloquium illud procedit de causalitate physicâ: non enim ex eo quod positio ignis causet calorem, sequitur non positionem ignis causare non positionem caloris; sed procedit de illatione logica: & tunc solummodo, quando affirmatur prædicatum requisitum ad existentiam alterius: sic enim, affirmato rationali de aliquo subiecto, sequitur affirmari de illo debere hominem, & negato, sequitur negari; non verò aliter, nam ex affirmatione hominis de subiecto, sequitur affirmatio viventis, non verò ex negatione, negatio, ut est per se clarum. At affirmatio prædestinationis præelectivæ de Petro, non est affirmatio prædicati necessariò per se requisiti ad salutem, & prædestinationem hominis: ideoque ex illius negatione, non inferitur negatio istius: ut latè Motoya disp. 31. & Ribadeneira disp. 22. num. 24. Ultima subillatio absolutè neganda est, & explicanda ex num. 19.

Montoya.  
Ribaden.

22 Supradictam doctrinam colligere mihi videor ex verbis alioquin difficillimis 2. Petri 1. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis:* ex quibus venire potuit Augustinianum illud: *Si non es prædestinatus, fac; ut prædestineris.* Hortabatur enim Petrus non solum prædestinatos; cum incredibile videatur, omnes Fideles Ponti, Asiæ, Cappadociæ, & Bithyniæ, ad quos scribebat, fuisse prædestinatos; sed reprobos etiam, ut certam facerent non solum vocationem, sed & electionem. Id quod de præelectione intrinsecè efficaci intelligi nequit, cum circa reprobos non sit; nec circa prædestinatos, sic electos possit non esse in se firma, & certa, utpote ab intrinsecò infruabilis omnino. Ut igitur aptè ad loquatur omnes exhortatio utilissima, sic venit intelligi, ut unusquisque per bona opera usque ad finem faciat certò esse suam electionem utcumque prædestinativam, prout est in illorum potestate: nam aliter non aptè caderet sub eiusmodi exhortatione. Quatenus nempe constitutus unusquisque per

2. Petri. 1.  
Augustin.

per auxilia sufficientia divinæ gratiæ in tali libertate, potest pro libito suo facere quod præsciverit Deus se bene acturum, & perseveraturum, si constitutur in tali libertate: quâ Dei præscientiâ accedente ad decretum, quod habet Deus, constituenti illos per hæc auxilia in tali libertate iam adæquat electionem prædestinativam: sicque illam potest sibi acquirere & facere certam unusquisque reproborum, supposito gratuito Dei decreto, quod iam est de conferendis his auxilijs. Legi proderit in hunc sensum Cornelium à Lapide super ea Petri verba.

Alapide.

### SECTIO III.

Comparatur Prædestinatio cum Libro vitæ:  
& quid de Libro mortis ad  
Reprobationem?

Suarez.

Apoc. 20.  
& 3. &  
21.

Danie. 12.

Iosue 10.

August.

S. Thom.

23 **P.** Suarez lib. 1. cap. 20. comparaturus Prædestinationem cum libro vitæ, assert in primis Scripturarum loquutiones de hoc Libro. Apocal. 20. *Et alius Liber apertus est, qui est Vita: & iterum: Qui cumque non est inventus in Libro vitæ, missus est in stagnum ignis: & cap. 3. Qui vicerit, non delebo nomen eius de Libro vitæ: & cnp. 21. Non intrabit in eam, nisi qui scriptus est in Libro vitæ Agni.* Et Danielis 12. *Salvabitur Populus omnis, qui inventus fuerit in Libro.* Et alibi præsertim Iosue 10. commemoratum legimus, *Librum Iustorum*. Super quæ loca multa curiosè disputat videnda quoque apud Interpretes.

24 Refert deinde duas explicationes Augustini, & Thomæ. Augustinus enim 10. de Civit. 15. indicat Librum vitæ, nihil aliud esse, quam ipsam Prædestinationem metaphorice significatam. S. verò Thomas quæst. 24. art. 1. ait esse divinam Scientiam Visionis de Prædestinatis, subsequutam ad Prædestinationem: quâ scilicet Scientiâ habet Deus quasi Scriptos in mente sua Prædestinatos suos.

25 Has duas explicationes conciliat à num. 15. quasi Augustinus solum voluerit solos & omnes Prædestinatos dici Scriptos in Libro vitæ; & solos ac omnes Scriptos esse Prædestinatos: sicque hos terminos mutuò conversivè se habere. S. verò Thomas magis ad rigorem Scholasticum eorum vocum significata discreviffe. Cum quo loquutus Suarez num. 16. ait, & meri-

tò, Librum vitæ dici Scientiâ Dei Visionis de Prædestinatis: atque ad hoc supponere quodammodo in Deo Prædestinationem. Quia, inquit, metaphora Libri significat notitiam quasi speculativam salvandorum, supponentem præscientiam practicam, qua Deus simul cum suo decreto illos directivè per ducit ad vitam æternâ: in qua præscientia, & decreto consistit Prædestinatio.

26 Mover autem aliquas super hoc difficultates. Quarum una est: qua ratione dici queat aliquos deleri, aut posse deleri de Libro vitæ: ut Exod. 32. Moyses ad Deum: *Si non facis, dele me de Libro tuo.* & ibidem Deus: *Qui peccaverit, delebo eum de Libro meo.* & Psalm. 68. *Delcantur de Libro viventium.* Apocal. 3. *Deleri de Libro vitæ: & iterum: Non delebo nomen eius de Libro vitæ.* Hæc enim videntur stare non posse cum certitudine, firmitate, æternitate, & infallibilitate divinæ Scientiæ Visionis absolutissimæ. Respondet tamen stare posse, ac debere iuxta Scripturæ phrasim explicantis sæpè negationes per affirmationes. Sicque ponitur, *deleri*, pro, *non scribi*: ut explicuit Psalmus; qui post verba: *Delcantur de Libro viventium*, subdit: *& cum iustis non scribantur.* Cum autem scribi, aut non scribi in Libro vitæ, sicut prædestinari, aut non prædestinari contingens fuerit, & dependenter à nostris operibus: hæc cōtingentia significatur per deleri, aut non deleri. Ad illud de Moyse respondent varie Theologi, & Interpretes. Ex quibus Ribas disp. 10. ait Moysen ibi desiderasse, excludi à Gloria, secluso peccato, si foret opus ad Populi veniam, & salutem. Sicque intelligit etiam ex Chryso. illud Pauli Rom. 9. *Optabam ego anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Hoc tamen aliter exponit Hieronymus, quasi respexerit Paulus ad tempus sui Iudaismi, quando zelo suæ legis correptus optabat nunquam adiungi Christo; & pro fratribus suis Iudæis haberi pro maledicto à Christianis. Plura Cornel. super hunc locum: & Montoya disp. ultima.

27 Aliâ difficultas est: quia si Scientia Visionis de Prædestinatis *Liber vitæ*, eadem ratione Scientia Visionis, quæ etiam est in Deo certissimè de Reprobis, erit, dicique debet Liber mortis; cum tamen hoc non ita sit in usu. Respondetur primò, forte non omnino aberraturum sic loquentem de Libro mortis contrapositè ad

*Hierem.* ad Librum vitæ: cui loquutioni satis videtur accessisse S. Basilius: qui super Isai. 4. allegans verba Hierem. 17. *Recedentes a te in terra scribentur*, contrapositè nimirum ad verba Christi Luc. 10. *Nomina vestra scripta sunt in Cælis*; ait: *Iuxta hunc igitur sensum duæ intelligi debent scriptio- nes: una eorum est, qui ad vitam; alia eorum est, qui scribuntur ad perditionem.*

28 Respondetur nihilominus, id non esse in usu. Nam metaphora Libri indicat potius conscriptionem eorum; quorum conscribendorum habet Deus specialem curam, ut de rebus sibi placentibus: & non utcumque dicit Scientiam Visionis; sed etiam specialiter approbativam. Ideoque Scientia Visionis damnandorum non ita aptè dicitur Liber. Nec in Scriptura dicuntur Reprobi scribi in Libro, sed non scribi, aut deleri: & ad summum, quòd in terra scribentur. Et alibi, quòd cum iustis non scribantur. Quod si *Apocal.* 20. dicitur: *Libri aperti sunt, & alius Liber apertus est, qui est vita*: quibus prioribus videntur significari Libri etiam mortis pro conscribendis nominibus damnandorum;

respondet Suarez, per eos libros intelligi, aut nomina mortuorum corporaliter; aut libros operum iudicandorum; non verò pro nominibus personarum damnandorū.

SECTIO IV.

De numero Prædestinatorum, & Reprobatorū.

*Hilar.* 29 Scripsit Hilarius ad Augustinum de Masiliensibus: *Illud pariter non accipiunt, ut eligendorum, recipiendorumque esse definitum numerum velint.* Contra quos, aut quosvis alios certum nobis esse debet, certum Deo esse numerum tam Prædestinatorum, quàm reprobatorum; quamvis nobis sit incertus, & ignotus: & solum scibilis ex Dei revelatione. Hoc tamen supposito quarunt Theologi; an maior sit numerus Prædestinatorum, quam Reprobatorum; an è contra? At neque in hoc habemus quidquam certum: nec possumus nisi cum distinctione loqui.

30 Dicendum videtur primò: ex collectione omnium hominum, & Angelorum maiorem esse numerum Prædestinatorum. Quia ut colligitur ex *Apocal.* 12. ex Angelis una tertia parte cum Lucifero damnata, duæ partes salvæ factæ sunt. Cum

autem multitudo Angelorū iuxta S. Dionysium plurimum excedat multitudinem omnium hominum, sequitur, quòd quamvis modica pars hominum essent salvandi, numerus salvandorum & prædestinatorum ex Angelis, & hominibus debeat esse maior numero reprobatorum Angelorum, & hominum.

31 Secundò, ex collectione omnium omnino hominum maiorem esse numerum reprobatorum. Quia constat, multò maiorem fuisse fere semper in Orbe terrarum numerum infidelium, & gentium barbararum, quàm Fidelium: usque adeo ut comparatione illarum dici possimus Fideles: *Puffillus Grec.* Hoc intellige de damnatis ad pœnam damni: non ita de damnatis ad pœnam damni, & sensus: propter ingentem multitudinem Parvulorum in tot Infidelium Provincijs, qui cum solo originali moriuntur, damnandi dumtaxat ad pœnam damni.

32 Tertiò: ex collectione omnium Fidelium Adulorum, & Parvulorum, maiorem esse numerum Prædestinatorum. Quia inter Fideles (& similiter inter Hæreticos, & Schismaticos validè baptizantes) tot ferè moriuntur Parvuli baptizati, qui omnes salvantur; quot Adulti, quorum certè multi salvantur: ut recognitis libris Parochiarum curiosè observavit Montoya citandus. Vnde fit perspicuum, quòd, accedente numero, quantus sit, Adulorum Prædestinatorum, ad numerum Parvulorum; ex utrorumque collectione maior debeat esse numerus Prædestinatorum.

33 Quartò: ex collectione Fidelium Adulorum uter numerus sit maior, an Prædestinatorum, an Reprobatorum; piam esse aliquorum existimationem, quos sequuntur P. Suarez *lib. 6. cap. 3.* P. Grana- dus *tract. 12. disp. 3. & 4.* & Card. Pallavicinus *1. 2. disp. 2. q. 3.* pro maiori numero Prædestinatorum. Cæterum stant è contra pro maiori numero Reprobatorum communiter Doctores, tam Scholastici, quàm Expositivi cum maximo fundamento in Sacris Scripturis, & in Sanctis PP. & ex fortioribus coniecturis, videndis copiosissimè apud eruditissimum Montoyam *disp. 54.* apud quem videri exactissimè potest, quidquid in hoc puncto sparsim legitur in alijs; tam pro Scholis ad disputandum, quem pro concionibus ad populum. Ego non audeo ferre sententiam.

Dis-

*Dionisi*

*Granad.*

*Suarez.*

*Montoya.*

*Suar.*

*Granad.*

*Pallavic.*

*Mont.*

34 Disputant Theologi cum S. Thom. an numerus Prædestinatorum possit augeri, vel minui: de quo *Granad. disp. 1.* Dicendum est non posse augeri, nec minui coniunctim cum præsentì numeratione divina, & Libro vitæ. Possè verò potestate antecedenti: ea nimirum ratione, qua diximus *sect. 2.* Repobos posse salvari, & Prædestinatos damnari.


35 Quæri denique potest: an, si perseverassent homines in statu innocentia: maior esset numerus hominum Prædestinatorum; quàm nunc sit in statu naturæ lapsæ, & per Christum reparatæ? Res est plena dubijs: circa quæ videri potest P. Suarez *lib. 5. de Opere sex dier.* multa eximè disputans de statu Innocentia. Ibi

*cap. 4.* refert, & refellit sententiam Scoti Scot. dicentis, quod in eo statu non forent plures prædestinati, quàm nunc; forent tamen omnes prædestinati; quia nullus ex ijs, qui sunt reprobi, generaretur. Credibile est in statu naturæ lapsæ, & per tantum Redemptorem reparatæ non esse minorem numerum Prædestinatorum, quàm foret tunc: quamvis verum sit, quod in eo quoque statu essent prædestinati, & reprobi. Hoc enim saltem tribuendum videtur potentissimo remedio Pasionis, & mortis tanti Reparatoris de se testati Ioan. 10. *Ioan. 10. Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant: ut obiter etiam tetigi disp. 1. de Gratia num. 71.*

*To. de Gratia disp. 1. sect. 6.*

PP

DE



# DE FIDE THEOLOGICA.



**I**DEM, *sperandarum substantiam rerum,* &c. ex Apostolo; & ex Tridentino, *fundamentum, ac radicem omnis iustificationis,* post Disputationes de Prædeterminatione; quâ per Iustificationem ad Gloriam, quâ speramus, dirigimur, ac perducimur, tractandam suscipimus, eodem doctrinæ te-

*Hebr. 11.  
Trident.  
Sess. 6. c. 8.*

nore, nec, uti credimus, cum minori fructu. Vna est ex tribus Virtutibus Theologicalibus: sic dictis, quia immediatè attingunt actibus suis pro obiecto suo formali, seu motivo, perfectionem aliquam increatam Dei: à differentia Virtutum moralium, quæ non ita immediatè attingunt Deum ipsum pro obiecto suo formali; sed bonitates, aut perfectiones aliquas creatas. Post longiores, ac doctiores aliorum Tractationes brevitatis potissimùm consulam: & ut moris habeo, doctrinæ potius, quam veram in Domino iudicavero, stabi- liendæ, quàm alienæ confutandæ, studebo: assertivam fructuosius Theologiam, quam impugnativam aggressus, & professus.

## DISPUTATIO I.

### DE EXISTENTIA, ET NATURA FIDEI Theologica.



**N**E varia vocum usurpatione laboremus, animadvertere oportet, quod *Fides* sumitur quandoque pro Fiducia: ut Iacobi 1. *Postulet aurem in fide, nihil habens* id est, *fidenter.* Et Matth. 14. *Modica fides, quare dubitasti.* Id est, *infirma confidentia.* Et sic sumpta *Fides*, non tam est actus intellectus, quam voluntatis, spectans ad virtutem Spæi.

*Iacob. 1.  
Matth. 14*

Quandoque sumitur pro fidelitate, veracitate, seu autoritate alicuius: sicque dixit Tullius 1. Officior. *Fides est dictorum, & conventorum substantia, & veritas.* Quandoque pro dictamine conscientiae propriae; & sic dicimur operari bona fide, quando iuxta conscientiae dictamen operamur: sicque exponi solet celebris Apostoli locus Roman. 14. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est,* ut ex Suarez, & Cornelio tetigimus *disp. 6. de Grat. num. 21.* Quandoque pro materia, quam Fide credimus: sicque dicitur in Symbolo Athanasij: *Hac est Fides Catholica, quam nisi quisque, &c.* Solemnius tamen sumitur in Scholis pro assensu, quo aliquid credimus propter testimonium alicuius loquentis, seu attestantis. Sic autem sumpta Fides est actus intellectus: cui suus etiam habitus intellectualis correspondet. Quando credimus propter testimonium hominis, seu Angeli, est fides humana, vel angelica; quando propter testimonium Dei, dicitur Fides divina, seu Theologica. In hoc igitur ultimo, & solemniori sensu disputandum nobis est de Fide Theologica: tam quoad eius actus, quam quoad Habitum, & quidquid ad illos pertinet.

SECTIO I.

Supposita ex Fide existentia Fidei Theologica, definitur, quid essentialiter sit

**D**ari Fidem divinam, seu Theologicam supponimus ex ipsa Fide.

1. Cor. 13. 1. Corinth. 13. *Nunc manent tria haec, Fides, Spes, Caritas.* Matth. 16. Christus ad Petrum: *Caro, & sanguis non revelavit tibi; sed Pater meus, qui in Caelis est.* 1. Ioan. 5. *Si testimonium hominum accipitis, testimonium Dei maius est.* Adversus errorem Manicheorum contendendum nihil esse credendum, nisi quod assequitur humana ratio. Eos reiecit Augustinus *lib. de militate credendi*; & Abayla dum eos sequuntur Bernardus *Epist. 190.*

4 Non solum actum, sed dari quoque habitum Fidei Theologicae esse certum de Fide docet, probatque Suarez adversus aliquos *disp. 7. de Fid. sect. 1. & lib. 6. de Grat. cap. 8.* saltem post Trident. *sess. 6. cap. 7.* ubi postquam statuit renovationem, seu iustificationem interioris hominis fieri per voluntariam susceptionem *Gratiae & donorum,* subiungit: *Knde in ipsa susceptione hac omnia simul insusa accipiuntur.*

5 Sic ergo certo supposita existentia Fidei ex ipsa Fide, definiendum venit, quid essentialiter Fides sit? Quocirca S. Augustinus *tract. 40. in Ioan. Quid enim Fides, ait, nisi credere, quod non vides?* Et cap. 2. de Praedest. *Nihil aliud est credere, quam cum assensione cogitare.* Et cap. 3. 1. de Spir. & Lit. *Quid est credere, nisi consentire, verum esse, quod dicitur?* Quae loquutiones explicant utrumque alicuius Fidei praedicata, quae cum alijs ibi subintellectis ab Augustino, adaequarent definitionem Fidei; non tamen se solis satis exaequae Fidem definiunt, ut recte animadvertit Suarez *disp. 6. de Fid. sect. 1.* Et sic etiam intelligendus est S. Thom. 2. 2. *quae. 2. art. 1. idem ibi dicitur.*

6 Est autem Fides sperandarum substantiarum rerum, argumentum non apparentium, sicut dicitur Apostolus *Hebr. 11. Vbi alij affirmant; alij negant contineri essentialiter Fidei definitionem. Qui negant, habent pro*

homo per Iesum Christum, cui inseritur, Fidem, Spem, & Charitatem. Cum autem sermo sit ibi de susceptione voluntaria horum donorum infusorum; constat exinde infundi etiam Adultis Fidem habituaalem, & physicè permanentem: quod nequit intelligi, nisi de habitu Fidei.

5 Sic ergo certo supposita existentia Fidei ex ipsa Fide, definiendum venit, quid essentialiter Fides sit? Quocirca S. Augustinus *tract. 40. in Ioan. Quid enim Fides, ait, nisi credere, quod non vides?* Et cap. 2. de Praedest. *Nihil aliud est credere, quam cum assensione cogitare.* Et cap. 3. 1. de Spir. & Lit. *Quid est credere, nisi consentire, verum esse, quod dicitur?* Quae loquutiones explicant utrumque alicuius Fidei praedicata, quae cum alijs ibi subintellectis ab Augustino, adaequarent definitionem Fidei; non tamen se solis satis exaequae Fidem definiunt, ut recte animadvertit Suarez *disp. 6. de Fid. sect. 1.* Et sic etiam intelligendus est S. Thom. 2. 2. *quae. 2. art. 1. idem ibi dicitur.*

6 Est autem Fides sperandarum substantiarum rerum, argumentum non apparentium, sicut dicitur Apostolus *Hebr. 11. Vbi alij affirmant; alij negant contineri essentialiter Fidei definitionem. Qui negant, habent pro*

homo per Iesum Christum, cui inseritur, Fidem, Spem, & Charitatem. Cum autem sermo sit ibi de susceptione voluntaria horum donorum infusorum; constat exinde infundi etiam Adultis Fidem habituaalem, & physicè permanentem: quod nequit intelligi, nisi de habitu Fidei.

5 Sic ergo certo supposita existentia Fidei ex ipsa Fide, definiendum venit, quid essentialiter Fides sit? Quocirca S. Augustinus *tract. 40. in Ioan. Quid enim Fides, ait, nisi credere, quod non vides?* Et cap. 2. de Praedest. *Nihil aliud est credere, quam cum assensione cogitare.* Et cap. 3. 1. de Spir. & Lit. *Quid est credere, nisi consentire, verum esse, quod dicitur?* Quae loquutiones explicant utrumque alicuius Fidei praedicata, quae cum alijs ibi subintellectis ab Augustino, adaequarent definitionem Fidei; non tamen se solis satis exaequae Fidem definiunt, ut recte animadvertit Suarez *disp. 6. de Fid. sect. 1.* Et sic etiam intelligendus est S. Thom. 2. 2. *quae. 2. art. 1. idem ibi dicitur.*

6 Est autem Fides sperandarum substantiarum rerum, argumentum non apparentium, sicut dicitur Apostolus *Hebr. 11. Vbi alij affirmant; alij negant contineri essentialiter Fidei definitionem. Qui negant, habent pro*

homo per Iesum Christum, cui inseritur, Fidem, Spem, & Charitatem. Cum autem sermo sit ibi de susceptione voluntaria horum donorum infusorum; constat exinde infundi etiam Adultis Fidem habituaalem, & physicè permanentem: quod nequit intelligi, nisi de habitu Fidei.

5 Sic ergo certo supposita existentia Fidei ex ipsa Fide, definiendum venit, quid essentialiter Fides sit? Quocirca S. Augustinus *tract. 40. in Ioan. Quid enim Fides, ait, nisi credere, quod non vides?* Et cap. 2. de Praedest. *Nihil aliud est credere, quam cum assensione cogitare.* Et cap. 3. 1. de Spir. & Lit. *Quid est credere, nisi consentire, verum esse, quod dicitur?* Quae loquutiones explicant utrumque alicuius Fidei praedicata, quae cum alijs ibi subintellectis ab Augustino, adaequarent definitionem Fidei; non tamen se solis satis exaequae Fidem definiunt, ut recte animadvertit Suarez *disp. 6. de Fid. sect. 1.* Et sic etiam intelligendus est S. Thom. 2. 2. *quae. 2. art. 1. idem ibi dicitur.*

6 Est autem Fides sperandarum substantiarum rerum, argumentum non apparentium, sicut dicitur Apostolus *Hebr. 11. Vbi alij affirmant; alij negant contineri essentialiter Fidei definitionem. Qui negant, habent pro*

SECTIO II.

An, & qua essentialitate Fides Theologica sit, & dicatur obscura?

9 EX una parte in locis adductis Pauli, & Augustini, quibus definitionem Fidei conformavimus, supponi videtur, Fidem esse omnino essentialiter obscuram: & sic sentiunt cum S. Thoma, & Suarez communiter Theologi, ut Coninc, Cardinalis de Lugo, Oviedus, & noviter Haunoldus in *Selectis lib. 3. Tract. 1. cap. 4. Contrav. 1.* Ex alia vero parte Vazquez, Ripalda, P. Petrus de Oxea, & alij apud ipsum *disp. 8. sect. 8.* quamvis non negent, Fidem regulariter, & per se loquendo esse obscuram, nolunt tamen id esse de ratione essentiali Fidei, in nobis existentis: putant enim posse Fidem a nobis etiam exerceri circa obiectum suum, omni seclusa obscuritate.

10 Argumentum horum posteriorum Authorum, quo nostra definitio laboratur, est huiusmodi. Quia seclusa obscuritate stant obiectum materiale, & formale Fidei: non est ergo cur Fides haec nostra non posset suos assensus essentialiter exercere absque obscuritate. Antecedens probatur: obscuritas enim nec est obiectum materiale fidei, cum non credatur; nec formale, cum non sit motivum credendi: illa vero seclusa, starent veritates ipsae, quas credimus; starentque Dei auctoritas, & revelatio, propter quas credimus: ergo starent obiectum materiale, & formale Fidei.

11 Confirmatur, & explicatur. Deo nondum intuitive viso, abstractivè tamen evidenter cognito, posset alicui evidenter notificari revelatio Mysterij: ipsa nimirum revelatione divina sese ex modo suo caracteristico loquendi manifestante intellectui iam evidenter cognoscenti infallibilitatem auctoritatis divinae: qui modus cognoscendi veritatem Mysterij ex revelatione clarè, ac evidenter notà dicitur per evidentiam in attestante. Atqui talis modus cognoscendi veritatem Mysterij per evidentiam in attestante est essentialissime Fides: ergo posset dari Fides taliter evidens ex parte divinae auctoritatis, & revelationis, clarè, ac evidenter apparentium, ut nullus relinquatur locus obscuritati. No est igitur obscuritas de ratione essentiali

pro se, quod ibi non exprimitur divinum testimonium: cui, ut obiectio formali specificativo Theologica Fides innitur. Qui affirmant, interpretantur, id subintelligi in particula, non apparentium. Cum enim dicat Apostolus, Fidem esse argumentum: hoc est, firmum, ac securum assensum, seu convictionem intellectus ad credendam veritatem aliunde non apparentem, subintelligitur, convinci, concludi, seu captivari ab auctoritate alicuius infallibiliter illam testificantis, qui est Deus, prima veritas. Sic Suarez *sect. 2.* Vbi notat, Apostolum addidisse, quod Fides est *sperandarum substantiarum rerum:* id est, fundamentum donorum supernaturalium, quae speramus; seu initium iustificationis nostrae: quia Fidem explicuit non in ordine dumtaxat ad notitiam Mysteriorum, de quibus instrui-mur; quin etiam in ordine ad operationes supernaturales, ad quas nos excitat, dirigit, ac inducit. Verum enim vero utriusque Sententiae Authores in eo conveniunt, quod ea Pauli verba non sunt definitio Fidei satis clara, & ad rigorem dialecticum elaborata.

7 Hinc P. Suarez *sect. 1. num. 5.* resolvit, quod propria Fidei definitio est: *assensus firmus, auctoritate Dei obscure revelantis fundatus.* Vnde Habitum, seu Virtus Theologicae Fidei erit, habitus intellectualis ad eiusmodi assensus. Haec definitio satis aptè complectitur praedicata essentialia, quae Paulus, & Augustinus Fidei attribuunt: & exprimit motivum, cui Fides innitur, scilicet certam, ac infallibilem Dei loquentis auctoritatem, cui nequit subesse falsum; prout opus est ad certitudinem Fidei, & ad rationem habitus, & actus virtutis intellectualis Theologicae. Quemadmodum enim Caritas, quae virtus est Theologica voluntatis, fertur in Deum ut primam, summamque bonitatem; sic Fides, quae virtus est Theologica intellectus, in Deum ipsum, ut primam, summamque veritatem.

8 Ut pro scrupulosioribus Fidei definitio comprehendat exactius, non solum assensus, sed dissensus etiam pertinentes ad Fidem, poterit paulo aliter hunc in modum concipiari: *Judicium firmum auctoritate Dei obscure revelantis fundatum.* Obiectionem non contemnendam dabit, & solvet sectio sequens.

Rom. 14. Suarez. Alapid. To. de Gratia disp. 6. sect. 2. Athan.

Suarez.

Suarez.

Augustin.

Suarez.

S. Thom.

Hebr. 11.

Suarez.

Trident.



tiali Fidei: quamvis se habet ad summum ut proprietates connaturalis. Maior nullam præferat implicantiæ. Minor probatur: quia talis modus assentiendi veritati Mysterij nititur testimonio Dei infallibiliter loquentis, optimè penetrato; estque credere, quia Deus dicit: ergo est assensus Fidei cum evidentia in attestante citra omnem obscuritatem. Aut dicatur, cuius virtutis intellectualis esset assensus ille verè Theologicus.

12 Nihilominus tamen conclusio sit iuxta communiorē sententiā observatiorē loquutionum Pauli, & Augustini, Fidem, quæ de facto nobis infunditur, esse in suis actibus essentialiter obscuram, aliquā saltem obscuritate. Dixi: *aliquā saltem obscuritate*. Potest enim obscuritas esse multiplici ex capite. Primò ex parte obiecti purè materialis, ut quando non clarè constat de veritate Mysterij: de qua obscuritate dicemus *sec. seq.* Secundò ex parte revelationis, ut quando non clarè constat de revelatione, quamvis constet de infallibili auctoritate personæ: sic communiter, quamvis sciamus Dei testimonium esse infallibile, non sic scimus Deum tale mysterium testatum esse, aut revelasse. Tertio ex parte auctoritatis, ut quando non constat de auctoritate loquentis, quamvis clarè constet de loquutione: sic evenit sapius in fide humana, quando rem credimus ex testimonio alicuius, quem id testari clarè scimus; non tamen sic scimus quousque sit verax, & sapiens: & posset fortè alicui idiotæ evenire non clarè nosse infallibilitatem divini testimonij. Quarto ex parte utriusque, ut quando nec clarè constaret de revelatione, aut loquutione; nec de auctoritate loquentis: sic evenit in humanis, si nec clarè sciremus, hominem testatum esse rem; nec esse firmum eius testimonium.

13 His sic distinctis, sensus conclusionis est, de ratione essentiali nostræ Fidei esse aliquam obscuritatem saltem ex parte obiecti formalis: sic inquam, ut quamvis non requiratur inevidentiam utriusque nempe divinæ auctoritatis, & revelationis, ex quibus coalescit adæquatam motivum credendi, illam tamen requiratur ex parte alterutrius: scilicet aut revelationis, ut evenit regulariter in nobis non omnino clarè cognoscentibus revelationes mysteriorum; aut ex parte auctoritatis, ut

evenit in humanis, & forsan evenire posset in idiota, cui non satis nota foret infallibilitas divini testimonij. Quod non requiratur obscuritas ex parte utriusque, patet: nam ex una parte credentes, quibus est evidens lumine naturali auctoritas infallibilissima Dei, & non sic evidens Dei revelatio, exercent abs dubio divinam Fidem: ex altera verò parte fidem humanam exercemus cognoscentes evidenter loquutionem humanam, & non ita evidenter auctoritatem hominis loquentis. Non ergo requiritur ad Fidem omnimoda obscuritas; sed sufficit aliqua ex parte, ut satis intelligatur assensus obscurus, inevidens, liber, ac meritorius, quo captivatur intellectus voluntariè in obsequium divini testimonij iuxta Paulum 2. Cor. 10.

14 Quod autem obscuritas aliqua requiratur essentialiter ad nostram Fidem; mihi persuadéo quadruplici ex capite. Primò: quia sic habemus fidelius, & conformius loquutionibus Pauli, & Augustini supra relatis: quibus consonat S. Bernardus *lib. 5. de consideratione cap. 6.* sic effatus: *Fides est voluntaria quadam prælibatio nondum pro palata veritatis*. Cum autem possibile sit habitus Fidei requirens pro suis assensibus essentialiter obscuritatem; cumque talem esse, quid de facto datur in nobis, idem tamen nobis significant Scripturæ, Sanctorumque PP. loquutiones; non est cur sic nobis non persuadeamus, ut prudenter adnotat M. Lumbier *q. 12. de Fide num. 688.*

15 Secundò quia sic intelligitur rectè ingens illud meritum Fidei nostræ, quod extollunt eximie SS. Patres ex voluntaria captivatione intellectus in obsequium Fidei, per quam *videmus nunc per speculum in enigmate* iuxta Paulum: quæque iuxta Petrum est *quasi lucerna lucens in caliginoso loco*: quæ omnia in concordia SS. Patrum interpretatione redolent obscuritatem, & inevidentiam nostræ Fidei.

16 Tertio: quia modus ille cognoscendi Mysteria per evidentiam, quam dicunt in attestante; est potius scientia, utpote deducta ex præmissis; aut formalibus, aut virtualibus, veris, certis, & evidentibus sic cognoscenti: evidens enim omnino est, verum esse quod Deus testatur, & evidens tunc etiam esset, Deum id testari: unde scientificè, ac evidenter emanat noticia veritatis talis Mysterij: ergo

2. Cor. 10.

Bernard.

Lumbier.

modus ille assentiendi Mysterio potius esset conceptus ipse scientiæ, quam Fidei; pertinens potius ad lumen habitus scientifici, seu specierum inducentium illas præmissas evidentes per se connexas cum veritate Mysterij, ut est in Beatis, quam ad lumen Fidei viatorum, datum in via iuxta *lucerna in caliginoso loco*.

17 Quarto, & maximè. Quia, si habitus Fidei nostræ esset datus & natus ad eiusmodi etiam assensus omnino claros Mysteriorum cum evidentia in attestante, nulla quidem nobis superest ratio, cur non fuerit in Christo, curve non maneat in Beatis habitus nostræ Fidei: In quibus utique, sicut nulla est ratio negandi eiusmodi assensus, cum evidentia in attestante, non posset otiosus dici habitus Fidei exercibilis, & frequenter exercendus per eiusmodi assensus veritatem, saltem, quas Beati non vident in verbo, sed Deus ipsis revelati loquutione clarè cognita prout vult. In nostra vero sententia otiosus esset, ideoque ibi non extiturus, utpote ineptus ad eiusmodi assensus omnino claros, eo quod essentialiter ad sui exercitium requiratur obscuritatem: sicque stat illud Apostoli: *Cum venerit quod perfectum est*, id est visio, *evacuabitur quod ex parte est*, id est Fides: ratione scilicet obscuritatis, & inevidentiæ, quam præferat iuxta communem sacrorum interpretum expositionem.

1. Cor. 13.

18 Iam ad argumentum oppositum *num. 10.* distinguimus antecedens: scilicet obscuritate stant obiectum materiale, & formale Fidei in statu inepto ad exercendam Fidem, concedo; in statu apto, nego antecedens, & consequentiam. Quavis enim obscuritas non sit obiectum materiale, nec formale Fidei, est essentialis circumstantia constituens utrumque in statu apto ad exercendam Fidem. Hinc ad probationem antecedentis, concesso antecedente, distinguo consequens modo dicto, negando, stare sine obscuritate obiectum Fidei in statu apto ad illam exercendam. Exemplum est clarum in actibus strictæ spei, seu expectationis Theologicæ: in quibus arduitas obiecti, nec est illorum obiectum materiale, nec formale: cum tamen sit essentialis circumstantia, ut exercentur. Et clarus in actibus cuiuscumque desiderij non exercibilium, nisi in obiectum absens; cum tamen absentia obiecti, non sit materiale illorum obiectum: quia ipsa non desideratur; nec formale, quia ipsa non est formale motivum, propter quod bonum desideratur, sed bonitas obiecti absentis: quamvis sit circumstantia essentialis, ut obiectum constituitur in statu apto ad exercitium, modumque tendendi proprium desiderij.

Ad confirmationem *num. 11.* negantur nonnulli in maiori, Deo in se non viso, haberi posse evidentiam revelationis divinæ. Id tamen merito cum alijs concedit Suarez *disp. 3. sect. 8.* quia, Deo intuitivè non viso posset evidenter intuitivè manifestari intellectui creato signum aliquod creatum ex modo suo caracteristico significans, non solum obiectum sic se habere; sed etiam Deum esse qui dicit sic se habere: quid enim hoc veter? Eo autem ipso, Deo non intuitivè viso, haberetur evidentia divinæ revelationis. Quinimo verisimile mihi est, sic evenisse in aliquibus Prophetis: in quibus solet id à SS. Patribus appellari lumen Propheticum. Nec proinde sunt existimandi deterioris conditionis, quasi privati merito speciali, ac commendatissimo Fidei obscuræ, quoad illa Mysteria, quibus ex eiusmodi claro lumine assentiebantur. Quippe habebant simul animum paratissimum frequentibus actibus exercitium volendi credere, etiam si absque speciali illo lumine relinquerentur ordinario modo credendi: per quos actus, & per alios derivatos ab ea specialiori illustratione uberrimè merebantur, compensato sic superabundanter merito Fidei obscuræ.

Suarez.

20 Ex ijs, concessa totâ maiori, negamus minorem de Fide eiusdem speciei, & naturæ cum nostra. Quod si eiusmodi assensus, utpote innixos auctoritati Dei loquentis, velis vocare Fidem alterius ordinis, cum evidentia in attestante, ideoque compatibilem, cum statu etiam beatifico, non multum contenderem, nisi de abusu nominis Fidei nostræ, qua de agimus. Ad probationem minoris, concesso antecedente, negatur consequentia. Nam, ut assensus sit Fides, & ab habitu Fidei nostræ, non sufficit nisi utrumque testimonio Dei: Christus enim, in quo non erat Fides, novit multa divino testimonio; sed requiritur essentialiter ulterius obscuritas aliqua, ut ex Scripturis, & SS. Patribus audivimus: alioquin cur in Christo non esset Fides? Potius ergo pertineret eiusmodi

di assensus ad lumen scientiæ supernaturalis infusæ: quod lumen, si sit permanentis, ut in Beatis, est habitus scientificus etiam Theologicus; si vero transiens in aliquo viatore, essent illustrationes actuales specialissimè illuminantes ad eiusmodi assensus. Habitus enim Fidei nostræ inter multas suas perfectiones, hoc habet imperfectionis, ratione cuius Christo, & Beatis denegatur, quod nequeat suos actus exercere, cum tanto lumine evidentie in astante; sed cum aliqua inevidentia, & obscuritate: cuius imperfectionis taxari videtur ab Apostolo in illa contrapositione: cum venerit quod perfectum est, & achabitur quod ex parte est, scilicet imperfectum, hoc est Fides.

21 Nec mirum, quod habitus Fidei talis constituatur naturæ, ut præ nimia claritate exercere nequeat suos actus in obiectum: Nam simile quid experimur in naturalibus potentijs, ut in oculis nostris: quorum natura cum egeat luce ad videndum, præ ipsorum tamen imbecillitate à nimia luce perstringuntur, ut obiecta non videant. Hanc igitur indolem imitatur noster habitus Fidei: Dices: quid si divinitus confortaretur & elevaretur ad assensus cum evidentia, quam diximus in attestante? Respondemus, quod in eo casu elevaretur hic noster Fidei habitus obedientialiter ad assensus, qui præ nimia claritate non essent Fides, sed scientia: sicut si divinitus elevaretur ad cauendos actus spei, vel charitatis. Quid inde?

### SECTIO III.

An Fides essentialiter debeat esse obscura ex parte etiam obiecti pure materialis? Vbi de incompatibilitate Fidei cum scientia, & opinione.

22 Sensus questionis est: an obiectum Fide creditum debeat esse inevidens, & obscurum, non solum ex parte aliqua, ut diximus *sect. præced.* sed præsertim etiam ex parte materiæ pure creditæ, seu obiecti pure materialis: quod nempe propterea debeat esse credenti non evidentius notum. Est in re querere: an Fides divina sit compatibilis in intellectu creato cum scientia, sive evidentia eiusdem obiecti pure materialis?

23 Non est sermo de Fide, & Scien-

tia habitualibus: Cùm certum sit, quidquid negare tentaverint aliqui apud Suarez *num. 4.* componi in Philosopho Catholico habitum Fidei cum habitu Scientiæ multarum veritatum ex una parte sibi evidentium naturali lumine, & ex alia parte à Deo revelatarum, v. gr. existentia, bonitatis, & providentiæ Dei, ac creationis mundi. Alioquin aut spoliandus esset habitus Fidei, quo idiotæ gaudent; aut habitus Scientiæ, quo gaudent Ethnici. Neutrum autem istorum dici sine temeritate potest.

24 Difficultas ergo est de Fide, & Scientia actualibus eiusdem obiecti: an scilicet actus Fidei usque adeo debeat esse obscurus, ut compati nequeat cum actu Scientiæ, & evidentia eiusdem obiecti materialis. Afirmant communius Thomistæ: & ex nostris Card. Pallavicinus *lib. 5. Affer. num. 164.* & Ant. Perez *tom. 2. disp. 3. de Virt. cap. 8.* Negant ex adverso communiter Authores nostri, ut Cardin. de Lugo, Coninc. Vterque Hurtad. Oxea *disp. 8.* & Haunoldus *Controv. 2.* cum Suarez *disp. 3. sect. 9.* Quoniam verò sensus esse potest, sive de oppositione connaturali Scientiæ cum Fide; sive etiam de essentiali; sive de Scientia abstractiva; sive etiam de intuitiva; sive naturali; sive supernaturali, & infusæ; sive etiam de beatifica; ad omnes doctrina nostra extendenda est.

25 Prima conclusio. Actus Fidei divinæ compati connaturaliter potest circa idem obiectum in eodem intellectu cum actibus Scientiæ naturalis, sive abstractivæ; sive etiam intuitivæ: atque adeo non requirit obiectum pure materiale ita obscurum, ut nequeat esse aliunde scitum, & evidens.

26 Probatum primò: quia Deipara Virgo evidenter scivit, se sine viro concepisse: ipsa, Fidelesque alij evidenter noverant Christum passum, & mortuum, & postea redivivum, & ipsis cernentibus elevatum in Cælos, & alia huiusmodi: tali nimirum evidentia, quali nobis evidentia sunt, multa quæ vidimus, ac videmus, aut audimus: ut & ipsi Apostoli contestabantur Actor. 4. *Non enim possumus, quæ vidimus, & audimus non loqui.* Et Apocal. 1. *Qui testimonium perhibuit verbi Dei, & testimonium Iesu Christi quacumque vidit:* & alibi Ioannes ipse: *Qui vidit testi-*

Thomistæ,  
Pallavic.  
Perez.

Lugo.  
Coninc.  
Hurtad.  
Oxea.  
Haunold.  
Suarez.

Actor. 4.  
Apoc. 1.

Joan... testimonium perhibuit. Et in 1. Canonica cap. 1. *Quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contractaverunt, testamur.* Quis autem existimet defuisse propterea in ijs viatoribus exercitium Fidei Theologicæ circa eiusmodi Mysteria? Præsertim quando eâ scientiâ utebantur: quod illis erat abs dubio frequentissimum. Profectò felix illa experientia, & evidentissima intuitio fecisset eos deterioris conditionis, utpotè impeditiva utilioris, perfectioris, & certioris notitiæ eorundem Mysteriorum: cum Fides supernaturalis certior sit, & abs dubio fructuosior omni evidentia naturali.

27 Secundò. Quia Philosophi plures Catholici sciunt evidenter ex effectibus, Deum esse unum, sapientem, providentem, visibilem, & invisibilem creatorem, summè bonum, & amabilem, bonorum remuneratorem, & punitorem malorum: quas tamen veritates à Deo etiam in scripturis revelatas Fide divinâ credunt, & credere tenentur. Stat ergo in illis Fides simul cum notitia scientifica, & evidenti connaturalissimè. Quippe si propter obicem talis scientiæ non crederent divinâ Fide prædictas veritates aliunde sibi evidentes, nec possent accedere ad Deum, nec ad iustificationem disponi salutariter: clamante Paulo ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quia remunerator sit.* Quis autem dicat, eiusmodi viatores obligatos districte à Deo ad iustificationem, qua ad Deum accedant, non posse se ad id disponere per Fidem; quam tamen ipsis impediret ea scientia: non aliter ab ipsis auferibilis iuxta Sanctum Thomam *quest. 2. art. 9.* nisi quatenus esset in ipsorum potestate non actu considerare eiusmodi veritates? Sic certè quò doctiores, eò essent infœliciores. Et quid de Philosopho Gentili, quem accedentem ad Deum oportet credere quia est? Quomodo enim crederet Deum esse, dum actu habet scientiam de existentia Dei incompatibilem cum Fide eiusdem notissimæ veritatis. Hoc argumentum tetigimus *disp. 1. de Attrib. sect. ...* cuius varias responsiones refutat eruditè Suarez à *num. 5.*

Hebr. 11.  
S. Thom.

To. de Deo  
disp. 1.  
Suarez.  
Caictan.

28 Respondebat Caietanus, necesse quidem esse, accedentem credere: verbum autem credere exponebat pro quocumque assensu certo existentia Dei, quæ iam haberet Philosophos ille, quamvis non

esset assensus Fidei strictæ ex auditu. Hæc tamen responsio recedit à proprietate Sacræ Scripturæ. Quod enim docet Apostolus: *Accedentem ad Deum oportet credere quia est:* & alibi: *Sine Fide impossibile est placere Deo:* de stricta creditione, & Fide interpretantur communi consensu Sancti PP. & quod caput est, Concilium Trident. *Sess. 6. cap. 6.* Addendum, quod post decreta Innocentij XI. nequit iam dici sufficere fidem latam, sumptam pro quacumque noticia ex creaturis. Vnde fit iam improbabilis responsio Caietani: qui in ea quoque latitudine & in Beatis posset admittere Fidem. Fieret intusper, quod si, ut aiunt, notitia illa Philosophica esset naturalis, & per illam accederetur ad Deum eo accessu, quem significat Paulus, ab illa esset initium salutis in Gentili; cum tamen ex Concilijs Arausiano, & Tridentino nõ à notitia naturali, sed à Fide supernaturali ducatur salutis, & iustificationis exordium.

29 Respondebat aliter Canus *lib. 12. Can. de locis cap. 4.* Fidem, seu creditionem ibi à Paulo requisitam esse de Deo ut Authore supernaturali; evidentiam verò Philosophorum Gentilium esse de Deo ut Authore naturæ. Hæc tamen responsio in eo succumbit, quod Philosophis Catholicis obligatis ex Paulo ad credendum Deum esse, ut Authorem etiam naturæ, negat Fidem de hoc articulo, utpote incomparibilem in hac sententia cum Fide de eadem veritate. Vnde est, quod non tam certò, nec tam utiliter assentirentur existentia Dei Authoris naturæ, ac Idiotæ, qui id credunt per Fidem multò certior, firmiore, ac fructuosiore, quam sit evidentia naturalis. Præterea Paulus ibi satis distinguit inter *Deum esse*, quò non significatur Deus ut Author supernaturalis; & inter *remuneratorem esse*; quò id significatur: & de utraque hac veritate pariter requirit Fidem: ergo Fides ibi ab Apostolo requisita pro accessu ad Deum tam in sapientibus, quam in insipientibus est Fides non solum de Deo Authore supernaturali; sed eodem etiam modo: ut Authore naturali. Sicque prorsus evanescit prædicta responsio.

30 Respondebat tertio Vega *lib. 6. in Vega. Trident. cap. 21.* in eiusmodi Philosophis adhuc dari locum Fidei illius veritatis alioquin evidentis: non quoad assensum

intellectus, sed quoad piam affectionem voluntatis, & preparationem animi dispositi ad assensum, etiam si non sibi foret evidens ea veritas. Vnde ait, in Philosophis Gentilibus evenire posse iustificationem absque assensu intellectuali Fidei strictæ. Huius doctrinæ, quam primò tenuit, & postea retractavit Sotus, quamque variè varij censurant, memini *disp. 20. de Grat. num. 16.* A mente Pauli, & ab Ecclesiæ sensu videtur aliena. Nam Fides, quam ibi vocabulo *creditionis* requirit Paulus, Fidem indicat quoad assensum intellectus: credere enim assentiri est. Sicque in hac proprietate accipitur locus Pauli à Tridentino *sess. 6. cap. 6.* Cum enim dixisset, *disponi homines ad iustitiam, credentes vera esse, quæ divinitus revelata sunt*, subdit, scriptum esse, *accedentem ad Deum oportet credere, quia est, &c.* Quis autem negare audeat verbis Apostoli sensum hunc planum, & proprium, quem illis tribuit Tridentinum. Manet igitur in sua vi nostra probatio, quod debeant esse simul in eodem intellectu scientia evidens, & Fides stricta eiusdem veritatis.

31. Probatum tandem à priori ex prærogativa Fidei Theologicæ: quæ est credere Deo super omnia usque ad sanguinem; sicut Spei considerare in Deo super omnia, & Charitatis diligere Deum super omnia: cum prælatione scilicet suorum obiectorum ad opposita quæcumque, ut animadvertit Elparza *quest. 4. de Virut. Theol.* In hoc autem præfertur Fides quibuscumque evidentijs naturalibus, quod præ formali, ac metaphysica ipsius firmitate ex præstantia sui motivi certificat intellectum adversus quæcumque occurrere possint in oppositum: quod nulli competit evidentiæ naturali. Vix enim ulla magis adhæsivè certificat, nos de veritatibus non nisi naturaliter notis, quam certificati essemus ante Fidem de repugnantia multorum Mysteriorum Trinitatis, Incarnationis, & Eucharistiæ; quæ tamen per Fidem credimus firmissimè usque ad sanguinem super omnia. Hinc igitur, cum aliunde nullam dicant contradictionem, ut videbimus, scientia, & Fides de eadem veritate, deducitur, nec esse incongruentiam, nec superfluitatem, illas simul admittere in eodem intellectu: cum certior multò reddatur per Fidem, quam per evidentiæ naturalem.

32. Obijcitur primò Paulinum illud: *Argumentum non apparentium.* Si enim Fides est rerum non apparentium: ergo non rerum aliunde evidenter innotescens, aut intuitivè visarum; ergo stare nequit saltem connaturaliter cum scientia, seu cum evidentiæ de eadem re. Responsio quorundam satis vulgaris est, Fidem esse non apparentium ex motivo Fidei, quamvis aliunde apparentiū. Non tamen satisficit: nā quod aliquā viā apparet, nequit dici non apprens: ergo si Fides est non apparentium absolute ex Apostolo, eorum debet esse, quæ nullā viā apparent: alioquin & quæ intuentur Beati, dici possent non apparere; quia non omnibus vijs ipsis apparent; cum non appareant per viam comprehensionis: & Sol posset dici non lucidus, interpretando per calorem.

33. Respondetur ergo solidè, dici rectissimè ab Apostolo, Fidem esse non apparentium, id est, eorum etiam, quæ alijs non apparent: multa namque, & quidem præcipua, quæ credit, non apparent, quamvis alia etiam credat, quæ apparent. Et hæc quidem, quæ aliquibus doctioribus apparent, non omnibus credentibus sic evidenter apparent: & ne illis quidem doctioribus penes omnia, quæ credunt, apparent: quia motivum credendi, nempe revelatio, quod, ut inferius dicemus, etiam conceditur, non evidenter apparet; sed manet in obscuro, prout ad essentialem obscuritatem Fidei requisivimus *sess. 2.* Atque hinc præmaximè Fidei excellentia commédatur: quatenus intellectus noster, non assuetus firmiter assentiri, nisi rebus visis, aut scitis, assentitur per Fidem etiam non scitis. Quod si scitis etiam, aut visis interdum assentitur per Fidem, non assentitur quia scit, aut quia videt, sed quia à Deo revelantur testimonio non viso, nec sic evidenter scito. Sic ergo admittā planissimè, ac sincerissimè loquutione Pauli, negamus utramque consequentiam: Paulus enim, cum aliunde ibi de Fide loquutus, non propterea negat esse quoque posse rerum apparentium. Simili phrasi 1. Corinth. 13. loquens de Charitate dixit: *Non querit, quæ suæ sunt*; non quia aliquando actu vero charitatis non possumus amare propria etiam commoda; sed quia ex charitate amantur potius, quia Deo amato grata, quam quia nobis amantibus commoda.

Obij-

34. Obijcitur secundò Augustinianum illud: *Fides est, credere quod nō vides; & alibi: Fides, quod non videt, credit: nam si vides, non est Fides; & alibi: Nescio, utrum credere dicendus sit quisque, quod videt: ergo cum scientia saltem intuitiva non comparitur Fides.* Et in hoc partim consentire videtur Haunoldus. Mentem tamen Augustini ijs in locis explorat pro nobis studiose Oxæa à *num. 15.* Ex quo respondetur, ea intelligi iuxta contexturam Augustini, aut de vidente per visionem beatificam, cum qua, ut dicemus, non stat Fides; aut de vidente, qui ea, quæ videt, credit quia videt, & non quia Deus ea obscure testatur. Vnde negatur consequentia de vidente per scientiam naturalem etiam intuitivam, & eadem credente, quia Deus ea obscure testatur.

35. Obijcitur tertio Dominicum illud *Ioan. 20.* ad Apostolum Thomam: *Quia vidisti me, Thomas, credidisti: Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Vbi Gregorius, & Augustinus exponunt, Thomam aliud vidisse, & aliud credidisse: ergo quia quod vidit, non credidit: scilicet ob incompatibilitatem Fidei cum intuitione eiusdem rei. Confirmatur ex ipso Gregor. *Hom. 26. in Evang.* ubi repetit: *Quæ enim apparent, iam non Fidem habent, sed agnitionem: refertque Athanasium similiter eloquentum: Non enim Fides de re evidenti concepta Fides dici poterit.*

36. Respondetur in primis: Verba Christi ad Thomam pro nobis potius stare, quatenus aiunt, Thomam & vidisse, & credidisse. Quod si dicatur, non ex Fide credidisse, non esset ex eo quod non posset Fide credere etiam quod vidit; sed ex eo quod potius id credidit, quia vidit: quia vidisti me, &c. hoc est ex motivo evidentiæ potius, quam ex obscuro motivo Fidei, ut dicebamus *num. 34.* Deinde fateor cum Augustino, & Gregorio, aliud vidisse; aliud credidisse: nam vidit hominem redivivum, & credidit Deum immortalem; cum dixit: *Dominus meus, & Deus meus* quin tamen propterea negare cogamur, potuisse ex Fide quoque credere id quod oculis videbat, & manu tangebatur, ut abs dubio postmodum Fide credidit, ut per Fidem resurrectionis iustificaretur. Nec puto, id unquam à SS. Patribus negari. Increpatio autem tunc Christi ex eo fuit, quia expectavit intuitionem, ut crederet;

& quia ideo credidit, quia vidit; cum debuisset antea credere propter testimonium Christi satis propositum per Apostolos, ut alij crediderunt, antequam viderent: propterea beati qui non viderunt, & crediderunt, utpote hac ex parte fidei, & feciliciores. Hinc consequentia absolute neganda est. Ad confirmationem dico, ea loca intelligi de assensu rerum apparentium, & evidentiū, quibus ideo assentitur intellectus, quia videt: & non quia obscure revelantur.

37. Obijcitur quarto: Nostri Fides est assensus liber, & meritorius; sed de veritate evidenti, utpote necessitante ad sui assensum, non datur assensus liber: ergo neque Fides. Minorem expressit Gregorius Magnus dicens: *Fides non habet meritum; ubi humana ratio præbet experimentum.* Respondetur, concessā maiori, distinguendo mindrem: de veritate evidenti nō datur assensus liber innixus soli motivo evidentiæ, concedo: alter assensus innixus revelationi obscure propositæ eiusdem veritatis, nego: ad hunc enim modum assentiendi Fidei proprium non necessitat evidentiæ veritatis; ideoque liberè, ac meritorie præstaretur: posset enim quis rem à Deo obscure revelatam videns, non assentiri, quia à Deo revelatur; sed quia ipse videt. Sanctum Gregorium sic intelligo, ut neget Fidei meritum, ubi assensus innititur experimento humanæ rationis; non verò ubi non obstante rationis experimento, innititur testimonio Dei obscure revelantis.

38. Urget Cardinal. Pallavicinus apud Haunoldum *num. 303.* Cum enim revelatio, & Autoritas loquentis adhibeatur ad finem obtinendi assensum rei, frustra, & otiosè adhiberetur, ubi iam ex necessitate præ rei evidentiæ præstandus est assensus: sicut frustra adhiberetur præceptum ad opus iam alioquin ex necessitate præstandum. Saltem ergo connaturaliter ratione superfluitatis incompatibiles sunt Fides, & evidentiæ eiusdem rei. Confirmat: quia natura non providit assensus obscuros, ideoque ex genere suo obnoxios deceptioni, nisi ad supplendam infirmitatem nostram circa multas veritates nobis ignotas: neque ab hac regula exemit assensus Fidei infallibiles: ergo stare nequit connaturalis institutio Fidei ad eiusmodi assensus obscuros, ubi veritas est nobis

Qq 2

evi-

evidenter nota, & certa.

39 Per hæc potius videtur intendi à Pallavicino; Deum frustra, & otiosè revelasse res aliunde notas, ut sui existentiam, Providentiam, & alia huiusmodi: quod difficulter persuadebitur; cum hæc, & alia huiusmodi à Deo revelata legamus passim in Scripturis. Respondetur itaque negando antecedens, eiusque probationem à præcepto desumptam. Nam præter assensum rei utcumque est etiam revelationis, & autoritatis finis, assensus propter ipsam obscurè propositam in obsequium loquentis: qui finis non obtineretur per assensum utcumque ex motivo evidentiae: ad hunc autem specialem finem non frustra, & otiosè, sed opportunissimè adhibetur revelatio loquentis de rebus etiam aliunde notis, & per sui evidentiam necessitantibus ad assensum scientificum. Vnde falsa est consequentia. Nec obest, quinimo prodest paritas præcepti: utpote connaturaliter etiam, nec ineptè adhibibilis ad opus; alioquin necessario præstandum: ut nempe ex speciali motivo obedientiae præstetur in obsequium Superioris. Qui modus opus præstandi liber manet, quamvis opus utcumque necessario præstandum esset. Ad confirmationem bene negat antecedens Haunoldus, ideoque consequentiam. Non enim ex eo dumtaxat sine vitandæ deceptionis circa rerum veritates instituit natura assensus obscuros; sed ex fine quoque exercendi fidem, non solum circa res purè revelatas, sive aliunde notas, sive non aliunde notas; sed etiam circa ipsam revelationem obscurè propositam: qui finis honestissimus, & obsequiosissimus persistat, rebus etiam aliunde notis, nec omnino obtinetur nisi per assensum ex motivo revelationis, & autoritatis Personæ loquentis, qui sunt assensus Fidei dignissimi, & obsequiosissimi.

40 Obijcitur denique, Fides est essentialiter obscura, scientia verò & intuitio clara: sed clarum & obscurum simul esse nequeunt: habent enim se sicut lux, & tenebræ: ergo nec Fides & scientia de eadem veritate. Confirmatur: quia lux exigua non illuminat in conspectu Solis; ergo nec Fides in conspectu scientiæ, & evidentiae: atque adeo nequit ad ullum assensum movere coram veritate, evidenter nota. Confirmatur aliter: quemadmodum enim ineptiret, qui alteri scienti, & viden-

ti testaretur res ipsas, quas alter scit, & videt; sic etiam ineptiret, qui eis assentiretur, quia testatur alter, quando ipse illas scit, & videt: ergo non nisi ineptus, imprudens, & impertinens esset assensus Fidei coram scientiâ, & evidentia eiusdem obiecti. Fides autem Theologica nequit esse assensus impertinens, & imprudens. Hæc quidem levissima sunt, enucleatis terminis, quamvis ex cortice magni fiant à non nemine.

41 Respondetur, distinguendo minorem: clarum, & omnino obscurum, quod sit exclusio omnis claritatis, simul esse nequeunt, concedo: quod non sit ita, sed aliquantulum obscurum, & alicuius claritatis exclusio, nego: alioquin nec cum scientia stare posset Beata visio, respectu cuius scientia minus clara est. At certè Fides, quæ *Lucerna lucenti* comparatur, non se habet respectu scientiæ, sicut respectu lucis tenebræ, quæ sunt omnis claritatis exclusio; imo potius sicut lumen alterius generis minus clarum propter inevidentiam saltem revelationis: qua ex parte assensus evadit quidem obscurus: non exclusivè ad alios non sic obscuros; sed positivè ex modo suo assentiendi propter revelationem non visam: diverso quidem ab alijs actibus non sic assentientibus, minimè tamen cum ipsis impossibili. Profectò non magis inter se pugnant Fides & scientia, quam Fides, & non Fides: & tamen sunt simul in intellectu actus qui est Fides, & actus qui est non Fides, qui scilicet ex modo suo assentiendi positivo non est Fides; sed opinio, aut apprehensio eiusdem obiecti crediti per Fidem: & in eadem voluntate unus actus liber, alterque necessarius eiusdem obiecti.

42 Ad primam confirmationem, negatur antecedens: illuminat enim, quamvis illuminet exigue: & multò melius negatur consequentia: quia quamvis lux exigua nihil superaddat luci Solis; lumen tamen Fidei Theologicæ superaddit luminis scientiæ naturalis magnum quid; scilicet certitudinem formalem metaphysicam & assentiri veritati revelatæ super omnia. Ad secundam, negatur totum antecedens, casu saltem quo testimonium alterius aliquid superadderet propriæ intuitioni quoad firmitatem assentiendi. Certè enim non dicitur ineptire Deus revelans, nec ineptimus nos credentes: quia revelat in Scrip-

*Genes. 1.* turis, creasse Cælum & terram *Genes. 1.* hominem nasci ex muliere, & brevi vivere tempore *Iob. 14.* formicam in æstate providere sibi pabulum in futurum *Prov. 6.* *verb. 6.* nō colligi de spinis vvas, aut de tribulis ficus *Matth. 7.* quæ nobis evidentissima sunt. Ineptiret fortassis homo similia attestans scientibus, & intuentibus, quandoquidem eius testimonium nihil superadderet certitudinis talibus evidentijs: nec semper haberet, sicut Deus, serios, utiles, ac honestissimos fines in eiusmodi attestantionibus.

43 Sunt qui non solum in eodem intellectu per diversos actus; quin etiam in eodem actu per diversa motiva dicant compari posse scientiam, & Fidem de eodem obiecto. Sic Hurtad. Card. de Lugo, & Ripalda, quibus, quamvis cum aliqua limitatione, subscribit Haunoldus *Controv. 3.* alios citans cum Molina, & Valentia contra Fasolum, Granadum, Meratum, & Card. Pallavicinum. Moventur: quia nihil præferret contradictionis, quod unico actu assentiat intellectus existentiae Dei, quia ex creaturis innotescit, & quia in Scripturis revelatur: cur autem eiusmodi actus non esset Fides, & Scientia? Dices: quia esset simul liber, & necessarius: naturalis, & supernaturalis, clarus, & obscurus: quæ quidem implicatoria sunt. Contra tamen: quia motivum scientiæ, quamvis necessitaret ad aliquem assensum; non tamen ad assensum, qui simul esset Fides ex motivo revelationis: ergo assensus ille, qui simul esset Scientia, & Fides, non quidem necessario, sed liberrimè exerceretur. Similiter modus ille complexus assentiendi eo ipso quod haberet debitè pro motivo divinam autoritatem, & propter illam assentiretur super omnia, superaret vires naturæ, non minus ac alij actus Fidei: eo autem ipso esset supernaturalis, & nullatenus naturalis. Quod autem ex conceptu Scientiæ non esset supernaturalis, non obest absolute supernaturalitati: sicut nec supernaturalitati Visionis Dei obest, quod non sit supernaturalis ex conceptu actus vitalis. Tandem: nec esset clarus omnimoda claritate, nec obscurus omnimodè obscuritate; sed clarus respectu existentiae Dei, & motivi scientifici; obscurus verò respectu revelationis obscurè propositæ, atque adeo partim clarus, partim confusus: in quo nulla est contradictio. Alias contradictio-

nes minoris momenti meditari nimis philosophicè Card. Pallavic. quibus facit satis superque Haunoldus cit.

44 Secunda conclusio. Cum evidentia quoque scientiæ beatificæ, aut infusæ de veritate obiecti compati potest divinitus Fides de eodem obiecto, non tamen connaturaliter. Ratio prioris partis est: quia rationes pro prima conclusione satis probant, nec in hoc esse essentialem contradictionem: cum posset Deus intuenti sui existentiam, non sic manifestare loquutionem, qua id ipsum attestaretur; sed eam revelationem obscurè proponere. Sicque posset iuxta aliam Providentiam actum meritorium Fidei præmiare Visione sui beatificæ in eodem instanti, quo fieret. Ratione posterioris partis dedimus *disp. de Incarn. sect. ad negandam de iacto Fide in Christo, & in alijs Beatis.* Quia connaturaliter in statu Visionis beatificæ daretur evidentia divinæ etiam revelationis, atque adeo evidentia in attestante: cum qua, utpote excludente omni ex parte obscuritatem, stare nequit Fides, utpote aliqua ex parte essentialiter obscura, ut explicuimus *sect. 2.* Tum quia habenti scientiam beatam, vel infusam supernaturalem, atque adeo metaphysicè certam de obiecto, nihil adderet Fides, nisi obscuritatem, ibi nec ad meritum profuturam: non ergo nisi otiosè, ac proinde non connaturaliter adhiberetur Fides: Vnde est illud Apostoli: *cum venerit quod perfectum est, nempe Visio; evacuabitur quod ex parte est, nempe Fides: & quidem ex natura rei.*

45 Tertia conclusio. Compati simul possunt in eodem intellectu Fides, & opinio de eodem obiecto. Probatio communis contra paucos est à priori. Quia assensus opinativus, quamvis ex se sit formidolosus in actu primo, hoc est, capax formidinis, etiam deliberatæ, qua rationabiliter timeat opinans, nè fortè fallatur; non tamen dicit essentialiter actualem istam formidinem: non enim est semper opinans in actu secundo formidandi. Itaque quamvis Theologica Fides opponatur essentialiter cum eiusmodi formidine deliberala, ut dicemus *disp. 2. sect. non tamen assensu opinativo, utpote non illam essentialiter importante, quamvis illius capaci. Non est ergo, cur compati non possit cum assensu opinativo, circumscripta*

Pallavic.  
Haunold.

Tom. de  
Christo  
disp. 1.

Inf. disp. 2.

ra formidine actuali.

46 Dices. Assensus opinativus reddit intellectum incertum de veritate; Fides verò reddit certum: nequit autem intellectus esse simul certus, & incertus, sicut nec dubius, & indubius eiusdem rei: ergo nec habere simul opinionem, & Fidem. Respondetur, maiorem esse falsam: nam opinio quamvis non reddat intellectum certum, non tamen reddit incertum, si per alium actum certificatur: sicut apprehensio, quamvis non reddat intellectum iudicantem, non tamen illum reddit iniudicantem, dum per alium actum iudicat. Sic ergo dum intellectus est certus, indubius, & securus per Fidem de veritate, nullus alius actus potest illum reddere dubium, & incertum. Quemadmodum dum aer est lucidus, aut frigidus, nulla forma reddit illum tenebrosus, & non frigidus. Porro assensus opinativus habet, per se non reddere intellectum certum; non tamen reddere incertum, quia ad id deberet, nec per se reddere certum, & per se excludere quamlibet aliam formam reddentem certum. Rectè igitur stat absque contradictionis umbra, quòd simul intellectus non reddatur certus per opinionem, & reddatur certus per Fidem: sicut & quod aer non reddatur lucidus per calorem, & reddatur per lucem. Hinc, concessa minori, negatur consequentia.

#### SECTIO IV.

*An Fides Theologica sit virtus mentis: an ita essentialiter vera, ut nullatenus possit ei subesse falsum?*

*Aristol.*

47 Aristoteles 6. Ethic quinque duntaxat ponit virtutes mentis: Sapientiam, Prudentiam, Intellectum, sive Intelligentiam, Scientiam, & Artem: excludens opinionem, & Fidem: quia virtus mentis semper est ad verum; cum tamen Fides, & opinio sæpè fallant. Sed intelligendus est de Fide humana: quòd si divinam agnovisset prorsus certam, & infallibilem, eam abs dubio inter virtutes mentis enumerasset. Nec obstat quod opponit Durandus apud Coninc disp. 16. num. 6. virtutem propriè dici actum, quo ponitur potentia in ultimo perfectionis suo actu debita: sed Fides, cum sit obscura, & iuxta Apostolum imperfecta, non ponit in-

*Durand.  
Coninc.*

tellectum in ultimo perfectionis, utpote perficiendum insuper per scientiam: ergo propriè non est virtus: atque adeò nec virtus mentis. Maior indicari videtur à Philosopho 7. Physic. 3. tex. 11. ubi putant aliqui definitivè virtutem, quòd sit dispositio perfecti ad optimum. Maior autem est falsa, nec à Philosopho eo loco indicata. Quippe ibi, ut notat bene Coninc num. 23. non definitivè virtutem ingenere: alibi autem dixit, virtutem intellectualem esse habitum intellectus ad verum; sicut virtus voluntatis est habitus voluntatis ad bonum. Obiter notandum, quòd si Fides dicitur quandoque virtus voluntatis, intelligitur, aut de Fide pro fiducia, aut de habitu piæ affectionis ad Fidem, à quo est volitio bona credendi. Notandum etiam, Fidem esse virtutem, seorsim etiam à Gratia: quamvis absque Gratia non dicatur viva, sed mortua: utpote per se solum minimè fructuosa ad meritum vitæ æternæ. Et hoc voluit Augustinus dum dixit, nullam esse virtutem, nisi in iusto.

48 His prælibatis disputandum utiliter est: an Fidei assensus ita sit essentialiter verus, ut nec de absolutâ potentia Dei valeat esse falsus, aut eius habitus influere in assensum non verum. Nondum quærimus; an Deus possit testari falsum, ideoque Fides nixa testimonio Dei possit subesse falso: de hoc enim agemus in suis terminis disp. ubi de Autoritate Dei. Sed an, Deo non attestante falsum, possit nihilominus aliunde Fides nostra falsificari; sive credens rem ex motivo divini testimonij existimati, & non existentis; sive præstans assensum, quo stante, possit Deus facere quòd obiectum aliter se habeat, ac creditur per divinam Fidem. Hoc quidem extra controversiam deberet esse, nisi P. Ripalda plus nimio promovere studeret, quâvis non assertivè, falsificabilitatem per potentiam Dei absolutam, loquens in genere de actu supernaturali. Arguit autem multipliciter disp. 59. de Ente sup. & postea disp. 14. de Fide.

49 Arguit primò. Nam quominus actus supernaturalis, atque adeò actus Fidei possit esse falsus, non obstat conceptus supernaturalitatis: Cur ergo non poterit Antecedens probat ex suis doctrinis; conceptus enim supernaturalitatis consistit in connexionione cum Gratia: hic autem conceptus stat in multis entibus supernatura-

*Aristol.*

*Coninc.*

*August.*

*Inf. disp. 5.*

*Ripalda.*

libus, quæ iudicia intellectus non sunt, seorsim à veritate, & falsitate. Sed in primis antecedens est falsum: Deinde in eius probatione adducitur doctrina de conceptu supernaturalitatis, quam ex professo reiecit disp. 18. de Attrib. Quidquid tamen sit de conceptu primario supernaturalitatis; certum esse debet, importari in eo, saltem de secundario, ac prorsus indispensabiliter in creatis superare vires naturæ; ideoque requirere Deum ut specialem sui causam. Dedeer autem & implicat attribui Deo ut causæ speciali errorem intellectus creati, seu actum falsum, non minus quàm mentiri, & peccare, ut adstruimus disp. 18. sect. 4. Addit Anton. Perez cap. 3. num. 7. actum ipsum Fidei nostrum esse loquutionem Dei ad nos: sicque non solum falleret, sed & mentiretur Deus, si actus Fidei noster falsus esset, quia Dei loquutio falsa esset. Id autem probat num. 13. ex 1. Ioan. 5. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se: quò faciunt loquutiones Augustini, & Bedæ, quas ibi subiungit.

*To. de Deo  
disp. 18.*

*Inf. disp. 5.  
Perez.*

*1. Ioan. 5.*

*Augustin.  
Bedæ.*

50 Arguit secundò. Non minus competit actui supernaturali voluntatis bonitas, quàm actui supernaturali intellectus veritas: sed ea indole non obstante dabilis est actus supernaturalis malus: ergo & actus supernaturalis intellectus falsus, qualis esset actus Fidei. Minorem probat, cum in actu supernaturali aliàs bono, quem Deus, aut omnino prohiberet, aut fieri prohiberet absque imperio charitatis: tum in actu supernaturali, quem imperaret homo imperio aliquo pravo: ille enim esset eo ipso extrinsecè malus, quia prohibitus; iste verò malus ex circumstantia finis extrinseci mali. Respondemus, negando minorem, atque adeo consequentiam. In eius probatione utraque pars est mihi falsa, ut tenui disp. 24. de Merito sect. 4. Nec enim, quamvis actus supernaturalis possit prohiberi; vitiari, seu fieri malus possit; sed fieret eo ipso impossibilis; constitutus, inquam, in casu, pro quo semper fuit impossibilis eius elicentia, ut ibi explicuimus ex Anton. Perez; nec ex imperio pravo fieret malus, sed male imperatus, ut ibidè etiam explicuimus, totâ malitiâ manente penes imperium, quòd Deus specialiter causare non potest; ac minimè inficiente actum supernaturalem imperatum, cuius Deus est Author specialis. Sic amor, quo Deum male

*To. de Gra-  
ti. disp. 24.*

*Perez.*

amaremus, non redderet Deum malum, sed male amatum.

51 Arguit tertio. Stare potest actus supernaturalis, ac proinde Fidei assentiens rem existere, quin res existat: eo autem ipso esset falsus: ergo possit esse falsus. Maiorem probat: quia solum pendet ab obiecto, vel per se, vel per speciem sui, in genere causæ efficientis extrinsecæ: sed concurrunt causæ efficientis potest suppleri Deus: ergo non existente re, sive obiecto, stare possit divinitus conservatus actus supernaturalis, atque adeo Fidei assentiens rem existere, quin res existat. Negamus faciliè maiorem. Et distinguimus minorem probationis: si proinde retardatur in Deum aliqua turpitudine, nego: alioquin, concedo. In eo autem casu turpitudine maxima refunderetur in Deum: scilicet fore specialem causam, & Authorem erroris: non præcisè, quia deficeret concursus obiecti in actum; sed quia actu assentiente obiectum existere, deficeret existentia obiecti. Vnde, existente obiecto, ut actus ille dicit, possit Deus suppleri concursum obiecti in actum, cum adhuc actus esset verus; non tamen, non existente obiecto; quia eo ipso esset falsus. Sic nec potest Deus suppleri influxum extrinsecum habitus in actum vitiosum, quia fieret eo ipso causa specialis, Authorque peccati.

52 Arguit quartò. Iudæi fideles ante Messiam adventum credebant Fide supernaturali Messiam venturum: & nato iam Messia, ipsique nondum noto, per aliquod saltem tempus, credebant eodem modo Messiam venturum: sed hic actus iam erat falsus, quandoquidem Messias iam venerat: dabilis ergo fuit actus supernaturalis Fidei falsus. Respondetur negando posteriorem partem maioris: nato namque Messia, iam non credebant venturum Fide divinâ reipsâ supernaturali; sed existimativè ex præsumptione falsâ, quamvis quoad multos tunc temporis inculpabili. Itaque, quamvis existimarent se tunc credere sicut antea; re tamen ipsâ non credebant sicut antea, Fide scilicet supernaturali. Quòd si credebant Messiam adventum pro aliquo tempore præcisè ab hoc, vel illo, quòd erat ipsis invincibiliter ignotum, supernaturaliter credebant; sed tamen verè, ut habet S. Thom. quæst. 1. art. 3. ad 3. S. Thom.

53 Arguit quintò. Parochus, & Catholista magne apud oppidanos autoritatis po-

poteft ipsis proponere, five ex incitia, five ex dolo inter veritates Fidei aliquē errorē, ut Incarnationē Spiritūs Sancti, afferens id quoque revelatum à Deo: Atqui tunc rusticus id crederet Fide divina; & quidem non nisi falsā: poteft ergo divina Fides esse falsa. Minor probatur. Primò: quia crederet propter Dei revelationem sibi à Parocho propositam. Secundò: quia eodem modo proponeretur ipsi Incarnatio Spiritūs Sancti, ac Filij, & obligatio utramque credendi: ergo utramque crederet eodem modo. Tertio: quia discredens in illis circumstantijs Incarnationem Spiritūs Sancti peccaret: & quidem peccato hæresis; sicut si discrederet Incarnationem Filij: ergo quia obligaretur, eodem utramque modo credere: & reipsa crederet eodem modo, fide nimirum divinā supernaturali: & tamen falsā. Respondetur tamen, admissio casu maioris, negando minorem. Non enim adherere possum discerniculis semper intervenientibus, ut contemplantur nonnulli nimis voluntariē, in ipsa propositione, quibus dignosci possit à credituro quocumque, quam verē, quam falsò proponantur: de quo *disp. 5. sect. 9.*

*Inf. disp. 5.*

54 Ad primam probationem minoris dico; quod tunc rusticus ille sic deceptus crederet propter revelationem divinam sibi propositam; non quidem existentem; sed existimatam: sicque actus ille credendi non esset reipsa Fides divina; sed existimativè: nec esset actus supernaturalis, quamvis sic existimaretur; sed naturalissimus, sicut reipsa falsus apud ipsos Adversarios, quamvis existimaretur verus.

55 Ad secundam, concedo antecedens, quoad ipsam, utpote nullius pro tunc discerniculi consciūm. Nego autem consequentiam. Nam veritates reipsa revelatas sic propositas crederet assensu Fidei supernaturalis, verèque divinæ; alia verò non vera, aut non reipsa revelata, quamvis sic etiam proposita, non crederet assensu supernaturali Fidei reipsa divinæ; sed assensu naturali Fidei existimativè dumtaxat divinæ. Nisi forte divinam dixeris illam Fidem, eo quod Dei testimonio credenti proposito niteretur. At divinam supernaturalem & ab habitu supernaturali Fidei Theologicæ elicitam non nisi falsò dixeris. Et idem esset, si unico assensu crederet oppidanus cuncta illa permixtim

vera & falsa ab eiusmodi Catechistâ proposita: quia talis assensus complexus absolutissimè falsus esset. Nec ad id opus est alio discerniculo in re præter realem naturam habitus supernaturalis Fidei Theologicæ ex se repugnantis influere in assensus falsos, aut veritatum reipsa non revelatarum à Deo.

56 Ad tertiam, concedo, quod ille reipsa peccaret, quia ageret contra regulam conscientiæ suæ; ut in simili diximus *disp. 24. de Merito sect. 4.* nego tamen quod peccaret peccato reipsa hæresis; sicut si discrederet Incarnationem Filij. Hoc enim esset discredere veritatem reipsa revelatam, & Mysterium Fidei: at non sic esset discredere Incarnationem Spiritūs Sancti, quæ nec est Mysterium Fidei, nec veritas à Deo revelata, quantumvis per errorem talis existimetur. Arguitivè, & affectivè, inquit non ineptè Magister Lumbier *quest. 4. un. 286.* posset eiusmodi discreditio in prædictis circumstantijs haberi apud Deum, quasi hæresis, ob præparationem animi ad discredendum verè revelata millimo modo proposita. Quod si sic discredens putaret, Deum potuisset revelare Incarnationem falsam, iam contraheret errorem hæreticum intellectualem. Iam in consequentia, non solum est falsum, ut diximus, quod rusticus ille crederet Fidei divina supernaturali Incarnationē Spiritūs Sancti; quin etiam & quod eodem modo obligaretur ad illam credendam, sicut ad credendam Incarnationem Filij similiter propositam. Nam ad istam verè à Deo obligaretur; non verò ad illam, sed obligaretur tantum existimativè per obliquam applicationem regulæ divinæ legis, ut generalius exposuimus *loc. cit. de Merito.*

57 Obijcit tandem argumentum tristissimum, in quod sæpè incidi, quodque, nisi fallor, sæpè dissolvi præsertim *disp. ... de Attrib. sect.* Si supernaturalis actus Fidei, vel Visionis, non posset saltem divinitus esse falsus, dari posset creatura essentialiter æterna: quod implicat; cum essentialis æternitas, sit Attributum specialissimum solius Dei in ore SS. Patrum, & Theologorum. Satius igitur est admittere posse esse falsum, saltem de potentia absoluta Dei. Probatur sequela: quia dari posset actus supernaturalis Fidei, vel Visionis angeli, vel hominis ab æterno producti,

*To. de Grat. ti. disp. 24.*

*Lumb.*

*To. de Deo disp. ...*

dicens de se ab æterno: sum ab æterno, & in æternum: sed talis actus esset essentialiter æternus, si esset essentialiter infalsificabilis: ergo dari posset creatura essentialiter æterna. Probatur minor: si non esset essentialiter æternus, posset esse falsus: ergo si esset essentialiter infalsificabilis, esset essentialiter æternus. Antecedens probatur: eo ipso quod non esset æternus, esset falsus; cum ipse de se dicat esse æternum: ergo eo ipso quod posset non esse æternus, posset esse falsus. Ne ergo asseratur essentialiter æternus, necesse est dicere, posse esse falsum. Plures responsiones affert Quiròs *tom. 1. per totam disp. 33.* Sunt qui negent possibilem eiusmodi actum, ut Borrull *disp. 9. de Attrib. num. 11.* Sed immeritò: nisi forte repugnet in creaturis actus vitalis durans ultra instans.

*Quiròs.*

*Borrull.*

58 Responsio mea fuit, & est, negare sequelam. Ad eius probationem, admissa in maiori possibilitate talis actus, nego minorem. Ad probationem minoris, nego antecedens: cum enim actus non dicat, nec possit dicere, se esse essentialiter æternum; non falsificaretur, quamvis non esset essentialiter æternus, dummodo esset æternus. Ad probationem antecedentis in primis verum non est, quod eo ipso, quod non esset æternus, esset falsus: nam si nunquam esset, non esset æternus, & tamen non esset falsus; addi ergo debet, quod si esset, & non esset æternus, esset falsus: & sic est verum antecedens: falsa tamen consequentia: nam ut possit esse falsus, requiritur, quod posset coniungere sui existentiam, & assertionem; cum non esse ab æterno: quod de nulla potentia fieri potest: ut autem possit; non esse æternus, non id requiritur, sed sufficit quod possit nunquam extitisse: quod nullatenus implicat. Hinc ultima subillatio neganda est. Quæ omnia, penetratis terminis, videntur satis clara.

59 Insistes tamen. Actus ille, si essentialiter est verus, quamvis non indefectibiliter, sed contingenter habeat existere, & extitisse, nequit tamen existere, quin sit æternus; sicut nec quin sit verus, vitalis, & supernaturalis: eodem igitur modo est illi essentialis æternitas, quo veritas, vitalitas, & supernaturalitas; & sicut homini rationalitas: quippe nequit esse quin sit rationalis, quamvis non nisi contingenter habeat nunc esse rationalem; esse homi-

nem, & existere: ergo eo modo, quo esset essentialiter verus, esset essentialiter æternus: aut, si non esset essentialiter æternus, non esset essentialiter verus; atque adeò posset esse falsus.

60 Otiosum esset hic transcribere multa notata digna, quæ in simili dedi *disp. 2. de Attrib. sect. ...* cum facilius sit cuique ibi ea sibi legere; circa discrimen harum propositionum: *homo est existens: homo est rationalis:* quarum prima est accidentalitatis; secunda, essentialitatis; quamvis tam existentia, quam rationalitas hominis sint ipsa essentia hominis. Ex ibi scriptis respondeo in præsentis, concedendo rotum antecedens: notando tamen, quod actus ille nequit existere, quin sit verus, & quin sit essentialiter verus; bene verò quin sit essentialiter æternus, quamvis non quin sit æternus. Concedo deinde primam consequentiam: quia tamen æternitas, quam veritas sunt illi non aliter essentialitatis, nisi ex suppositione contingenti, quod actus sit: si enim non esset; nec verus; nec æternus esset. Quo etiam modo est essentialitatis homini rationalitas; nempe, si homo sit: si enim non esset, nec homo, nec rationalis esset: ea namque suppositio; cum sit contingens, facit, quod homini deficienti deesse possit rationalitas eo modo; quo illi deesset esse hominem; quamvis implicet homini permanenti deesse rationalitatem; sicut & esse hominem. Negatur tamen absolutissimè tota secunda consequentia.

61 Et de rationem sedulo animadvertendam, & ex terminis aptè usurpatis satis perspicuam. Nam illæ propositiones: *actus est essentialiter verus: homo est essentialiter rationalis:* & aliæ huiusmodi, sunt æternæ; ut aiunt, ac necessaræ veritatis, præcisim à tempore; sicut à loco enunciantes identitatem suorum terminorum respectivè: exponibiles utique per istas: *si est homo, est rationalis: si est actus ille, est verus:* & nequit aliter esse, si est undeque est; quod ubi est homo ibi est rationalis, & quando est homo tunc est rationalis: & non aliter. Quod si eiusmodi propositionibus adderetur notula, absolute, ac determinate indicans tempus, sicut & locum, iam essent falsæ, v.g. *Homo essentialiter est nunc rationalis: Actus ille nunc essentialiter, aut in hoc loco est verus:* cum enim homo, & actus ille non sint essentialiter hic, & nunc; sed contingenter; nec homo

*To. de Deo disp. 2.*

est essentialiter hic & nunc rationalis, sed contingenter; nec actus ille est essentialiter hic & nunc verus, sed contingenter. Ob hoc, ut diximus *loc. cit.* ista est falsa: *homo est essentialiter existens*; quia quamvis existentia sit ipsa essentia hominis; hic tamen modus enunciandi ex usu terminorum est absolute consignificans de tempore presenti, & secum involvit notulam, *nunc*, quæ aliam etiam propositionem: *Homo essentialiter est nunc rationalis*; redderet falsam: quia esse nunc rationale, est absolute contingens. Hoc igitur ipsum dicimus, ac dici necesse est, de illa propositione: *Actus ille est essentialiter æternus*: quia per prædicatum: *æternus*: enunciat absolute existentiam actus pro semper, atque adeo pro nunc: de nullo autem ente, quod potuit nunquam esse, dici verè potest, quod essentialiter est nunc, ac proinde nec quod essentialiter sit æternum, sed contingenter, ex suppositione scilicet contingenti, quod sit, cum potuerit nunquam esse. Vno verbo: actum esse æternum, involvit esse nunc: quemadmodum ergo non nisi falso dicitur: *Actus est essentialiter existens*: quia per prædicatum, *existens*, absolute consignificatur, essentialiter esse nunc: sic & a fortiori non nisi falso dicitur: *Actus est essentialiter æternus*: quia per prædicatum, *æternus*, absolute consignificatur, esse essentialiter semper, ac proinde & nunc: quod repugnat enti contingenti existenti.

62 Dices: ergo si eiusmodi propositio non id, sicut de facto, consignificaret; sed solam identitatem, seu connexionem sui cum sua æternitate, exponibiliter nimirum per supradictas conditionales æternæ, quod aiunt, veritatis, esset vera. Concedimus consequentiam: sicut, si istæ voces: *Homo est essentialiter rationalis*; ex alio hominum instituto absolute consignificarent, esse nunc, aut in hoc loco essentialiter rationale: esset falsa, & non æternæ veritatis. Sic tamen immutatâ significatione vocum ex usu diverso terminorum, nihil concederetur enti creato proprium solius Dei, nempe esse essentialiter æternum cum necessitate semper existendi absolutissimâ, prout ex præsentis vocum institutione, & usurpatione consignificat ea propositio à nobis negata, & ab omnibus neganda: *Actus ille est essentialiter æternus*.

63 Urgent: sequeretur saltem, quod actus ille esset essentialiter indestructibilis, si non posset esse falsus: at hoc æquè repugnat, ac esse essentialiter æternum: dicendum est ergo, posse esse falsum. Probant sequelam: nam actum destrui, dicit, actum fuisse, & postea desinere esse: cum ergo actui essentiali veritate semel dicenti se semper extitit, repugnet non existere, postquam semel extitit, repugnat illi sui destructio: sicque esset essentialiter indestructibilis. Quod autem hoc sit æquè repugnans, & absurdum, probatur. Primum: quia derogaretur valde dominio Dei: cui dicitur Sapient. 11. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses*. Secundum: quia est tribuere creaturæ attributum immortalitatis essentialis: quod non minus, quàm æternitas, est proprium solius Dei. *Qui solus habet immortalitatem*, ex 1. Timoth. 6. 1. Tim. 6;

64 Respondetur, discernendo solenter inter indestructibile, & æternum. Æternum dicit nunquam deficere: unde essentialiter æternum dicit essentialiter repugnantiam deficendi, ac proinde essentialiter indestructibilitatem, attributaliter propriam Dei essentialiter æterni, & essentis per essentiam. Indestructibile solum dicit repugnantiam deficendi postquam extitit: unde essentialiter indestructibile solum dicit essentialiter repugnantiam deficendi postquam extitit; non verò absolutam repugnantiam deficendi: sicut destrui, est, rem deficere postquam extitit; non verò, rem præcise deficere: nam secundus mundus deficit, & non destructus est; cum non defecerit postquam extitit. Hinc concedo sequelam maioris: & nego in minori esse absurdam propter prædictum discrimen essentialis æternitatis, & indestructibilitatis. Quod essentialis indestructibilitas non dicit essentialiter & absolutam indestructibilitatem, cum convenire possit rei semper deficienti; sed indestructibilitatem ex suppositione contingenti, ac defectibili, quod semel extiterit: essentialis autem æternitas dicit essentialiter indestructibilitatem & absolutam necessitatem semper essendi, repugnantem omni enti creato, & attributaliter propriam solius Dei.

65 Ad primam probationem minoris, negamus sic quidquam derogari vero dominio Dei: cui utique semper subiacet actus ille, quantumvis essentialiter inde-

structibilis, utpote intrinsecè defectibilis, & potens nunquam fuisse, & non nisi contingenter existens pro libito Dei semper potens facere, quod nunquam extiterit, ut explicuimus *disp... de Attrib. sect...* Quod autem fieri à Deo non possit, quod postquam semel extitit, non existat, cum pro semper implicet semel fuisse, & postea non esse, nihil detrahit dominio Dei; sicut nec quod nequeant ab ipso destrui extrema, nisi destruendo unionem, nec res multæ, quas revelavit æternas, nisi impeditâ revelatione, ut ex Anton. Perez notavimus *disp... de Attrib. sect... & disp... de Incarn. sect....* & alibi sæpè: provenit enim à naturis rerum, quas pro libito ac dominio suo producit Deus: cuius realisimum dominium non est ad chimeras, ut ad faciendum hominem non rationale. Testimonium Sapient. 11. solidè manet in sua veritate: nihil enim certè permaneret, nisi Deus voluisset: quia nec actus ille essentialiter indestructibilis permaneret, nisi Deus voluisset illum producere, & conservare.

66 Ad secundam: negamus etiam eiusmodi actui competere proinde posse immortalitatem attributaliter Dei propriam. Hæc enim, ut in explicatione huius attributi diximus *disp... de Attrib. sect...* præter rationem viventis indestructibilis involvit essentialiter & absolutam indestructibilitatem: quæ quidem eiusmodi actui æterno, ac indestructibili nequaquam competeret, ut vidimus.

67 Conclusio nostra, & ab omnibus omnino tenenda sit, actum Theologicæ Fidei nullatenus esse posse falsum. Quod est ira certum, ut nec post hæc argumenta ausus fuerit Ripalda oppositum asserere: quod Hurtad. & Lorca temerarium censent apud Haunoldum *traçt. 1. cap. 5. Controv. 2.* Profecio Trident. *Sess. 6. cap. 9.* supponit aperte, actui Fidei nostræ non posse subesse falsum. Accessit denuo Innocentiana prohibitio huius propositionis: *Assensus Fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; imò cum formidine, qua quis formidet, nè non sit loquutus Deus.* Porro si Fides potest esse falsa, utpote nixa revelatione propositâ, reverâ non existente, non solum staret cum notitiâ probabili; quin etiam cum falsâ revelationis: nec solum stare posset cum formidine, sed cum eo

etiam, quod non esset loquutus Deus. Ex quibus fit mihi usque adeo intrinsecè vera, & infalsificabilis divina Fides, ut de nulla potentia posset assentiri falso, etiamsi per impossibile à Deo revelaretur.

68 Præterea quia si actus Fidei supernaturalis posset illo modo falsus esse, Deus, utpote specialis causa actus supernaturalis, esset Author falsitatis: & exhiberet auxilia gratiæ suæ excitantia, & suadentia ad sic sibi credendum, ac proinde ad errorem. Id autem nec de potentia Dei absoluta dici potest: imò minus de absolutâ, quàm de ordinariâ, ut scitè ponderat Anton. Perez *num. 4.* Nam supernaturalitas Fidei est ad reddendos nos certiores, ac securiores: actus autem ille falsus, habens eò plus supernaturalitatis, quo præter alios, ut falsus esset, egeret specialiori, ac miraculosiori Dei concursu, utpote non nisi divinitus, & per novum miraculum falsificandus; & uberiori supernaturalitate, quæ deberet nos reddere securiores de veritate, redderet non solum formidolosos, quin etiam deceptos, & illusos: quod non modo falsum; sed monstruosum est. Huc facit alia ratio, quam instituit Card. de Lugo *Luço.* tendens ab absurdo, quod, si Fides de potentia absoluta posset esse falsa; de ordinariâ posset.

69 Insuper ex eodem Perez *num. 8.* Quia assensus Fidei est actus credendi Deo; sed actus credendi Deo nequit esse falsus: ergo neque assensus Fidei. Probatur minor: id enim quod tunc crederemus Deo per actum falsum, aut esset in re dictum à Deo, aut non: si dictum à Deo; cum sit falsum: Deus mentitus esset: quod est blasphemum. Si non dictum à Deo; ergo id revera non crederemus Deo, quâvis sic existimarem: essetque Fides divina dumtaxat existimative, non realiter: sicut revera non succurrit inopi, qui succurrit diviti, quem existimaret inopem. Nec adhuc dato, quod quis re ipsa exerceret virtutem charitatis, succurrens sic inopi existimato, quia revera vult succurrere inopi; sequitur, quod exerceret assensum intellectualem Fidei, qui crederet Deo existimative tantum loquuto; sed ad summum quod affectio pia credendi, esset credendi Deo in re loquuto. Eo autem ipso quod non crederet Deo in re loquuto, opinans, posse per eam fidem credere Deo in re non loquuto, non redderetur per talem

To. de Deo  
disp...

Perez.  
To. de Deo  
disp...  
De Christo  
disp...

To. de Deo  
disp...

Haunold.  
Trident.

Innoc. XI.

Perez.

Luço.

Perez.

creditionem magis securus de veritate, quam per opinionem: sicque maneret expositus formidini, quam excludere debet Fides.

70 Demùm: quia sic rueret firmitas Theologica Fidei nostræ. Possimus enim cum illa timere, ne forte fallat nos per potentiam absolutam Dei; neve per illam credamus non revelata, ut revelata. Quis namque noverit, an utatur Deus aliquando potestate illa suâ absolutâ faciens Fidei suæ subesse falsum? Huc redeunt, quæ punctim contra hoc retulimus num. 67. ex Trident. & Innocentio XI.

### SECTIO V.

*Quousque Theologica Fides certa sit: & an certior omni evidentiâ naturali?*

71 **C**ertum est ex Fide, Fidem divinam esse certam. Tob. 3. *Pro certo habet omnis, qui in te credit.* Et 2. Timoth. 1. *Scio cui credidi, & certus sum, &c.* Incertum est tamen, aut saltem non ita certum, quo in gradu, & genere certitudinis certa sit? Quocirca triplex distingui solet certitudo. Una obiectiva: altera Adhæsiiva: alia Formalis: quarum varias variorum explicationes habes apud Oxæa disp. 7. sect. 1.

72 Obiectiva certitudo dicitur, quando, aut motivum propter quod assentimur veritati, connectitur cum illa, aut quando obiectum, quod verè cognoscitur, aliter ac cognoscitur, se habere non potest. Si hæc obiecti impossibilitas aliter se habendi est solum moralis, certitudo est moralis; si physica & connaturalis, certitudo est physica; si verò essentialis, & metaphysica, erit certitudo metaphysica: obiectiva tamen solummodo: quæ quidem vix meretur nomen certitudinis: quia quod obiectum non possit aliter se habere, non est ex perfectione actus sic iudicantis; sed ex natura obiecti, & per locum extrinsecum respectu actus.

73 Certitudo formalis, quæ absolute, magisque propriè est certitudo, & vocari quoque solet, *subiectiva*, est intrinseca necessitas actus veri, quatenus assertivi, seu enunciativi, non sic iudicandi de obiecto, si obiectum aliter se haberet in re. Addit itaque actui supra esse verum, non posse esse falsum ex propria actus perfectione,

& per locum intrinsecum. Si moraliter dumtaxat nequit esse falsus, erit certitudo formalis dumtaxat moralis; si physice, physica; si essentialiter, & metaphysice, metaphysica: cum qua nec divinitus evenire potest, quod stante tali actu sic iudicante, obiectum aliter se habeat.

74 Certitudo *adhæsiiva*, quam alij vocant *affectivam*; alij etiam subiectivam; est potius certificatio sic iudicantis, qua firmiter, sive deliberatè, sive ex necessitate, adhæret iudicio suo vero; citra formidinem, quod possit esse non verum; aut quia repellit, aut quia non animadvertit motiva dubitandi: ideoque dicitur ab eo iudicio non posse in oppositum dimoveri, sive præ affectu potentissimo voluntatis; sive præ evidentia veritatis intellectui patentissimæ. Similem adhæsiionem, & certificatiionem potius quam certitudinem habent interdum aliqui ad suas opiniones; imò & hæretici ad errores suos. In quibus tamen eiusmodi adhæsiio est imprudens ultra merita motivorum sui iudicij. Quando iudicium est re ipsa falsum, ut in hæreticis, & interdum in opinantibus, adhæsiio illa non est absolute certitudo, sed solum existimativè, seu affectatè: quinimò est vitiosa tenacitas, & pertinacia. Omnis enim restè dicta certitudo supponit veritatem actus firmam in indivisibili, additque firmitatem suscipientem magis, & minus. His qua potui dilucidatione prænotatis, dicam meos sensus circa difficultatem propositam de certitudine nostræ Fidei.

75 Prima conclusio. Certitudine obiectivâ, quæ minus propriè certitudo dicitur, semper divina Fides est certa uno modo; alio modo non semper: semper tamen certissima; quamvis nunquam certior omni evidentiâ naturali. Probantur & explicantur quatuor partes conclusionis. Prima: quia unus modus certitudinis obiectivæ stat in connexionione obiecti formalis, seu motivi assentiendi cum veritate obiecti materialis, cui assentimur: in Fide autem motivum assentiendi est Dei revelatio essentialissimè connexa cum veritate rei revelatæ: in hoc ergo modo certitudinis obiectivæ nihil est obiectivè certius. Secunda: quia modus alius certitudinis obiectivæ stat in eo, quod obiectum non possit aliter se habere. Cum autem inter obiecta Fidei alia sint necessaria, ut existentia Dei; alia secundum se contingencia,

ut

ut peccatum Angelorum, & hominum, quæ quamvis nequeant aliter se habere stante Dei revelatione; secundum se tamen non potuerunt non esse, & sic non à Deo revelari; sequitur, quod aliquando Fides, non semper habeat hunc modum certitudinis obiectivæ, seu absolute necessitatis rerum, circa multa scilicet absolute contingencia, quæ credit. Tertia: quia, non obstante hac absolute contingencia multarum rerum; divina tamen revelatio, cui innitur Fides, semper habet essentialissimam connexionem cum eo quod res non sint aliter ac revelantur: & sub hac essentiali connexionione obiectiva sui obiecti formalis cum materiali revelato creduntur à Fide: ac proinde sub certitudine obiectivæ metaphysicæ, imò & opiniones enunciantes veritates in se metaphysice necessarias: ut evidentia naturalis de Omnipotentia Dei; & assensus aliquis probabilis de Trinitate: hæc autem veritates obiectivæ tam certæ sunt obiectivè, & in se, ac qualibet certitudo obiectiva Fidei: ut explicatis terminis est per se clarum.

76 Secunda conclusio. Certitudine adhæsiivâ est quoque certa Fides: non tam adhæsiivè certa, ac evidentia supernaturalis beatifica: simpliciter tamen certior qualibet evidentiâ naturali: quamvis secundum quid minus. Probatur, & explicatur per partes. Quoad primam: quia Fides nititur infallibili testimonio Dei, quamvis non omnino evidenter noto; taliter tamen proposito per signa credibilitatis, ut evidens & extra dubium sit, posse ac debere prudenter credi: sicque non movemur ad assentiendum utcumque; sed ad assentiendum firmiter super omnia incompatibiliter cum dubio, & cum deliberatâ formidine de opposito, quod assensibus opinativis minimè competit. Hæc autem est adhæsiiva certitudo. Quoad secundam: quia per evidentiam supernaturalem beatificam sic adhæret intellectus veritati sic visæ, ut necessitetur ad non dissentendum, & nec indeliberatam formidinem, aut dubietatem patiatur: talem autem, & tantam adhæsiionem non importat obscura Fides. Quoad tertiam: quia firmius adhæremus Fidei, quam evidentiam naturali. Hoc voluit Chrysost. Homil. 12. in Hebr. *Fides dici non potest, nisi cum circa ea, quæ non videntur, amplius quam circa ea, quæ vi-*

Chrysost.

dentur; certitudinem quis habuerit. Hoc Augustinus 7. Confess. 10. *Facilius dubitare, vivere me, quam esse veritatem, quam audi in corde.* Hinc dicimur Fide credere prælativè super omnia, contra quodlibet motivum oppositum, usque ad sanguinem; quod pro nulla evidentia naturali faceremus. Hinc etiam Paulus ad Galatas: *Licet nos, aut Angelus de Cælo evangelizet vobis præterquamquod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Ergo prælativè, & ut ita dicam, appetitivè, ac simpliciter, & absolute loquendo certior esse debet adhæsiivè Fides nostra, qualibet evidentia naturali. Addidi tamen in conclusione: *quamvis secundum quid minus:* quia non obstante hac maiori certitudine adhæsiivâ, prælativâ, & appetitivâ Fidei nostræ, patitur ob suam obscuritatem formidines indeliberatas, & non necessitat ad assensum: cum tamen evidentia naturalis præ sua claritate necessitet saltem ad non dissentendum, nec indeliberatas formidines ita patiatur in oppositum. Hæc autem vocari potest adhæsiio quedam *secundum quid* maior: hanc enim non sic habet Fides.

77 Tertia conclusio. Certitudine formalis, quæ absolute, magisque propriè certitudo est, semper est divina Fides metaphysice, ac essentialiter certa: æquè certa, ac quælibet evidentia supernaturalis: certior qualibet naturali. Explicantur etiâ & probantur tres partes sigillatim. Prima: quia, ut vidimus *sect. præced.* Fidei assensus ita essentialiter est verus, ut de nulla potentia possit esse falsus: taliter nimirum ut titulo & ex perfectione enunciationis suæ omnino infalsificabilis implicet, illum sic dicere, & obiectum aliter se habere. Hæc autem est formalis, & propriissima certitudo metaphysica. Quam si aliquantulum videtur negasse Durandus, est, quia certitudinem cum evidentia confundebat. Id significavit S. Petrus Act. 2. ubi proponens veritates Fide credendas exclamat: *Certissime sciat ergo omnis Domus Israel.* Secunda: quia, sicut repugnantia metaphysica fallendi consistit in indivisibili, similiter infallibilitas essentialis, & certitudo metaphysica: eo igitur ipso, quod illa repugnantia, & ista infallibilitas pertingat ad gradum usque essentialis ac metaphysicæ repugnantia, ac certitudinis, pertingit ad certitudinem formalem, qua in ratione cer-

Augustin.

Galat. 1.

Durand.



certitudinis maior esse non possit : atque adeo exæquat certitudinem formalem cuiuscumque evidentiæ , etiam supernaturalem, ac beatificam. Tertia: quia nulla evidentiæ naturalis titulo & ex perfectione suæ assertionis , seu quia ipsa sic enunciat, habet talem connexionem cum eo quod obiectum sic & non aliter se habeat in re, ut ex eo speciali titulo repugnaret aliter se habere: sed hoc, ut vidimus, habet titulo suæ perfectionis enunciatiivæ actus Fidei : ergo formali certitudine certior est qualibet evidentiæ naturali. Maior probatur : quia non est unde tantum perfectionis tribuamus assensui creato naturali, quantumvis evidenti: imò nec actui naturali Fidei, de quo P. Oxea *sect. 3.* cum non habeat specialem illam participationem primæ Veritatis, quam habet assensus supernaturalis de ordine divino: quapropter dicendus est formaliter certior qualibet evidentiæ naturali. Quo respexisse videtur S. Petrus, dum comparativè ad Scientias naturales Philosophorum scripsit de Fide nostra : *Habemus firmiorem Propheticum sermonem: cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.*

Oxea.

2. Pet. 1.

78 Obijcies primò contra secundam conclusionem præsertim quoad tertiam eius partem. Non maiorem adhesionem habet homo ad assensus Fidei divinæ circa veritates re ipsa revelatas, quam haberet ad alias, quas deceptus à Catechista sincere, falso tamen putat, esse revelatas: aut quam haberet alter ad assensum naturalem veritatis Fidei ob revelationem, quem putaret esse supernaturalem; aut quam haberet Hæreticus, imò & Catholicus ad aliquem errorem, dum invincibiliter animo sincero putat esse veritatem à Deo revelatam. Atqui ad huiusmodi assensus falso subnixos non datur maior adhesio, quam ad evidentiæ naturales : ergo neque ad assensus Fidei divinæ. Maior patet: nam in prædictis casibus æquè obligaretur homo depellere formidines, & dubietates insurgentes còtra ea, quæ sic crederet; easque veritates sive reales, sive existimatas præferre cuilibet opposito, paratus pro illis mori, nõ secus ac pro vera Fide. Minor autè probatur per experientias aliquorù, qui errores eiusmodi invincibiliter didicerunt, reducti postea per Ministros Catholicos dediderunt: ab evidentijs autem, per quas norunt, *bis tria esse se, & se ipsos vivere, & ab alijs*

huiusmodi veritatibus, non ita recessuri: ergo quia certitudine adhæsiva certius, ac firmius istis assentiuntur, quam Fidei.

79 Negarunt aliqui maiorem ex Tànero apud Oxeam *num. 47. & 57.* dicente, in eo, qui ex Fide supernaturali credit, ab ipso interno lumine Fidei derivari nescio quid maioris certitudinis adhæsivæ, quam in alijs veram Fidem divinam non exercentibus. Huc pertinet discerniculum veri à falso, quod alij pie meditati sunt. Ex quibus Anton. Perez *disp. 2. cap. 3. num. 41.* ad Dei Providentiam revocat non finire, quod sincere credituro proponantur eodem prorsus modo falsa & vera: ideoque in prædictis casibus non dari tam firmam adhesionem, ac cum vera ex Fide supernaturali credimus. Aliter huiusmodi discerniculum sibi explicat Card. Pallavic. aliter P. Esparza : quos tamen insequitur Haunoldus *cap. 2. contr. 3. & de hoc nos disp. 5. à sect. 9.*

Tanner,  
Oxeai

Ant. Perz

Haunold,

80 Respondetur ergo, distinguendo maiorem: non maiorem adhesionem haberet existimativè apud se, concedo: nam ille non discerneret inter unam, & aliam: realiter apud Deum, nego maiorem: nam revera adhesio ad assensus veritatum à Deo revelatarum esset adiuta, & roborata per gratiam internam Spiritus Sancti: quæ non roboraret adhesionem ad assensus alios errantes. Ad probationem maioris dico, quòd obligaretur tunc homo adherere ad omnes illos assensus eodem modo propositos; cum discrimine tamen, quod ut adhereret supernaturalibus Fidei assensibus, obligaretur re ipsa à Deo; ad alios autem nõ nisi existimativè per obliquam applicationem regulæ divinæ legis, ut ex dictis *disp. 24. de Merito* tetigimus obiter *num. 56.* Hinc, concessa minori, negatur consequentia. Nam ad assensus Fidei divinæ habet adhesionem illam affectivam verè roboratam gratiâ Spiritus Sancti, quæ nõ adiuvat ad alios erroris subiectos. Atque hinc est quod verè adducitur in probatione minoris de illis experientijs. Cum enim illæ adhesiones non roborentur interius per gratiam Spiritus Sancti, imò Gratia Spiritus Sancti per Ministros Catholicos agat internè contra ipsas, facilius illi homines decepti, ab illis dimoventur, quam ab evidentijs naturalibus, contra quas non pugnat Gratia Spiritus Sancti. At pro adhesionem ad assensus super-

na tu-

naturales Fidei divinæ pugnat Gratia Spiritus Sancti contra quodlibet oppositum: ideoque firmatur maior adhesio appetitativa, quam ad evidentiæ naturales non subnixas testimonio Dei, ut ex SS. Patribus, & Scripturis firmavimus *num. 76.*

Oxea.

81 Obijcies secundò contra tertiam conclusionem, præsertim quoad primam eius partem. Ex P. Oxea, contendente ad certitudinem formalem metaphysicam non satis esse infallibilitatem illam assensus ut enunciativi. Demus, inquit, Prophetam, cui Deus immediatè loqueretur, ipso cognoscente loquutionem esse Dei. Demus deinde, quod ex errore invincibili putaret Deum posse loqui falsum. Eo in casu, assentiens veritati propter illam revelationem, haberet assensum verum, & formaliter, ac metaphysicè infallibilem: sed non formaliter, ac metaphysicè certum: ergo ex veritate metaphysicè infallibili assensus Fidei, non satis benè deduximus formalem illius certitudinem. Maiorem probat: quia talis assensus haberet pro motivo veram Dei revelationem intrinsecè infallibilem: ergo esset formaliter infallibilis, & essentialiter metaphysicè verus. Probat autem minorem: quia, cum Propheta putaret, Deum posse loqui falsum, esset eo ipso timidus, & formidolosus de veritate: ergo talis assensus non esset formaliter metaphysicè certus, quantumvis essentialiter infallibilis; quinimo intrinsece infirmus, & formidolosus ex modo suo assentiendi: sicut è contra in hæreticis datur assensus falsus, habens modum assentiendi firmum: ergo præter essentialem infallibilitatem aliquid ultra requiritur ad formalem certitudinem, qua formaliter certificetur intellectus credentis.

82 Respondetur, admissio roto casu, negando maiorem: & concessio antecedente probationis, negatur consequentia. Nam assensus ille, quamvis haberet pro motivo revelationem Dei re ipsa infallibilem; non verò ut infallibilem sic credenti, existimando illam fallibilem, utpote loquutionem Dei apud se potentis loqui falsum. Vnde concessa minori, negatur consequentia: statque doctrina nostræ conclusionis, & explicationis certitudinis formalis metaphysicæ. Quod additur in probatione minoris, assensum falsum in hæretico habere modum assentiendi firmum, negatur de formali firmitate, quæ quidem est se-

curitas veritatis. Habet ergo dumtaxat hæreticus obfirmationem adhæsivam affectivam: quæ non est formalis certitudo, utpote non cadens nisi supra verum; sed in eo potius pertinacia supra falsum. Nec proinde dabilis est assensus metaphysicè formaliter infallibilis in modo suo assentiendi intrinsece infirmus; quamvis ab extrinseco propter obscuritatem pati possit formidines involuntarias. Sic ferme P. Borrull *disp. 1. de Attrib. num. 75.*

Borrull.

83 Obijcies tertio contra eandem tertiam conclusionem quoad secundam partem. Quòd plura sunt capita, per quæ repugnat, assensum falli, eò sit formaliter certior, sicut eò firmius adificium, quo pluribus columnis firmisimè sustinetur. Sed in multis evidentijs supernaturalibus, præsertim in Visione beatifica plura sunt capita, per quæ repugnat falli, quam in assensu Fidei: ergo Fides non est æquè formaliter certa ac qualibet evidentiæ supernaturalis. Maior probatur: si enim Deus iuraret id quod dicit, certior redderet assensum nostrum, quàm si simpliciter dicat: quia nempe tunc ex duplici capite repugnaret, rem aliter esse: iuxta illud Hebr. 6. *In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæreditibus immobilitatem consilij sui, interposuit insurandum, ut perduas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus.* Probat autem minor. Assensus enim Mysterij cum evidentiæ in attestante repugnaret falli per eadem capita supernaturalitatis, & attestationis divinæ, per quæ nostra Fides; & præterea ex capite evidentiæ: Quod si assensus esset beatificus, repugnaret ulterius falli ex capite perfectionis intuitionis: ergo evidentiæ istæ supernaturales repugnaret falli ex pluribus capitibus, quam Fides: ergo Fides non esset æquè certa.

Hebr. 6.

84 Respondetur, negando maiorem, quando ex nno capite ita repugnat actui per locum intrinsecum falli, ut de nulla potentia possit: & sic evenit in Fide. Nec quidem firmius esset adificium, quamvis fortè pulchrius, per mille columnas, quam per unam, si per unam ita firmaretur, ut ruere nullatenus posset. Nec impossibilis iudico, id, ex quo centum contradictoria vera sequerentur, quam id ex quo duo. Summa namque impossibilitas, qualis est metaphysica, non suscipit magis, & minus

nus in linea repugnandi, quamvis quasi extensivè tituli repugnantia multiplicentur. Ad probationem maioris, negamus aut ecedens. Nam, ut rectè Salmeron super illum textum Apostoli, non magis certum est in re quod Deus iurat, quam quod simpliciter attestatur, cum in simplici etiam attestazione interponatur autoritas summa Dei essentialiter, ac metaphysicè infallibilis. Additur tamen in Scripturis quandoque iurandum Dei: non quia in re firmiter vinculum sit iuramentum, & attestatio, quam attestatio sola Dei; cum utriliber essentialiter ac metaphysicè repugnet falsitas: sed aut quia per formulam illam iuratoriam significatur, promissionem, seu comminationem esse absolutam, ut exponit Iustinianus; aut quia sunt plura vincula obfirmantia veritatem, & quoad multos contra nos opinantes potentiora. Addiderim, mihi difficile esse Deum propriè, & strictè iurare. Si enim iurare est adducere Deum in testem, quoties Deus loquitur, iuraret, semper enim, dum loquitur, interponit divinam suam autoritatem, & testatur quod dicit. Si verò iurare, ut reor, est, loquentem adducere pro firmamento sui dicti, autoritatem alterius se superioris, & infallibilioris, Deus nunquam propriè iurat; quia nunquam adducit in testem autoritatem alicuius superioris, & infallibilioris, ut est per se certum. Diceretur ergo iurare impropriè, & metaphoricè, sicut irasci, ac poenitere, ut colligo ex Card. Delungo apud Haunoldum cap. 5. *contro.* 1. & clariùs ex P. Soar. tom. 2. de Relig. lib. 1. cap. 14. ut iterum tangam *disp.* 4. num. 77. Sed hæc aliò pertinent. Pro nunc admittam minori cum sua probatione, nego ultimam consequentiam: esse enim certum ex pluribus capitibus non est esse certius, quando aliquid ex uno capite est summè certum.

85 Obijcies quartò contra tertiam partem eiusdem tertie conclusionis ex P. Oxea num. 27. Naturale lumen intellectus nostri ex intrinsecà suà perfectione habet esse omnino indeceptibile circa veritates primorum principiorum v. g. *Totum est maius parte: Quodlibet est, vel non est: Peccatum est fugiendum*: alioquin potius esset caligo, quam lumen: ergo assensus naturales, quos elicit circa eiusmodi principia, sunt ex intrinsecis suis metaphysicè infallibiles, utpote à lumine quoad

illa intrinsecè indeceptibili: ergo tam certi, ut Fides nequeat esse certior illis, quamvis solum naturaliter evidentibus. Confirmatur. Tam certum est, Christum esse hominem, vel non esse hominem; quam Christum esse hominem: ergo actus naturalis evidens dicens: *Christus est homo, vel non est homo*: tam certus est, quam actus Fidei, dicens: *Christus est homo*: ergo Fides non est certior omni evidentiâ naturali.

86 Respondetur distinguendo antecedens: materialiter ex necessitate obiecti non potentis aliter se habere, concedo, ut dictum est in prima conclusione; formaliter ex vi, & perfectione essentiali sua, ut enunciativi, nego antecedens. Nec propterea naturale lumen est caligo: quia proinde nõ tollitur ab illo ferri clarè in eiusmodi assensus, quantumvis non ex eo quod naturale lumen enunciet eiusmodi veritates, debeant sic esse; sed ex earum naturis necessitatissimis ad sic essendum. Porro, sicut illis sic essentialiter essentibus posset Deus inhibere lumen naturale, ne illas enunciaret; sic, illo sic eas enunciante, quantum est per locum intrinsecum ex vi talis enunciationis naturalis, posset aliter esse, nisi aliunde illi per extrinsecum repugnaret hæc alietas. Vnde non est ex intrinsecis suis infallibile, sed per locum extrinsecum ex naturis obiectorum: quod & multis ætibus opinativis competit, ut visum est num. 74. De hac ergo infalsicabilitate obiectiva, & materiali conceditur prima consequentia: alioquin neganda: & absolutè negatur secunda: quia Fides sive circa obiecta necessaria, sive circa contingentia, talis est ex perfectione suâ intrinsecâ enunciativâ, ut speciali titulo suæ enunciationis supernaturalis, & ordinis divini, ideoque specialiter participativæ primæ veritatis, cui formaliter innititur, repugnet, rem aliter se habere, ipsa dicente sic se habere. Hæc autem est certitudo formalis, quæ nulli evidentiæ naturali competere potest. Ad confirmationem, in qua laborat P. Oxea à num. 33. concedimus antecedens: quod procedit de certitudine obiectiva iuxta primam conclusionem: falsa tamen est consequentia faciens transitum ad formalem, de qua nunc agimus. De qua formali certitudine est etiam falsa ultima subillatio ob rationem datam ex mente Patris Suarez *disp.* 6. *sect.* 5.

*sect.* 5. quia nempe perfectio formalis certitudinis metaphysicæ à nobis explicata nulli actui naturali competere potest.

87 Si peras rationem: cur repugnet actus naturalis evidens, cui competeret prædicta perfectio formalis certitudinis; repono, ut detur mihi priùs ratio, cur repugnet cuicumque perfectioni actus naturalis enunciativi, quia sic enunciat, enunciare quod enunciat, faciente Deo de potentia absoluta quod obiectum aliter se haberet, si aliunde non ex se repugnaret aliter se habere? Ratio pro nobis est: quia in nullo actu naturali possibili relucet ea perfectionis ratio, propter quam id tribui necesse est actui supernaturali Fidei divinæ, id specialiter participantis de prima veritate, cui innititur.

88 Urgebis. Assensus naturalis evidens circa obiectum necessarium, vel impossibile v. g. *Totum est maius parte: Deus est ens necessarium: Secundus Deus repugnat*: tam repugnat falli, quam assensus quilibet Fidei divinæ: ergo iuxta nostram explicationem certitudinis formalis non est minus formaliter certus, quam assensus supernaturalis Fidei: sicque Fides non est illo formaliter certior. Antecedens probatur: tam repugnat illi assensui, non esse quod essentialiter est, quam assensus Fidei repugnet falli: ea enim est ex proprijs terminis repugnantia summa metaphysica: sed illi æquè repugnat falli, ac non esse quod essentialiter est: ergo tam repugnat illi falli, quam assensui Fidei. Minor probatur: quia si assensus ille falleretur, eo ipso non esset quod essentialiter est: ergo tam repugnat illi falli, quam non esse quod essentialiter est: ergo illi æquè repugnat falli, ac non esse quod essentialiter est. Antecedens probatur: quia si assensus illi falleretur, totum non esset maius parte: Deus non esset ens necessarium; nec secundus Deus repugnaret: ut exterminis claret: ergo assensus aliquid eorum enuntians, non esset quod essentialiter est: est enim essentialiter representatio entis realis; & tunc non nisi chymeram representaret: est & ipse essentialiter ens reale, repugnans coexistere chymeræ: Deo autem facto chymeræ, fieret coexistens chymeræ, ac proinde non ens reale; sed chymera. Confirmatur. Facto impossibili quolibet possibili, aut è contra, Deus, & omnia fierent impossibilia, ut latè defendimus


*disp... de Atrib. sect...* Sed, si assensus illi forent falsi, fieret possibile aliquod impossibile, ut secundus Deus, fierentque impossibilia multa possibilia, imo & necessaria, ut iste Deus, & totum maius parte: ergo & illi ipsi assensus fierent impossibiles: ergo æquè intrinsecè repugnat illis falli, ac esse impossibiles, & non esse quod essentialiter sunt: ergo sunt æquè infalsificabiles, ac assensus Fidei: ergo Fides non est certitudine formali certior illis, & omni evidentiâ naturali.

89 Respondetur, concesso antecedente de repugnantia, unde quaque sit, negando consequentiam. Quamvis enim illi assensui æquè utcumque repugnet falli, ac assensui Fidei, non id repugnat eodem titulo suæ perfectionis ut enunciativæ: in quo titulo repugnandi cum falsitate, posuimus sedulo rationem certitudinis formalis. Notabiliter ergo diversa sunt, quod actus utcumque repugnaret, si eius obiectum aliter se haberet; & quod repugnaret titulo, & ratione formali, quia sic ab ipso enunciatur. Istud posterius est, quod formalem constituit certitudinem, & quod actui enunciativo supernaturali specialiter competit; non autem sic evidentiæ naturali. Huic namque, quamvis repugnet falli, quia est aliquando circa obiecta, quæ non possunt aliter se habere, ac ipsa enunciat; hoc non sic est, quia ipsa sic enunciat; sed potius ex naturis obiectorum; quæ quidem aliter se habere, pariter ac illis enunciationibus, repugnat alijs entibus nihil enunciantibus. Illud verò prius, & actui opinativo formali certitudine destituito enuncianti Trinitatem, imò & actui disparato asserenti Turcæ saltare, quinimo & lapidi nihil enuncianti competit: cum omni enti repugnet; quod obiectum assensus enunciantis Deum necessariò existere, non sic in re se habeat, sicut & coexistere chymeræ.

90 Ad confirmationem, concesso primo sylogismo, distinguo secundum consequens: æquè ac Fidei, repugnat intrinsecè illis assensibus naturaliter evidentibus, falli titulo speciali, quia ipsi sic enunciant, & ex vi suæ perfectionis enunciativæ, nego: materialiter ex natura obiectorum, & titulo generali, quo etiam alijs entibus repugnat ipsos falli; concedo consequentiam: & simili distinctione adhibita penultimæ

timæ illationi, nego absolute postremam. Nā formalis certitudo non stat in repugnantia illa materiali, & generali cum falsitate taliū assensuum, quæ potius est certitudo, & necessitas obiectiva in sensu primæ conclusionis; sed in formali ac speciali repugnantia falsitatis, quam habent assensus Fidei, & aliæ enunciationes su-

pernaturales ordinis divini; quia nempe id taliter enunciant, ut quia sic enunciant, repugnet re aliter esse, quamvis id aliunde non repugnaret: ut evenit, quando enunciant veritates contingentes, quæ quamvis secundum se possint aliter se habere; non tamen possunt aliter se habere, assensu Fidei enunciantes se habere sic.



## DISPUTATIO II.

### DE ALIIS PRÆDICATIS, ET PERFECTIÖNIBVS Fidei divinae.

**I** VM ad certitudinem divinæ Fidei pertineat, ut non semel in superioribus insinuavimus, excludere formidinem non obstante sua obscuritate, de hac perfectione exclusivā formidinis ante alias disputandum est, ut continuo à certitudine ad exclusionem formidinis veniamus. Deinde ad alia.

#### SECTIO I.

*Qua ratione assensus divina Fidei dicatur excludere formidinem ab intellectu credentis?*

**2** Notum est omnibus, Fidem nostrā, cum sit formaliter certissima, non secum pati deliberatam formidinem, qua credens deliberatè timeat, ne forte falsum sit quod credit: nam hæc deliberata formido esset quasi dubietas de veritate, quā credere debet super omnia: & stare prudenter non potest cum evidenti credibilitate Mysteriorum satis propositorum: sed solum imprudenter, & illicitè, sicut stat in Hæreticis non solum dubietas, quin etiam dissensus peccaminosus veritatum catholicarum, sufficienter propositarum. Notum est etiam, quod, cum sit obscura, & ex motivo suo inevidens, pati potest formidinem indeliberatam ad instar motuum, quos vocamus primo primos, quos reprimere tenemur, captivantes intellectum in obsequium Fidei, propterea liberè ac merito exercita. Vnde est, quod Fideles

alioquin constantissimi sentiant scrupulos difficultates, tentationes, & anxietates in voluntariè insurgentes cōtra Fidei veritates, quas tamē usque ad sanguinē credunt, resistentes prædictis insultibus, aut omnino indeliberatis, aut non plenè deliberatis. Hoc patitur secum firma Fides, ratione suæ obscuritatis; quod tamen non patiuntur præ claritate assensus evidentiissimi.

**3** Duo occurrunt exploranda satis difficilia. Vnum in quo consistat eiusmodi formido, quā deliberatam excludit Fides. Alterum, qua ratione eam excludat Fides. Circa primum conveniunt Card. de Lugo, & Ripalda, qui punctum hoc accuratius discussierunt, in eo quod Formido, quam explicare solemus per has voces: *Fortè se res aliter habet, ac suadent hæc motiva: Fortasse fallunt hæc motiva*; quæque stat cum assensu opinativo, & non cum certo; non consistere in iudicio negante directè veritatem obiecti: sequeretur enim, quod, adiunctā actui opinativo de veritate obiecti, coniungerentur in eodem intellectu assensus & dissensus eiusdem veritatis: sed consistere in iudicio, quo opinans reflexè iudicat assensum suum quem

Lugo.  
Ripald.

quem existimat verum, obnoxium esse falsitati: quod iudicium non secum patitur assensus Fidei: ideoque dicitur excludere formidinem. Circa secundum discrepant: quia Delugo, quem imitatus est Cardinalis alter Pallavicinus, putat actum Fidei ratione suæ firmitatis, & formalis certitudinis habere ex modo suo intrinseco tendendi, & assentiendi veritati, excludere per se formidinem. Ripalda verò docet non id omnino per se habere ex oppositione sua physica cum formidine, sed moraliter adiuncta denominatione extrinseca imperij voluntatis nolentis formidare. Circa utrumque feremus sententiam triplici conclusione.

**4** Prima conclusio. Actualis, & formalis formido non consistit præcisè in iudicio illo reflexo, ut conveniunt Delugo, & Ripalda. Ratio est: quia actualis formido subiicitur imperio voluntatis utpote potentis illam liberè cohibere, ut ij ipsi Authores consentunt: si enim cohibere potest assensum opinativum, imò & Fidei, cum liberè exercentur, cur non actualem formidinem circa ipsos: sed sæpè opinans cohibere non potest iudicium illud reflexum, quod ponunt Delugo, & Ripalda: ergo actualis & formalis formido non stat præcisè in eiusmodi iudicio. Minor patet: nam, ut ijdem supponunt, prædictum iudicium est evidens; sicut est evidens opinionem oppositam esse probabilem: & sicut experimēto novimus intellectum opinantis non necessitari ad assensum suum opinativum directum: eo videlicet quod motiva contraria possint esse vera: ergo tale iudicium reflexum non subiicitur imperio voluntatis; nam ad evidentiam fertur intellectus necessariò: atque adeo actualis formido opinantis non consistit præcisè in eiusmodi iudicio reflexo.

**5** Præterea. Circa eandem veritatem stare possunt simul assensus evidens ex uno motivo; & ex alio assensus opinativus: exclusā tamen actuali formidine, quam secum non patitur evidentia veritatis. Atqui in tali casu stare cum illis posset suprædictum iudicium reflexū, cognoscens, quod, quantum est ex motivis assensus opinativi, posset res aliter se habere: ergo actualis formido non stat præcisè in prædicto iudicio. Maior admittitur à Delugo, & Ripalda. Minor patet: quia iudicium reflexum de eo quod assensus ille opinativus

ex suo motivo probabili posset fallere, non opponitur cum assensu opinativo, nec cum alio evidenti de eo quod ex alijs motivis scientificis non possit non sic se habere veritas obiecti directi.

**6** Favent experientiæ notissimæ. Sæpè namque assentimur veritatibus, quibus dicimus assentiri sine formidine: quia nempe nolumus actu formidare: quin proinde desinamus evidenter iudicare, motiva, quibus nitimur, esse fallibilia, & quantum est ex illis prout nobis per apprehensionem suavisimam repræsentantur, posse rem aliter se habere: ergo nomine formidinis actualis aliquid aliud intelligimus, imò & sentimus, ultra prædictum iudicium. Antecedens firmat exemplo S. Augustinus: quis enim nostrum regulariter dicet, se prudenter formidare, an sit Filius illius, quem Patrem agnovit: aut de suo Bap̄tismo? & tamen motiva, quibus ad id sentiendum inducimur, scimus evidenter esse fallibilia, & similia aliquando sefellisse.

**7** Insuper, si coniux diceret Vxori, se illam iudicare sibi semper fidelem, & Filios ex suo coniugio: quamvis motiva similia, quibus ad id iudicandum inducitur, aliquando alios deceperint; certè ex hoc sic prolato non posset vxor prudenter offendi. Si verò diceret: *iudico, sed, non sine formidine, tuos Filios esse meos*: prudenter, ac iustè offenderetur vxor proba. Ergo quia nomine formidinis aliquid aliud significatur ex usitato humanæ conversationis sensu, quā prædictum illud iudicium. Et idem est, si tibi promittenti librum dicerem: *Fortè non dabis*: offenderis utique: secus vero, si dicerem, quandoque similia promissa nō impleri. Quidquod opportunè tunc diceret: *Ne formides: iubeo te esse securum*. Quo certè aliud à me exiges, quā quod illud evidens iudicium deponerem; sed exigis depositionem actualis formidinis. Hæc ergo non est præcisè illud iudicium evidens.

**8** Tandem: ex communi suffragio formido actualis non stat in indivisibili: alia est maior; alia minor; alia prudens; alia imprudens. At iudicium illud reflexū evidens non suscipit maius, & minus. Et habens iudicium illud de fallibilitate motivorum, quæ reipsa fallibilia sunt, habet sæpè iudicium non imprudens, utpotè interdum evidens. Potestque aliquando imprudenter formidare, etiam circa motiva

fallibilia : ut si rusticus formidaret de veritate asserta à suo Parocho , aut si ego formidarem de veritate mei Baptismi: ergo quid valde diversum est actualis formido à prædicto iudicio præcisè spectato.

9 Secunda conclusio. Actualis formido, significata communiter per illa verba: *Fortè res aliter se habet, ac ego iudico*; dicitur insuper iudicium reflexum, quo assentiens existimat, non solum se posse utcumque falli, sed præterea, se esse in periculo non omnino remoto, quòd actu, ac re ipsa fallatur. Sic nempe, ut citra imprudentiam posset ab aliquibus existimari, se actu falli in eiusmodi suo assensu, aut propter motiva partis opposita, aut propter inconnexiōnem motivorum suorum cum veritate rei, aut propter obscuritatem. Favet huic explicationi nomen ipsum formidinis: sonat enim timorem, & fugam à malo imminenti, qualis est deceptio. Unde est, quòd iudicium illud de periculo deceptionis moveat ad timorem, & fugam mali deceptionis. Sic occurri videtur difficultatibus, quibus laborat, ut vidimus, communis aliorum explicatio, & constitutio formidinis: daturque doctrina apta pro formidine prudenti, quam patitur opinio, propter inconnexiōnem suorum motivorum cum veritate, cui opinative assentimur: & pro formidine imprudenti, quam propter obscuritatem patitur indeliberatè Fides, delibèratè eam excludens.

10 Quocirca observandum est, quod si prædictum iudicium est evidens, formido est necessaria, ut si credam aliquid homini sapissimè mentienti: tunc enim evidenter iudico, me credentem exponi periculo proximo errandi, nec possem cohibere tale iudiciū, mihi quæ ulla reflexione persuadere, me ire securum, quod non errè. Aliquando iudicium istud est voluntariū, modò prudens, modò imprudens, ut dicere solemus de suspicionibus, alias esse prudentes, alias temerarias. Prudens erit, quando credo alicui, qui communiter verax est, est tamen probabile, aut saltem suspicabile, quòd mentiri: tunc enim, est saltem probabile periculum proximum, quòd errem: adeò, ut ex hac probabilitate possim iudicare haud temere, me sic esse in periculo proximo, quòd errem. Imprudens erit, quando nec probabilia motiva occurrunt, sed solum levissima similis periculi, utpote vix unquam,

aut rarissimè fallentia: tunc enim, cum possit homo se à levibus etiam coniecturis sinere moveri per imprudentiam ad non credendum alteri, ut movemur ad iudicia temeraria; poterit imprudenter quoque iudicare, se dum alteri credit, esse in periculo proximo, quòd erret. Sic esset in oppidano, qui nullum habens rationabile fundamentum existimandi, Parochum boni nominis in rebus Fidei, utpote gravissimis, proponere falsa pro veris; iudicaret, se in credendo, quæ sibi proponit sic Parochus, cuius auctoritas est oppidanis in similibus ad instar Sancti Patris; vellet iudicare se esse in periculo, quòd erret. Quoniam verò ob rationes leviculas ipsi occurrentes, posset absolutè nolle credere quod Parochus proponit; à fortiori posset id credens, imprudenter iudicare se credendo fortassis errare, esseque in periculo proximo quòd erret. Cum autem hoc iudicium sit liberum, sicut suspiciōne temerariæ, potest ac debet à voluntate cohiberi, sicque de veritate assensus sui ad ea, quæ proposuit Parochus, non formidare, sed manere securum: ad modum quo dixit Augustinus, nos nihil formidare, quòd nati simus ex ijs Parentibus.

11 Atque hinc deducitur, per illa verba: *Fortè res aliter se habet, ac ego iudico*; non semper significari inconnexiōnem motivi cum veritate rei, cui propter illud assentimur. Pater: quia in assentiēte per Fidem ex motivi divini testimonij stare potest indeliberata formido: & non quidem propter inconnexiōnem divini testimonij cum veritate, quam credit: scit enim essentialē esse eam connexiōnem; sed propter obscuritatem: quatenus credens non videt Dei testimonium; sed ipsi proponitur per signa credibilitatis, quæ illud non faciunt omnino evidens, sed credibile. Obscuritas autem hæc nihil adimit de connexiōne essentiali divinæ loquutionis cum veritate rei, quam testatur. Non ergo semper per verba illa formidantium significatur inconnexiō motivi cum re; sed aut ea inconnexiō, ut sæpè contingit in assensibus opinativis, aut ea obscuritas, ut in assensibus Fidei. Unde est, quòd formidans in Fide non habet iudicium per illa verba: *Fortè res aliter se habet, ac ego iudico*; quo dicat, posse rem non esse, sicut Deus testatur; sed posse rem non esse testatam à Deo, sicut Parochus proposuit. Sicque evenire doce-

docemur experimento: quando in credendis difficillimis Mysterijs pulsamur tentationibus, & apprehensionibus in oppositum, quibus impellimur ad formidandum, quin etiam ad dubitandum, & dissentendum, actu etiam memores motivorum credibilitatis; & monemur, ac conamur resistere. Hæc enim monita, & conamina clare convincunt, nos tunc agnoscere motiva credibilitatis, cum agnoscamus obligationem illis ad hærendi: & posse cedere tentationi liberè formidando, imprudenter scilicet, & peccaminosè, quamvis actu non formidemus: at certè non formidine, quæ iudicemus, motivum Fidei, nempe Dei attestatiōnem, separari posse à veritate mysterij; sed qua, præ obscuritate iudicemus, timere nos posse de existentia divinæ attestatiōnis, ex signis dumtaxat credibilitatis nobis propositæ.

12 Tertia conclusio circa secundam difficultatem. Exclusio formidinis non competit assensui Fidei omnino intrinsicè per suum proprium, ac essentialē assentiendi, aut tendendi modum; sed præterea dicit de formali imperium voluntatis resistētis formidini, debitum tamen assensui Fidei, illumque complens in ratione firmitatis, ac certitudinis, etiam adhæsiivæ. Sic Ripalda disp. 11. de Fid. sect. 2. contra Cardinales Delugo, & Pallavicinum, aliter, & aliter oppositum defendente s.

Ripald.  
Lugo.  
Pallavic.  
S. Thom.

13 Ratio est: quia ex communi Theologorum suffragio cum S. Thom. quest. 4. art. 8. ad 1. assensui Fidei ab intrinsicis suis certissimo certitudine formali, accedit certitudo adhæsiivæ, ex affectu voluntatis: exclusio autem formidinis utramque dicit certitudinem: formalem scilicet per se exclusivam falsitatis; adhæsiivam ad excludendam præterea formidinem. Constantis insuper est, quod cum assensu, ac merito Fidei stant indeliberatæ formidines, ac dubietates; quas tamen repellit imperium voluntatis. Non autem stare possent adhuc indeliberatæ, si assensui Fidei per se physicè repugnaret formido, sicut & falsitas: nam haberi delibèratè, aut indeliberatè, non variat physicam oppositiōnem formidinis cum Fide. Id quod tam certè supponitur ex doctrinis Theologicis ab Anton. Perez, ut præ Fidei obscuritate miraculum existimet, quòd assensus Fidei habeatur absque formidine.

Perez.

14 Vltior ratio. Cum homini testi-

ficanti credo verum dicere, possum simul habere formidinem sic expressam: *Fortè sic credendo fallor*. Pariterque dum iudico hæc motiva credibilitatis Fidei coniunguntur cum existentia divinæ loquutionis, quamvis Fide credam veritatem, quam Deus loquitur, quantum est ex intrinseco modo physico tendendi Fidei in veritatem Mysterij, stare simul posset formido, sic expressa: *Fortè tamen sic iudicando fallor*: sed hoc esset, stare formidinem cum actu Fidei: ergo quia ex physico suo modo tendendi non per se illam formalitèr excludit. Probatur maior: hic enim actus formidinis sic expressus non est per se physicè contradictorius assensui Fidei: non enim formidat, aut dubitat de connexiōne divinæ loquutionis cum veritate Mysterij; sed de connexiōne metaphysicā motivorum credibilitatis cum existentia divinæ loquutionis. Profectò contradictoria sunt: *Veritas mysterij sic se habet: veritas Mysterij non sic se habet*; & similiter: *ad quæ credibilitatis sunt essentialiter connexa cum existentia divinæ loquutionis: non sunt essentialiter connexa*: At prædicta iudicia non sic se habent: unum enim dicit: *veritas Mysterij sic se habet*; & hic est assensus Fidei ex motivo divinæ loquutionis re ipsa existentis, & sufficienter, quamvis obscure propositæ ad prudentem determinationem liberam credendi: Alterum verò non diceret: *Veritas mysterij non sic se habet*: nec dicit: *non exiit de hoc divina loquutio*: sed: *fortè fallor, dum id iudico*. Hoc autem, physicè spectatis intrinsicis naturis, modisque tendendi talium actuum, non maiorem contradictionem involvit, quam si quis diceret: *iudico esse verum, quod homo dicit, & quia dicit: fortè tamen fallor, dum id iudico*.

15 Exemplis rem explico. Suppono ut verum, Gratiam Sanctificantem esse essentialiter connexam, cum affectu divino amabili: & Iudicium planè, quòd id iudico, est quidem iudicium circa essentialiam Gratiæ, non minus quam iudicium, quòd iudico, hæc motiva esse essentialiter connexa cum existentia loquutionis Dei, dici possit esse circa essentialiam loquutionis Dei. Atqui illud iudicium, utpote opinativum, quamvis contradictoriè opponatur isti: *Gratia non est essentialiter connexa cum affectu divino amabili*: nequiquam tamen isti formidoloso: *Fortè sic iudicans fallor*:  
fimi-

similiter ergo iudicium illud: *Hæc motiva sunt essentialiter connexa cum existentia loquutionis Dei*: quamvis contradictoriè opponatur isti: *non sunt essentialiter connexa*; non tamen ex intrinsicis suis, isti alteri formidoloso: *Fortè fallor, iudicans esse essentialiter connexa*. Rursus. Motiva suadentia veritatè Immaculatæ Conceptionis B. Virginis, digna quidem sunt iudicari talia, quæ non permitterentur à Deo, nisi coniuncta cum veritate talis Mysterij: cum talia iudicantur à multis prudentibus; propter quæ posset ea veritas definiti. Et tamen dum non est definita de Fide, cum hoc ipso iudicio stare potest iudicium formidolosum etiam deliberatum, quo quis illi assentiens, formidet: *Fortè dum hoc iudico, fallor*: ergo huiusmodi iudicia ex intrinsicis suis non sibi contradicunt: atque adeo ad excludendam formaliter & ultimè formidinem requiritur aliquid ulterius, quod ad certitudinem adhasivam exigat Fides, & alijs assensibus non Fidei divinæ, quamvis non ita exigenter, potest adhiberi, scilicet imperium voluntatis.

16 Et ratio fundamentalis à priori est. Cum enim motiva suadentia ratione obscuritatis non necessitent ad assensum, imò liber assensus subiacet imperio voluntatis, seu voluntati credendi; potest illis propositis voluntas liberè dissentire; atque adeo nò excludunt essentialiter assensum, excludendum utique per accessionem imperij voluntatis: ergo nec assensus Fidei subnixus illis motivis, excludit per se essentialiter ex modo suo intrinseco tendendi iudicium illum reflexum formidolosum, significatum, ut vidimus, per illa verba: *Fortè fallor sic assentiens*: ac proinde esset per se coniungibilis cum actuali formidine, dum non supervenit imperiam voluntatis illam per se excludens. Consequentia tenere videtur à fortiori. Potens enim negare talibus motivis assensum, imò ob leves alias rationes dissentire, facilius posset formidare, an fallatur in assensu: plus namque tribuit, minusque resistit motivis, quæ illis cum formidine assentitur, quam qui omnino dissentitur. Hinc dixit meritò Ripalda, aliter esse explicatu difficile, quo differant modo quoad hoc assensus evidens, & obscurus in genere. Etenim obiectum esse obscurum, nihil aliud dicit contrapositè ad clarum, & evidens, nisi quod, quatenus subest tali apprehensionis suavis-

Ripald.

non habet vim necessitandi intellectum ad assensum. Hoc autem ipso iam nescit intellectus, si fortè vis illa suavis movendi ad assensum, infirmari possit per rationes oppositas latentes: si enim sciret per nullas posse, iam haberet evidentiam veritatis motivorum: & nesciens, an per ullas possit, fatetur, in sua esse potestate, aut omnino non assentiri, aut assentiendo suspicari periculum errandi, ac proinde formidare: quod enim nescimus, an sit, possumus imprudenter timere, vel suspicari, utrum forrasse latenter sit: alioquin quomodo posset quis saltem imprudenter formidare, ut concedunt Adversarij de veritate existentia Ciceronis, nisi unice, quia nescit; an fortè consensus tot Scriptorum non fallat, aut fallere non possit? Maneat ergo formidinem non excludi ab actu Fidei ultimò, & completè per ipsum assentiendi modum, quatenus dicit, motiva credibilitatis connecti cum veritate Mysterij, cum de hoc ipso possit saltem imprudenter formidari, & sæpè indeliberatè formidamus, ut animadvertit Suarez, sed superaddito imperio voluntatis imperantis assensum, & cohibentis omnem imprudentem formidinem.

Suarez;

17 Obijcitur primò: quod in Trident. ac sæpè alibi dici solet: *Firmissime credo, ac profiteor*. Non autem dici posset actus credendi *firmissimus*, si per se posset esse cum formidine. Respondetur, ad mentem, & ad verba Concilij parum referre, quòd firmitas illa adhasiva, qua credere debemus, sit ex intrinseca natura ipsius actus credendi; aut, quòd supposita firmitate veritatis formalis essentialis actus Fidei, proveniat ulterius ex voluntate cohibente formidinem omnem circa veritatem, quam credimus: quinimò hoc posterius videtur requiri ad constantiam meritoriam in credendo, contra difficultates, tentationes, & formidines sæpè involuntariè insurgentes, & laudabiliter repellendas à credente circa veritates Fidei.

Trident.

28 Obijcies secundò Propositionem damnatam ab Innoc. XI. in Decreto anni 1679. quæ sic erat: *Assensus Fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; imò cum formidine, qua quis formidet, nè non sit loquutus Deus*. Huic enim damnatæ Propositioni videtur adhasere doctrina nostra, quatenus dicimus stare posse Fidei assen-

Innoc. XI.

assensum cum formidine de opposito. Respondetur, propositionem damnatam habere duas partes: unam, quòd sufficit ad salutariter credendum notitia probabilis revelationis, seu divinæ loquutionis: aliam, quòd assensus salutaris divinæ Fidei stare possit cum formidine de eo quòd Deus non sit loquutus veritatem, quam Fide credimus. Primam partem conciliabimus cum damnatione alterius propositionis eiusdem Decreti *disp... sect....* Secunda in primis intelligi nequit de formidine involuntariâ, & indeliberata, ut omnes supponimus. Deinde nec de deliberatâ, & voluntariâ prudenti: quia assensus Fidei non præstat, nisi præcedentibus talibus signis suadentibus existentiam divinæ loquutionis, quibus non nisi per summam imprudentiam dissentiri potest, aut iudicare, non coniungi reipsa cum existentia revelationis, ut dicemus *disp... sect....* agentes de signis credibilitatis: de hac autem formidine, quam secum patitur assensus opinativus, intelligi debere damnationem Innocentianam, colligitur satis ex tenore propositionis damnatæ, utpotè contentæ *cum notitia solum probabili revelationis* ad assensum Fidei supernaturalis. Denique de formidine voluntariâ imprudenti per iudicium temerarium, quo temerè iudicetur, periculum esse, quòd stantibus prædictis signis, divinæ loquutionis, *non sit loquutus Deus*, dicimus stare ex intrinsicis suis physicè posse assensum Fidei; non tamen omnino stare posse: quia, cum eiusmodi iudicium imprudens, ac temerarium, sit iam graviter peccaminosum contra Fidè, impedit, aut expellit demeritoriè Fidem, aut saltem impedit, quominus assensus ille sit absolute proficiens ad salutem, dum ad est prædicta formido culpabilis. Nec quidquam aliud inferri ritè potest ex damnatione Innocentianâ.

Inf. disp.

Inf. disp...

19 Obijcies tertio. Qui pari firmitate adhasivâ credit articulum verum, ac falsum, utrumque credit imprudenter: at qui iuxta nostram doctrinam, rusticus saltem, cui eodem modo proponuntur motiva credibilitatis à Parocho circa articulum verum, ac circa falsum, eadem firmitate adhasiva crederet utrumque: ergo utrumque imprudenter. Ad vitandum ergo tantum absurdum, dicendum est firmitatem adhasivam Fidei nullatenus stare in prædicto voluntatis imperio, quòd par est

circa utrumque; sed adæquatè in modo intrinseco assentiendi actus Fidei divinæ supernaturalis, quæ tunc exercetur circa articulum verum, & ex intrinsicis suis nequit exerceri circa falsum. Hæc obiectio rem attingit difficillimam: à ferè omnibus tamen superandam; cum firmitas illa assensus Fidei reipsa divinæ circa articulum verum, & non reipsa divinæ circa falsum, non discernatur per experientiam à credente in prædicto, ac similibus casibus: nisi admittatur aliquorum discernicalum excogitatum falso potius quàm verè probatum, quo credens apud se sentiat, & interius experiatur, in quo tunc assentiatur reipsa vero per Fidem, & in quo per errorem assentiatur falso. Quibus, ut sic dicam, divinationibus liberè confictis, ac profus incredibilibus, assentiri nò valeo. Eas solide discutit, doctèque insequitur Haunoldus *cap. 2. contror. 3.* contra Modernos Discernicalatores Romanos: & nos insequemur *disp. 5. à sect. 9.* ubi de hoc redibit longior sermo.

20 Respondetur, distinguo maiorem: si ex iisdem potentissimis motivis, ut sibi representatis, credit ut in nostro casu, nego: si ex imparibus æquè crederet, concedo maiorem. At in casu obiectiois rusticus ille ex iisdem motivis potentissimis, scilicet ex propositione Parochi, qui sibi ad instar Ambrosij, vel Augustini esse solet, crederet utrumque: atque adeo non imprudenter, aut temerè: quia non ex motivis respectivè ad illum levibus; quamvis fortè respectu hominis docti aliunde potentis, ac debentis discernere inter illa, quæ Parochus ille proponit, essent levia. Hinc concessa minori; negatur consequentia; utrumque enim crederet *prudenter*, hoc est, ex motivis respectivè ad ipsum gravibus, ac potentissimis, ideoque indubitabilibus; non enim in modo practico procedendij eadem exigi debet inquisitio à rustico, ac ab homine alioquin docto, qui eadem audiret. *Prudenter*, inquam, scilicet, aut reipsa prudenter, aut existimativè: reipsa prudenter quoad articulum verum; quia verisimiliter, & verè; existimativè, & excusabiliter, quoad articulum falsum; quia, quamvis verisimiliter, non tamen verè: illa dici posset respectu veri *prudencia positiva*, quæ verè virtus mentis est: ista respectu falsi, *prudencia negativa*, hoc est, non imprudentia, seu temeritas. Vnde negatur sub-

subillatio: hoc enim, ut distinximus, absurdum non est; sed necessitas humanæ conversationis, etiam quoad divina: quæ in multis reliquit Deus per ordinariam providentiam ijs modis humanis procedendi, ut abs dubio contingere sæpè potest in usu divinissimo Sacramentorum. Alioquin detur, oro, nobis discerniculum, quo poenitens dignoscat, verè, an fictè absolvatur à confessario; verè, an fictè hostia à celebrante consecratur? Sat igitur sit ad salvandam innocentiam Rustici, quòd in eo procedat inculpabiliter, & impeccanter, ad salvandam autem Fidei infallibilitatem, quòd circa articulum verum exerceatur re ipsa divina Fides; nentiquam verò circa falsum; sed existimata; quamvis id ipse minimè discernat. His enim subiacet eventibus humana imperfectio, similibus erroribus inculpabilibus obnoxia, etiam in divinis. Nec desunt divinæ providentiæ altissimi fines nobis ignoti, propter quos multa mala permittat, sive inculpabilia; sive etiam culpabilia.

## S E C T I O II.

*An Fides taliter in credendo sit inevidens, ut nequeat esse discursiva?*

21 **D**efendo Fidem discursivam cum P. Vazquez 1. p. disp. 3. cap. 3. quem sequuti sunt Card. Delugo, Ripalda, Oxea, & Haunoldus cap. 6. contra sententiam communiorem, quam post Suarez, & alios multos tenent Card. Pallavicinus, Oviedus, & Magister Lumbier *quæst.* 7. *art.* 4. retractans quod dixerat in Manuscriptis, & ab ipso didici tunc Auditor. Convincor hac ratione à priori. Conclusio ritè deducta ex præmissis benè dispositis habet sæpè obiectum materiale, & formale Fidei Theologicæ cum obscuritate, certitudine, alijsque requisitis, ut sit tam Fides, quam est conclusio. Hoc autem est Fidem esse discursivam: nam esset assensus rei pertinentis ad Fidem, ex motivo, & obiecto formali Fidei, ac proinde elicitus ab Habitu Fidei, & quidem per discursum: En ergo Fidem discursivam.

22 Pro maioris ostensione, & pro doctrina hic, & in sequentibus tradenda, sint præ oculis septem isti syllogismi. Primus: *Omnis homo habet quantitatem distinctam à materia prima: sed Christus est homo: ergo*

*habet quantitatem distinctam à materia prima.* Secundus: *Omnis homo est risibilis: Christus est homo: ergo risibilis.* Tertius: *Omnis homo est natus ex Virgine: Christus est homo: ergo natus ex Virgine.* Quartus: *Omnis homo est essentialiter albus: Christus est homo: ergo essentialiter albus.* Quintus: *Omnis homo purus est redemptus à Christo: Petrus est homo purus: ergo redemptus à Christo.* Sextus: *Omne Sacramentum novæ legis est institutum à Christo: Matrimonium est Sacramentum novæ legis: ergo institutum à Christo.* Septimus: *Omne per divinam auctoritatem, & loquutionem revelatum, ita est: Mysterium Trinitatis est per auctoritatem, & loquutionem divinam revelatum: ergo ita est.*

23 Super istos autem syllogismos observa, quòd primus constat minori de Fide; maiori, & consequentia probabilibus, Secundus, minori de Fide, maiori naturaliter certa & evidenti, consequentia certâ, & verâ. Tertius, maiori falsâ; minori, & consequentia de Fide. Quartus, maiori falsâ, minori de Fide, & consequentia falsâ. Quintus maiori, & consequentia de Fide; minori naturaliter evidenti, & certâ. Sextus & septimus, maiori, minori, ac consequentia de Fide. Cum discrimine tamen diligenter animadvertendo, quòd sextus constat præmissis obiectivè revelatis, ac de Fide: Septimus verò constat præmissis, non utcumque materialiter revelatis, sed involuentibus etiam ipsam Dei auctoritatem & revelationem, quæ sunt obiectum formale Fidei.

24 Observandum insuper, quòd aliud est, conclusionem obiectivam, seu obiectum materiale conclusionis esse de Fide: ad id enim sufficit esse veritatem revelatam, ut in tertio, quinto, & sexto, & septimo syllogismo; aliud est, conclusionem formalem esse Fidem, sive actum Fidei: ad hoc enim non sufficit esse veritatem revelatam: nam de veritatibus revelatis possumus habere multos assensus, qui non sint Fides, quia non assentiuntur illis veritatibus ex motivo Fidei; & quia à Deo revelatae sunt; sed ex alijs motivis illas etiam persuadentibus; requiritur ergo ulterius, assentiri veritatibus revelatis ex motivo revelationis, & quia auctoritate divinâ revelatae sunt.

25 His observatis transmitto pro nunc sex primos syllogismos, & assumo septimum: & in eo ostendo maiorem nostram

probationis hunc in modum. Conclusio formalis septimi syllogismi est Fides; atque adeo Fides, strictissimè discursiva: ergo dari potest assensus Fidei, verè ac proprie discursivus, utpote habens per discursum obiectum materiale, & formale Fidei cum obscuritate, & alijs requisitis ad Fidem Theologicam. Antecedens probatur: in primis enim eiusmodi assensus sic in bona forma deductus est discursivus, ut per se patet: deinde quòd simul sit assensus Fidei formalis, constat: quia assentitur veritati revelatæ Mysterij Trinitatis propter auctoritatem, & revelationem Dei obscurè propositam: ergo est etiam strictissimè assensus Fidei: ac proinde Fides strictissimè discursiva. Secunda pars antecedentis, cui resistunt Adversarij, probatur: obiectum enim materiale præmissarum est obiectum formale conclusionis: unde conclusio ista: *ergo Petrus est rationalis; deducta ex ijs præmissis: Omnis homo est rationalis: Petrus est homo:* assentitur Petrum esse rationalem, quòd est eius obiectum materiale; quia omnis homo est rationalis, & Petrus est homo, quòd est obiectum materiale præmissarum. Atqui in septimo illo syllogismo obiectum materiale præmissarum sunt divina Auctoritas, & revelatio Mysterij Trinitatis: ergo ipsa Dei auctoritas, & revelatio est obiectum formale & motivum dictæ conclusionis formalis, assentientis utique veritati Mysterij Trinitatis: ac proinde non utcumque veritati revelatæ, quin etiam ex motivo revelationis obscurè propositæ, prout in minori didici syllogismi. Quid, precor, deest, quominus ea conclusio sit formalis Fides?

26 Quinimò dixit inde sapienter P. Vazquez, omnem nostrum assensum Fidei, virtualiter, & æquivalenter saltè esse discursivum similem illi syllogismo. Quippè reverè credimus Mysteria; quia Deus revelat, & quia auctoritas revelantis infallibilis est. Tam ergo longè abest, quòd, illum assensum prædicti nostri syllogismi esse conclusionem formaliter discursivam, obster, quominus sit etiam assensus Fidei formalis, quin potius ex ratione conclusionis per discursum deductæ præter formaliter, quòd assensus omnis Fidei nostræ præstare debet saltem æquivalenter, & virtualiter. Nec quidem ratio discursus obstat obscuritati divinæ revelationis: nam in minori non aliter proponitur revelatio de

Trinitate, nisi cum obscuritate, quam apud nos habet: non enim magis innotescit nobis ratione discursus existentia divinæ revelationis.

27 Memini, dixisse me in Philosophia, assensum esse posse formalem conclusionem, quin habeat pro obiecto suo formali intrinseco, materiale præmissarum; sed ipsam veritatem sui obiecti materialis, præcedentibus præmissis illum causantibus. Unde assensus discursivus conclusionis nostri septimi syllogismi posset esse formalis conclusio, quin haberet pro motivo, & obiecto formali intrinseco Dei auctoritatem, & revelationem, quæ sunt obiectum materiale earum præmissarum. Ceterum ex hac Philosophica doctrina, nihil derogatur argumento nostro. Nam præterquamquòd communior est sententia, assensum non esse formalem conclusionem, nisi habeat pro obiecto suo formali intrinseco materiale præmissarum; adhuc qui ex adverso ibi sentiunt, admittimus utrumlibet: scilicet, assensum esse posse conclusionem formalem, sive habeat, sive non habeat formaliter pro obiecto suo formali intrinseco materiale præmissarum: sicut & esse posse conclusionem, sive simul sit etiam, sive non sit formaliter Fides: & posse esse Fidem, sive simul sit etiam, sive non sit formalis conclusio: non enim defendimus, Fidem esse semper formaliter discursivam; sed esse aliquando posse. Srat itaque apud omnes, quòd potest assensus esse formalis conclusio habens pro motivo, & pro obiecto suo formali intrinseco materiale præmissarum. Atqui in eo septimo syllogismo materiale præmissarum est Dei auctoritas, & revelatio, ut ex suis terminis patet: ergo, si conclusio formalis assentiat, ut apud omnes potest, obiecto suo materiali, nempe Mysterio Trinitatis, propter materiale præmissarum, assentitur formaliter propter ipsissimum motivum, & obiectum formale Fidei: quomodo ergo talis conclusio non erit formalis Fides? ergo Fides si nui & conclusio strictissimè discursiva.

28 Præterea: si actus assentiretur Mysterio Trinitatis, quia Deus est summæ auctoritatis, & illud revelat, quin præcessissent præmissæ in illa forma dispositæ causantes talem assensum, assensus ille esset apud omnes formalis Fides: ergo & quavis præcesserint: quandoquidem, sive sic præcesserint, sive non, assentitur: quia Deus

authoritatis summæ illud revelat. Quid enim, precor, obest rationi Fidei formalis, quod hoc idem Fidei motivum repræsentetur per duas illas præmissas sylogisticè dispositas inducentes pro conclusione illum assensum? Certè omninò nihil. Præfertim, cum habitus Fidei sit habitus intellectus, residens in intellectu viatoris ex se discursivo: cumque circa objecta Fidei non in nobis experiamur quoad hoc diversum modum operandi, ac circa alia objecta inevidentia, quibus assentimur unum ex alio discursivè deducentes.

29 Metaphysicissimi quidam, nihil non præscindentes opportunè, & importunè, docere nos volunt inanissimè in prædictâ conclusione, de qua processit argumentum nostrum, præscindi posse, ac debere formalitates assensus discursivi, & assensus Fidei; & ut est præcisè Fides, non esse discursivam; nec tunc est præcisè discursiva, esse Fidem. Egregiè. Sed edoceri adinvicem patiantur, eiusmodi præcindibilitates in conclusionibus cuiuscumque facultatis inveniri: nam in conclusione Theologica & est formalitas assensus discursivi, & formalitas Theologici: in Mathematica formalitas assensus discursivi, & formalitas Mathematici; & sic alijs in facultatibus discursivis, nullâ demptâ: quin tamen proprerea negetur esse discursivas: quia eiusmodi formalitatu, quomodolibet præscindantur, coeunt in unum assensum, qui simul sit discursivus, & Theologicus: aut in unum, qui simul sit Mathematicus, & discursivus; quamvis nec præcisè ut discursivus, sit Mathematicus; nec præcisè ut Mathematicus, sit discursivus. Hæc igitur inanis evasio non tollit, quominus Fides sit discursiva ea proprietate, quâ aliæ facultates in suis assensibus deductis sylogisticè ex suis præmissis. Quo totum dubio procul habemus intentionem.

30 Dices. Eo ipso quod assensus sit conclusio formalis, assentitur identitati suorum extremorum obiectivorum inter se propter identitatē in tertio: sed identitas in tertio non est autoritas, & revelatio Dei; & esse idem inter se, quæ sunt idem in tertio constat per evidentiam naturalem, & non per revelationem: ergo eo ipso quod assensus sit conclusio formalis, non assentitur propter revelationem, & autoritatem Dei: sicque eo ipso non est

Fides. Respondetur, concessâ maiori, distinguendo minorem: qualibet identitas in tertio non est autoritas, & revelatio Dei, concedo: identitas talium extremorum cum tali tertio, nego minorem. Ea enim extrema septimi nostri sylogismi nempe *ita est*: & Mysterium Trinitatis, identificata seorsim in præmissis cum tertio, nempe cum eo quod Dei autoritas revelat, involvit, Dei autoritatem semper revelantem quod *ita est*, revelare Mysterium Trinitatis. En ergo in identitate talium extremorum cum tali tertio totum motivum Fidei, propter quod ea conclusio assentitur; Mysterium Trinitatis *ita esse*. Vnde negatur consequentia, quod non assentiat propter Dei autoritatem, & revelationem. Fatemur, necessitatem essendi idē inter se, quæ sunt idē in tertio, non nobis constare per revelationem, sed per evidentiam. At, quid inde? Certè undecumque id constet, non est quod asserit illa conclusio; sed asserit, Mysterium Trinitatis *ita esse*, quia quod Deus revelat, *ita est*, & revelat Mysterium Trinitatis. Pater clarior: quia, quod principium illud metaphysicum constet per evidentiam naturalem, non obest quominus variæ Facultates, ut Physiologia, Mathesis, & Theologia sylogizantes modò demonstrativè, modò opinativè, in vi eiusdem principij suas conclusiones etiam probabiles deducant, sintque absolutissimè discursivæ.

31 Dices secundò, evidentiam naturalem illius principij ob stare potius Fidei discursivæ, quam alijs Facultatibus: quia Fides est ex naturâ suâ obscura, libera, & meritoria. Non autem esset obscura, & libera, si discursiva foret per conclusiones fundatas in eo principio evidenti, & necessitante ad sui assensum; atque adeo ad assensum identitatis extremorum inter se in conclusione, supposito in præmissis assensu identitatis eorundem in tertio. Respondetur, neque id ob stare obscuritati, libertati, aut merito Fidei. Non libertati, ac proinde nec merito: quia necessitas ad assensum identitatis extremorum inter se in conclusione, non est nisi ex suppositione assensuum identitatis extremorum cum tertio in præmissis: quæ suppositio libera nobis est; quando alicui præmissæ possumus dissentire: sicque non officit absolute libertati assentiendi conclusionis, ut diximus *disp. de Grat. sect. 11a disp. suppo-*

suppositionem nobis liberam actus efficaciter imperantis, & essentialiter connexa in cum imperato, non officere libertati actus imperati. Non obscuritati: quia in prædicto septimo sylogismo, quamvis evidens sit in maiori, quod *omne, quod revelat, ita est*, non est ita evidens, sed obscurum in minori, quod *Deus revelat Mysterium Trinitatis*. Sicque inevidens, & obscura evadit conclusio Fidei, quod *Mysterium Trinitatis ita est*, utpote partem sequens debiliorem. Quemadmodum multæ conclusiones evadunt probabiles ex sylogismis fundatis in eodem illo principio metaphysico evidenti; quia non est in præmissis evidens identitas duorum extremorum cum tertio. Nec tollitur proinde evidentia illius principij: in eo scilicet sita, quod evidens sit, extrema esse idem inter se, si sunt idem in tertio; non tamen in eo quod evidens sit, esse idem in tertio, aut inter se: in eo, quod, admisâ in præmissis identitate extremorum cum tertio debeat admitti in conclusione identitas extremorum inter se: non propter evidentiam identitatis extremorum inter se, quæ plerumque solet esse falsa ex falsis benè dispositis, ut in sylogismis tertio, & quarto *numeri 22*. sed propter evidentiam bonitatis illationis: quæ bonitas non attingitur per conclusionem directam, quæ in nostro septimo sylogismo est actus Fidei; sed per cognitionem reflexam dispositionis sylogisticæ: quæ cognitio non est Fides, sed Dialecticæ.

Supra  
disp. 1.

32 Dices tertio: hoc esse, Fidem inniti regulis logicis, & reducere Fidem discursivam ad iudicium de bonitate consequentia: quod non excedit certitudinem evidentia naturalis, cuius formalem certitudinem excedere debet certitudo formalis nostræ Fidei, ut vidimus *disp. 1. sect. ultim.* Et videtur adversari SS. Patribus admonentibus, quod Fides non sit inquisitiva. Respondetur, neutiquam id esse, reducere certitudinem formalem Fidei ad certitudinem formalem iudicij evidentis dialectici de bonitate consequentia, nec illam inniti regulis logicis: cum Fidei assensus ex se intrinsecè formaliter sit metaphysicè certus ratione suæ supernaturalitatis, & infallibilitatis divini testimonij, cui innitur; sive istud in forma sylogistica per regulas logicas proponatur, sive non. Sed est certitudinem formalem assen-

sus Fidei componi quandoque cum illo iudicio naturali bonitatis consequentia, & cum illo modo dialectico proponendi sylogisticè suum motivum, & obiectum formale: in quo nec umbra apparet repugnantia, nec absurdi. Neque in hoc adversatur SS. Patribus. Cum enim monent Fidem non esse inquisitivam, hortantur Populos, ne circa Mysteria Fidei sese curiosius gerant, ac nimis scrutentur, potius deferentes rationibus naturalibus, quam testimonio Dei per Ecclesiam; sed contrariantur revelatis ab Ecclesia propositis, ne suis discursibus naturalibus decipiantur, Fideique præiudicent. Nihil autem intererat ad hoc SS. PP. intentum, dissuadere aliquam conclusionem discursu sylogistico deductam non esse formalissimam Fidem.

53 Dices quartò ex Oviedo. Conclusio innitur, ut suo motivo, identitati sui obiecti in tertio cum alio obiecto iam præiudicato per alium assensum in præmissis: alioquin quomodo esset formaliter illatio? Sed Fides nequit sic inniti: ergo nequit esse conclusio, nec illatio, atque adeo nec discursiva. Probatur minor: quia Fides, propositio, aut per actum simplicem, aut per discursum obiecto suo materiali informato divinâ revelatione, assentitur obiecto suo propter revelationem, non curans de eius identitate in tertio cum alio obiecto præiudicato per alium assensum in præmissis: ergo nequit inniti tali identitati in tertio, quamvis eam exercitè supponat præiudicatam: ergo, quamvis supponat assensum, imò & sæpè integrum discursum circa illam identitatem, & circa revelationem talis Mysterij, nequit esse formalis conclusio constituens ipsum discursum; sed ad summum illum integrum supponens, & extrinsecè dumtaxat innitens revelationi attackta in discursu prævio; non autem intrinsecè attackta tanquam suo motivo, & obiecto formali. Respondetur, admisâ maiori, negando minorem, quando, ut in nostro casu, ea identitas sui obiecti v. gr. Mysterij Trinitatis, est cum eo obiecto, quod revelat autoritas Dei. Tunc enim in hoc ipso involvitur revelatio Dei de Mysterio Trinitatis asserta in minori dicti septimi sylogismi. Hinc ad probationem minoris, distinguendum est antecedens ex dictis

num. 27. semper, nego; aliquando, concedo. Quamvis enim possit exerceri Fides, ut dicit obiectio, per assensum subsequutum ad totum discursum, cuius scilicet conclusio non attingeret pro obiecto suo formali intrinseco materiale præmissarum, at potest etiam alio modo per assensum, qui sit ipsa formalis conclusio illud intrinsecè attingens, & in illo formaliter motivum revelationis de Trinitate, curando valde de identitate in tertio prædicatâ in præmissis: sicque Fides erit discursiva, & non supponens integrum discursum; sed præmissas. Vnde negantur duæ consequentiæ. Potest quidem habere se Fides, sicut in illis dicitur; at potest quoque aliter, sicut nos dicimus; representatâ scilicet, & prædicatâ in præmissis identitate illorum extremorum, involuentium revelationem de Trinitate, in uno tertio, & assentiendo per conclusionem ipsam formalem, Mysterium Trinitatis ita esse, quia quod Deus revelat ita est, ut prædicatur in maiori: & quia revelat Mysterium Trinitatis, ut prædicatur in minori. Quid enim id prohibet? En ergo Fidem formaliter discursivam.

Pallavic.

34. Dices quintò ex Cardin. Pallavicino. Fides discursiva posset seorsim assentiri veracitati, ac revelationi divinæ, ut patet in præmissis nostri septimi syllogismi: sed hoc non: nequit igitur esse discursiva. Minorem probat tripliciter. Primò: quia est contra naturam habitus Fidei inclinare, aut deservire ad actum, per quem nihil credatur loquenti, nisi se loqui, & magnæ autoritatis esse. Secundò: quia, sicut non possumus per habitum Charitatis amare super omnia aliquid propter se ipsum, nisi ipsum Deum; ita nec per habitum Fidei infusa credere alicui super omnia, nisi Deo: sed per actum, quo seorsim affirmaremus Dei veracitatem, seu revelationem, seu bonitatem consequentiæ, nihil crederemus Deo; cum ista non cognoscamus, ut aliunde nota, & non ut à Deo revelata, sicut Omnipotentiam, & æternitatem: ergo non per actum, nec habitum Fidei infusæ. Tertio: quia, si adultus ad Fidem veniens inciperet prædictum discursum: & postquam super omnia credidisset veracitatem Dei, prout in maiori; & revelationem de Trinitate, prout in minori, & impediretur elicere conclusionem, sequeretur, debere illi infundi habitum

Fidei; cum iam per assensum præmissarum mancipaverit intellectum primæ veritati. Sequela autem videtur absurda contra communem sensum Theologorum negantium infundi Fidem adultò ante actum Fidei.

35. Respondetur, admittâ maiori, negando minorem, & consequentiam. Ad primam probationem. Nullam affert in terminis implicantiam, quod habitus & actus aliquis Fidei inter alia obiecta revelata, credat quoque Deo veracitatem, & loquutionem suam etiam ab ipso revelatas, quia à Deo ipso autoritatis summæ revelatæ sunt: quamvis aliunde etiam possent diversimodè innotescere. Ad secundam dico in primis, ex vi formæ nihil prorsus concludere: quia constat tribus propositionibus negativis. Deinde ad materiam dico, paritatem Charitatis potius obesse, quam prodesse arguenti: nam habitu charitatis, quo amamus alia propter bonitatem Dei, possumus amare ipsam Dei bonitatem propter se ipsam, quin per talem actum velimus aliquid determinatè propter Deum, nisi ipsum Deum: imò & quin alia tunc cognoscamus. Sic ergo habitu, & aliquo actu Fidei poterimus credere Deo propter suam revelantis autoritatem, ipsam autoritatem & revelationem, quæ sunt obiectum formale Fidei, factum tunc simul materiale. Vnde negatur minor vitiosi syllogismi: non enim est cur ipsas Dei autoritatem, & revelationem non possimus etiam credere Deo ut revelatas; quamvis aliter etiam constare nobis possent: tunc autem in illis ipsis esset obiectum materiale, & formale Fidei. Atque hinc patet discrimen illarum ab Æternitate, Omnipotentia, & alijs, in quibus non reluctet ratio obiecti formalis Fidei. Ad tertiam dico in primis, involuere patentissimam implicantiam terminorum. Supponit enim arguens in maiori iam exerceri mancipationem intellectus credendo super omnia veracitatem, & revelationem Dei, & infert quod mox infunderetur habitus Fidei non præcedente actu Fidei. Deinde dico, falsò supponere, quòd ullus actus Fidei sit sufficiens dispositio ad infusionem habitus Fidei, contra quod ex professo tenui cum Delugo, Ripalda, & alijs disp. 17. de Grat. sect. 1. Vnde negandum est, solam mancipationem intellectus sufficere, ut infundatur habitus Fidei; cum

Lugo.  
Ripald.  
To. de Grat.  
li. disp. 17.

nun-

nunquam primò infundatur ante infusionem habitus Charitatis, & Gratiæ Sanctificantis.

36. Dices sextò. Angeli in via habuerunt habitum Fidei eiusdem rationis cum nostro: sed in Angelis non fuit formaliter discursiva; cum non utantur discursu: ergo nec in nobis. Improbis modis inferendi. Dato tamen, quod multi negant, Angelos nec circa supernaturalia uti discursu; negatur consequentia ob rationem, quam obiectio ipsa subministrat. In Angelis, inquam, Fides non erat discursiva, quia discursu non utantur; bene vero in nobis, qui utimur discursu. Sic in Angelis actualis Fides non erat ex auditu materiali; bene verò in nobis.

## SECTIO III.

Ultima obiectio. Vbi de discrimine Fidei à Theologia.

Lumbier.

73. **O**bjicit tandem Magister Lumbier num. 418. Fides in eo differt ab alijs Virtutibus mentis, præsertim à Scientia, quòd credit Mysterium dictum, quia dictum, seu revelatum à Deo: ergo non quia illatum. At conclusio assentitur identitati extremorum inter se, quia illatæ ex identitate cum tertio: ergo eo præcisè quòd sit conclusio, non est Fides, sed scientia, quam vocamus Theologiam. Confirmatur. Conclusiones veræ primi, secundi, quinti, sexti, ac septimi syllogismi formati num. 22. sunt conclusiones Facultatis Theologicæ: ergo non virtutis Fidei: alioquin si tam Fides, quam Theologia, discursiva defenditur, quidnam superest discriminis Fidem inter & Theologiam?

38. Respondetur: concessio antecedente, distinguo consequens: non quia illatum, quando Fides non est simul conclusio, concedo: quando simul est conclusio, subdistinguo: non quia illatum, signatè, concedo; nam conclusio non enunciat se inferri ex præmissis; sicut nec se attingere obiectum: quamvis re ipsa illud attingat: non quia illatum, exercitè, nego: nam re ipsa sans modis assentiendi, & essendi est ex præmissis. Sicque eiusmodi assensus est conclusio, quia exercitè est illatus ex præmissis; estque Fides, quia signatè assentitur Mysterio propter autoritatem, & revelationem representatas in præmissis septimi

syllogismi. Porro similis præcisio fit in qualibet Scientia. Patet in Physiologia: in eius enim conclusionibus, alius est formalis conceptus conclusionis; alius conceptus Physiologiæ, ut iam observabam num. 29. & est luce clarius. Ad confirmationem dico, conclusiones veras primi, secundi, quinti, ac sexti syllogismi esse quidem conclusiones Facultatis Theologicæ contrapositæ ad Fidem; conclusionem vero septimi nostri syllogismi esse conclusionem formalem Virtutis Fidei; & non Facultatis Theologicæ contrapositè ad Fidem. Restat, hoc studiosius discriminare.

39. Quocirca norandum venit, quòd vox, Theologia, accipi potest dupliciter. Vno modo largè, & ethymologicè à Theos & logos: quòd est sermo, vel notitia de Deo: & sic non solum conclusiones deductæ ex veritatibus revelatis; sed & Fides ipsa, quin etiam & beatifica Visio est Theologia: cum abs dubio sit notitia de Deo. Alio modo præsiùs, & contractiùs pro Facultate Theologicæ, cui inter alias studemus Viatores contrapositè ad Fidem, quæ docti, & indocti purè credimus Mysteria, quia revelata, & in hoc sensu Virtus Fidei, & Facultas Theologicæ patet esse quid diversum: iuxta quam diversitatem diximus conclusiones aliorum syllogismorum esse conclusiones Theologicæ; septimi autem esse conclusionem Fidei formalis. In quo autem ster illa diversitas, nò est facile definire: de quo latè Vazquez 1. p. Vazquez. disp. 4. & 5. & Quiròs tom. 1. disp. 1. & Quiròs. 5. usque ad nonam.

40. Existimo, actus Theologicæ, & actus Fidei in eo differre, quòd Fides assentitur suæ veritati propter autoritatem, & revelationem Dei; Theologia verò suæ propter veritatem, seu veritates alias à Deo revelatas. Et hinc est, quòd in septimo illo nostro syllogismo conclusio formalis est Fides, ut diximus: quia assentiens Mysterio Trinitatis propter obiectum materiale suarum præmissarum, quòd erat autoritas, & revelatio Dei, assentitur propter autoritatem, & revelationem Dei. In alijs verò primo, secundo, quinto, & sexto, conclusio formalis est Theologia, & non formalis Fides; quia assentiens propter obiectum materiale suarum præmissarum, assentitur propter aliquam, vel aliquas veritates revelatas, non verò propter autoritatem, & revelationem Dei: illæ



illa enim, & non ista sunt obiectum purè materiale earum præmissarum, ut videre est. Dixi: *propter aliquam, vel aliquas.* Quia conclusio Theologiæ est, sive obiectum utriusque præmissæ sit revelatū, ut in sexto sylogismo, sive alterutrius, ut in primo, secundo, & quinto: conclusio, inquam, probabilis Theologiæ, quando una præmissa est tantum probabilis, ut in primo; certa vero, quando præmissa, quæ de Fide non est, est naturaliter evidens, ut in secundo, & quinto: & hoc postremo modo Theologia est virtus mentis dicens certitudinem; nam alius modus probabiliter inferendi, quo sæpè utimur viatores, pertinet ad Theologiam ut opinativam; non verò penes id, ut virtutem mentis.

41 At quid si idem actus conclusionis de materia revelata, ut in sexto sylogismo, assentiretur suæ veritati, nempe, *Matrimonium esse Sacramentum*, quia revelata est, simulque propter identitatem in tertio suarum præmissarum? Respondet bene P. Borrull *disp. 1. de Attrib. num. 104.* in eo casu possibili actum illum fore simul Fidem, quia assentitur ex motivo revelationis; simulque conclusionem Theologicam; quia simul assentitur etiam veritati suæ ex motivo aliarum veritatum revelatarum. Cur enim hoc implicet? Idemque dici posset de actu, qui est conclusio septimi sylogismi: si non utcumque assentiretur veritati suæ propter autoritatem Dei, & revelationem ut revelantem; verum etiam ut sunt quoque veritates revelatæ, & obiectum materiale Fidei simul & formale, ut suo in loco dicemus.

42 Hæc de Fide, ac Theologia actualibus. Quid iam de habitualibus? Aliqui cū Scoto apud Gillium *lib. 1. tract. 6. cap. 2.* videntur non satis distinguere inter habitum Fidei, ac Theologiæ; quatenus docent, conclusiones illas, quas diximus Theologicas, elici per habitum Fidei. Et in parte consentiunt Hurtad. & Ripald. quatenus id admittunt, quando conclusio Theologica est ex duplici præmissa Fidei, ut in sexto sylogismo. Alij apud Quiròs *disp. 9. sect. 1.* putant eos habitus non distinguere adæquatè: quippè docent Theologiam habitalem esse complexum ex habitu infuso Fidei, & ex habitibus acquisitis variarum facultatum: illo scilicet, cum aliquo ex istis, pro varietate materiæ, influente in conclusionem Theologicam: à

quo non omnino discrepat Delugo apud Lugo. Borrull *num. 99.* Molina.

43 Melius tamen Molina, & communiter alij realiter absolute distinguunt habitus Fidei, ac Theologiæ. Primò: quia habent pro motivo suorum actuum rationes formales absolute diversas: autoritas enim, ac revelatio divina, quæ sunt obiectum formale Fidei, diversæ sunt ab alijs veritatibus purè revelatis, quæ sunt obiectum formale Theologiæ, ut ex illis suas deducat conclusiones. Secundò: quia in Catholico Idiota reperitur sæpè eximia Fides. Quis autem illum dicat eximiuſſi Theologum, sicut nec Philosophum? Tertio: quia in Catholico Theologo, qui postmodum neget articulum Fidei, non manet habitus Fidei: & tamen manet Theologia; & circa alia obiecta theologizat, sicut antea; inferendo videlicet ex revelatis conclusiones Theologicas eadem facilitate, qua solebat; quamvis præmissæ formales, quas assumit, non sint in eo formalis Fides, sicut erant antea. Et quoad hoc est verum, quod dici solet, in Hæreticis non reperiri, sicut in Catholicis, Theologiam, acceptam nimirum adæquatè intrinsicè; non solum quoad conclusiones Theologicas veras, quas bene inferunt: sed etiam quoad præmissas formales, quæ sæpè in Catholico sunt supernaturales ex habitu Fidei; & in Hæretico non sic, cum careat habitu Fidei, nec fortè illas credat. Proinde tamen non tollitur, quominus non sint in eo quoad essentialia veræ conclusiones Theologiæ, elicite per eundem habitum Theologiæ, quem habuerat, dum esset Catholicus. Per hæc videtur satis convinci absolutissima distinctio habituum Fidei, ac Theologiæ. Sic Borrull cit. & Quiròs *disp. 6. sect. 5.*

44 Inter Authores, qui nobiscum ponunt habitum Theologiæ specialem, ac diversum ab habitu Fidei, & ab habitibus aliarum Facultatum, manet dissidium: an specialis hic habitus Theologiæ sit entitativè supernaturalis? Affirmant Lumbier *quest. 1. de Attrib. art. 9.* & Borrull *sect. 5.* addens cum alijs & esse per se infusum: pro quo citat Cardinalem Delugo *disp. 1. de Fide sect. 13.* Moventur autem: quia conclusio Theologica est actus entitativè supernaturalis; ergo & habitus Theologiæ, à quo efficitur.

45 Opinor ex adverso cum Suarez *disp.*

Vazquez.  
Quiròs.

S. Thom.

*disp. 3. sect. 11. num. 8.* Vazquez *num. 6.* & Quiròs *disp. 6. & 9.* habitum specialem Theologiæ viatorum esse naturalem, & non per se infusum. Quod non sit per se infusus, videtur supponi à S. Thom. in Prolog. Sent. art. 3. dicente, quod per Theologiæ studium, non acquiritur habitus Fidei, qui est quasi habitus principiorum, ex quibus utique revelatis discurrit Theologia; sed acquiritur habitus eorum, quæ ex eis deducuntur: scilicet habitus Theologiæ ex revelatis discurrunt. Clarè igitur vult, habitum Theologiæ esse per se acquisitum, sicut habitus aliarum Facultatum, contra positè ad habitum Fidei, qui est per se infusus. Et quidem si esset per se infusus, videtur fore Theologalis; cum immediatè versetur circa Deum; sicque quatuor essent virtutes Theologales: & in Pueris, amentibus, ac Idiotis daretur habitus Facultatis Theologiæ, sicut dantur habitus virtutum moralium per se infusam Gratiâ comitantes: quod omnino videtur à vero alienum. Deinde quod nec sit entitativè supernaturalis; sed naturalis; probatur: quia non est, unde arguatur eius supernaturalitas. Non enim ex obiecto; cum circa obiecta supernaturalia tendant sæpè actus naturales, & semper potentiæ naturales elevatæ. Non ex eo quod conclusiones ab ipso inductæ sint supernaturales: quia habitus naturalis, sicut & potentia naturalis, elevatus per comprincipium aliud supernaturale, potest coëfficere actus entitativè supernaturales, ut amplius constabit ex solutione obiectorum. Nec ex eo, quod causatur, & acquiritur per conclusiones Theologicas supernaturales: non enim quidquid producunt supernaturalia, supernaturale est, ut alibi ostendo. Nec propter connexionem cum aliquo supernaturali: ea enim connexio non est contra rationem entis naturalis, ut monstravi contra Ripaldam *disp. 18. de Attrib.* Nec aliud apparet fundamentum ad ponendum habitum Theologiæ entitativè supernaturalem.

46 Ad motivum contrarium multi negant antecedens. Ego illud admitto, saltem pro de facto ex lege Dei: quia omnes eiusmodi cogitationes veræ Theologiæ sunt illustrationes sanctæ, & de genere auxiliorum divinæ Gratiæ, ut in Tom. de Gratiâ, sæpius adstruxi. Nego tamen consequentiam. Nec enim tenet ex eo quod

habitum Theologiæ generetur per actus supernaturales conclusionum Theologicarum: per ea, quæ dixi *disp. 17. de Gratiâ To. de Gra. sect. 4.* circa actus supernaturales repetitos virtutum infusarum, generantes habitus earundem acquisitos entitativè naturales. Neque ex eo quod habitus Theologiæ influat postea in conclusiones Theologicas subsequetas: nam influat in confortio præmissæ supernaturalis illam, sicut & intellectum naturalem, elevantis ad perfectionem conclusionis supernaturalis: quomodo una etiam præmissa naturalis, utpote non nisi probabilis, in confortio alterius supernaturalis elevatur ad inferendam, & causandam conclusionem supernaturalem, ut in secundo sylogismo iuxta adversarios. Neque ex eo quod effectio conclusionis supernaturalis connectatur, cum habitu naturali, à quo fluit: nam etiam fluit ab intellectu naturali, nihil obstante eæ connexionem, & indigentia naturalitati potentiæ intellectivæ.

47 Obijciunt alij aliter: quod à S. Thom. & ab alijs SS. Patribus dicitur Theologia divinitus inspirata, & orandum nobis esse ad illam assequendam: ergo quia est habitus supernaturalis à Deo infundendus. Confirmatur: quia sæpè conclusio certior est omni evidentia naturali: taliter, ut quando infertur ex una præmissa de Fide, & ex alia evidenti naturali, negari nequeat absque censura. Secundò: quia sæpè excitat amorem Dei supernaturalem. Respondetur, dici rectè Theologiam divinitus inspiratam, & oratione à Deo obtineri quoad principia, ac veritates Fidei, ex quibus discurrit. Præterquam quod notitias etiam naturales sæpè petimus à Deo, & oratione obtinemus. Duæ confirmationes probant supernaturalitatem conclusionis Theologiæ, quæ ultro fatemur, saltem pro de facto: exinde tamen negamus inferri supernaturalitatem habitus Theologiæ, ut vidimus.

48 Obijcit tandem Mag. Lumbier *Lumbier. num. 56.* ut probet conclusionem Theologicam non solum esse pro de facto supernaturalem, ut admittimus; sed nec ex natura rei esse posse naturalem, ut inferat supernaturalitatem habitus. Quia, si conclusio Theologica esset naturalis, daretur medium naturale, ex quo posset evidenter cognosci ens aliquod supernaturale: sed hoc implicat: ergo & conclusio Theologica

Borrull.

Gill.

Hurtad.  
Ripald.

Quiròs.

Borrull.  
Quiròs.

Lumbier.  
Borrull.

Lugo.

To. de Deo  
disp. 18.

gica naturalis. Maior probatur in hoc Sylogismo: *Omnis homo habet subsistentiam, vel creatam, vel increatam: sed hic homo Christus non habet creatam: ergo increatam.* Maior est naturaliter evidens, intellectui saltem angelico. Minor de Fide. Si ergo conclusio esset naturalis, in ea reflexè cognita evidenter ab Angelo, ac proinde in medio naturali cognosceretur evidenter ab Angelo mysterium Incarnationis. Respondetur: sequelam non fore absurdam, suppositâ veritate revelatâ minoris, ut defendi *disp. 1. de Incarn. sect. 4.* cōsequenter ad doctrinam traditâ de cognoscibilitate entis supernaturalis *disp. 18. de Attrib. sect. 1.*

Tom. de Christo *disp. 1.*  
To. de Deo *disp. 18.*

S. Thom. Vazquez.

49 Restat dubium: an Theologia sit Scientia: eiusque habitus scientificus? Affirmant communiter, cum S. Thom. 1. p. *quest. 1. art. 2.* Negat Vazquez 1. p. *disp. 4.* Vtrique supponunt in ea *quest. 1. art. 6.* Theologiam esse virtutem mentis, & sapientiam: quia procedit per altissimas causas. Et esse scientiam, sumpto largè nomine scientiæ pro qualibet notitiâ certâ, etiâ citra discursum, ut est in Deo Omniscio. Manet dubium de scientiâ strictiùs sumptâ pro notitiâ per discursum demonstrativum: & non quidem de Theologia Beatorum; nec de nostra viatorum quatenus opinativè, ac probabiliter discursivâ; ut in primo sylogismo *numeri 22.* cum certum sit, illam esse scientiam, utpote à Beatis evidenter cognoscentibus principia conclusionum Theologicarum; istam verò non esse scientiam, cum conclusio non excedat probabilitatem.

50 Loquendo igitur ad rem de Theologia nostra viatorum discurrere, aut ex præmissis revelatis, ut in sexto Sylogismo; aut ex una revelata, & ex alia evidenti, ut in secundo, & quinto; iudico, stando definitioni Aristotelicæ à Philosophis admittæ, Theologiam nostram non esse strictè scientiam. Quia scientia ex Aristotele non habetur, nisi per demonstrationem: Demonstratio autem ex ipso Aristotele, alijsque Philosophis non est nisi ex veris, certis, & evidentiibus. Sed prædicti discursus Theologici, alijsque similes important unam saltem præmissam obscuram, utpote de Fide: quamvis ergo certi sint, non sunt scientifici: ex defectu scilicet evidentiæ adæquatæ.

Aristot.

51 Nihilominus in gratiam S. Thom.

vocari possunt scientia alterius ordinis, nõ definita ibi ab Aristotele in scio certitudinis divini Fidei inevidentis. Addendum, quòd in aliquibus Sylogismis Theologicis, quorum præmissa de Fide esset etiam naturaliter evidens, posset Theologia (nisi forte illos ad Metaphysicam revocare mavis) strictè scientificè procedere, si veritati illius præmissæ evidenti, simulque de Fide assentiretur intellectus ex motivo naturalis evidentiæ: ut in hoc Sylogismo: *Deus est ens necessarium: sed ens necessarium est æternum: ergo Deus est ens æternum.* Præter Vazquez citatum legi quoque postest Quiròs *ad finem tom. 1. in Serie Questionum S. Thom. quest. 1. art. 2. & 6.*

Vazquez Quiròs.

SECTIO IV.

An, & qua ratione differat Fides Theologica à Fide miraculorum, à Fide gratis datâ, à Fide Fructu Spiritus Sancti: & à Prophetiâ?

52 **F**ides miraculorum est, qua pollere dicuntur, aut illi, qui patrant miracula, iuxta *Luc. 17. si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicitis huic arbori, transplantare in mare; & obediet:* aut illi pro quibus patrantur, iuxta *Matth. 9. tegit oculos eorum, dicens: secundum fidem vestram fiat vobis.* Quæritur: an hæc Fides miraculorum, seu signorum, sit eadem, ac Fides Theologica, quæ est assensus intellectus creditivus Mysteriorum.

Luc. 17.

Matth. 9.

53 Affirmare videntur cum Cyprian. & Ambr. S. Thom. 2. 2. *quest. 178. art. 1.* Caiet. & Sotus apud Suarez *disp. 8. sect. 1.* Quia *Matth. 9.* ante illa verba: *secundum fidem vestram fiat;* interrogaverat Christus: *Creditis, quia hoc possum facere vobis?* Quo indicatur, sermonem fuisse de Fide creditiva. Econtra vero *Matth. 13.* dicitur Christus, non fecisse virtutes multas *propter incredulitatem eorum.* Fides autem contraposta incredulitati Fides creditiva Theologica est. Præterea *Marc. 9.* ait Christus: *Omnia possibilia sunt credenti;* & *Matth. 8.* *Non inveni tantam fidem in Israhel: sicut credidisti tibi.* Et *1. Corint. 13.* ait Paulus: *si habuero fidem, ita ut montes transferam, &c.* ubi adludit ad fidem miraculorum; cum tamen ex contextu loquatur de Fide Theologica creditivâ, ut expendit Suarez *num. 6.*

Cyprianus. Ambrosius. S. Thom. Caietanus. Sotus.

Matth. 13.

Marc. 9.

Matth. 8.

Suarez.

Ne-

Abulens. 54 Negat ex adverso Abulensis, Chrisost. Theophil. & alij, existimantes, Fidem miraculorum esse potiùs fiduciam specialissimam, quæ est actus voluntatis, quæ solet etiam significari nomine Fidei, ut prænotabam *disp. 1. num. 2.* Quia assensus Fidei Theologicæ creditivæ est nobis liber: non autem est nobis libera Fides, seu gratia miraculorum. Ista confertur paucis; illa verò cunctis Fidelibus; quam præsuppositâ, significatur *Matth. 10. & Luc. 19.* datam insuper fuisse Apostolis gratiam miraculorum: ergo quia gratia, seu Fides miraculorum, non est Fides creditivæ; sed potiùs fiducia specialis obtinendi à Deo miracula. Ideoque eam non semel significavit Christus nomine confidentiæ: ut *Matth. 9. ad Paraliticum: Confide, Fili;* & ad Hemorroisam: *Confide, Filia.*

Sup. disp. 1

Matth. 10 Luc. 19.

Matth. 9.

Suarez.

55 Mens P. Suarez, quamvis prior videatur ad primam sententiam, reverâ tamen utramque conciliat. Iuxta quem existimo, Fidem miraculorum dicere Fidem Theologicam, quæ est assensus intellectus; & completi per fiduciam, seu confidentiam illam, quæ pertinet ad virtutem voluntatis. Tria namque ex ipso Suarez, considerantur in patratore miraculorum. Primò: Fides creditiva divini Omnipotentis, & veritatis suarum promissionum. Secundò: quædam quasi applicatio illius Fidei generalis ad factum particulare, illud subiiciendo Omnipotentis Dei, sibi que sine hæsitatione persuadendo, hic & nunc iuxta divinas promissiones patrandum esse miraculum. Tertio: fiducia, seu confidentia specialis inde resultans in voluntate de patratione miraculi. Ex ijs tribus primum est, assensus Fidei Theologicæ: quam involvi in Fide miraculorum probant Textus allegati pro prima sententiâ; at non sufficere probant fundamenta secundæ. Requiritur ergo ulterius illud secundum, quod est iudicium, quo inhæsitanter homo sibi persuadet ex prudentibus coniecturis, aut ex speciali illustratione, adesse hic & nunc circumstantias miraculi patrandi iuxta divinas promissiones, & quòd re ipsa patrabitur: hoc iudicium, si ve persuasio, quamvis adhibitâ conditione: si per nos non iterit: posset etiam esse assensus Fidei Theologicæ; regulariùs tamen, ut observat Suarez, non est assensus Fidei; sed vel Theologiæ, vel Prudentiæ

ex illustratione supernaturali. Ad hoc iudicium intellectus, sequitur in voluntate affectus ille fiducia, seu confidentiæ obtinendi à Deo miraculi, valde impetratorius apud Deum operis miraculosi, & pertinens ad virtutem Spei.

56 Tria, inquam, hæc secum importat *Fides miraculorum* completè sumpta. Vnde, quamvis dicat Fidem Theologicam communem omni fidei, superaddit aliquid paucis concessum. Quo respondeatur facile ad fundamenta secundæ sententiæ: & conciliantur Scripturæ pro utraque allegatæ. Alij namque Textus expriment pro Fide miraculorum Fidem creditivam mysteriorum; scilicet, ut requisitam; non tamen ut sufficientem sine speciali applicatione ad hic, & nunc per illud aliud iudicium, & subsequutam confidentiam. Alij expriment fiduciam illam specialem, fundatam scilicet in Fide creditiva, & in prædicto iudicio applicativo. Et ex utriusque colligitur *Fidem miraculorum* ea omnia, quæ diximus, præferre. Circa illud quod pro secunda sententiâ dicebatur *num. 53.* de libertate ad fidem, & non ad miracula, distinguere oportet inter patrare miracula, & habere fidem miraculorum. Quamvis enim illud prius, non sit regulariter liberum patrantibus; cum non sit potestas ad instar habitus ipsis inhærens pro libito suo exercenda; bene verò istud posterius: ideoquè solent homines in Scriptura reprehendi, quòd hanc etiam fidem non habeant: ut *Matth. 14. & 17.* Sic Suarez, *num. 8.*

Suarez.

57 *Fides gratis data* numeratur ab Apostolo *1. Corint. 12.* inter alias gratias gratis datas sic: *Alteri Fides in eodè spiritu.* Cum autem certum sit, fidem Theologicam secundum se venire, non posse nomine *Fidei gratis datæ:* quæ scilicet non omnibus, sed aliquibus specialiter confertur ad aliorum utilitatem; & venire potiùs nomine gratiæ gratum facientis, quæ generaliter confertur ad proprium potiùs profectum uniuscuiusque; oritur dubium, quid sit Fides illa: quæ vocatur *gratia gratis data?* Et qua ratione differat à communi Fide Theologica?

1. Cor. 12.

58 S. Hieronymus, Chrisost. August. & Abulensis apud Suarez, *sect. 2.* sentire videntur, *Fidem gratis datam* idem esse cum *Fide miraculorum:* atque adeo non aliter differre à Fide creditivâ Theologica.

Hieronymus. Chrisost. Augustinus. Abulensis. Suarez.

Vv

ca,

ca, nisi sicut de Fide miraculorum diximus nuper. Hoc alijs displicet: quia, inquirunt, Fidem miraculorum iam seorsim numerat Apostolus in gratis gratijs datis nomine *operationis virtutum*: ergo nomine Fidei aliud ibi intellexit. Itaque dicunt, quod ibi nomine *Fidei in eodem spiritu*, significatur constantia quaedam, virtute Spiritus Sancti, data specialiter aliquibus, praesertim foeminis, ac pueris, non solum ad credendum; quin etiam ad profitendam externè Fidem absque humano timore, ac pudore, pro aliorum aedificatione, & confirmatione: sicque dicunt diversam esse à Fide communi Theologica secundum se. Sic S. Ambros. Glossa, & Caiet. Alij cum S. Thom. 2. 2. *quest. 4. art. 5.* volunt, *Fidem gratis datam*, esse idem ibi, quod alibi, *Sermo Fidei*.

Ambros. Gloss. Caietan. S. Thom.

59 Quid autem sit *Sermo Fidei*, exponit Suarez *num. 4.* supponens ex S. Thom. gratias gratis datas ordinari ad actus externè manifestativos rerum divinarum in utilitatem aliorum, ut ex Apostolo colligitur ibidem: *Vnicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem*. Ut autem possit unus doctrinam rerum divinarum nostrae Fidei convenienter alijs communicare, tres potissimum ponit Apostolus ibi gratias gratis datas. Una est *Sermo Scientiae*: cuius est res divinas rationibus naturalibus declarare: quod enituit in aliquibus magnis Philosophis à Deo specialiter illustratis. Alia est: *Sermo Sapientiae*: cuius est easdem declarare per rationes, & causas altiores, inde veritates profundas deducendo, alijsque persuadendo: quod enituit in eximijs Theologis singulariter illustratis. Tertia est *Fides*, sive, *Sermo Fidei*: cuius est facile declarare, ac persuadere Fidei mysteria sine Scientiae, ac Sapientiae ornatibus: quod in aliquibus pijs, ac simplicibus admiramur, dexterius aliquando, clarius, & fructuosius id praestantes per gratiam gratis datam, quam alioquin ingeniosiores Theologi. Haec, inquit Suarez, nec immeritò vocari potuit ab Apostolo, *Fides gratis data*. Sic autem pater esse diversam à Fide Theologica.

60 Dices. Ad id numeris iam enumerantur à Paulo duae aliae gratiae gratis datae: scilicet: *Genera linguarum*: Et *Interpretatio Sermonum*. Ineptè ergo intelligimus pro eodem *Fidem gratis datam*.

Respondetur, neutiquam à nobis intelligi, nec explicari pro eodem. Quamvis enim istae etiam gratiae gratis datae ad intellectum pertineant, Fideique Theologicae inserviant; diverso tamen modo, & in diverso munere inserviant. Nam per *Genera linguarum*, intelligitur miraculosa, & extraordinaria variorum Idiomaticum intelligentia, & usus. Per *Interpretationem Sermonum* intelligitur penetratio sensuum profundiorum Scripturarum ex speciali Dei lumine. Per *Fidem* autem, seu per *Sermonem Fidei*, intelligimus dexteritatem singularem, quam interdum simplices habent à Deo declarandi modo facili mysteria difficilia Fidei. Vnde negatur consequentia. Brevem gratiarum gratis datarum explicationem ordine suo dedimus *disp. 1. de Gratia, sect. 3.*

61 *Fides Fructus Spiritus Sancti* numeratur inter duodecim Fructus ab Apostolo *ad Galat. 5.* Docet autem Suarez in *vestibulo disp. 8.* Fidem Fructum Spiritus Sancti, & Fidem Theologicam penes id tantum differre, quod ista dicitur assensus Mysteriorum secundum se. Prout verò affert animam spiritualem quamdam dulcedinem in credendo, fervorè, ac fidelitatem in operando iuxta doctrinam Fidei, dicitur Fructus specialior Spiritus Sancti. Sicque intelligitur Hieronymus ad illum Pauli locum dicens, abscedente Charitate, abscedere Fidem: Fidem nimirum, prout est Fructus Spiritus Sancti à nobis explicatus. Similiter Anselmus dicens, Fidem sine operibus veram non esse: quasi dicat non esse vivam nec fructuosam, nec, ut sic dicam, fidelem, in obediendo scilicet promptè, ac iucundè Deo, cui credit.

62 *Prophetia* numeratur etiam ab Apostolo inter gratias gratis datas. Varias eius acceptiones explicat Suarez *sect. 3.* Potissima est, quae Prophetiam ethymologicè sumit pro supernaturali, ac infallibili praedictione, seu praecognitione futurorum contingentium ex lumine extraordinario Dei. Ampliativè extenditur etiam hoc nomen ad cognitionem praeteritorum, & futurorum alioquin occultorum, ut Magnus adnotavit Gregorius. Sicque completur notitias etiam cogitationum alieni cordis. Habet pro obiecto materiali veritates à Deo revelatas; pro formali auctoritatem, & revelationem Dei: sive revelatio ista fiat à Deo per se; sive per Angelos nomi-

To. de Gratia disp. 1.

Galat. 5. Suarez.

Hieronim.

Suarez.

nomine Dei. At quid si per Angelos nomine ipsorum? Respondet Suarez, quod non sufficeret id ad propriam Prophetiam: quia testimonium Angeli non est infallibilis auctoritatis. Dices: Angelos beatos mentiri non posse. Fateor: at non posse mentiri, nec falli, non constat nisi ex testimonio Dei. Itaque devolveretur ultimà infallibilitas notitiae Propheticae in auctoritatem, & revelationem Dei.

63 Hinc difficultas. Si Prophetia adstruitur assentiens revelatis propter auctoritatem, & revelationem Dei, quae sunt obiectum materiale, & formale Fidei; in quo differt à Fide Theologica? Caietan. 2. 2. *quest. 1. art. 4. & quest. 9. art. 1. & quest. 171. art. 5.* ait, in eo differre, quod assensus Propheticus semper est evidens, saltem in attestante: quod Fidei repugnat. Propterea, inquit, in Testamento veteri Prophetarum vocabantur, *Videntes*: eorumque notitiae Propheticae vocabantur, *Visiones*. Ad hoc tamen iam responderunt Hieronymus, & Chrysostom. apud Suarez *num. 3.* quod vocabantur, *Videntes*, & *Visiones*; non semper propter evidentiam; sed propter certitudinem notitiarum tantam, ac si viderent. Sic enim & de nostra etiam Fide loquitur Apostolus: *Videmus nunc per speculum, &c.* Alij ex adverso sentiunt, Prophetiam, sicut & Fidem, non posse esse evidentem in attestante. Idque probant ex S. Thom. *quest. 177. art. 2. ad 3.* dicente, Prophetiam importare secum obscuritatem.

Suarez.

Caietan.

Hieronim. Chrysost. Suarez.

S. Thom.

Suarez.

Sup. disp. 1.

64 Mediam, veramque Doctrinam tenet Eximius Suarez dicens, Prophetiam esse aliquando evidentem, saltem in attestante, Deo scilicet supernaturali claritate manifestante Prophetis, se esse qui loquitur: & tunc iam differt à Fide eiusmodi Prophetia penes Fidei obscuritatem incompatibilem, ut diximus *disp. 1. sect. 2.* cum evidentia in attestante. Aliquando verò esse obscuram, sicut Fides: quia potest Deus Pater luminum manifestare Prophetarum veritates, quas velit, relinquens illum circa revelationem in eo dumtaxat gradu iudicij prudentialis, & moralis evidentiae, in quo nos sumus, antequam credamus de eò quod revelaverit Deus, quae credimus.

65 Priorem partem habemus manifestam in Christo verè Prophetà: in quo tamen non fuit Fides; sed evidentia in at-

testante, imò & intuitio beatificae Visionis. Et valde credibilem in alijs speciali Dei illustratione illuminatis citra Visionem beatificam ad aliqua, quae praedixerunt. Pro quo affert S. Thom. *quest. 174. art. 2.* illud Davidis 2. Reg. 23. *Dixit Deus Israel mihi, sicut lux aurora oriente sole absque nubibus rutilas.* Obiectioni, quod ij Prophetarum in eiusmodi assensibus non mererentur, iam occurrimus *disp. 1. num. 19.* Posterior pars suadet ex Jacob. 2. ubi dicitur: *Credidit Abraham Deo; & reputatum est illi ad iustitiam*: assensus igitur, quem *Gen. 15.* praestitit divinae promissioni, fuit assensus Fidei in varijs Scripturae locis commendatissima; valdè quidem meritorius, atque adeò liber; simulque verè Propheticus ex iisdem sacris litteris: ergo erat Prophetia sine evidentia in attestante. Vnde est quod ait Apostolus: *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus; cum autem venerit quod perfectum est, &c.* Vbi vocatur cognitio etiam prophetica imperfecta, & ex parte, sicut ibidem Fides: scilicet propter obscuritatem, in qua convenire possunt.

66 Sed dices: in quo ergo differt Fides à Prophetia ista similiter obscura? Et cur ista potius, quam Fides Theologica, numeretur inter gratias, gratis datas? Respondetur, differt in eo quod, quamvis omnis huiusmodi Prophetia sit Fides; non tamen omnis Fides est Prophetia. Nam Prophetia addit aliquid speciale: nempe fundari in revelatione immediatè factà ipsi Prophetarum: revelatio enim, quae postea fit publica pro tota Ecclesia, fuit privata respectu Prophetarum, medio quo Deus, qui loquutus est per Prophetas, Ecclesiae suae Mysteria revelavit. Est autem, & dicitur Prophetia, ut talis, Gratia gratis data; quia ut talis pertinet non tam ad utilitatem propriam, quod est de ratione gratiae gratum facientis, quam ad utilitatem aliorum pro communi bono Ecclesiae, incremento, & confirmatione Catholicae Fidei, quod vidimus esse de ratione gratiae gratis datae.

67 Itaque Fides huius generis, Prophetia, & Fides Theologica non differunt substantialiter; sed penes aliquas circumstantias accidentales assensuum, in utraque innitentium revelationi divinae inevitanti. Sic dicemus *disp. 3. sect. 3.* per eundem habitum infusum Fidei credere Prophetam veritates sibi privatim sic à Deo

S. Thom.

Sup. disp. 1. Iacob. 2.

Gen. 15.

I. Cor. 23.

revelatas, quo credit alias publicè, ac universaliter ab Ecclesia propositas. Hoc etiã modo exhibitus assensus Propheticus poterit esse liber, ac meritorius: nisi ex aliqua circumstantia accidentali à Deo, ut potest, necessitetur, ut rectè notat Suarez *sect. 5. num. 4.*

## SECTIO V.

An, & quomodo Theologica Fides sit supernaturalis: & quam perfectã?

68 **D**E Habitu infuso Fidei, sicut etiam de Acquisito dicemus oportuniùs *disp. 10.* Nunc de actu. Quem quidem esse supernaturalem, indubitatum est inter Theologos, propugnatum à SS. Patribus contra Pelagium, quamvis non in terminis supernaturalitatis, at sub æquipollentibus doni naturæ indebiti, unde supernaturalitatem infert Theologia. Oppositum videtur damnari in Bullis Pij V. & Greg. XIII. contra propositionem Baianã 24. quæ sic erat: *Absurda est sententia eorum, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam supernaturali, & gratuito supra conditionem naturæ fuisse exaltatum, ut Fide, spe, & charitate Deum coleret.* Unde certò constat actum divinæ Fidei requisitum ad iustificatiõem talem esse, ut ad illum exercendum utiliter exaltari, & elevari indigeat natura per gratiam: quod est argumentum supernaturalitatis. Nec id iam posse sine gravi censura negari, censent magni Theologi apud Ripaldã *disp. 11. de Fide num. 5. & disp. 44. de ent. supern. n. 4.*

69 Et quamvis antiquiores nonnulli opinati fuerint, satis ad hæc fieri, si dicatur actus Fidei supernaturalis quoad modum; certa tamen iam sententia est, & non contra censuram gravium Theologorum neganda, esse supernaturalem in entitate, & quoad substantiam. Id quod probat Suarez *disp. 6. sect. 5.* ex dicto Christi Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Quòd enim illud venire sit per Fidem, colligitur ex sequentibus: *Omnes, qui audierint à Patre, & didicerint, veniunt ad me.* Ex hoc inferitur dilucidè, venire ad Christum per Fidem, hoc est, credendo, esse actum, ad quem necesse est, hominem trahi à Deo, scilicet per auxilia gratiæ, ut est communis interpretum expositio: atque adeo sic credendo venire, nõ est opus

folius naturæ, sed absolutè, & in substantia sua supernaturale: hoc enim est fundamentum Conciliorum, & Sanctorum Patrum ad agnoscendos in nobis actus supernaturales, ad quos necessaria sit gratia auxilians entitativè supernaturalis, ut adstruximus *disp. 3. de Grat.* In hoc etiam sensu intelligimus, damnari ab Arauscano *Can. 5.* tanquam Pelagianos, eos, qui *Fidem, qua in Deum credimus, dicunt esse naturalem.*

70 Addit congruentiam rationis Haunoldus *cap. 7. Controv. 1.* Nam ad statum supernaturalem Filiationis adoptivæ Dei, & consortij divinæ naturæ spectat, posse supernaturaliter operari per voluntatem, & etiam per intellectum, quæ sunt potentia creaturæ rationalis, quibus accedimus ad Deum. Congruentissimum ergo est, quod sicut in viatore elevato ad finem supernaturalem dantur actus voluntatis entitativè supernaturales, dentur etiam actus intellectus entitativè supernaturales correspondentes in via ex parte futuræ Visioni beatificæ: quæ quidem in entitate supernaturalis est.

71 A priori autem nobis est ratio ex constitutione supernaturalitatis entitativæ, quam extendimus *disp. 18. de Attrib.* ad conducendam dispositivam ad aliquam ex supernaturis, quarum una est Gratia sanctificans. Ad Gratiam autem iustificationis disponi nos per actus divinæ Fidei, est omnibus Catholicis in confesso ex *Trid. Sess. 6. cap. 6.* ut retulimus *disp. 20. de Grat. sect. 2.*

72 Difficultas hinc, & inde inter graves Theologos exagitata est: an supernaturalitas actuum Fidei rectè arguatur ex obiecto formali Fidei, nitentis utique motivo authoritatis, & revelationis divinæ. Affirmat Ant. Perez impense contendens, non posse actum naturalem, & supernaturalem, præsertim Fidei, habere idem obiectum materiale, & formale: atque adeo ex obiectis rectè argui actuum supernaturalitatem. Multa in id congerit, mihi quidem captu difficilia, quæ elucidare, & dissolvere studuit Mag. Lymb. *quest. 11. art. 3.* Negant ex adverso Ripaldã *disp. 11. de Fide & 45. de Ent. supern.* Haunoldus obiter multos allegans cum Sancto Thom. & Suarez *lib. 3. tract. 1. cap. 2. Controv. 3. §. 6.* quatenus aiunt, actum naturalem, & supernaturalem habere posse

idem

idem obiectum materiale, & formale; atque adeo aliunde, quam ab obiectis, argui debere supernaturalitatem actuum. Id quod semper verosimilius, & intelligibilius iudicavi.

73 Moveor ad hanc sententiam retinendum primò. Quia in alijs virtutibus sæpius obiectum formale naturale terminat actum supernaturalem; & e converso, supernaturale naturalem: & tam actus naturales, quam supernaturales versantur circa idem obiectum formale intrinsicum. Similiter ergo dicendum de actibus Fidei: sicque eorum supernaturalitas non satis arguitur ex obiecto. Antecedens multis evincitur. In appetitu scilicet naturali beatæ Visionis naturaliter apprehensæ, aut probabiliter iudicatæ, ut possibilibus, ex eodem motivo bonitatis reipsa supernaturalis, quo eandem ex Fide supernaturaliter creditam appetemus supernaturaliter. In actu supernaturali meritorio misericordiæ, quem iustus exercet ex motivo sublevandi miseriam inopis: quod quidem est obiectum formale naturalissimum: idem autem obiectum formale, ac motivum habere posset actus alius possibilis misericordiæ circa eundem pauperem: per utrumque ergo unum naturalem, alium supernaturalem exerceretur misericordia ex eodem motivo, & obiecto formali naturalissimo sublevandi miseriam. In actibus etiam virtutum intellectualium: cum erga obiecta eadem naturalia, quæ scientijs nostris naturalibus subiacent, sint in Beatis, & in Christo notitiæ supernaturales infusæ: quæ quidem perfectius, ac sublimius, modo scilicet tendendi entitativè supernaturali, attingunt eadem obiecta naturalia, quæ nos inferiori modo attingeremus per scientias naturales. Naturalitas ergo, vel supernaturalitas actuum non præcisè dignoscitur, & arguitur ex naturalitate, vel supernaturalitate obiecti materialis, aut etiam formalis; sed sæpè ex modo illud ipsum obiectum attingendi.

74 Moveor secundò in præsentì quoque materia actuum Fidei. Multis enim veritatibus possumus ex naturâ rerum assentiri assensu naturali propter Dei auctoritatem, & revelationem: ergo ex obiecto formali, & motivo Fidei non satis arguitur actuum Fidei supernaturalitas. Antecedens patet in eo, qui deceptus invin-

cibiliter à Parocho assentiretur inter alias veritates revelatas alicui non revelatæ, existimans pariter revelatam. Hic certè actu naturali assentiretur tali veritati: & quidem ex eodem motivo similiter proposito, quo movetur ad credendas alias. In eo etiam, cui iam iam assensuro alicui veritati revelatæ propter auctoritatem, & revelationem Dei verè propositam, subtraheret Deus, ut potest, comprincipia supernaturalia requisita ad assensum supernaturalem: quo tamen in casu circa obiectum formale, & motivum assentendi nulla fieret immutatio: ergo ex eodem obiecto formali, & motivo Fidei exerceretur tunc actus naturalis credendi. In eo insuper, qui antea Catholicus, negaret postmodum aliquem articulum, pravè iudicans non esse à Deo revelatum, & fieret Hæreticus; credens tamen alios articulos, quos rectè iudicat revelatos. Quo in casu, spoliatus iam homo ille propter hæresim habitu supernaturali, eliceret adhuc circa alios articulos assensus Fidei innixos auctoritati, ac revelationi divinæ. Qui quidem assensus naturales sunt iuxta sententiam communiorum, ut legere est apud Suarez *disp. 7. sect. 4. num. 10.* & quamvis Ripaldã admittat pro tunc etiam assensus supernaturales; non tamen omnes. Stat igitur, actum naturalem Fidei habere posse, saltem ex natura rei, idem obiectum materiale, & formale, ac motivum Fidei: ac proinde non ritè argui actuum Fidei supernaturalitatem præcisè ex suo obiecto formali.

75 Obijcies primò. Unde ergo arguenda, & expiscanda nobis est actuum Fidei supernaturalitas? Respondetur, ex sublimiori modo attingendi illud ipsum obiectum. Hic modus pro actibus Fidei expeditius, quam pro alijs aliarum virtutum declaratur. Assensus namque Fidei supernaturales id habent præ naturalibus, quamvis eodem motivo subnixis, quod illi esse non possint, non solum quin obiectum suum purè materiale ita se habeat, ut ipsi enunciant; verum etiam nec quin Deus prima veritas ipsum cognoscat, & testetur, ita se habere: usque adeo, ut, quamvis obiectum, ita reipsa se haberet, si tamen reipsa non testaretur, ipsum ita se habere, stare non posset eiusmodi assensus. Sublimem hanc prærogativam nullus assensus naturalis haberet, quamvis habens pro

Suarez.  
Ripald.

pro motivo Dei auctoritatem, & revelationem: quippe non taliter eam habet pro motivo, ut non posset actus idem sic esse, & assentiri, etiam si re ipsa talis Dei revelatio non extaret: ad modum, quo metaphysicam Fidei veritatem, ac certitudinem explicuimus *disp. preced. sect. 4. & 5.* Hæc quidem est participatio specialis primæ veritatis constituens actum Fidei in ordine divino. Hæc sublimitas qua taliter evenitur supra naturam, ut eiuſmodi assensus exerceri nequeat sine comprincipio auxiliante. Hæc ea confinitas, cum supernatura, scilicet cum Gratia Sanctificante, ut habitus Fidei sit Gratia proprietatis; & actus Fidei dispositio ad Gratiam, & illuminatio connaturalissima ad exercitium meriti vitæ æternæ. Hæc ergo est actuum Fidei supernaturalitas.

76 Sic intelligo, quod sapienter scribit Eximius Doctor *disp. 7. sect. 1. num. 10.* rationem virtutis Theologalis consistere in hoc, quod talis virtus attingit Deum immediatè, & tanquam obiectum materiale, & tanquam rationem obiecti, & modo etiam divino, & supernaturali: & subdit: *Omnia autem hæc in Fide reperimus: nam & credit Deum, & Deo, & supernaturali modo, id est, certitudine quadam divina: formali videlicet, ac metaphysicâ, non circa obiectum solum materiale, quin etiam circa formale, quod est prima veritas revelans. Atque huc fortè facit, quod contendit Ant. Perez *disp. 3. de virt. cap. 5.* supernaturalitatem actuum Fidei inde sumi, quod habeant connexionem essentiali cum loquutione Dei: quod, quamvis hic Author conetur omnino refundere in obiectum actuum Fidei per nescio quod discerniculum, mihi experimentaliter imperceptibile, certè non aliud esse videtur, nisi sublimis ille modus attingendi proprius talis actus in tale obiectum: à nobis quidem discurrebilis, ne utiquam verò experimento certo discernibilis.*

77 Obijcies secundò, Actus specificari dicuntur à motivo suo, & obiecto formali: sicque Fidei assensus necesse est sumant suam speciem, & supernaturalitatem à Dei auctoritate, & revelatione, quas respiciunt, ut obiectum formale, & motivum. Admitto communes istas loquutiones. Non tamen pingui Minerva, ut à multis audio; sed cum grano salis. Dicuntur actus specificari ab obiecto: non

quidem constitutivè per obiectum; sed terminativè: habendo nimirum suam speciem, seu essentiam in ordine ad obiectum: taliter, ut ex diversitate specifica obiectorum arguatur specifica diversitas actuum: non tamen sic ex unitate specifica obiectorum, imò nec ex numerica arguitur unitas actuum; cum certum sit, aliunde quoque, quam ex diversitate obiectorum, posse actus diversificari: scilicet ex diversitate potentiarum, & ex diversis modis tendendi ad idem obiectum. Quod si interdum aliud sibi vult apud vulgus Scholasticum, illa loquutio; à Doctoribus corrigenda est.

78 Admittimus etiam communem aliam loquutionem, quod actus Fidei sumant speciem suam, & supernaturalitatem ab obiecto suo formali; si legitime, & non crasse intelligatur, & uturpetur. Aliud enim est, quod actus Fidei sumant speciem suam, & supernaturalitatem ab obiecto suo, id est, per ordinem ad obiectum suum: quod est verissimum: aliud est, quod præcisse à ratione obiecti arguatur eorum supernaturalitas: quod est plusquam falsum. Sic certè aliud est, quod lux sumat esse suum à sole: quod est verum: aliud est, quod à ratione sumendi suum esse à sole arguatur, quod sit lux: quod esse plusquam falsum, ex eo patet luce clariùs, quod calor etiam esse suum sumit à sole; quin tamen sit lux. Ad hunc igitur modum actus Fidei sumunt ab obiecto formali suo, id est, in ordine ad illud, suum esse, suamque supernaturalitatem: non tamen proinde omnis actus habens idem obiectum formale sumit ab illo, seu in ordine ad illud, sicut suum esse, suam supernaturalitatem: quia non omnis illam habet; cum non omnis attingat illud obiectum sublimiori illo modo attingendi, quo actus Fidei Theologicæ, prout explicuimus *num. 74.*

79 Obijcies tertio, quod dicitur Theſalon. 2. fuisse ex gratia Dei, ac proinde, quid supernaturale, Theſalonicensis accepisse verbum Apostolorum, non ut verbum hominum, sed Dei: ergo quia credere propter verbum Dei, eo ipso nequit esse assensus naturalis: ergo ex hoc præcisse motivo arguitur actuum supernaturalitas. Confirmatur ex alijs Scripturarum, Sanctorumque PP. loquutionibus, quatenus dogmaticè docent non esse nos *suffi-*

*cient-*

*cientis*, scilicet viribus naturæ, cogitare aliquid ex nobis: Si autem assensu naturali possemus credere revelata, quia à Deo revelata, iam ex nobis, hoc est, viribus naturæ, posset esse pia hæc, sanctaque cogitatio, seu credulitas. Confirmatur secundò ex damnatione Pelagij, qui docebat, proposito verbo Dei posse nos absque alio interioris gratiæ auxilio per solam arbitrij facultatem credere Deo loquenti. Unde damnatur in Arausicano, qui Fidem, qua in Deum credimus, dicunt esse naturalem: ergo quia nequit actus naturalis credere propter ipsum motivum Fidei supernaturalis, scilicet, quia Deus revelari esset enim Fides supernaturalis eo præcisse quod esset ex illo motivo, & obiecto formali. Confirmatur tertio; nam assensus Fidei naturalis esset; & non esset metaphysicè certus. Esset, quia niteretur testimonio Dei metaphysicè infallibili: non esset: quia ut diximus *disp. 1. sect. 5.* nullus assensus naturalis pertingere potest ad gradum formalis certitudinis assensuum supernaturalium.

80 Respondetur, hæc intelligi, aut de assensibus ex motivo revelationis, prout de facto ex lege Dei sunt, non nisi supernaturales, & ex gratia per Christum, ut ex Doctrina Patris Ripaldæ adstruximus in disputationibus de Gratia: quidquid sit de possibili ex natura rei: aut intelligi, iuxta communiorem sententiam, de assensibus Fidei exercitis, prout oportet ad salutem, ut idem idem expriment Arausicanum, Tridentinum, & SS. Patres: huiusmodi namque assensus salutaris debere esse supernaturales & non ex solis viribus naturæ, ut voluit Pelagius; sed ex gratia interioris auxilio non dubitamus: sicut neque quod assensus naturalis, quantumvis ex motivo divinæ revelationis, qui sit, aut posset esse saltem ex natura rei, viribus naturæ, non conducatur ad salutem, nec sufficiat ad excitandos in voluntate affectus supernaturales dispositivos ad iustificationem, & meritorios salutis æternæ. Fuit igitur ex gratia Dei, Theſalonicensis sic accepisse verbum Apostolorum, ut verbum Dei: quippe illud receperunt prout oportuit ad salutem, atque adeo per assensum supernaturalem essentialiter connexum cum verbo Dei re ipsa loquenti, ut explicuimus *num. 74.* quod nulli assensui naturali competere potest. Idque forte indi-

cat Apostolus reduplicans ibi: *sicut est verè verbum Dei*: quasi dicat, eos recepisse verbum Dei per assensum impotem haberi, quin Deus re ipsa sit loquutus. Hinc falsa sunt dux consequentiæ.

81 Ad primam confirmationem: admittimus eas Scripturarum, Sanctorumque loquutiones, modo dicto intelligendas, ut etiam intelleximus *a sp. 3. de Grat. To. de Gra num. 54. & disp. 7. num. 13.* nos videlicet non esse *sufficientes cogitare aliquid ex nobis*, prout oportet ad salutem: aut iuxta præsentem Dei legem. Negamus tamen, quod eiusmodi assensus naturalis factus viribus naturæ, esset pia, sanctaque cogitatio ad salutem conducens, quamvis esset ex motivo divinæ revelationis utcumque per illum affectus ut obiectum formale.

82 Ad secundam dico, damnari iustissime Pelagium, quia sine gratiæ interioris auxilio per solam gratiam externam prædicationis docebat, exerceri à nobis assensus Fidei salutaris dispositivos ad iustificationem; & conducentes ad vitam æternam: quod omnino negamus. In eodem etiam sensu damnatur in Arausicano, qui Fidem, qua Deo credimus, dicunt esse naturalem: Fidem, inquam, qua de facto utiliter, & prout oportet ad salutem, credimus Deo, ut aiebat Pelagius, & exponit idem Arausicanum.

83 Ad tertiam, negamus priorem partem, scilicet, eiusmodi assensum fore metaphysicè certum. Ad hoc enim, ut supra diximus, non sufficit, utcumque niti testimonio Dei metaphysicè certo, ac infallibili; sed requiritur ulterius non posse sic nisi ex intrinseca perfectione ipsius assensus, quin tale Dei loquenti testimonium re ipsa sit. Huiusmodi autem perfectionem nullus assensus naturalis habere potest: quippe ex intrinsecis suis nihil habet repugnans, quominus idem esse posset, casu etiam possibili, quo Dei testimonium, cui innititur, re ipsa non extaret, sed dumtaxat existimative. Sic nequis cadere possit, non sufficit inniti columnæ immobili, si possit ab ea dimoveri. Certitudo ergo metaphysicæ Fidei, eiusque sublimitas, & supernaturalitas in utroque stat: quod neque nitatur testimonio Dei loquenti; & quod à Dei re ipsa loquenti testimonio dimoveri repugnet.

84 Iam sub brevibus, circa perfectionem Fidei, constat in primis, eam comparative

*Sup. disp. 1.*

*Suarez.*

*Perez.*

*Pelagij.*

*Araus.*

*Ripalda. To. de Gra.*

*Theſal. 2.*

rative ad Visionem Dei dici potius imperfectam: *Cum venerit, inquit, quod perfectum est, id est Visio, evacuabitur quod ex parte est, id est, Fides, videlicet, quasi quid imperfectum ratione obscuritatis.* Facta autem comparatione cum alijs virtutibus, & donis viatorum, constat ex 1. *Cor. 13.* Fidem esse minus perfectam Charitate, ac proinde, & Gratia iustificante, sive distincta, sive indistincta à Charitate: Ait enim Apostolus: *Nunc manent tria hæc, Fides, Spes, Charitas: maior autem horum est Charitas.* Esse perfectiorē virtutibus moralibus, supponit Suarez disp. 7. sect. 1. nu. 10. ob immediatiorē attingentiā Dei, ut obiecti formalis. An verò sit perfectior Spe, quæ est etiam virtus Theologica discutit Suarez disp. 1. De Spe sect. 6. ubi resolvit, quòd, quamvis ex genere suo, utpote intellectivo, Fides sit perfectior Spe, quæ de volitivo est; ex alijs tamen capitibus, sibi videri Spem simpliciter perfectiorem Fide. Res mihi est nondum explorata; sicut etiam, an sit perfectior omni ente naturali: de quo non nihil dixi disp. 19. de Grat. disp. 19. sect. 8. Videndus S. Thom. quest. 4. art. 7.

## SECTIO VI.

An, & qua ratione Fidei assensus sit nobis liber, ac meritorius.

85 **E**X una parte certum est absolute loquendo assensum Fidei Theologica esse meritorium, atque adeo nobis liberum. Roman. 4. Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Et Marci ult. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, hic salvus erit: ubi proponit Christus, ut præmium credendi, salutem; & ut poenam discredendi, damnationem: ergo quia assentire credendo liberum, ac meritorium nobis est; & dissentiri non credendo, liberum: etiam, & demeritorium. Hinc Tridentinum sess. 6. cap. 6. inter liberas dispositiones peccatoris ad iustificationem assignat Fidem, dicens: *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia, liberè moventur in Deum, credentes, vera esse, quæ divinitus revelata sunt.* Ratio autem est: quia nihil est, quòd omnino necessitet intellectum ad actum credendum: ergo liberè credit, ac meritorie, dum assentiens, & obediens Evangelio captivatur in obsequium Fidei: cui uti-

que liberè discredunt alijs, de quibus Rom. 10. dicitur: *Non omnes obediunt Evangelio.* Antecedens patet: quia nec Deus intellectum ad id necessitat, aut prædeterminat; nec evidentia obiecti omnino rapit: quamvis enim obiectum formale Fidei obscure propositum sufficiens sit præ ipsius infallibilitate ad fundandum assensum certum; non tamen ad necessitandum intellectum quoad exercitium assentiendi, præ ipsius obscuritate.

86 Ex alia verò parte assensus Fidei est actus intellectus, & non appetitivus, seu affectivus. Libertas autem voluntatis per actus appetitivos, & affectivos: ergo assensus Fidei non est actus liber, ac meritorius. Sed respondetur pro priori parte absolute tenenda, hac ratione concludi pro posteriori, assensum Fidei non esse liberum formaliter, per se, & in se; sed denominative ab actu libero voluntatis, illum volente, & imperante.

87 Dices. Vel intellectus habet sibi propositum motivum ad assentiendum obiecto suo materiali; vel non habet? Si non habet: nec, imperante voluntate, poterit obedire assentiendo, quidquid dixerit Caiet. impugnatus à Suarez disp. 6. sect. 6. num. 8. non enim plus potest voluntas in intellectum, quam in se ipsam; non autem sibi potest amorem imperare, non proposito motivo amandi. Si verò habet: ergo non eget imperio voluntatis. Probatur: vel enim imperium istud est, ut intellectus assentiatur, quantum ex vi motivi potest; vel ut minus, aut magis, quam ex vi motivi potest. Non primum: cum enim intellectus sit potentia necessaria, ut assentiatur, quantum potest, non eget alio determinativo. Non secundum: quia, si esset ad minus, voluntas illa minus assentiendi impia potius esset, quam pia affectio ad fidem. Si verò esset ad assentiendum magis, quam ex vi motivi potest, posset etiam imperare assensum sine motivo: nam ille excessus assentiendi esset ultra motivum. Respondetur tamen, admittens prior partem primi dilemmatis, negando consequentiam. Ad eius probationem dico, adhuc propositum sufficienter motivo credendi, opus esse imperio, ac determinatione voluntatis: non ad assentiendum, utrumque; sed ad assentiendum super omnia, et firmitate ad hæsi, quæ digna sit infallibili motivo Fidei: quamvis

hoc

hoc præ sui obscuritate non per se determinet, nec necessitet ad taliter assentiendum. Et hoc est determinari à voluntate intellectum ad assentiendum, quantum ex vi motivi potest, quamvis à motivo, non ad se necessitetur. Quo patet ad reliquum probationis.

88 Conclusio ergo sit: Assensus nostræ Fidei esse voluntarios; liberos, ac meritorios: non per se formaliter; cum actus voluntatis non sint; sed denominative, & imperative in, & ab actu libero voluntatis, qui est velle credere, volitio credendi; & vocatur pia affectio ad actum Fidei: de qua agemus infra. Idcirco dicitur Roman. 10. *Corde creditur ad iustitiam:* & Actor. 8. *Si creditis ex toto corde:* ubi nomine cordis significatur voluntas libera credendi. Hic disertè August. tract. 26. in Ioann. ait: *Cætera potest homo nolens; credere autem, non nisi volens:* & lib. 1. contra duas Epist. Pelag. cap. 19. *Nemo per Fidem venit ad Deum, nisi velit.* Et lib. 1. ad Simplic. cap. 1. *Nec credit aliquis, nisi liberà voluntate.*

89 Hincque infert Suarez num. 7. adversus aliquos, ad determinandum assensum Fidei non sufficere, quòd voluntas non repugnet; sed requiri, quòd positive velit: cum enim motivum Fidei præ obscuritate non necessitet, nec determinet intellectum, non sufficit ad assentiendum, quòd voluntas non prohibeat; sic enim maneret intellectus indeterminatus; sed requiritur, quòd imperet positive tollens eam indeterminationem. Sic etiam absolute Ripalda disp. 10. sect. 1. quamvis num. 15. dicat, in aliquo casu sufficere volitionem non dissentendi. Nec verum puto, quòd ausus est dicere Cardin. Pallavic. apud Haunoldum lib. 3. tract. 1. cap. 3. *Controv. 3. num. 266.* assensum Fidei talibus motivis subnixum, esse quidem liberum quoad exercitium, quatenus scilicet possemus non assentiri; non verò quoad specificationem: quia scilicet non possemus positive dissentiri.

90 Aliam doctrinam eiusdem Pallavicini, qui quamvis in actionibus externis meritorie imperatis à voluntate, non agnoscat specialem rationem meriti, eam tamen agnoscit in assensu Fidei, reiecitum disp. 25. de Grat. sect. 10. cum communioni sententia, nihil speciale quoad hoc agnoscente in assensibus Fidei præ actioni-

bus aliarum potentiarum subiacentium imperio voluntatis, in cuius actibus stat per se ratio formalis meriti, sicut & bonitatis formalis.

91 Nec obstat conclusioni nostræ, quòd ait Aristoteles apud Ripalda cit. non posse nos opinari, cum volumus: ergo nec credere pro voluntatis libito, ac imperio. Respondetur enim, sensum esse, non posse nos opinari, cum volumus, solum quia volumus absque inquisitione, seu propositione motivi rationabilis: quasi nobis pro libito dicamus: *sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas:* hoc enim esset irrationabile: nec tanta est servitus nostri intellectus ad voluntatem, ut sic hinc inde ferri sine ratione patiatur. Sic autem concedo, quòd nec opinari, nec credere valemus, prout volumus: bene verò proposito, & considerato motivo rationis sufficienti, quamvis per se non determinante ad credendum: ut res evenit in assensibus Fidei prudentissimis.

92 Nec item obstat, quòd dicitur Iacobi 2. *Dæmones credunt, & contremiscunt:* cum ergo non habeant affectionem; credunt, quin credere velint. Respondetur enim, Dæmones convictos per evidentiam signorum, credere assensu naturali, ac inutili: non tamen ea formali certitudine, & adhæsivâ firmitate super omnia, quæ propria est nostræ Fidei. Sic autem nihil mirum, quòd absque pia affectione credant; quamvis non sine aliqua voluntate, quasi coacta assentiendi.

93 Dices. Intellectus non movetur ad assentiendum, nisi à veritate: quam tamen voluntas non repræsentat; cum id sui muneris non sit; ergo non movetur, nec determinatur intellectus à voluntate ad assentiendum. Respondetur, intellectum, quamvis obiectivè, & terminativè, non moveatur nisi à veritate; alijs tamen modis moveri etiam sapius aliunde effectivè, ac impulsivè. Sic à præmissis movetur, & impellitur efficienter ad assentiendum veritati conclusionis; à Deo subtrahente concursum posset necessitari ad non assentiendum; ab ipso Deo prædeterminate determinari ad assensum. Ad hunc autem modum potest imperativè, & affectivè, & impulsivè moveri, ac determinari à voluntate, quamvis non repræsentante veritate; impellente tamen ad assensum veritatis aliunde repræsentata. Per hos terminos distin-

XX

stin-

Aristor.  
Ripald.Caietanus.  
Suarez.Ios. disp. ...  
Rom. 10.  
Actor. 8.

Augustin.

Suarez.

Ripald.

Pallavic.  
Haunold.

Pallavic.

To. de Gra.  
ti. disp. 25.

fincto antecedente, nulla est consequentia in hoc genere movendi non obiectivo.

94 Hæc dixerim de assensibus Fidei regulariter, & per se loquendo. Per hæc tamen non tollitur, quod docet vere Ripalda *sect. 3.* contra Lugum, posse quandoque fieri à nobis, & quidem per habitum infusum Fidei aliquos actus indeliberatos Fidei, sicut & aliarum virtutum per suos habitus, ut etiam tenui *disp. 4. de Grat. sect. 2.* Nec obest, quod eiusmodi actus non essent meritorij. Nam id etiam evenit absque absurdo in alijs affectibus indeliberatis virtutum voluntatis: quæ tamen regulariter meritoria sunt, sicut & Fides. Nec item obest, quod ex eiusmodi actibus Fidei non liberis excitari possent actus liberi charitatis, vel contritionis, aut aliarum virtutum: sicque posset homo iustificari sine Fide libera: quod videtur adversari Doctrinis Conciliorum, & SS. Patrum. Respondetur enim in primis eiusmodi doctrinas intelligi, prout in plurimum, per se, ac regulariter loquendo: nec contra illas esse casum extraordinarium de per accidens, dummodo salvetur ratio Fidei. Quod si eas religiosius, ac rogorius tenere velis, dic iuxta præsentem Dei legem facile Deo esse providere, ne sine fide libera actus charitatis, aut contritionis exercentur. Nec obest tertio, sequi proinde, quod Hæreticus, qui voluntarie, ac liberè Fidei habitum amisit, posset illum recuperare in prædicto casu, absque actu Fidei libero: quod videtur absurdus. Respondetur enim præter nuper dicta; hoc absurdus non esse, quam quod qui actu libero intemperantiæ Gratiâ, & habitum infusum temperantiæ amisisset, illum & Gratiâ recuperet absque actu libero temperantiæ, aliter se disponens ad iustificationem.

### SECTIO VII.

*Qua ratione Fides dicatur, & sit initium salutis, & fundamentum iustificationis.*

*Trident. Roman. 3.* 95 **T**ridentinum Sess. 6. cap. 8. docet, ideo Rom. 3. dici nos per Fidem iustificari, quia *Fides est humana salutis initium, fundamentum, ac radix omnis iustificationis.* Et August. *Epist. 105.* dixerat: *Restat igitur, ut ipsam Fidem, unde omnis iustitia sumit initium, &c.* Et Arausica-

num 2. *Can. 3.* docuit: *Initium Fidei esse ipsum credulitatis affectum.*

96 Oritur hinc ratio dubitandi. Si pius iste affectus ex Araus. qui est volitio credendi præcedens assensum Fidei, est initium salutis, Fidei, & iustificationis; quomodo Fides, quæ quidem est assensus subsequutus, dicitur initium salutis, & fundamentum iustificationis? Sed respondetur, quod sæpè nomine Fidei venit, non præcisè solus assensus intellectualis; sed totum Fidei, importans iudicium credibilitatis, seu obligationis credendi, piâ affectionem credendi, quæ est velle credere; & ipsum credere, qui est assensus intellectualis. De hoc autem complexo dicitur esse initium salutis, fundamentum, & radix iustificationis: cum quo stat, quod in eodem complexo, penes eius partes respectivè, & accomodè dicatur, quod præcedat auxilia, sequatur iudicium credibilitatis, succedat affectio pia, seu velle credere, & tandem ipsum credere: ut latè Vazquez 1. *Vazquez 2. disp. 210. cap. 7.* & Coninc *disp. 13. nu. 31. & disp. 14. dub. 6.*

97 P. Molina id intellexit de Fide *Molina.* habitu: ratus Concilium dicere de habitu potius, quam de actu Fidei esse salutis, & fundamentum iustificationis. Quia, inquit, cum loquatur Concilium de omni iustificatione, & pro parvulis incapacibus actu Fidei, nequeat id intelligi de Fide actuali, debet intelligi de habitu omni omnibus parvulis, quam adultis communi. Melius tamen P. Vazquez, & alij communiter id intelligunt de Fide actuali. Concilium enim explicat ibi, quomodo dicamur ab Apostolo *iustificati per Fidem gratis*: & dat rationem: *Quia nihil eorum, quæ iustificationem antecedunt, sive Fides, sive opera, ipsam iustificationis Gratiâ promerentur*: nimirum condignè: loquitur ergo tunc pro solis adultis, in quibus opera locum habent: loquiturque de Fide actuali, de qua poterat esse suspicio meriti. Præterea: quia agens *cap. 5. & 6.* de dispositionibus ad iustificationem, loquitur dumtaxat pro adultis in sensu SS. Patrum, quidum Fidem prædicant iustificationis initium, loquuntur abs dubio de actuali.

98 Addo, quod habitus Fidei, ut diximus *disp. 17. de Gratia sect. 1. & To. de Gratiâ dicemus infra*, nunquam aut parvulis, aut adultis primò infunditur ante Gratiâ iustificationis: quinimo naturâ subsequen-

sequenter ad infusionem Gratiæ, ut effectus, & proprietas Gratiæ habitualis, quæ radix est habituum infusorum virtutum; atque adeò, & habitus Fidei: ergo, cum dicitur Fides *initium salutis, fundamentum, & radix iustificationis*, intelligi neutriquam potest de Fide habituali; sed de actuali; utpotè dispositivâ ad motus voluntatis, quibus adultis disponitur proximiùs ad iustificationem. Hinc nec placere potest P. Coninc *dub. 6.* contendens intelligi posse, ac debere de utraque.

99 Est autem difficultas: an Fides actualis taliter dicatur initium salutis, ut

absque illa nullus omnino actus salutis exerceri ab homine possit, quamvis absque illa ad Gratiâ iustificationis pervenire nemo possit? Est enim valde distinguendum inter præquiri Fidem ad iustificationem, & præquiri ad omnem actum salutarem. Sermo est iuxta præsentem Dei legem; nam ex natura rei certum est, quod non solum multi actus salutares; quin etiam & ipsa quoque iustificatio haberi posset absque exercitio Fidei. De hac tamen difficultate egimus *disp. 26. de Grat. sect. 4. & 5.* & dicemus iterum infra agentes de necessitate Fidei.

*Coninc.*

*01. nu. 3.*

*To. de Gratiâ disp. 26.*



## DISPUTATIO III.

### DE OBIECTO MATERIALI FIDEI THEOLOGICÆ.

**I** VEM ADMODUM in alijs Virtutibus tam intellectualis, quam Voluntatis, in Habitibus, Potentijs, & Actibus, dicitur *Obiectum materiale* id quod attingunt, quasi subiectam sibi materiam, circa quam versatur: & *Obiectum formale*, ratio specialis, propter quam id attingunt, & circa id versantur; sic in Fide tam quoad eius Habitum, quam quoad actus, *Obiectum formale* est quod per ipsam creditur, aut discredetur: *Obiectum verò formale*, ratio specialis, seu motivum, propter quod id creditur, aut discredetur. Addidi, *discredetur*: quia eiusdem Virtutis intellectualis est, assentiri suæ veritati, & ex eodem motivo dissentiri falsitati oppositæ: sicut eiusdem virtutis voluntatis est profèqui bonum sui obiecti, & ex eodem motivo recedere à malo opposito. De Obiecto Formali agemus *disp. sequenti*; in præsentem, de Materiali. Et ne frustra vocibus implicemur, scito, quod Authores aliqui in obiectis materialibus distinguunt *subiectum*, & *obiectum*. Obiectum vocant, quidquid attingitur; subiectum verò, quod attingitur enunciando, vel negando de illo aliqua prædicata. Cæterum, quamvis in uno assensu alius terminus sit subiectum, & alius prædicatum, & utrumque sit obiectum materiale talis assensus; at illud ipsum prædicatum est sæpè subiectum in alijs assensibus, vel dissensibus eiusdem habitus: atque adeò respectu Habituum exer-

cibilis per omnes suos actus, in idem recidit *subiectum*, & *obiectum* materiale. Diversitas autem illa subiecti, & prædicati obiectivi unius assensus, nullius ferè momenti est ad institutum nostrum: ideoque pro eodem accipimus in præsentì obiectum materiale, & subiectum obiectivum Fidei.

SECTIO I.

An non solum revelata; sed etiam revelanda, & revelabilia sint obiectum materiale Fidei assentientis? Et quid de dissentientis?

2 **V**eritates à Deo actu revelatas esse obiectum materiale Fidei, constat ex ipsa Fidei definitione. Cum enim Fides sit iudicium firmum in autoritate Dei obscure revelantis fundatum, assentitur revelatis à Deo propter Dei revelationem obscure propositam: atque adeo ea, quæ Deus actu revelavit, aut revelat, sunt obiectum materiale Fidei.

3 Difficultas est: an ea etiam, quæ Deus revelaturus est: an insuper quæ revelare potest, sint obiectum materiale Fidei? Vtraque ista esse materiale Fidei obiectum remotè, quatenus nempe possunt poni in statu actualis revelationis, sicque in numero actualiter revelatorum; sicque fieri pro eo statu proximè credibilia per Fidem, non dubitamus. Dubium est: an, manendo in statu obiecti revelandi, aut purè revelabilis, possint ea nondum actu revelata, proximè iam credi, ut obiectum proximum Fidei, ex motivo scilicet revelabilitatis, aut futuræ revelationis?

4 Negat, & merito, sententia communis. Et ratio constans est: nam actus Fidei est assentiri credendo; & habitus Fidei, facultas assentiendi credendo Deo attestanti: taliter utique, ut quamvis possemus assentiri alicui veritati, quia potest ab aliquo, sive à Deo attestante dici, non proinde diceremur credere talem veritatem, nec illi, qui potest illam attestari, ac dicere; bene verò illi, qui eam dicit, aut dixit, aut attestatus est: ergo quia Fides ex modo suo specifico assentiendi non exercetur, nec movetur, nisi à revelatione, sive attestazione iam exercita sui obiecti: atque adeo obiectum dumtaxat iam revelatum, & attestatum est proximum obiectum

Fidei. Antecedens, præterquam quod iuxta comunem hominum intelligentiam est ex terminis ipsis satis clarum, videtur sic etiam supponi ab Apostolo Rom. 10. dicente: *Quomodo credent in eum, quem non audierunt? Aut quomodo audient sine prædicato?* Et postmodum ex verbis Isaia: *Quis credidit auditui nostro?* infert: *Ergo Fides ex auditu: auditus autem per verbum Christi.* Impossibile igitur habet Apostolus, credere alicui, quin audiatur, ac proinde quin loquatur, attestetur, seu revelet: nec quidem esset Fides ex auditu assensus nixus revelationi possibili; cum loquutio non audiarur, nisi fiat actualis.

5 Confirmatur à paritate simillima. Nam autoritas legislativa, seu præceptiva non applicatur sufficienter ad usum, & exercitium obedientiæ subditorum, nisi per præceptum actu positum: taliter nimirum, ut nequeat verè dici stricta obedientia actus, quo quis vellet opus exequi, quia superior potest illud præcipere; aut quia præcipiet; sed quia præcepit, & præcipit. Autoritas promissoria, seu Fidelitas Dei non applicatur sufficienter ad exercitium, & usum confidentiæ nostræ per divinam promissionem possibilem, aut futuram, sed per actualem: taliter nimirum, ut non securè, aptèque confidamus, quia potest Deus nobis aliquid promittere; sed quia promissit: nec quidem argueretur læta fidelitatis, aut autoritatis promissoriæ, qui non præstaret res, quas potuit promittere, aut quas promissurus est; sed quas actu promissit. Sic igitur abs dubio autoritas Dei assertoria, seu attestatoria non applicatur veritati obiectivæ sufficienter ad usum, & exercitium credendi per attestacionem, seu revelationem possibilem, vel futuram; sed solum per actualem, & exercitam. Nec certè dicimur credere, quod est exercere Fidem, nisi per eos actus, qui assentiuntur veritati obiectivæ iam à Deo dictæ, vel revelatæ: Fides enim nititur dictis, sicut obedientia præceptis, & confidentia promissis:

Rom. 10.

sis: ita ut, quamvis possibiles sint assensus alicuius revelabilitate obiecti; non quidem essent assensus Fidei; sed alterius facultatis. Ceteroquin & ille diceretur agere contra Fidem, qui dissentiret alicui veritati, quam Deus posset revelare: & ille contra Fidelitatem, qui non præstaret res, quas potuit promittere: illeque contra Religionem qui non impletet, quæ iurata potuit. Quæ nemini non videbuntur absurdo plena.

6 Fundamentum ex adverso potest esse: quod assensus veritatis, quia revelanda, vel quia revelabilis à Deo, movetur à revelatione futura, vel possibili: quæ quidem eadem est, ac quando fieret actualis, cum sola statuum diversitate. Hæc autem statuum diversitas non solet diversificare virtutes: ut patet in habitu Dialecticæ ad quæ spectat quidquid est, sive directum, sive dirigibile in rectam modum differendi: & in habitu misericordiæ, cuius est inveniendi à bono sublevationis miseræ: sive actuali, sive futuro; sive possibili: & sic de alijs multis: Similiter ergo assentiri veritati, sive quia revelanda, sive quia revelabili, erit assensus Fidei, & spectat ad habitum Fidei; sicut assentiri, quia revelata; cum solum intercedat diversitas statuum eiusdem obiecti formalis.

7 Confirmatur. Tam infallibile est, verum esse quod Deus revelabit, & quod revelare potest, quam quod actu revelavit: ergo eo ipso quod assensus nitatur revelatione futurâ, vel possibili, nititur motivo firmissimo, & quo nihil firmitus: ergo eo ipso apto, & sufficiente ad specificandum actum Fidei elicatum ab habitu Fidei. Rursus. Dissensus negans, esse verum quod Deus revelavit, aut quod revelare potest, esset hæresis: ergo assensus credens, esse verum quod Deus revelabit, aut quod revelare potest, est eo ipso assensus Fidei. Tandem. Actus, quo assentimur, totum esse maius sua parte, quia Deus id potest revelare, ad nullum alium habitum intellectualem pertinere potest: aut assignetur, ad quem? Pertinet igitur ad habitum Fidei, cuius scilicet obiectum formale, nempe Dei revelationem attingit.

8 Respondetur concedendo maiorem. Ad minorem dico, eam statuum diversitatem eiusdem obiecti non semper diversificare virtutes, ut fatemur in exemplis contra nos oppositis Dialecticæ, ac

Misericordiæ, & in alijs similibus. At hoc generaliter non est verum, cum interdum ea statuum diversitas diversificet etiam virtutes, ut fatendum est in exemplis pro nobis oppositis *num. 5.* Non est ergo de hoc regula universalis; sed aliquando sic, aliquando non: discernendum utique ex naturis habituum, seu virtutum. Quod autem Fides ex modo suo assentiendi essentialissimo sit ex ijs virtutibus, quæ requirunt motum suum in statu actualitatis, aut præteritionis, non statum est ex communi acceptatione *num. 4.* & sit perspicuum per exempla magis affinia divinæ autoritatis legislatoriæ, & promissoriæ; cum præsertim Fides nitatur dictis simillimè, ac confidentiæ promissis. Unde negatur consequentia. Exempla namque nobis opposita sunt magis à longè petita.

Ad primam confirmationem: concedo antecedens, primamque consequentiam, & nego secundam. Non enim omnis actus nixus motivo infallibili est eo ipso Fides: ut patet in actibus Visionis beatificæ, scientiæ infusæ, & evidentiæ in attestante: qui quidem Fidei non sunt, quamvis sint infallibilissimi, & ex motivo infallibili: imò & assensus evidens in attestante, ex ipso Fidei motivo sine obscuritate ad Fidem requisitâ attracto: ut vidimus *disp. 1. sect. 2.* Requiritur enim præterea ad assensum Fidei niti dicto Dei attestantis obscure proposito: quod non habent actus Visionis, scientiæ infusæ, nec evidentiæ in attestante; nec haberet assensus ille nixus revelatione possibili, aut futuræ: quippe absolute non niteretur dicto Dei, id absolute attestantis: ideoque nec esset credere, quia Deus dicit, & testatur: atque adeo non esset actus Fidei.

Sup. disp. 1.

10 Ad secundam tranimitto pro nunc antecedens resolvendum *sect. 9. num. 10 r.* non tam quia dissensus ille foret contra revelationem possibilem, quam fortè contra actualem de eo quod Deus nihil revelaturus est, nec revelare potest, nisi verum. Distinguo autem consequens: assensus ille erit Fidei: si credat eam veritatem ex motivo revelationis actualis de eo quod Deus nihil potest revelare nisi verum, perimitto; si ex motivo revelationis possibili, aut futuræ, nego consequentiam: hæc enim nihil actu facit à Deo revelatum, sicut nec facit Deum loquentem, aut quiddam attestantem.

Ad



11 Ad tertiam, sufficeret nobis probasse eiusmodi actum nec esse Fidei, nec pertinere ad habitum Fidei: relicto Adversarijs onere inquirendi, ad quem habitum pertineat? Dico tamen pertinere ad habitum scientificum Metaphysicæ, aut Theologiæ, diversum utique ab habitu Fidei: sicut ad habitum opinativum distinctum à Fide, & à scientia alter actus, quo assentiremur, Potentias indistingui ab anima, quia opinamur, id posse à Deo revelari. Nam prior ille assensus videretur evidenti revelabilitate; posterior autem dumtaxat probabilis.

12 Duo deniq; animadvertere oportet. Vnum, quod veritatem aliquam esse à Deo revelandam, non potest nobis certo constare, nisi ex actuali aliqua revelatione. Alterum, quod si revelaret actu Deus, aliquid esse à se revelabile, aut revelandum, tunc iam posset Fidei credi: propter actualem scilicet revelationem revelationis possibilis, vel futuræ.

13 Maneat igitur, solas veritates actu à Deo revelatas esse obiectum materiale proximum Fidei Theologiæ assentientis; revelandas verò, purequè revelabiles nondum esse obiectum proximum; sed remotum, tunc futurum proximum, quando actu revelentur. Itaque omne verum est obiectum materiale Fidei, sive proximum, sive remotum. Excipe decretum, quod Deus haberet nihil revelandi. Eiusmodi namque decretum, quamvis quoad eius possibilitatem revelabile sit; quoad eius tamen actualitatem, si daretur, esset ab intrinsecis suis irrevelabile, atque adeò nec remotè obiectum materiale Fidei assentientis.

14 Tam quoad Fidem dissentientem dicendum est, obiectum eius materiale esse omnem falsitatem oppositam veritatibus revelatis. Quatenus scilicet eadem Dei autoritas, & revelatio movens ad credendum v. gr. Deum esse vnum, & in Christo dari duas naturas, & B. Virginem genuisse Christum, movet eo ipso ad incredendum dari plures Deos, in Christo dari unicam naturam, & B. Virginem fuisse sterilem.

15 Collige, ut vocalem aliam quasiunculam paucis absolvamus, obiectum materiale Fidei adæquatè sumptum esse complexum: adæquatur enim ex multis veritatibus à Deo revelatis invicem di-

stinctis. Seorsim verò & per partes sumptum dicere, multa obiecta complexa, hoc est compositum, seu constitutum ex partibus unitis, ut sunt: Christus, B. Virgo, Cælum, & Terra: & dicere aliquod obiectum simplex, incomplexum, seu incompositum, ut est Deus. Quod si sermo sit penes modum nostrum attingendi obiecta Fidei, complexum est: quatenus intellectus noster componendo, vel dividendo per iudicium exercet Fidem. Nec aliud se nobis offert quod dicamus ad art. 2. huius quæst. 1. S. Thom. de quo Suarez disp. 2. sect. 3.

S. Thom.  
Suarez.

## SECTIO II.

*An obiecta materialia Fidei sint æquè credibilia, seu credenda? & de eius obiecto Primario, & Attributionis.*

16 **I**nter obiecta materialia Fidei datur aliquod primarium, seu nobilius. Et hoc est Deus omni non Deo infinitè perfectius. Inter perfectiones autem divinas, cum nec formaliter sit una nobilior alia ex late dictis disp. 3. de Attrib. nulla præ alijs est obiectum primarium, seu nobilius: sed omnibus æquè competit ratio obiecti primarij.

To. de De  
disp. 3.

17 Datur etiam obiectum, quod vocant Attributionis. Et respectu Fidei iudico cum communi Theologorum, esse eundem Deum: de quo longius Ripalda disp. 1. Universa enim alia, quæ Fide credimus, in eum præcipuum scopum spectantur à Fide, ut manifestetur Deus, & multiplex illius perfectio infinitissima. Alij volunt, esse Christum. Alij opera nostra meritoria vitæ æternæ. Sed quæstio est minoris momenti.

Ripald.

18 Utilius quaritur: an obiecta materialia Fidei sint æquè credibilia: an æquè credenda? De quo Suarez disp. 2. sect. 2.

Suarez.

19 Circa primum videtur quod non. Nō enim omnia Fidei obiecta sunt æquè vera: nam divina sunt veriora creatis: ergo credibilia: atque adeò non omnia æquè credibilia. Caterum antecedens cum sua probatione falsum est: loquendo, ut in præfati, de æqualitate in ratione formali veritatis. Cum enim veritas consistat in indivisibili; non est unum verius alio, quamvis sit perfectius alio: sicut nec unum possi-

possibile est possibilibus alio, eo quod sit perfectius alio.

Suarez.

20 Dicendum est ergo distinctim cum Suarez num. 4. absolutè loquendo ex parte motivi intrinseci omnia esse æquè credibilia; secundum quid verò ex administriculis extrinsecis alia fieri sæpe credibilia. Explico, & probo priorem partem. Quia revelatio, & autoritas divina, quæ est motivum intrinsecum credendi, æqualis infallibilitatis est circa quolibet obiecta, quæ attestatur Deus: sicquæ æquali securitate reddit credibilia cuncta revelata: & tam metaphysicè infallibilizat existentiam cuiuscunque obiecti creati, ac existentiam Dei, & existentiam sui: cum ipsi, totique Deo non minus repugnet, attestari existentiam mundi, non existente mundo; quam existentiam Dei non existente Deo: & quam ipsam Dei autoritatem deficere: ergo intrinsecè, & absolutè cuncta revelata reddit æquè firmiter credibilia. Posteriorem partem explico etiam, & probo: quia signa, & indicia extrinseca, quæ sunt argumenta ad iudicium credibilitatis præcedens actum credendi, sæpe plura proponuntur pro uno Mysterio, quam pro alio. V. g. plura miracula, plura gentium testimonia, plurimum sapientum consensus, minor terminorum difficultas rationi naturali: non enim est tam difficile creditu, Deum unicum esse, quam Trinum esse: ergo secundum quid penes hæc administricula extrinseca, aliqua Fidei veritates sunt nobis alijs credibilia, seu facilius credibiles.

21 Circa secundum expedit æquivocationem tollere. Sermo enim esse potest, aut de æqualitate certitudinis: & sic certum est, omnes Fidei veritates esse credendas æquè certo: aut de æqualitate necessitatis obligatorie; & sic certum etiam est, non omnes esse æquè necessario credendas. Quamvis enim implicite debeant omnes credi, sub ea saltem generalitate, qua Catholicus nullam veritatem Fidei scienter discredens, credit omnia à Deo revelata ex motivo generali infallibilis testimonij Dei; at explicitè, & distinctim non est necesse, omnes omnia scire, & credere. Aliqua namque sunt ab omnibus explicitè credenda necessario necessitate Medij; alia, necessitate Præcepti: alia neutro modo necesse est, ut explicitè sciantur, & credantur. De ijs omni-

bus agemus seorsim infra: ubi de Necessitate Fidei.

22 Pro nunc sufficiat observare quadruplicem gradum veritatum revelatarum, quæ sunt obiectum materiale Fidei. Primus est latissimus pro omni veritate quomodocumque à Deo revelata: ut Tridentinum fuisse verum Concilium, & Innocentium verum Papam. Secundus strictus pro veritate expressè contenta in Sacra Scriptura: ut Christum sudasse sanguinem. Tertius strictior pro veritate à cunctis ex obligatione scienda, & explicitè credenda: ut perjurium, & homicidium, & adulterium esse peccatum. Quartus strictissimus pro veritate habente certum, & specialem articulum in Symbolo Fidei: ut Christum resurrexisse: & venturum iudicare.

## SECTIO III.

*An inter obiecta materialia Fidei sit aliquod determinatè primo credendum?*

23 **Q**uemadmodum non est idem ordo, quem res servant in esse, ac in cognosci; nam in esse prior est Deus creaturis, & ignis fumo; sæpe tamen è diverso in cognosci; sic etiam & in credi: nam in ordine essendi prius est Christum nasci è Virgine, deinde prædicare, deinde mori, & postea resurgere: quæ tamen Fidei Mysteria in ordine credendi possunt inverti. Difficultas præfens nō est de prioritate in ordine essendi, sed credendi. An scilicet aliqua Fidei veritas determinatè sit primo Fide credenda ante alias? Et potest esse sermo de duplici genere veritatum, seu obiectorum Fidei: alia namque sunt pure materialia: quæ scilicet simul non habent rationem obiecti formalis, ut mors, & resurrectio Christi, immortalitas animæ, negatio Petri: alia sunt, quæ quamvis sint materialia; non tamen pure materialia: quia simul habent rationem obiecti formalis, & motivi credendi: ut autoritas, & revelatio Dei: hæc enim & creduntur, ut obiecta materialia revelata, & simul sunt obiectum formale Fidei, & ratio credendi.

24 P. Suarez sect. 4. num. 5. docet, & Suarez merito, loquendo de solis obiectis pure materialibus Fidei, nullum esse inter illa determinatè primo credendum: loquendo tamen de pure materialibus, & de ma-

teria-

terialibus, quæ simul sunt formale; hæc, nempe primam Dei veritatem, sive auctoritatem, & revelationem debere determinatè primò credi. Quod intelligo, primò saltem negativè, hoc est, nihil posse Fide credi, antequam ista credantur.

25 Prima pars huius doctrinæ est communis Theologorum, & probatur. Quia Dei auctoritas, & revelatio immediatè informat, redditque credibiles singulas veritates à Deo revelatas: taliter ut ex Dei beneplacito sit unam ante aliam revelare; sicut & unam revelare, & aliam non; imò & nullam revelare: ex revelatis autè potest una nobis proponi, & alia non unam ante aliam, & multa revalere simul. Non est ergo, cur inter purè revelata non possit quodlibet primò credi; aut cur nequeant omnes simul propòsite, simul credi: sicque in ordine credendi non dicunt alia præ alijs necessariam præcedentiam. Dico: necessariam: quia non nego convenientiam. Sapè namque pro rerum, & catechumenorum opportunitate expedit ab uno potius, quàm ab alio exordiri catechismum. Quòd si aliquando arguitur ab una veritate revelata ad aliam, ut 1. Corinth. 13. Si Christus resurrexit, ergo & nos resurgemus: non est quia sic semper fieri debeat: Fides enim etiam crederet utramlibet seorsim resurrectionem, quamvis una non inferretur ex alia.

26 Secunda pars, quam multi non approbant, approbat in re cum Suarez. Ant. Perez. disp. 2. cap. 5. à num. 4. probatur sic. Nam ut alicui credamus, aliquid, quia dicit, debemus prius assentiri, quòd id dicat, & esse fidedignum: unde in Scholis etiam, cum arguitur ab auctoritate, præcognoscimus, an Author id dicat, quantumque sit auctoritatis. Sic igitur in omni assensu Fidei divinæ, supponi debet assensus, quo nobis persuadeamus, Deum id dicere, esseque infallibilis auctoritatis: ergo Dei auctoritas, & revelatio sunt primò creditum, saltem negativè: taliter nimirum, ut nihil ante ipsas creditas credi possit.

27 Respondent, per hæc probari, Dei auctoritatem, & revelationem debere aliqualiter præcognosci; non verò Fide credi. Quemadmodum hominis loquentis auctoritatem, & attestationem, non præcognoscimus per fidem humanam, cum illi fide humanam credimus; sed aliunde prænovimus: eius scilicet attestationem,

quia loquentem audimus: & eius auctoritatem; quia eius probitatem, veracitatem, & sapientiam, aut experimento proprio; aut ex aliorum dicto notam habemus. Sic ergo scimus lumine naturali infallibilem Dei auctoritatem; eius verò revelationem discimus per Ecclesiam proponentem, per Apostolicam prædicationem, per miracula, & alia adminicula: quin sit necesse, eas Fide divinam credere: atque adeò non est, cur sint primò fide credenda ante alias Fidei veritates.

28 Contra tamen. Quia quamvis id verum videatur in fide humana, non tenet in Fide divina ob claram, & notandam rationem disparitatis. Fides enim humana supponere potest eas prænotitias certiores se, aut saltem æquè certas, quin sint per ipsam fidem humanam, sed aliunde. At Fides divina si non supponeret, aut haberet illas prænotitias auctoritatis, & revelationis divinæ ex ipsa Fide, non supponeret illas æquè certas, ac est ipsa Fides. Notitia enim divinæ revelationis, testimonio dumtaxat humano nixa, esset ad summum moraliter certa: notitia verò nobis evidens auctoritatis divinæ esset per solam evidentiam naturalem: quæ notitiæ cum non sint formaliter metaphysicè certæ, non sunt tam certæ formaliter, ac ipsa Fides, ut vidimus disp. 1. sect. ult.

29 Hinc probationem nostram instauro sic. Fides humana requirit suas illas prænotitias tam certas, & firmas, ac est ipsa fides humana: ergo Fides divina suas tam certas, & firmas, ac est ipsa Fides divina: nemo namque nixus alterius dicto, credit rem, quia alter dicit, certius quàm credat, alterum rem dicere, & non nisi vera dicere: nec certius quidem credimus Deum esse trinum, quia Deus dicit, quàm credamus, Deum id dicere, & non nisi vera dicere. Cum igitur divina Fides sit metaphysicè formaliter certa, requirit omnino eas duas prænotitias formaliter metaphysicè certas: ac proinde certitudine Fidei firmas. In nobis autem viatoribus non est præter divinam fidem alia metaphysicè certitudo formalis: atque adeò primum creditum per fidem debet esse auctoritas, & revelatio divina antecedens saltem negativè ad quamlibet aliam Fidei veritatem purè revelatam credendam.

30 Respondent secundò: eas duas veritates præcognosci debere tantum ut quo: id

id est, tanquam rationem formalem credendi alia; non tamen, ut quod. Nam qui credit Trinitatem, quia Deus summæ auctoritatis revelat, non attendit ad auctoritatem, & revelationem Dei, nisi tanquam ad rationem credendi; non tanquam ad rem creditam: nec de hoc credendo curat, sed de credenda Trinitate. Confirmant: quia necesse non est in omni assensu rationem assentiendi cognosci quasi reflexè, & ut quod: in assensibus enim primorum principiorum naturale lumen non cogitatum est ratio assentiendi.

31 Sed contra. Atque in primis, ut ab hac ultima confirmatione incipiam, quod in ea dicitur de assensibus primorum principiorum, non est de re. Lumen enim naturale est ratio, seu causa illis assentiendi se tenens ex parte principij: non verò ratio formalis obiectiva, qua de loquimur: hæc enim in illis principijs est veritas ipsa intrinseca rerum: quæ quidem cognosci debet, etiam ut quo 1, ut ratione illius naturale lumen præstet assensum illis evidentijs. Itaque, quamvis lumen naturale, quòd non nisi ex parte principij est ratio, & causa assentiendi, non debeat cognosci ante illos assensus principiorum; non sequitur, quòd auctoritas, & revelatio, quæ sunt ratio formalis assentiendi per fidem tenens se ex parte obiecti formalis, non debeat eo ipso cognosci. Si voluntas non movetur ad amandum, nisi a ratione formalis obiectiva amandi cognita, & amata.

32 Deinde circa, & contra distinctionem illam cogniti, ut quod, & ut quo, rogamus oportune Suarez nu. 10. an auctoritatem, & revelationem cognosci, ut quo, sit verè ac propriè cognosci taliter, ut intellectus assentiatur, & iudicet eas re ipsa esse, necne? Si secundum, quomodo movebunt intellectum, ut propter eas assentiatur Trinitati ex motivo, quia Deus summæ auctoritatis revelat, videtur enim in terminis implicare, quòd intellectus moveatur ad credendam Trinitatem ex eo quia Deus summæ auctoritatis revelat, quia noverit Deum esse summæ auctoritatis, & revelare Trinitatem. Si verò dicatur primum: ergo non solum ut quo, verum etiam ut quod debent cognosci Dei auctoritas, & revelatio, ut potè verè terminantes assensum de earum existentia. Hoc autem est cognosci ut quo 1, neutriquam oppositum cum eo quòd etiam cog-

noscantur ut quo, scilicet ut ratio formalis assentiendi Trinitati: sicut neutriquam opponitur quòd eadem intrinseca obiecti bonitas sit amara ut quod, & ratio formalis amandi ut quo. Quid enim hoc implicet? Quamvis igitur auctoritas, & revelatio Dei sint ut quo ratio formalis assentiendi Trinitati, hoc non tollit, quominus sint simul obiectum; cui etiam ut quòd assentiatur ipsa Fides. Idcirco diximus sapè, eas esse quidem obiectum materiale Fidei, non purè materiale; sed simul etiam formale, atque adeò, ut quod, & ut quo attingendum à Fide.

33 Verum quidem est, quòd, quamvis in primò accessu ad credendum, quando quis Fide instruitur, eveniat regularitè credere Dei auctoritatem, & revelationem assensu prævio ac distincto, quàm alia Mysteria purè materialia; postea tamen in progressu Fidei non est ita necesse eas prævio assensu credere; sed simul per eosdem assensus aliorum Mysteriorum. Eodem enim actu simplici Fidei, quo credimus iam præinstructi, Deum esse Trinum, quia Deus ipse summæ auctoritatis id revelat, possumus credere, sapèque credimus, Deum esse summæ auctoritatis, & id revelare, quia præcedat de hoc assensus distinctus. Et inde est, quòd, ut aiebat respositio, minus curemus de eliciendo seorsim assensu distincto auctoritatis, & revelationis. Nihilominus eas nosci, ac credi necesse est, aut per assensum prævium, aut per ipsum assensum aliorum Mysteriorum: ideoque dixi hæc Fidei obiecta non purè materialia esse primò credenda saltem negativè; hoc est, nihil posse Fide credi, antequam illa Fide credantur. Quæ mens est Patris Suarez ubi supra; & disp. 3. sect. 12. quidquid in oppositum molitur Haunoldus lib. 3. tract. 1. cap. 1. contr. 3.

#### SECTIO IV.

An Mysteria, seu obiecta materialia Fidei bene disponantur in Symbolo

43 Symbolum Græcè est quòd Latine, Signum, & Indicium. Et significat etiam collationem et multis sigillatim contribuentibus collectam. Hinc Summam veritatum à Catholicis credendarum ex Artibus Fidei nostræ, contribuentibus videtur singulis Apostolis concinnatam, à

Fidelibus addiscendam quasi Professionē, Signum, vel Indiciū suæ Fidei, vocamus *Symbolum Fidei*: non quod contineat omnia, quæ revelavit Deus; cum, non comprehendat totam Sacram Scripturam; sed quia continet, & exhibet præcipua Fidei Catholicæ capita: quorum ut plurimum Fides explicita exigitur à Fidelibus.

35 Triplex agnoscitur Fidei Symbolum quoad pauca diversum in sui substantia. Primum est *Symbolum Apostolorum*: quod communius recitatur ab omnibus à tempore Apostolorum; qui in Spiritu Sancto cōgregati illud divinitas cōposuerunt, singuli singulos Articulos, ut uniformiter, & faciliè novos credentes per Orbem universum instruerent. Nec propterea habetur ut Sacra Scriptura: quia, quamvis illud tradiderint Apostoli, Spiritu Sancto assistente quoad veritatem sententiarum; non tamen dictante singula verba.

36 Secundum est *Symbolum Nicænū*, quod cantatur in Missa. Dicitur, *Nicænū*; quia in Concilio Nicæno inchoatum est: & quādoque Constantinopolitanum; quia in Constantinopolitano absolutum; quamvis auctum Constantinopolitanum quoque postea fuerit quoad illam particulam, *Filioque*. Et est quoque Regula Fidei. Aliquid addit, & alia omittit respectivè ad Apostolicum pro temporum opportunitate contra novas Hæreses.

37 Tertium est *Symbolum Athanasij*: quod quamvis prout ab Athanasio confectum, non fuerit authentica Regula Fidei; bene verò prout postea approbatum ab Ecclesia. Ideoque Eugenius Pontifex in Concilio Florentino ad Armenos cap. 6. illud tradidit Armenis pro Regula Fidei.

38 In unoquoque istorum Symbolorum rectè, convenienterque disposita est materia Fidei ad finem, quò instituta sunt, cum aliqua diversitate, pro diversitate temporum & errorum occurrentium, pro captu omnium, & etiam simplicium animarum.

39 Vanum est quod posset in hoc puncto negotium facessere, scilicet omissum in ijs Symbolis Mysterium Eucharistiæ, quod est unum è præcipuis, ac difficilioribus Christianæ Fidei Mysterijs, & antonomastice *Mysterium Fidei*, explicitè sciendum, & credendum ex præcepto. Mihi certe nec mediocriter satisfaciunt evasiones, quibus hanc omissionem tueri volunt

communiter Authores, ut expendi satis disp. 1. de Eucharistia sect. 1.

40 Quapropter ibi tenui cum P. Bernal, & nunc retineo, Symbolum expressissimè continere Mysterium Eucharistiæ: in specialissimo articulo illorum verborum: *Sanctorum Communionem*: sic ea intelligendo, ut nomen: *Sanctorum*: non sit à masculino, *Sancti*; sed à neutro, *Sanctæ*: quæ vox in Ecclesia sonare consuevit Sanctissimum Sacramentum. Fundamenta solidissima dedimus ibi sect. 2. ubi etiam ad opposita plenè respondimus.

Tom. de Christo disp. 20.

## SECTIO V.

*An materia, seu obiecta materialia Fidei, aucta fuerint successu temporum per Definitiones Ecclesiæ?*

41 **V**T seposita inutili Logomachia insistamus in quaestione de re, magni, ut reor, momenti, quatuor præsupponenda nobis sunt. *Primum*: triplicem distingui statum Ecclesiæ: scilicet Legis Naturæ ab Adamo ad Moysen; Legis scriptæ à Moysè ad Christum; Legis Gratiæ à Christo usque ad consummationem sæculi. *Secundum*: in quolibet istorum statuum revelatas à Deo fuisse multas veritates, quarum Fides erat ad salutem necessaria, aut saltem conveniens. *Tertium*: in quolibet istorum statuum fuisse in verè Fidelibus Fidem implicitam omnium à Deo revelatorum: quod est, credendo aliquid propositum, ut à Deo revelatum, credere in confuso vera esse cuncta à Deo revelata, cum animi præparatione: ad credenda singula, si sufficienter proponerentur. *Quartum*: à Lege naturæ usque ad Legem Gratiæ auctam fuisse decursu temporum materiam Fidei quoad noticiam explicitam saltem pro omnibus. Etenim post Legem Naturæ tempore Legis Scriptæ: multa de novo revelavit Deus per Moysen, & Prophetas, quæ non manifestaverat antea universaliter omnibus; quamvis aliquibus singularissimè innotuerint. Patet ex verbis ad Moysen Exod. 6. *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, & Jacob, & nomen meum Adonay non indicavi eis.* Et post Legem Scriptam tempore Legis Gratiæ multa revelavit per Christum, per Apostolos, & Evangelistas, quæ universaliter non manifestaverat temporibus Legis Naturæ,

Hebr. 1. turæ, ac Scriptæ: iuxta illud Hebr. 1. *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissimè diebus istis loquutus est nobis in Filio.*

42 Difficultas gravis superest pro Lege Gratiæ: an scilicet post Christum, & Apostolos revelata sint aliqua de novo universaliter Fide credenda: sicque etiam decursu temporis in Lege Gratiæ aucta fuerit materia Fidei: non quidem quoad præcipua Fidei Capita: hæc enim à tempore Apostolorum extant; sed quoad alia accessoria: Est in re querere: an postquam Deus loquutus fuit olim per Prophetas, & novissimè nobis in Filio per Apostolos, & Evangelistas, revelet denuo, constituatque de Fide universaliter aliquas ulterius veritates per novas Ecclesiæ definitiones: Dixi: *universaliter*. Supponimus enim singulariter Apostolis revelata iam fuisse cuncta, quæ deinceps per tempora definit, ac definit Ecclesia, iuxta promissum Christi Ioan. 16. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* De quo Suarez disp. 6. sect. 6. temerarium censens dicere, Doctores Ecclesiæ posteriores Apostolis fuisse in Fide sapientiores illis, aut habuisse Fidem magis explicitam. Quinimò Valentia & alij apud Ripaldam disp. 8. sect. 2. num. 19. id censent erroneum. Plura Castro Palaus tom. 1. tract. 4. disp. 1. punct. 5.

Ioan. 16.

Suarez.

Valentia. Ripald. Palaus.

43 Negativam in proposita difficultate partem tenent communius antiqui, & moderni. Primum. Quia, si verum est, quod diximus in fine num. preced. Apostolis fuisse revelata cuncta in posterum definienda per Ecclesiam: ergo nihil fuit postea de novo factum de Fide per definitiones Ecclesiæ. Respondetur tamen distinguendo consequens: de novo respectivè ad Apostolos, concedo; respectivè ad noticiam universalem Ecclesiæ, nego. Non enim cuncta; quæ singulariter revelata fuerunt Apostolis; oportuit per Apostolos manifestari tunc universaliter Ecclesiæ. Itaque singularis illa Apostolorum notitia non tollit, quominus quoad noticiam universalem Ecclesiæ aliqua de novo in dies revelentur. Sic, quod aliqui ex antiquioribus Patriarchis Legis naturæ, aut Prophetis Legis scriptæ noverint fortè singulariter cuncta, quæ deinceps per posteriores Prophetas, per Christum, per Apostolos revelavit Deus universaliter Ecclesiæ, non

tollit, quominus multa in Lege scripta, & in Lege Gratiæ fuerint de novo revelata, sicque aucta materia Fidei credendorum, ut ipsi fatentur Adversarij ex notatis num. 41.

44 Secundò. Quia priusquam Papa, seu Concilium aliquid definiunt, scrutantur diligentissimè Scripturas, earumque intelligentiam apud Sanctos Patres: quod non faciebant Apostoli, & Prophetæ; nec opus esset ab Ecclesia fieri, si per ipsam etiam loqueretur Deus in suis novis definitionibus: ergo quia necesse est, quod inveniatur iam in antecedentibus revelatum à Deo, quod de novo volunt definire: ac proinde per definitiones Ecclesiæ nihil novum revelatur; sed illo prævio examine proponitur per illas Fidelibus, talem veritatem fuisse iam à Deo revelatam: sicque post Apostolos non fiunt novæ revelationes, nec augentur obiecta Fidei universalis, & catholicæ; sed proponuntur iam factæ: pro qua propositione habet Ecclesia assistentiam Spiritus Sancti, nè proponat pro revelatis non revelata; non verò, ut Ecclesia loquatur, & novum quidquam nomine Dei revelet. Respondetur, in antecedente verum esse, fieri ab Ecclesia illud scrutinium: imò & debere fieri: quia verò necessitate debeat id fieri, tractat Palaus §. 2. num. 12. Non tamen est omnino verum, quod id ab ipsis etiam Apostolis non fieret: cum constet ex Act. 15. ortâ controversiâ de Circumcisione baptizandorum, convenisse Apostolos & Seniores videre de verbo hoc: cum autem magna conquestio fieret, surgens Petrus, &c. Et hoc quidem quamvis revelandum fuerit Apostolis, quid faciendum. Quodsi Prophetæ, nec semper Apostoli eam diligentiam non adhibuerunt; ideo potuit esse, quia non semper habebant Scripturas, quas consulerent; nec opportunitatem eas consulendi, Doctoresque advocandi; aut quia revelationes accipiebant interdum, quasi ex abrupto, ita claras, ut nullo examine opus esset. Ex ijs negatur tota consequentia. Nam illæ ipsæ propositiones, & definitiones Ecclesiæ assistente Spiritu Sancto ne errēt, sunt re ipsa loquutiones Spiritus Sancti & novæ Dei revelationes; quibus quandoque revelatur, quod nondum erat universaliter à Deo revelatum.

45 Tertio. Quia Leges Ecclesiæ, quamvis in eis ferendis dirigatur ab Spiritu

Palaus.

Act. 15.

tu Sancto, ne circa mores erret, non sunt Leges divinæ, sed humanæ, quas Ecclesiasticas vocamus contradistinctim ad alias, quas Ecclesia ipsa proponit, ut divinas, ideoque à se inabrogabiles: in ijs enim Ecclesia solum habet propositionem; in illis autem potestatem Legislativam, & abrogativam. Atqui, si assistentia prædicta Spiritus Sancti, ne erret Ecclesia, sufficeret, ut loquutio assertiva, seu definitiva Ecclesiæ sit loquutio Dei augens materiam Fidei; similiter assistentia Spiritus Sancti, ne Ecclesia erret in legibus, sufficere deberet, ut loquutio Legislativa, seu præceptiva Ecclesiæ esset circa mores præceptum divinum, Lexque divinæ: quod tamen est falsum, & absurdum: sic enim Leges omnes Ecclesiasticæ essent Lex divina. Dicendum igitur est, eiusmodi loquutiones, seu definitiones Ecclesiæ non esse loquutionem Dei, nec facere res de novo à Deo revelatas; sicut nec facit iure divino præceptas res, quas Ecclesia præcipit. Responderi potest, concessâ majori, negando minorem. Nam qui præcipit, addit aliquid ultra loqui: qui enim consulit, & suadet, loquitur, & non præcipit. Nec quidem in Principe habente iurisdictionem legislativam est idem consulere, & suadere Legem ferri; ac ferre Legem: Pontifex enim potest consulere, & suadere; quin etiam præcipere Episcopo, ut autoritate propriâ præcipiat aliquod in Diocesi; quin proinde Pontifex dicatur id præcipere; nec illa lex dicatur Pontificia. Ad huic ergo modum Spiritus Sanctus assistit Ecclesiæ ferenti suas Leges Ecclesiasticas: non quidem ut Legislator; sed quasi consiliarius, ne in exercitio suæ potestatis legislativæ erret Ecclesia, quin propterea dicatur ipse Legem ferre autoritate sua legislativâ divinâ; sicut dicitur, quando fert ipse divinas suas Leges, ut ferebat per Moysen, qui nomine Dei, & non autoritate propriâ, Legem imponebat. In hoc autem stat diversitas Legum divinarum ab humanis etiam Ecclesiasticis: quamvis istæ quoque dici quodammodo possint divinæ præ secularibus propter illam Dei assistentiam, ne Ecclesia in illis suâ autoritate ferendis erret contra ius divinum, aut naturale, ut explicat Palaus *punct. 5. §. 3.* At eo ipso quod dixerit Deus, se assistere Ecclesiæ definienti, se constituit quasi testem, ac fidei iussorem veritatum, quas Ecclesia defi-

Palaus.

nit: quod est, eas attestari, & autoritate sua fulcire: quod est, Deum in illis per Ecclesiam loqui modo sufficienti ad infallibilizandam nostram Fidem. Unde negatur consequentia.

46 Quarto. Quia nota est distinctio inter auctoritates Ecclesiæ, ac Dei, cum dicimus, veritates Fidei non esse à nobis credendas ob solam auctoritatem Ecclesiæ, sed ob auctoritatem Dei: ergo per definitiones auctoritate Ecclesiæ prolatas, non loquitur, nec attestatur Deus auctoritate suâ divinâ, nec constituitur quidquam quasi de novo revelatum à Deo obiectum Fidei. Respondetur, Ecclesiam, ut est Congregatio quædam hominum Sanctissimorum, & doctissimorum, habere quoque suam auctoritatem humanam; sicut suo etiam modo illam habent homines probi, sapientes, & prudentes; eamque haberet Propheta alioquin doctus. Huic humanæ auctoritati Ecclesiæ accedit assistentia auctoritatis divinæ in suis definitionibus. Quando dicimus quod actu Fidei non credimus res propter auctoritatem Ecclesiæ, sed Dei, id dicimus de auctoritate humana Ecclesiæ, Parochi, aut Catechistæ. Si enim credimus propter auctoritatem Ecclesiæ definiendi cum assistentia speciali Spiritus Sancti, rectè exercemus actum Fidei: nam in hoc ipso involvitur auctoritas divina sufficientissimè ad exercendam Fidem nostram Theologicam. Hinc, concesso antecedente de auctoritate præcisè humanâ Ecclesiæ, negatur consequentia: quia pro definitionibus Ecclesiæ iam adest auctoritas divinæ per assistentiam specialem Spiritus Sancti quasi subscribentis Ecclesiæ definienti, iuxta illud Act. 15. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis.*

Act. 15.

47 Quinto. Quia non quidquid definit Ecclesia, definit ut de Fide credendum: taliter ut oppositum fiat eo ipso hæreticum: aliqua namque definit, tanquam de Fide, ita ut oppositum sit hæresis: alia, ut Fidei proxima, ita ut oppositum sit error, aut hæresi proximum: alia taliter, ut oppositum non sit nisi temeritas, aut malè sonans, aut scandalosum per suos centuratum gradus. Ergo definitiones Ecclesiæ non per se faciunt esse de Fide veritates antea non revelatas: si enim id per se facerent, omnis definitio Ecclesiæ, utpote Dei loquutio, id faceret, constituens

cun-

cuncta definita Fide credenda, taliter ut id negare foret hæresis; sicut quando definit signanter, aliquid esse de Fide, declaras potius quàm faciens id fuisse à Deo revelatum.

48 Respondetur distinguendo antecedens: non id definit ut de Fide in actu signato, concedo: quia non semper exprimit esse de Fide, sicut nec id exprimit signatè loquutiones Scripturarum: in actu exercito, nego: quia semper id exercitè præstat, faciens eo ipso esse de Fide ea, quæ definit: in eo sensu, & modo, quo definit: taliter ut oppositum in eo sensu sit hæresis. Itaque, ut ad reliquum probationis respondeatur, dicimus, quod quando definit Ecclesia, aliquam veritatem esse de Fide, sit de Fide, id esse de Fide: & tunc est hæresis negare eam veritatem, & negare, eam esse de Fide. Quando verò definit esse Fidei proximam, sit de Fide, esse Fidei proximam: & tunc quamvis non sit hæresis, sed error, negare eam veritatem, est hæresis negare, esse Fidei proximam. Quando definit, doctrinam esse temerariam, aut malè sonantem, aut scandalosam; sit de Fide, esse talem: & tunc esset hæresis negare essetalem; non tamen esset hæresis, sed temeritas, malè sonans, & scandalum, eam doctrinam proferre: quia quod tunc definit Ecclesia, est, doctrinam esse temerariam, malè sonantem, aut scandalosam. Sic ergo semper Ecclesia definiens exercitè facit esse de Fide id quod definit taliter ut id eo modo negare sit hæresis. Non autem esset hæresis, id negare, si Ecclesiæ definitio non esset attestatio Dei per Ecclesiam, non minus infallibiliter, quàm olim per Prophetas, & postea per Apostolos. Cum accomodo tamen discrimine: quod Prophetis, & Sacris Scripturibus dictabantur à Deo sententiæ, & singula verba, quod constituit Sacram Scripturam; Ecclesiæ verò sententiæ, quas definit; non verò singula verba: quod perinde est quoad effectum infallibilizandi; faciendique de Fide veritatem, quam definit.

Suarez.

49 Affirmativam partem, cui adhæreo, tenuit Eximius Doctor *disp. 3. sect. 11. à num. 11.* scilicet materiam Fidei auctam fuisse in Ecclesia Dei post tempora etiam Apostolorum per definitiones Ecclesiæ: quæ quidem sunt infallibilis auctoritatis, & divinæ loquutiones: quamvis sæpè quoque

declarent veritates antea à Deo revelatas.

50 Ratio mihi à priori est. Quia quod Ecclesia definit, testatur Deus per Ecclesiam: de qua est illud: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Et illud: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis.* Quocirca Concilia ante definitiones suas præmittunt, se esse in Spiritu Sancto congregata: ideoque dicebat Magnus Gregorius esse sibi quatuor Concilia generalia instar quatuor Evangeliorum: quia non minori auctoritate loquutus in eis est Spiritus Sanctus quoad definitiones de Fide. Ad hæc *1. Timoth. 3.* vocatur Ecclesia *Columna, & fundamentum veritatis:* ut dixerit Augustinus: *Evangelio non crederem, nisi ad id me Ecclesia moveret auctoritas.* Quia nempe, sicut est certum de Fide ex *Joan. 10.* Scripturam non posse solvi; ita debet esse certum, Ecclesiam in suis definitionibus errare non posse. Ergo quia ipsi definiendi assistit Spiritus Sanctus auctoritate sua faciens Ecclesiæ definitiones esse loquutionem suam, & quasi subscribens: sic sentio. Hoc autem quoad effectum infallibilizandi, perinde est, ac Spiritum Sanctum per se loqui: sicut quoad effectum fundandi Fidem humanam perinde est, hominem prudentem, & doctum dicere se assentiri, & subscribere veritati ab alio prolata, aut scriptæ, ac si formaliter ipse illam per se proferret, & scriberet.

51 Atqui Ecclesia decursu temporum, multa, quorum nondum erat revelatio, definit, ac definit Fide credenda, damnans Hæreses contradictorias in Canonibus Conciliorum, & Bullis Pontificum: ergo quia, loquente Deo per Ecclesiam, revelantur aliqua de novo, & augetur in dies materia Catholicæ Fidei. Minor, quæ cardo difficultatis est, probari potest ex multis veritatibus definitis de Fide in Concilijs, & à Pontificibus, de quibus antea dubitabatur, nec facile in Scripturis reperientur. Sit in exemplum infusio habituum supernaturalium, quæ ante Tridentinum non erat de Fide, & facta est de Fide post Tridentinum.

52 His & alijs similibus responderi solet; eam veritatem (& similiter discuntur de alijs) iam contineri in Scripturis: in eo scilicet Pauli loco ad *Tit. 3.* *Quem effudit in nos abundè.* Tridentinum autem non fecisse eam per se revelatam, & de Fide: sed propositivè declarasse, quod reve-

lata

lata iam fuerat in eo Scripturæ loco.

53 Contra tamen. Quia hoc ipsum est, factam fuisse tunc de Fide per Tridentinum, illam esse intelligentiam prædictorum Verborum Scripturæ: de quorum tamen sensu antea dubitabatur, & controvertebatur: ergo in hoc ipso fuit, ac est loquutio, & revelatio Dei definitio Ecclesiæ, & augetur materia Fidei credendorum. Antea namque de Fide non erat, ea Scripturæ verba significare prædictam veritatem; & postea factum est, ut sit de Fide non solum veritas infusionis habituum, quæ continebatur sub illis verbis, & definita tunc fuit ab Ecclesia; quin etiam, ut sit de Fide, hunc esse verum sensum illorum verborum: quod antea nec erat de Fide, nec in Scriptura continebatur: non enim dicit Scriptura, ea verba ex se indifferentia ad hunc, aut alium sensum, loqui, ac intelligi debere in hoc præ alio. Quoad hoc igitur saltem aucta fuit materia Fidei per definitionem Ecclesiæ: & quidem tanquam per novam revelationem, & loquutionem Dei per Ecclesiam id attestantis: alioquin id non fieret de Fide.

54 Confirmatur ex humanis: Si namque Rex dixisset aliquid verbis obscuris, & æquivocis capacibus duplicis sensus: & consultus postea super eo dubio, diceret aut per se, aut per alium, se fuisse loquutum in hoc sensu; tunc quidem, quamvis obiectum talium verborum crederemus propter primum testimonium Regis exhibitum reipsa in ipsis verbis obscuris; at hunc fuisse sensum verborum Regis, crederemus abs dubio propter secundum testimonium, quo, aut ipse, aut ipsius nomine, & autoritate alius, Regis mentem, verborumque sensum declarasset. Sic autem evenit in multis Scripturæ locis, quorum legitimum sensum, antea dubium, postea definit Ecclesia: quæ scilicet Ecclesiæ definitio, quasi novum Dei testimonium, facit esse de Fide hunc esse verum Scripturæ sensum; quod antea de Fide non erat. Et simile argumentum fit in definitionibus Ecclesiæ circa libros Canonicos, & circa versionem vulgarem Latinam. Tales enim libros esse Canonicos, & vulgaram latinam fidè dignam, ac retinendam, quod nunc est de Fide, non erat de Fide ante definitionem Ecclesiæ. Unde necesse est dicere, per Ecclesiæ definitiones tanquam per novam in dies attestations, lo-

quutiones, & revelationes Dei augeri materiam Fidei.

55 Arguitur insuper ex legitimitate Conciliorum Generalium V. gr. Tridentini. Certè enim non solum sunt de Fide quæ in ipso definiuntur; verum etiam reflexivè est de Fide, ipsum Concilium Tridentinum esse legitimum, & legitime declarasse multa, quæ spectant ad Fidem. Hoc autem non erat antea de Fide: vel ostendatur ex quo Sacra Scripturæ loco? Dices ex illo Matth. 10. *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum: & ex promissione Christi de assistentia sua, & Spiritus Sancti in Ecclesia usque ad consummationem sæculi.* Contra tamen manifestè. Quia, quamvis hæc in communi contineatur in Scriptura; non tamen quod Tridentini fuerint tres congregati in nomine Christi: cuius propterea integra promissio salva maneret, quamvis congregatum non fuisset Concilium Tridentinum: ergo Concilium hoc Tridentinum potius, quam Basileense fuisse legitime in Spiritu Sancto congregatum, & in nomine Christi, non constat de Fide ex Scripturis; sed ex Ecclesiæ definitione. Simile argumentum fit ex ijs quæ dicemus infra, pro eo quod de Fide sit Innocentium XII. esse verum Papam; quod antehac nec de Fide, nec verum erat.

56 Denique ex Canonizationibus Sanctorum. Nam de Fide est S. Xaverium V. gr. fuisse prædestinatum, & esse in Cælo. At ubinam, precor, Scripturarum hæc absoluta veritas revelata legitur? Est ergo de Fide per definitionem Ecclesiæ, per quam id Deus novissime revelavit. Dices: iam id olim fuisse revelatum in propositione universali, quod salvi sunt, qui pie vivunt, & perseverant in gratia usque in finem. Contra tamen: quia per similes generalitates omnia revelata in Evangelijs reduci eadem facilitate possent ad propositiones universales revelatas in Testamento veteri, quatenus saltem revelatum in eo est, omne a Deo revelatum, & revelandum esse verum; aut aliter reverti ad figuras, in quibus obscure, ac implicite cuncta continentur: sicque, contra ipsos Adversarios, nec aucta fuisset materia Fidei in lege Gratiæ respectivè ad statum legis Scripturæ.

57 Contra deinde. Quamvis enim ex eiusmodi universali constat, sitque revelatum,

tum, decedentes in Gratia salvandos, San-ctuanque Xaverium salvum esse, si decepsit in Gratia, quod de quocumque etiam reprobo Fide creditur; at inde non constat de Fide, Xaverium in Gratia decepsisse, & absolute in particulari fuisse prædestinatum; & salvum: atqui hoc in particulari est absolute de Fide post Canonizationem: ergo quo ad aliquas veritates aucta est, & augetur in dies materia Fidei per definitiones Ecclesiæ, quasi per revelationes, & attestations Dei. Nec obest, si dicas non esse de Fide, Papam errare non posse in Canonizationibus. Adhuc enim hoc permisso, est verum, ac certum errare in eis non posse: ergo quamvis de Fide non esset, Papam per Canonizationes, aliasque definitiones facere novum aliquid esse de Fide; erit tamen hoc verum, & certum. Hæc autem est nostra sententia: quam quidem defendimus ut veram; non tamen ut de Fide; cum habeat contradictores Catholicos, Professores, si certum est, ut nobis faterentur, Papam errare non posse in Canonizationibus: ergo quia certum est, quod definit & loquitur autoritate Dei: alioquin cur non posset errare? Ergo quia per Ecclesiæ definitionem absolute revelatur a Deo per Ecclesiam salvatio Sancti Canonizati: sicque fit de Fide: & augetur in dies Fidei veritates.

58 Ex ijs rejiciendum est omnino, quod asserunt aliqui apud Oxeam *disp. 5. num. 63. & 104.* definiente Ecclesiâ aliquam veritatem v. gr. conclusionem Theologicam ritè deductam ex veritate revelata, ut Christum esse risibilem; adhuc eam veritatem non fieri certam de Fide, quamvis Ecclesia id definir ex assistentia Spiritus Sancti. Quia, inquit, eiusmodi assistentia non est Dei loquutio. Rejicitur a nobis huiusmodi asserum. Quævis enim eiusmodi assistentia non sit Dei loquutio; loquutio tamen Ecclesiæ ex eiusmodi assistentia, est moraliter, & æstimativè Dei loquutio: quod distinctissimum est: & hoc est quod dicimus. Nec facile percipio, quomodo eiusmodi assistentia reddat eam veritatem certam, & infallibilem, nisi eam roborando autoritate Spiritus Sancti assistentis Ecclesiæ, ne erret. Hoc autem est, Deum facere loquutionem suam; eas loquutiones Ecclesiæ, quoad effectum infallibilizandi assensus Fidelium in ea fundatos: sicque veritates

illæ ab Ecclesia definitæ habentur, ut revelatæ a Deo, & Fide credendæ. Alioquin nec haberi deberet Fidei credendus sensus sacra Scripturæ antea dubius, & anceps, & postea ab Ecclesia declaratus: in quo difficulter redderetur disparitas: ut optimè P. Oxæa *sect. 1.*

## SECTIO VI.

*An, revelato definito, sit eo ipso revelata, fiatque obiectum materiale Fidei eius definitio?*

59 **R**ationes ultro, citroque dubitandi non satis extricata, controversiam istam molestam redderunt: quæ quidem, terminis ritè perceptis, plana, in iudice, cuique fiet.

60 Pro parte affirmativa arguit fortiter, & solide communis, ac vera sententia apud Oxæam *disp. 5. sect. 4.* Quæ definitio, cuiusque definitio obiectiva; de qua loquimur, mutuo convertuntur; & quod affirmatur de illo, affirmari de ista necesse est, iuxta regulam Dialecticorum, in eo fundatam; quod definitum & definitio sunt omnino idem, sine distinctione adhuc obiectiva; vel virtuali: ergo revelato definito; revelatur eo ipso definitio, sitque utrumque obiectum materiale Fidei. Unde est, quod, revelato de Christo esse hominem, revelatur esse animal rationale; quia hoc est eius definitio metaphysicæ; & constare corpore & anima unitis, quia hoc est eius definitio physica. Præterea: eo ipso quod est revelatum, latuisse Christum quinque panibus quinque millia hominum; revelatum est sitque de Fide credendum, latuisse duobus, ac tribus panibus quinquaginta centena hominum; quia nempe idem obiectivè sunt duo & tres, ac quinquæ panes, & quinquaginta centena hominum, ac quinque millia. At certè non sunt minus idem definitum & definitio, homo, & animal rationale: ergo revelato definito, nempe homine, est eo ipso revelata, factaque materia Fidei definitio, nempe animal rationale. Alioquin, revelato homine de Christo, negari citra hæresim posset, esse animal rationale; & revelato de aliquo numero, esse quinquaginta, & postquam Deus revelasset salvandos centum homines, posset citra hæresim negari, salvandos decies decem, aut bis quinquaginta.

Oxæa.

qua-

quaginta, aut nonaginta novem, & unum: quæ videntur non modo falsa; verumetiam ludicra, & plusquam absurda.

61. Pro parte autem negativâ arguit acriter Arriaga tom. 5. disp. 6. de Fide sect. 1. & acrius tom. 1. disp. 1. sect. 7. Quia Petrus, sive Christum esse hominem, est una veritas: essentiam autem, seu definitionem hominis esse animal rationale, est alia veritas: utraque seorsim revelabilis; non verò actu revelata; cum revelatum non sit, hominem esse animal rationale: sicut nec quænam sit essentia columbæ, ex eo quod revelaverit Deus, dimissam fuisse columbam ex arca Noe: nec in quo stet Unio Hypostatica, an in modo superaddito; an in actione; an realiter in ipsa unione humanâ; an in ipsis extremis; ex eo quod revelaverit Deus Unionem Hypostaticam: ergo non revelatur definitio, eo ipso quod definitum reveletur. Confirmatur: quia si revelans Deus Christum esse hominem, eo ipso revelasset Christum esse animal rationale, propter identitatem obiectivam hominis cum animali rationali, sequeretur, quod ex tunc esset de Fide, hominem esse animal rationale: quod nequit dici, sicut nec quod sit hæresis, negare, hominem esse animal rationale.

62. Laborat, ut fallor, hic Author, eiusque probamentum æquivocatione. Aliud est, revelato definito de aliquo subiecto, revelari de eodem subiecto eo ipso eius definitionem; aliud est revelato definito, revelari eo ipso de definito definitionem, seu quænam sit eius definitio. Quemadmodum aliud est, enunciato definito de aliquo subiecto, enunciari eo ipso de eodem subiecto, eius definitionem, quæcumque illa sit; aliud est, valdeque diversum, & à nemine non discernibile, enunciato definito de aliquo subiecto, enunciari eo ipso definitionem de definito, seu decidi eo ipso, quænam sit eius definitio. Illud prius est verissimum, & quod defendimus; cum enim definitum, & definitio obiectiva sint unum, & convertibiliter idem, sub eisdem terminis, sub quibus prædicatur de aliquo subiecto definitum, prædicatur de eodem definito. Posterius autem falsum est: quia enunciare definitum de uno subiecto v. g. de Christo esse hominem; & enunciare definitionem de definito v. gr. de homine esse animal rationale, sunt potius enunciationes disparatæ, quam ex vi for-

mæ convertibiles. Similiter ergo loquendo de revelatione discernendum est, & dicendum, illud prius iuxta priorem sensum esse verissimum, quia cum definitum & definitio sint convertibiliter idem, non minus quam deciesdecem, & centum; eo ipso quod revelatur de aliquo subiecto definitum, revelatur definitio: & hoc convincit ratio solida primæ, ac communis sententiæ. Posterius verò in posteriori sensu, ad quem deflectit perperam ratio P. Arriagæ, falsum est: quia revelare de Christo esse hominem, & revelare de homine esse animal rationale, sunt revelationes disparatæ, & inconnexæ.

63. Hinc video verum dici à Patre Arriaga loquendo in secundo sensu; sed non ad rem, nec ad scopum quæstionis. Nemo enim in quæstionem adduxit; an revelare de aliquo subiecto, nempe de Christo, esse hominem, sit revelare de alio subiecto, nempe de homine esse animal rationale. Loquendo autem in sensu posteriori genuino, & è re præsentis, verum dici à communi sententia propter rationes positas num. 60. quidquid repugnet P. Arriagæ, à quo equidem intelligere nunquam potui, quomodo revelato definito, non revelatur definitio in eo sensu, quo fatetur ipse, revelato de hoc homine esse Papam, revelari esse hominem; & revelato numero centenario, revelari decies decem; cum non magis Papatus includat hominem, nec magis idem sint centum & decies decem, quam definitum, & definitio. At in hoc ipso numerorum exemplo apparet eadem æquivocatio à me notata: nam enunciare, seu revelare aliquos homines esse centum, longè dissitum est ab enunciare, vel revelare centum esse decies decem; & tamen enunciare, vel revelare de illis esse decies decem, est revelare de illis esse decies decem.

64. Iam ad argumentum oppositum num. 61. concedo totum, antecedens; & distinctio consequens: non revelatur definitio de suo definito, id est, quænam sit talis definiti definitio, concedo; quod tamen ad rem non pertinet: non revelatur definitio de subiecto, de quo revelatur definitum, nego consequentiam; quod è re est. Itaque eo ipso quod de Christo revelatur homo, revelatur animal rationale, quavis non revelatur de homine definiti animal rationale; quod aliunde scitur, eoque

eoque ipso quod revelatum sit, dimissam fuisse columbam ex arca, revelatum manet, dimissam esse eius essentiam physicam, & metaphysicam, ac proinde obiectivam definitionem columbæ, quæcumque illa sit, quamvis nos, quænam sit, nesciamus; & eo ipso quod revelata sit existentia Unionis Hypostaticæ, revelata est existentia suæ essentia, in qua consistit, quæcumque ista sit: quam nos aliunde opinamur esse modum superadditum, quamvis id non Fide credamus.

65. Ad confirmationem distingo sequelam: si tota illa causalis assereretur à revelatione, concedo; nam assereret Christum esse animal rationale propter identitatem animalis rationalis cum homine; seu quia est homo, & homo est animal rationale: si causalis illa, quamvis in re sit, non asseritur à revelatione, nego. Non autem asseritur signatè ex præsentis modo revelandi à revelatione eiusmodi causalis: quia revelatio non asserit sic: *Christus est animal rationale, quia est homo; & homo est animal rationale*: sed solum asserit: *Christum esse hominem*: nos autem asserimus, eo ipso manere revelatum de Christo esse animal rationale; quia scimus, hominem esse idem ac animal rationale: quæ quidem est ratio formalis exercita in rebus, à nobis cognita, & asserita; non à Deo revelata: per præsentem modum revelandi; ac proinde nec sic facta de Fide: ideoque non fit de Fide, hominem esse animal rationale; nec id negare foret hæresis. Vellit nolit totam doctrinam nostræ responsionis tenetur sibi assumere Adversarius; fatetur enim quod, Deo revelante, fuisse quinque panes, eo ipso revelari, fuisse duos & tres: negat tamen eo ipso revelari, duos & tres esse quinque: cum tamen ratio cur, revelatis quinque, revelantur duo & tres, est quia duo & tres sunt quinque. Hæc, inquam, est ratio in re & exercite nobis aliunde nota; non tamen asserita à tali revelatione: ideoque non facta de Fide. Per hanc instantiam corrui funditus totum machinamentum Arriagæ.

66. In illis tamen tripliciter. Primò. Si revelata qualibet re, revelatur eo ipso in sensu à nobis admisso de eodem subiecto rei definitio; ergo sicut, revelato homine de Christo, revelatur de Christo animal rationale; sic revelata de Christo unione hypostatica, cuius essentia est esse

modum superadditum, revelatur hæc eius essentia: ergo sicut fit obiectum Fidei, & de Fide, Christum esse animal rationale, fitque hæresis id negare; similiter fiet obiectum Fidei, & de Fide Christum constare unione hypostatica modali, & esset hæresis id negare: quod dici nequit. Secundò. Si propter identitatem definiti, & definitionis obiectivæ, hominis videlicet, & animalis rationalis; revelato definito, nempe homine, revelatur definitio, nempe animal rationale: igitur ob eandem rationem, cum idem sint obiectivè risibile, & homo, revelato homine de Christo, revelatur risibile: eritque de Fide, Christum esse risibilem, & hæresis id negare: quod tamen à Theologis ad summum censuratur ut erroneum, utpote non contradictorium veritati revelatæ; sed conclusioni Theologicæ ex una præmissa revelata, & alia naturaliter evidenti. Tertio. Vel eodem modo revelatur de Christo homo, ac animal rationale; vel non eodem modo? Si eodem; ergo eodem modo erit hæresis negare de Christo esse animal rationale, ac negare esse hominem. Si non eodem; ergo non quidquid dicitur ac verificatur de homine; dicitur, ac verificatur de animali rationali; sicque poterit revelato definito, non revelari definitio. Respondetur tamen utiliter.

67. Ad primum concedendo primam consequentiam. Animadvertendo, tamen ex Metaphysicis, quod cum homo, & animal rationale sint idem, nec de eodem verificentur contradictoria, revelato homine de Christo, revelatum esse de Christo animal rationale; utrumque videlicet id per hunc modum revelandi: *Christus est homo*; neutrum per hunc: *Christus est animal rationale*: hæc enim esset revelatio realiter diversa à præsentis. Ad hunc quoque modum, revelata Unione hypostatica sub ijs terminis formalibus: *datur Unio hypostatica*; revelatur Unio, & modus superadditus, si verè, ut opinamur, Unio est modus superadditus; quia scilicet idem sunt: utrumque autem per revelationem hoc modo dicentem: *datur Unio hypostatica*; neutrum per dicentem: *datur modus superadditus*: hæc enim esset revelatio realiter alia. Inde nego subillationem: & est notanda disparitas. Quia, Christum esse animal rationale, quamvis non sit revelatum explicitè sub ijs terminis, est tamen nobis certum

tum id ipsum esse hominē sub hoc termino explicitē revelatum; ideoque non solum est idem cum obiecto revelato; sed etiam nobis scientibus eam identitatem, est sufficienter propositum ut idem cum obiecto revelato; atque adeo ut Fide credendum, taliter ut id de Christo negare sit hæresis. At Christum constare Unione Hypostaticā modalī, nec est revelatum explicitē sub ijs terminis; nec est nobis evidens, nec certum, Unionem hypostaticam esse idem cum modalī, nec modum esse idem cum obiecto explicitē revelato, nempe cum Unione Hypostaticā: solum enim opinativē iudicamus eam esse modum superadditum: ideoque probabiliter dumtaxat proponitur nobis, modum superadditum esse obiectum revelatum: eā scilicet probabilitate, quā opinamur, modum superadditum esse Unionem, quæ est obiectum certō revelatum. Quamvis igitur fortē verum sit, modum superadditum esse in re revelatum de Christo, revelata unione, quæ fortē est modus superadditus; tamen non certō, sed opinativē proponitur nobis modus superadditus ut idem cum obiecto revelato. Huiusmodi autem propositio non sufficit ad exercendam Fidem in eo assensu Unionis hypostaticæ modalis: atque adeo nec ad hoc ut dissensus oppositus sit hæresis, iuxta doctrinam stabilendam infra, de insufficientia notitiæ dumtaxat probabilis, ac formidolosæ revelationis ad præstandum assensum Fidei, adhuc circa obiectum re ipsa à Deo revelatum.

68 Ad secundum, distinguendum est inter risibile risibilitate radicali, quæ sit proprietas metaphysica hominis, identificata realiter adæquatē cum essentia hominis; & risibile risibilitate formali, quæ involuit multa accidentalia, quæ sunt proprietas physica essentia hominis, à qua dimanant, ut calor ab essentia ignis, & iuxta sententiam communiorē, quantitas à substantiā materiali, & potentia spiritalis ab Animā. Si sermo sit de risibili radicali in primo sensu, concedo consequentiam: idemque concedam ob eandem rationem de quovis alio prædicato adæquatē identificato realiter cum homine, cuius identitas nobis constet pari evidentiā, eī, quæ scimus identitatem hominis cum animali rationali. Si vero sit sermo de risibili risibilitate formali in secundo sensu,

falsa est consequentia ob defectum identitatis realis cum obiecto revelato, nempe cum homine. Quando autem Theologi censurant erroris infra hæresim propositionem negantem, Christum esse risibilem, id intelligunt de risibili in secundo sensu iuxta doctrinas *sect. seq.*

69 Ad tertium dico, eodem modo esse revelatum de Christo hominem, & animal rationale: utrumque videlicet revelatione exprimente: *Christus est homo; neutrum revelatione exprimente: Christus est animal rationale.* Sic evitatur apprensus illa contradictio; cum idem eodem modo de utroque dicatur, nec revelatur unum, quin eodem illo modo reveletur aliud realiter idem. Illatio ea de hæresi distinguenda est: eodem modo est hæresis negare, Christum esse animal rationale, ac negare, esse hominem, concedo de hæresi materiali; & nego de formali. Volo dicere, quod obiectivē, & in re tam oppositum est divinæ revelationi unū, ac aliud. Quoniam verò excusari forte posset ab hæresi formali, qui negaret, Christum esse animal rationale; sequutus opinionem nostræ contrariam negantium id esse hæresim; idcirco, inquam, negans, Christum esse animal rationale, excusari forte posset ab hæresi formali: quod non sic est in negante, Christum esse hominem.

70 Verumtamen apud omnes est indubitandum, quod negare Christum esse animal rationale, esset saltem error in Fide proximus hæresi: utpote saltem oppositum conclusioni Theologicæ proximæ Fidei: ut ex dicendis de negante, Christum esse risibilem, constabit à fortiori *sect. seq.* Vnde nota, quod aliud est, negare Christum esse animal rationale: aliud est, negare, id esse hæresim. Illud prius est apud omnes saltem error, & apud me hæresis; istud posterius, nec est hæresis, nec error; sed aliquorum Catholicorum opinio nostræ contraria: quam satis reliquimus impugnatam.

## SECTIO VII.

*An veritas conclusionis Theologicæ sit eo ipso veritas revelata, & obiectum materiale Fidei?*

71 **R**ecolenda sunt, quæ circa explanationem, & varietatem conclusionis

*Sup. disp. 2*

*Oxea. Hannold.*

nis Theologicæ comparativē ad Fidem Theologicam scripsimus *disp. 2. sect. 2. & 3.* Quæ enim ibi dicta sunt, & quæ hic sunt dicenda, mutuam sibi lucem afferunt. Ibi egimus: an conclusio formalis Theologica sit actus Fidei: & de aliqua affirmavimus; de alijs negavimus pro diversitate Sylogismorum Theologicorum, quos proposuimus *num. 22.* Nunc quærimus, an conclusio obiectiva sit de Fide; sive materia Fidei: quæ diversissima sunt, ut notabamus ibidem, præsertim *num. 24.* Authores de hoc disputantes; variasque singulorum opiniones habes apud Oxeam *disp. 5. sect. 8. & 9.* & Hannoldum *lib. 3. tract. 1. cap. 1. Controv. 7.*

72 Tres agnosco classes conclusionum Theologicarum. Vnam earum, quæ deducuntur ex duplici præmissa Fidei: ut in hoc sylogismo affirmativo: *Omnis, qui moritur in Gratia, salvatur: sed parvulus moriens ritè baptizatus, moritur in Gratia: ergo parvulus moriens ritè baptizatus, salvatur: & in hoc negativo: Nullus moriens in peccato lethali salvatur: sed moriens sine Gratia, moritur in peccato: ergo moriens sine Gratia non salvatur: & in hoc expository: Petrus negavit Christum: sed Petrus sui Frater Andrea: ergo Frater Andrea negavit Christum.* Altera classis est earum, quæ deducuntur ex una præmissa de Fide, & aliā naturaliter evidenti: ut in hoc sylogismo: *Omnis homo est rationalis: Christus est homo: ergo Christus est rationalis: & in hoc: Omnis homo est redemptus à Christo: Petrus est homo: ergo Petrus est redemptus à Christo: & in hoc: Omnis homo est risibilis: Christus est homo: ergo Christus est risibilis.* Pro ijs tribus sylogismis observa discrimen, quod secundus, præ alijs duobus, habet propositionem univalem revelatam, & infert singularem sub illa contentam: de quo seorsim agemus *sect. 9.* Observa deinde circa tertium ex *num. 68.* intelligi bifariam posse, scilicet aut de risibili radicali, quod est prædicatum adæquatē identificatum cum homine; aut de risibili formali, quod sit physica hominis proprietas importans aliqua accidentalia distincta realiter à substantiā hominis: & cum hac distinctione resolvendus est. Tertia classis est earum, quæ deducuntur ex una præmissa de Fide, & ex aliā probabili: ut in hoc sylogismo: *Omnis homo habet formam substantialem:*

*corporeitatis distinctam ab Anima: Christus est homo: ergo Christus habet formam substantialem corporeitatis distinctam ab anima.* Et in hoc: *Omnis mortuus cum vera pœnitentia salvus est: Salomon est mortuus cum vera pœnitentia: ergo Salomon salvus est.* Pro ijs etiam tribus sylogismis observandum similiter est, quod tertius præ alijs duobus habet præmissam universalem revelatam & infert conclusionem singularem illius: de quo etiam seorsim *sect. 9.* Nam in præsentī, ut distinctius procedamus in re satis implexa, loquemur dumtaxat de conclusionibus obiectivis sylogismorum, quorum neutra præmissarum sit universalis revelata, & utraque sit certa, una ex Fide; alia aut ex Fide, aut ex evidentiā naturali. Quid quando est tantum probabilis, colligetur ex dicendis *sect. 9.*

73 Dicendum primò. Conclusio obiectiva Theologica ex duplici præmissa de Fide eo ipso est de Fide, sufficienterque revelata, ut sit obiectum materiale Fidei. Colligitur ex *sect. præced.* Nam in quolibet sylogismorum primæ classis conclusio obiectiva est idem cum obiecto revelato; & constat ex Fide per aliquam præmissam esse idem: ergo proponitur ut revelata sufficienter ad exercendum circa ipsam aliquem assensum Fidei: modò hic assensus sit ipsa formalis conclusio; modo alius: de quo egimus *disp. 2. sect. 2.* & nunc non curo. Confirmatur: quia ex præmissa falsitate cuiuslibet illarum trium conclusionum obiectivarum, stare non posset veritas revelationis utriusque præmissæ: ergo quia revelatio ipsa præmissarum comprehendit, & re ipsa revelat veritatem conclusionis obiectivæ: atque adeo fit hæc eo ipso obiectum materiale Fidei.

74 Dicendum secundò. Conclusio Theologica obiectiva ex una præmissa de Fide, & ex aliā naturaliter evidenti, si est obiectum realiter idem cum expressè revelato (nisi fortē obstet virtualis maxima distinctio) est eo ipso de Fide, & revelata sufficienter, ut sit obiectum materiale Fidei. Sic Ripalda, quem citat, & sequitur *Ripald. Oxea. sect. 9.* Anton. Perez *disp. 3. cap. 11. num. 14.* pro qua parte citatur Suarez, & Cardin. Delugo ab Hannoldo *num. 145.* contra Hurtad. Arriagam & alios: quos in re potius sequitur Hannoldus *num. 146.*

75 Rationem dedimus *sect. præced.* Quia eiusmodi conclusio obiectiva quam-

*Sup. disp. 2*

*Ripald.*

*Oxea.*

*Perez.*

*Suarez.*

*Lugo.*

*Hurtad.*

*Arriaga.*

*Hannold.*

vis non sit obiectum expresse sub suis terminis revelatum, est tamen idem cum obiecto revelato unius præmissæ: & de hac identitate constat evidenter per aliam præmissam: quod sufficit, ut proponatur intellectui tanquam obiectum realiter à Deo revelatum modo sufficienti ad exercendum circa id assensum Fidei, sitque verè materia Fidei credibilis. Taliter ut illam negare foret hæresis, nisi fortè, ut animadvertimus in simili *num. 70.* id negans excusaretur ab hæresi formali; nullatenus tamen ab errore, eo quod opinetur contra nos, eam veritatem conclusionis obiectivæ non esse materiam Fidei; sed proximam Fidei. Complectitur hæc doctrina conclusiones primi, & tertij syllogismi secundæ classis; & aliorum similiter efformabilium: dummodo tertius loquatur de risibili radicali: sic enim & non aliter procedit nostra ratio, ut supra distinximus.

Perez.

76 Aliam rationem ponit Ant. Perez. Quia nempe dicens, seu revelans aliquam propositionem obscuram, dicit implicitè nihil eï contrarium esse verum; ac proinde omne contrarium tali veritati à Deo revelatæ esse falsum. Sub hoc autem dicto universali, & de Fide falsam esse propositionem negantem prædicatum identificatum cum veritate propositionis revelatæ, utpote ipsi contrariam: atque adeò falsum esse negari de Christo risibile radicale identificatum cum homine revelato, & per Fidem affirmato de Christo. Perinde autem esse videtur revelari, & esse de Fide, quòd sit falsum, negari de Christo risibile; ac esse verum, affirmari risibile de Christo. Hac ratione reducit Perez doctrinam præsentem ad doctrinam tradendam *sect. 9.* de revelatione propositionis particularis contentæ sub universali revelata: notatque inconsequentiam Hurtadi Salmanticensis Præceptoris sui: supponens universaliter esse de Fide, quòd omne contrarium, & impossibile cum rebus Fidei est falsum; eiusque oppositum esse verum. Non tamen alij acquiescent facile huic ratiocinationi: de qua feremus iudicium *sect. 8.* Nec plenè satisfacit distinctio, quâ illi occurrere studet Cardinal.

Hurtad.

Pallavic.  
Hannold.

Pallavicinus, apud Hannoldum *num. 149.*  
77 Præter ea, quæ adversus hanc conclusionem obicimus ex Arriaga, & solvimus *sect. præced.* duo nobis obijcit Hau-

noldus à *num. 146.* Primum, quòd sequeretur, multa credibilia nobis fore de Fide, quæ nemo concedet esse Fide credibilia. Probat: quia non est Fide credibile, Deum de facto offerre suum concursum omni igni existenti: sed hoc est deducibile conclusione Theologica ex una præmissa revelata, & alia naturaliter evidente, hoc modo: *Causa operans habet concursum oblatum à Deo; sed omnis ignis est causa operans calorem in passo applicato: ergo habet concursum oblatum à Deo.* Falsò igitur diximus conclusionem Theologicam deductam ex una præmissa Fidei, & ex alia naturaliter evidenti esse obiectum Fidei credibile. Probat autem maiorem, nempe hoc non esse Fide credibile: quia nunc nõ est hoc magis credibile, quàm fuerit tempore ignis Babilonici; tunc autem falsum erat, ac proinde non Fide credibile, Deum illi igni paratissimo ad operandum in passo applicato, obtulisse suum concursum. Secundum: illa solum sunt Fide credibilia, quæ si falsa essent, sequeretur, Deum aut non revelasse quod revelavit, aut mentitum esse. Sed fieri potest quod conclusio deducta ex una præmissa Fidei, & ex alia naturaliter evidenti, esset falsa, quin exinde sequatur, aut Deum non revelasse quod revelavit, aut mentitum esse: ergo non est Fide credibilis ea conclusio. Probat minorem: quia falsitas huius conclusionis: *ergo omnis ignis habet paratum concursum à Deo:* potest sufficienter refundi in falsitatem huius propositionis physicè tantum evidenter: *Omnis ignis applicatus passo calefacit:* quæ quidem fecerit in Babilonico: ergo quin sequatur, Deum, aut esse mentitum, aut non revelasse quod revelavit.

78 Respondetur tamen utramque objectionem peccare in principijs. Supponit enim in primis eam universalem esse revelatam in ea universalitate, & in eo sensu, in quo non est vera. Deinde aliam propositionem esse evidentem, quæ re ipsa vera non est: cum evidentia supponat veritatem cognitionis: alioquin non est nisi apparenter, & existimativè evidens; sicut non nisi apparenter, & existimativè vera; & in rei veritate intellectualis error.

79 Nunc ad primum, nego sequelam. Ad probationem, concessã maiori, nego minorem. Nec quidquam convincit Syllogismus in ea efformatus. Si enim Mayor loquitur de causa operante in actu secundo;

do; maior est vera; sed minor falsa, quoties causa divinitus prohibetur operari: sicque falsa quoque evadit consequentia. Si verò de operante in actu primo, sive de paratã ex parte sui proximè ad operandum, falsa est maior, atque adeò minime revelata, quoties, ut in igne Babilonico, divinitus denegatur à Deo concursus: sicque falsa quoque consequentia, & potius error, quàm conclusio Theologica.

80 Ad secundum, concessã maiori, negatur minor. Ad probationem concessã antecedente, & transmissã falsã ea suppositione quòd propositio sit evidens, & sit falsa, negatur consequentia. Quod enim falsitas illius conclusionis refundatur sufficienter in falsitatem illius præmissæ: *omnis ignis applicatus passo calefacit;* non tollit, quin præterea sequatur, aut Deum non revelasse quod revelavit, aut esse mentitum, si revelasset omnino universaliter omnem causam applicatam operari. Nam una ex causis fuit ignis Babilonicus, qui applicatus passo non operatus est: ex quo sequeretur, aut Deum id sic universaliter non revelasse, aut si sic revelasset, mentitum esse. Si verò dicatur, quod verum est, Deum non sic universaliter revelasse nihil obtinet obiectio.

Ripald.  
Oxea.  
Suarez.  
Pallavic.  
Hannold.  
Lugo.

81 Dicendum tertio. Si conclusio Theologica obiectiva est obiectum non identificatum; sed connaturaliter connexum cum expresse revelato, quamvis pertineat, ut proprietas physica ad consistentiam connaturalem obiecti revelati; non eo ipso est de Fide, nec obiectum materiale Fidei. In hoc discedo à PP. Ripalda, & Oxea *num. 76.* accedens ad Patrem Suarez cum Hannoldo, & Cardinalibus Delugo, & Pallavicino. Comprehendit hæc doctrina conclusionem tertij Syllogismi secundæ classis recensitæ *num. 72.* intellectam de risibili formali, quod est physica hominis proprietas, involvens multa accidentalia; debita tamen substantiæ hominis.

82 Ratio nobis est. Quia eiusmodi conclusio obiectiva nec est obiectum in terminis expresse revelatum, nec est realiter identificata cum obiecto expresse in terminis revelato: ergo non est, unde proponi nobis possit ut veritas à Deo revelata, & Fide credenda; sed manet in gradu, & qualitate conclusionis Theologicæ proximæ Fidei: donec ab Ecclesia definitur

tur, sicque fiat de Fide iuxta doctrinam *sect. 5.* Sicque diximus *num. 68.* propositionem negantem eiusmodi risibile de Christo non censei hæreticam; sed erroneam, & hæresi proximam. Et similiter dicerem, iuxta sententiam communiorum distinguentem Potentias ab Anima, de propositione negante de Christo voluntatem humanam: si hæc non esset, ut revelata est, alibi revelata in Scripturis, & per definitiones Ecclesiæ: quibus facta fuit de Fide; & oppositum, hæreticum.

83 Obijcies. Deus revelans rem non significat verbo suo nudam essentiam rei metaphysico rigore; imò potius sumptam moraliter, & usualiter, iuxta communem vocum significationem, cum proprietatibus suis etiam physicis pertinentibus ad connaturalem statum rei: sic enim usurpatur ordinariè nomina rerum. Cum ergo ex ordinario modo loquendi nomine hominis v. gr. significari, & intelligi soleat apud homines non solum hominis essentia, verum etiam hæc humani corporis moles sua cum extensione, organizatione, quantitate, potentijs, alijsque proprietatibus; hoc significatur & intelligitur nomine hominis, quando revelat Deus: *Christus est homo:* ac proinde ea omnia manent eo ipso à Deo revelata, quamvis sint proprietates ab essã hominis distinctæ, & ab illa quodammodo separabiles, ut formalis risibilitas; dummodo aliunde non constet aliquam deesse, ut deest in Christo propria subsistentia. Hinc, aijunt, revelato ingressu animalium in arcam, ceteri revelatum, ac Fide credibile, ingreßas esse bestias cum pilis, aves cum plumis, & ijs similia. Quia, quamvis hæc non sint de essentia animalium, sunt proprietates, quæ communi loquutione significantur, & intelliguntur nomine talium animalium absolute dicto.

84 Respondetur, antecedens non esse universaliter verum; scimus enim interdum revelasse res eventientes sine suis proprietatibus connaturalibus: ut ignem Babilonicum approximatum, qui tamen non combussit: humanitatem Christi, quæ fuit sine subsistentia sibi debita: corpus quantum, quod fuit sine penetratione, fluxum positum sine defluxu; & alia id genus. Dices: in ijs revelavit Deus oppositum. Sed non satisfacis. Nam in multis antequam Deus revelasset oppositum, revelaverat eas res



res nominibus suis ordinarijs : ergo non utens ijs nominibus in illa ampliori significatione comprehendente omnes rerum proprietates connaturales. Profectò nemo dicet, revelante Deo mulierem parituram infantem, revelare eo ipso, esseque Fide credendum, non futurum cæcum. Hinc distinguendum videtur consequens : si constaret, aut per Fidem, aut per evidentiam, ea nomina, & voces divinæ revelationis dici à Deo in ampla illa, & vulgariori significatione, quam ex usu supponit obiectio; concedo : dum id non constet, præfertim cum sciatur Deum posse non sic loqui, & sæpe non sic loquutum; nego consequentiam. Vnde ad id, quod aiunt, de animalibus ingressis in arcam, dico, non propterea censerì debere revelata, & de Fide; fortè non ob defectum divinæ revelationis, ea omnia amplè intendentis; sed ob defectum sufficientis propositionis quoad illas : atque adeo illas negare non foret hæresis, sed aut temeritas probabili destituta fundamento, aut aliquando proximum hæresi. Quis enim hæresim censeat dicere, bovem ingressum in arcam sine cornu? Gallinam sine crista, aut canem tripodem. Nec equidem Fide crederem, canem Tobie habuisse caudam, nisi id aliter testaretur Deus, quam per nomen canis.

### SECTIO VIII.

*Quid de accidentibus physicis obiecti revelati: & de proprietatibus physicis omnino inseparabilibus?*

85 **E**X ultimo dictis sequitur à fortio. ri, quod re aliqua revelata, non eo ipso censentur revelata accidentia physica, quæ possunt æquè adesse, seu abesse tali rei. Sit in exemplum obiectiva conclusio huius syllogismi: *Urbanus VIII. fuit Pontifex; sed Urbanus VIII. fuit Poeta; ergo Poeta fuit Pontifex.* Maior est de Fide ex dicendis *sect.* 10. Minor certò nota. Et tamen conclusio obiectiva non est de Fide: quia est de accidente quòdam distincto ab Urbani Persona, ipsique prorsus contingente, quo sublato stat tota Fidei veritas de Pontificatu Urbani.

86 **O**bjicit sibi, & nobis super hoc *Oxea. num.* 102. Spectat ad Dei auctoritatem cavere, ne falsa sit etiam revelatio: ergo & ne contingat aliqua, quò fal-

sa foret: sed foret falsa, si Poeta non fuisset Pontifex: ergo hoc quoque accidens spectat ad materiam Fidei ex vi revelationis dicti Pontificatus: atque adeo afficit revelatio etiam accidentia Personæ. Probatur minor subiuncta: quia si Poeta non fuisset Pontifex, Urbanus qui fuit Poeta, non fuisset Pontifex: sicque falsa foret revelatio Pontificatus Urbani. Respondetur tamen, concessò enthymemate, negando minorem, eiusque probationem. Cum enim Urbanus per accidens fuerit Poeta, staret verum, quod Urbanus idem fuerit Pontifex, quod est veritas revelata, quamvis Poeta non esset Pontifex: si nempe Urbanus idem, ut facile potuit evenire, Poeta non fuisset.

87 Hoc non prohibet, quominus in syllogismis, quòrum una præmissa est universalis revelata, & inferitur ritè pro conclusione particularis, conclusio obiectiva sit eo ipso de Fide, quamvis sit de aliquo accidente: ut in hoc syllogismo: *Omni parvulus moriens sine baptismo, excluditur à Regno Cælorum: sed hic parvulus moritur sine baptismo: ergo excluditur à Regno Cælorum.* At hoc non est, quia revelatio tangens substantiam Personæ debeat eo ipso tangere accidens: quod est è re præteriti: sed quia conclusio illa obiectiva particularis, revelatur cum suo etiam accidente in universali, sub qua continetur: quod erit negotium sectionis sequentis.

88 Difficilius est, an, re aliqua à Deo revelata, maneat eo ipso revelata proprietates, aliavè res distinctæ, quibuscum tamen habet illa connexionem non solum connaturalem, de quo iam egimus *sect. præced.* quin etiam essentialem, & omnino indispensabilem? Affirmant Anton. Perez, & Mag. Lumbier *quæst.* 7. *art.* 2. & à fortiori, Suarez, Ripalda, & Oxea *cit. sect. præced.* Vnde aiunt, quod, revelatà existentia Unionis, esset eo ipso revelata, & de Fide existentia extremorum: & revelatà productione, esset eo ipso revelata, & de Fide existentia termini. Alioquin non esset fide credenda existentia Cæli, & terræ ex verbis *Genes. 1. Creavit Deus Cælum, & terram:* quibus revelatur eorum creatio.

89 Probabam id ipsum olim ratiocinatione, quam ex Anton. Perez apposui *num.* 76: quam etiam usurpare videtur Haunoldus *num.* 46. Quia revelatum, ad de Fide est, omnne contrarium veritati, re-  
velatæ

velatæ esse falsum: sed defectus extremorum, aut termini, est ita contrarius veritati revelatæ existentia unionis, & productionis, ut veritates istæ stare omnino nequeant cum illorum defectu: ergo revelatà unione, & productione, est revelatum ac de Fide, defectum extremorum, ac termini essentialis esse falsum: ergo manet revelatum, ac de Fide eorum existentiam esse veram, ac proinde veritas existentia ipsorum.

90 Nihilò tamen minus ad difficultatem propositam respondent meliùs negativè cum Molina, & Capreolo, Hurtadus, & Arriaga apud Haunoldum *num.* 145. Et ratio potest esse: quia eiusmodi obiecta, quantumvis connexissima sint cum expressè, ac immediatè revelatis, nec tamen sunt expressè, ac in se revelata, nec realiter identificantur cum revelatis, ut de alijs e converso dicebamus *num.* 75. ergo absolutè revelata non sunt, nec Fide credenda; sed proxima Fidei, utpote per conclusionem vere Theologicam deducta ex revelatis; ut à fortiori constat ex dictis *sect. præced. à num.* 81. de proprietatibus connaturalibus rei revelatæ.

91 Nec aliud dici necesse videtur de existentia non in se revelata extremorum, & termini, & existentia in se revelatà unionis, & productionis; nisi quod argumentum Theologicum ex revelatis fieret fortius pro illis ob strictiorem connexionem, quam pro alijs non ita strictè connexis cum rebus in se revelatis. Nec sequitur proinde; quod non sit revelata, & Fide credenda existentia Cæli, & terræ. Tum quia ex alijs locis Scripturæ, & ex definitionibus Ecclesiæ revelatur eorum existentia. Tum etiam quia in eo ipso modo revelandi eorum productionem *Gen. 1.* attinguntur per illam ipsam revelationem. Non enim utcumque dicitur positam esse à parte rei existentiam creationis Cæli, & terræ; sed creasse Deum Cælum & terram, id est, positum esse à parte rei, & extra causas Cælum, & terram: quod perinde est, ac in se, & immediatè revelare eorum essentiam, & existentiam: utique cum ipsis identificatissimas; non minus, quam definitio cum definito, ut dicebamus *sect.* 6.

92 Ad ratiocinationem, quam ex Anton. Perez apposuimus *num.* 89. & 76. responderi posset in primis, per eam non

satis impugnari doctrinam nostram. Non enim probatur ex vi revelationis rei in se, manere & ipsa revelata, fierique de Fide credenda alia, cum quibus res illa connectitur essentialiter; sed esse revelata, fierique de Fide ex vi alterius revelationis universalis de eo, quòd omne contrarium veritati revelatæ falsum est: sub qua universali continetur illa particularis, quòd defectus extremorum, utpote contrarius veritati revelatæ existentia unionis, falsus est: quod ut dicimus *sect. seq.* omnino idè, ac per universalem, esse in se quoque revelatam istam veritatem singularem.

93 Deinde circa generalitatem illam maioris, quæ potius supponitur, quam probatur, est mihi quod scisciter: an etiam revelato homine reveletur productio materiæ primæ, sitque propterea de Fide materiæ primæ productio? Rursus: an etiam veritas cuiuscumque cognitionis quoquo modo asserentis eam productionem: taliter ut sit de fide, talem cognitionem id quoquo modo asserentem esse veram, ac proinde id negantem esse hæreticam? Certè enim defectus veritatis talis asserentis quoquo modo id asserentis est ita contrarius veritati revelatæ existentia hominis; ut omnino stare nequeat veritas existentia hominis cum eo quòd nò sit vera cognitio asserens eam materiæ primæ productionem. Ego quidem nullum *S. Officij* Qualificatorem concipio adeo scrupulosum, qui propositionem negantem talis productionis existentiam hæreticam pronuntiaret; sed ad summum erroneam: ex qua nimirum per varias & bonas consequentias deduceretur non existentia hominis à Deo revelati.

94 Ex ijs maior illa ratiocinationis posita *num.* 89. non videtur generalitèr esse vera; nec omnino concedenda. Quamvis enim verum sit, & ex revelatis Theologicè inferribile, omne contrarium veritati revelatæ esse falsum; non tamen est id sic generalitèr revelatum, & de Fide, aut dicant nobis, vbinam extet talis revelatio? Itaque distinguendum est: revelatum, ac de Fide est, omne immediatè contrarium veritati revelatæ esse falsum, concedo: illud scilicet quòd ex eo præcisè quòd non esset falsum, faceret falsam veritatem revelatam, ut ex defectu corporis, vel animæ vel unionis fieret eo præcisè falsum, dari hominem: omne etiam mediatè contrarium,

Molina.  
Capreol.  
Hurtad.  
Arriaga.  
Haunold.

Perez;

Haunold;

rium, nego: illud scilicet, quod non faceret falsam esse veritatem revelatam ex eo præiisse, quod non esset falsum, sed illative per varias & bonas consequentias; quatenus si illud non esset falsum, sequeretur, aut subsequeretur esse verum aliquid immediate contradictorium veritatis revelatæ. Etenim ad modum, quo non omne, quod per consequentias Theologicas inferitur ex revelatis, est revelatum, & de Fide; sed ad summum proximum Fidei; sic non omne quod per similes consequentias mediate opponitur veritati revelatæ, est hæresis; sed ad summum proximum hæresi, aut error. Hinc distinguo minorem: defectus extremorum, aut termini, est ita contrarius veritati revelatæ existentie unionis, & productionis, ut veritates istæ stare nequeant cum eorum defectu, immediate ex præciso defectu illorum, nego: mediate & quia ex defectu illorum arguitur defectus essentiae, & existentie unionis, & productionis revelatæ; concedo minorem. Et nulla est consequentia, nullaque subillatio, & ruit totus ductus, cui nimis fidebam olim. Satis igitur esto, quod proinde ex revelatione productionis & unionis fiat proxima Fidei existentia extremorum, & termini; & proxima hæresi, aut error negatio existentie illorum. Quæ doctrina ad multa nobis utiliter inserviet.

## SECTIO IX.

*An & quomodo, revelato universali, sit eo ipso revelatum, fiatque obiectum materiale Fidei particulare sub illo contentum?*

95 **C**ommunis, & vera sententia affirmat, eo ipso revelari particulare, seu singulare contentum sub termino universali revelato, fierique de Fide credendum, dummodo constet sufficienter, istud contineri sub illo universali. Et ratio est ex Metaphysicis: quia universale sunt realiter ipsa singularia suo termino communi significata: ergo revelans aliquid universaliter v. gr. de omni homine puro esse redemptum a Christo, eo ipso id in re dicit, seu revelat de quolibet homine puro; scilicet de Petro, de Paulo, de Andrea, &c. Sicque manet revelatum, & de fide, de quolibet ipsorum, esse redemptum a

Christo. Dummodo, inquam, de singulis constet sufficienter contineri sub termino illo universali. Si enim de hac continentia non satis nobis constaret, quamvis ex mente divinâ loquutione illâ, seu revelatione universali comprehenderetur quodlibet singulare, reddereturque in se revelatum, præsertim à Deo singula dignoscere; non tamen esset nobis sufficienter proposita revelatio prout de tali singulari: taliter, ut circa illud tanquam circa obiectum materiale Fidei proxime credibile exerceremus assensum Fidei absolutum. *Absolutum, inquam, quia conditionatum possemus exercere, quamvis ignari de continentia talis singularis sub revelatione universali: id nempe quod universaliter revelatum est, credentes de singulari, si sub illa universali contineatur.*

96 Difficultas momenti est: quali notitiâ constare nobis debeat ea continentia singularis sub universali revelato, ut singulare censeatur sufficienter propositum ut revelatum ad exercendum singulariter Fidem circa illud ex illa revelatione universali? Quoniam verò ea notitiâ haberi potest à nobis diversimode, ideoque non possit sine distinctione resolvi difficultas, in varijs sylogismis varios modos prædictæ notitiæ applicativæ ad singularia propono.

97 Primò namque potest nobis esse ea notitiâ metaphysice certa ex Fide: ut in hoc sylogismo: *Omnis prædestinatus salvatur: Baptista est prædestinatus: ergo Baptista salvatur*: ubi per minorem constat de Fide continentia conclusionis singularis, sub termino universali revelato maioris. Secundò potest ea notitiâ esse nobis naturaliter evidens: ut in hoc: *Omnis homo fuit redemptus: ego sum homo: ergo redemptus*: ubi per minorem constat nobis ex evidentia physica naturali continentia conclusionis singularis sub termino universali revelato maioris. Tertio potest ea notitiâ esse nobis moraliter tantum evidens: ut in hoc: *Omnis homo est redemptus: Cicero fuit homo: ergo redemptus*: ubi per minorem constat nunc nobis ex evidentia dumtaxat morali continentia conclusionis singularis sub termino universali revelato maioris. Quarto potest ea notitiâ esse nobis dumtaxat opinativa: ut in hoc: *Omnis mortuus verè penitens salvus est: Salomon est mortuus verè penitens: ergo salvus est*: ubi per mino-

minorem constat nobis dumtaxat probabiliter continentia conclusionis singularis sub termino universali revelato maioris.

98 His sic distinctis, ad quorum normam reducuntur alia multa similia valde conducentia pro Cætoribus Fidei ad Qualificationem propositionum singularium; quæritur in præsentî, quænam istarum notitiarum continentia singularium sub universali requiratur, & sufficiat, ut quod est revelatum de universali, credi absolute possit Fide divinâ, de singulari contento sub illo? Estque idem, ac quærere, quænam prædictarum singularium conclusionum obiectivarum sit Fidei credibilis, ac proinde obiectum materiale Fidei sufficienter nobis revelatum, & propositum, ob continentiam sub propositione universali revelatâ. Idcirco huc sæpè remissimus sermonem de conclusione obiectiva singulari deductâ ex præmissâ universali revelatâ.

99 Prima conclusio. Sufficit abs dubio ex cõmuni suffragio notitiâ metaphysice certa ex Fide de continentia singularis sub universali revelato, ut est in primo sylogismo, ad credendam, tanquam obiectum materiale Fidei satis revelatum, & propositum, veritatem illius conclusionis obiectivæ de singulari. Ratio est patens. Quia sic æquè certò proponitur nobis revelatio pro singulari, ac pro universali. Si igitur ea notitiâ proponit sufficienter revelationem pro universali, pariter pro singulari: atque adeo fit æquè Fidei credibile, & credendum, quod Baptista salvatur, ac quod omnes Prædestinati salvantur: & foret hæresis: illud quoque singulariter negare. Confirmatur à fortiori ex dicendis pro secunda, & tertia conclusione.

100 Obijcies magis ingeniosè, & fallaciter, quam firmiter, & verè. Quia sequeretur, quod facta revelatione in universali, & constante per evidentiam metaphysicam continentiam singularis sub illo, posset, ac deberet Fidei credi quælibet veritas naturaliter evidens v. gr. totum esse maius suâ parte: quod est manifestum absurdum: sic enim veritates omnium demonstrationum mathematicarum, essent de Fide: ergo non sufficit, quod diximus in conclusione, ad obiectum materiale Fidei. Probatur sequela per hunc sylogismum: *Omnne, quod Deus potest revelare, verum est: sed Deus potest revelare, totum esse maius: sua*

parte: ergo hoc verum est. Maior est universalis de Fide, ut diximus sect. 1. quia de Fide est Deum non attestari posse nisi verum. Minor est nota per eandem evidentiam, quia evidens nobis est, totum esse maius parte: atque adeo evidens est hanc veritatem contineri sub ratione universali veri, quod Deus revelare potest: ergo iuxta doctrinam conclusionis nostræ hæc veritas, & aliæ similes essent de Fide. Hæc obiectio simili fallacitate probaretur ex secunda, & tertia nostra conclusione, sequi absurdius, omnem veritatem physicè, imò & moraliter tantum nobis evidentem esse Fidei credibilem, ut est facile considerare mutato in simili formâ sylogisticâ termino metaphysicæ evidentie, in evidentiam physicam, & moralem: quibus absurditatibus occurrere operæpretium est.

101 Respondetur, negando sequelam. Ad probationem in simili forma concluderetur contra intentum obijctionis sic: *Omne, quod Deus potest revelare, verum est; non tamen de Fide: quia non omne, quod Deus potest revelare, revelatum est, & ab æterno nihil revelaverat, potens cuncta revelare: sed potest revelare totum esse maius parte: ergo hoc verum est; non tamen de Fide.* Itaque distinguo maiorem sylogismi nobis oppositi: omne quod potest Deus revelare, verum est, attestativè per ipsum Deum, nego maiorem: non enim attestatur Deus, aut revelat omne, quod attestari, & revelare potest: arguitur, concedo maiorem: quia nos ex revelatis inferimus, verum esse quicquid Deus revelare potest. Vnde, concessâ minori, nobis evidente, concedimus quoque consequentiam rectè quidem illatam discursu, aut Theologico, aut metaphysico: at non ut de Fide veram; quia nec in se specialiter est à Deo revelata; nec continetur evidenter sub universali à Deo revelato, seu attestativè à Deo dicto; sed arguitivè illato, ex revelatis; qualis est veritas prædictæ maioris. Nec obest, quod non posset absque censura negari maior illa. Hoc enim est, quia, quamvis illam negare non sit immediate oppositum veritati revelatæ, per consequentias veniret ad immediate oppositum, quod esset hæresis: ideoque mereretur aliquam censuram infra hæresim: à qua iam longius distaret, qui negaret in illa consequentia, verum esse quod totum sit maius parte. At longe aliter res se habet in doctrinis

nis primæ, secundæ, ac tertiæ conclusionis nostræ. Nam singularia illarum conclusionum continentur evidenter in universalibus expressè revelatis, & immediatè certò de Fide.

102 Secunda conclusio. Sufficit etiam notitia vera physicè certa & evidens continentia singularis sub universali revelato, ut est in secundo syllogismo, ad credendam, tanquam obiectum materiale Fidei satis revelatum, & propositum, veritatem illius conclusionis obiectivæ de singulari. Sic etiam communis sententia cum Suarez, Delgado, Ripalda, Anton. Perez, Lumbier, & Oxea adversus Arriagam tom. 1. disp. 1. sect. 7. & disp. 6. de Fide sect. 1. cui accessit Haunoldus lib. 3. tract. 1. cap. 1. num. 146. iam à nobis examinatus sect. 7. num. 77. & seqq.

103 Ratio constans est. Quia, supposita revelatione de universali, iam eo ipso revelatur in re illud ipsum de quolibet singulari contento; quin ex eo modo revelandi unum potius intelligatur, quam aliud. Notitia verò quoad nos de continentia talis singularis, eatenus requiritur, quatenus ad exercendam Fidem opus est, quòd intellectui sine formidine assensuro super omnia proponatur, & applicetur sufficienter pro tali singulari ea revelatio. Atqui sufficienter ad id proponitur per notitiam physicè certam, & evidentem continentia talis singularis sub universali revelato: ergo suppositis in re ipsa revelatione, & continentia, sufficit ea notitia vera physicè certa, ac evidens de tali continentia. Probatur minor. Pari namque certitudine, seu evidentia, qua præviè proponitur intellectui ea continentia singularis sub universali revelato, proponitur esse revelatum de singulari, quod revelatum est de universali illud subse continente: nec minus relinquitur locus prudenti formidini circa continentiam pro dicto singulari, quam pro universali, dummodo circa continentiam sub illo non sit prudenti formidini locus, ut re vera locus non relinquatur, quando ea continentia est physicè certa, ac evidenter nota. Sufficiens ergo proponitur, & applicatur intellectui revelatio pro singulari per eiusmodi certitudinem, & evidentiam continentia talis singularis sub universali revelato ad exercendam sine formidine Fidem circa singulare. Tunc enim, sicut non posset in-

tellectus prudenter formidare de revelatione universalis; ita nec de continentia talis singularis sub universali. Quis unquam nisi imprudentissimè dubitet, aut formidet de eo quod certò, ac evidenter cognoscit? Si tamen non sint speciales rationes positivæ sufficientes ad excipiendum aliquod singulare ab universali, propterea illud non continente: quod iuxta subiectas materias discernendum est.

104 Obijcies, inde sequi, quod per eam notitiam physicè evidentem continentia singularis sub universali revelato, constaret intellectui physicè evidenter revelatio pro singulari: quod tollit obscuritatem, quam ad Fidem requisivimus disp. 1. sect. 2. sicque constaret magis intellectui revelatio pro singulari, quam pro universali: cum pro universali constet solum morali quadam evidentia revelatio, & pro singulari constaret evidentia physicà, sicut constat continentia sub universali. Respondetur, negando sequelam. Quamvis enim evidenter physicè constet intellectui aliunde continentia singularis sub universali; at revelatio pro singulari non constat ex sola notitia prædictæ continentia; sed ex illa notitia, & ex alia notitia revelationis pro universali. Cum autem hæc alia notitia, non sit nobis metaphysicè, nec physicè evidens, sed obscura; inde est, quòd notitia absoluta revelationis pro singulari non evadat metaphysicè, nec physicè evidens, sed maneat, sicut notitia revelationis pro universali, in gradu evidentia moralis, ac proinde cum obscuritate requisita ad Fidem. Dixi: absoluta: quia notitia conditionalis, quod nempe, si revelatum est universale, revelatum est singulare evidenter physicè sub illo contentum, est abs dubio physicè evidens: hoc tamen est extra quæstionem.

105 Obijcies secundo. Veritas obiecti involventis essentialiter alterius obiecti veritatem, nequit esse certior veritate obiecti, quam involvit: non enim potest esse certius, Mariam peperisse Virginem, quam Mariam peperisse; quia hæc veritas involvitur in illa. Atqui in veritate huius obiecti: ego homo redemptus; involvitur essentialiter hæc veritas: ego homo: ergo veritas quòd ego sum homo redemptus, nequit esse certior veritate quòd ego sum homo: ergo veritas quòd ego sum homo; quæ est continentia mei singularis sub univer-

fali

fali revelato, debet esse metaphysicè certa ad hoc ut proponat, & applicet revelationem pro singulari sufficienter ad exercendam absolute Fidem de singulari: atque adeo non sufficit notitia physicè tantum evidens dictæ continentia.

106 Respondetur, concedendo libenter totum syllogismum, loquendo de veritate, & de certitudine obiectivâ per ea, quæ distinctim diximus disp. 1. sect. 5. loquendo tamen de certitudine formali, quæ est cognitio, seu notitia vera & certa veritatis obiecti involventis alterius veritatem nequit esse formaliter certior, id est certius cognita, quam veritas involuta, penes id quod de utraque dicit eadem notitia, concedo: penes id quod ea notitia non asserit, nego. Notitia enim in eo quod non asserit non habet formalem certitudinem: quæ scilicet est secunda conformitas assertionis ut talis cum obiecto, sicut asseritur. Concessa deinde minori, quæ quidem loquitur de certitudine obiectivâ; distinguo consequens: veritas obiectivâ, quod ego sum homo, debet esse metaphysicè certa certitudine obiectivâ, concedo: certitudine formali notitiæ id asserentis, nego: quia notitia id asserens naturalis est; notitia verò alia Fidei, qua credo quod ego sum redemptus: non asserit me esse hominem; sed suppositâ veritate, non tamen formali certitudine metaphysicâ notitiæ asserentis, quòd ego sum homo, asserit cum metaphysica certitudine assensu supernaturali ex motivo Fidei, quod ego sum redemptus. Ad proponendam autem & sufficienter applicandam intellectui revelationem universalem ad exercendam fidem pro singulari, suppositâ in re veritate obiectivâ, continentia talis singularis sub universali revelato, sufficit notitia physicè evidens, & formalis certitudo physica talis continentia competens propositioni asserenti, quòd ego sum homo.

107 Insuper. Assensus Fidei de hoc singulari, quòd ego sum redemptus, supponit necessariò notitiam asserentem, me esse hominem: ergo nec in eo quod asserit, potest esse certior, quam sit certa in eo quod asserit ea notitia, quam necessariò supponit, quòd ego sum homo. Respondetur cum distinctione sedulo notandâ antecedentis: assensus ille Fidei supponit notitiam aliam metaphysicè formaliter certam asserentem

me esse hominem, nego: veram, & intellectu formaliter physicè certam, & evidentem, concedo antecedens, & nego consequentiam. Quia metaphysicâ certitudo formalis assensus Fidei asserentis, me esse redemptum, nec asserit me esse hominem, nec nititur præcisè in certitudine formali alterius notitiæ præsuppositæ asserentis, me esse hominem; sed in divina revelatione verè extante, de eo quod ego sum redemptus, propositâ sufficienter intellectui per illas notitias quas supponit, quòd omnis homo sit redemptus, & ego sum homo. Itaque, quamvis notitia illa, quòd ego sum homo, non sit intellectui metaphysicè certa, dummodo sit vera, & intellectui non prudenter dubitabilis; ex utraque illa notitia proponitur, & applicatur sufficienter intellectui revelatio pro singulari ad exercendum sine formidine circa singulare assensum Fidei supernaturalem, haurientem metaphysicam suam certitudinem à perfectione sui principij, & obiecti formalis: quod non est veritas præmissarum; sed revelatio, & auctoritas Dei.

108 Porro quòd assensus Fidei metaphysicè certus stare valeat supponens essentialiter notitias aliquas, veras quidem; at non æquè metaphysicè certas formaliter, ac est certus assensus ipse Fidei, est mihi ita indubitandum, ut oppositum videatur propositio. 19. inter prohibita, ab Innoc. XI. quæ est huiusmodi: *Voluntas non potest efficere, ut assensus Fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.* Ex huius enim propositionis damnatione sequitur liquidò, quòd ex notitijs rationum impellentium ad assensum Fidei, potest voluntas illum imperare, quamvis non omnes notitiæ ad illum impellentes sint tam certæ, ac est certus ipse Fidei assensus. Quo enervatur robur præcedentium obiectio, ulterius elanguescentium ex doctrina sequentis conclusionis.

109 Tertia conclusio. Sufficit etiam notitia vera moraliter tantum evidens continentia singularis sub universali revelato, ut est in tertio syllogismo, ut possit absolute credi, tanquam materiale Fidei obiectum, conclusio illa obiectivâ de singulari. Sic communis etiam sententia adversus eundem Arriagam. Nominè notitiæ moraliter evidens, intelligimus taliter securam, ut, quamvis non solam divinitus,

Aaa 2

quin-

Suarez.  
Lugo.  
Ripald.  
Perez.  
Lumbier.  
Oxea.  
Arriaga.  
Haunold.

Sup. disp. 1

Innoc. XI.

quinetiam naturaliter, inspectis physicè rebus; cum eius motivis; & perfectione compari possit, quòd obiectum aliter se haberet; ac ipsa novit, inspectis tamen varijs circumstantijs iudicatur ita difficile; quòd aliter se habeat, ut nulla sit formido aliter se habendi; nec possit nisi stultè; ac imprudenter formidari; aut dubitari, quòd aliter se habeat. Sic scimus exitisse Virgilium, & Ciceronem; esseque in Orbe Constantinopolim, & Indos.

110 Ratio conclusionis, est similis præcedenti: Quia supposita revelatione de universali, & veritate continentia singularis sub illo, eo ipso quòd prædicta evidentiâ; & certitudine morali constet intellectui ea continentia, proponitur illi & applicatur revelatio pro singulari, ut sine formidine iudicare possit; tale singulare esse revelatum, ut re ipsa est: non enim datur locus, prudenti formidini de revelatione pro universali; cum id ex Fide credat: nec de continentia singularis sub universali; cum id sit ipsi moraliter evidens taliter, ut non nisi stultè, ac imprudenter possit de eo dubitari, aut formidari: sicut non nisi imprudenter ac stultè dubitaret, aut formidaret quis, sicne falsum, exitisse Ciceronem, aut dari Constantinopolim. Igitur per eiusmodi notitiam moraliter certam, & evidentem proponitur intellectui, & applicatur revelatio reverâ existens pro singulari sufficienter ad exercendam absolutè Fidem pro singulari. Non sanè Fidem habentem pro motivo, & obiecto formali suo illam notitiam propositivam moraliter tantum certam, & evidentem; sed habentem pro motivo & obiecto formali divinam revelationem re ipsa existentem, & per eiusmodi notitiam propositam intellectui sufficienter ad excludendam prudentem formidinem. Sic explicabitur *disp. 6. evidentia iudicij credibilitatis prævij ad assensum Fidei*. Nec aliter præcognoscitur à nobis, qui præsertim non interfuimus; Concilium Tridentinum disposuisse tales Canones; Papam damnasse Propositiones Baij, & Janfenij, & alia id genus.

*Inf. disp. 6.*

111 Obijcies. Si sufficeret ea notitia moraliter tantum evidens, & certa dictæ continentia, sequeretur, posse nos absolutè Fide credere, Ciceronem esse redemptum: sed hoc non possumus: ergo quia eiusmodi notitia non sufficit. Proba-

tur minor: quia non possumus habere maiorem certitudinem de veritate conclusionis, quam de veritate præmissæ minus certæ: cui utique innititur veritas conclusionis: iuxta dialecticum illud, quòd *conclusio sequitur debiliorem partem*: scilicet, Præmissarum. Cum ergo, Ciceronem esse redemptum, sit conclusio deducta ex præmissa, quòd *omnis purus homo sit redemptus*; & ex alia, quòd *Cicero est purus homo*; nequit illa conclusio certior esse, quam præmissa in certitudine debilior, qualis est minor illa moraliter tantum certâ; quamvis alia præmissa, utpote de Fide, sit metaphysicè certa. Ergo non possumus assensu Fidei metaphysicè certo credere veritatem illius conclusionis de singulari, cuius continentia sub universali revelato constat notitiâ moraliter tantum certâ, & evidenti: atque adeo tale singulare non sit obiectum materiale Fide credendum. Confirmatur. Nequit intellectus magis certificari de obiecto includente essentialiter aliud, quam de hoc alio incluso: ergo non magis de eo quòd Cicero fuerit homo conceptus in peccato, quam de eo quòd fuerit homo conceptus: sed de hoc certificatur tantum moraliter, & non metaphysicè: ergo neque de eo quòd Cicero sit homo conceptus in peccato, ex vi revelationis universalis de omni homine, demptis Christo, & Maria: ergo veritas conclusionis obiectivæ de singulari non est Fide metaphysicè certâ credibilis, dum moraliter tantum certitudine constat de continentia singularis sub universali revelato. Hæc obiectio, mutato termino *moraliter tantum in physicè tantum* recidit in primam, & secundam iam solutas pro secunda conclusione: quam propterea ab hoc etiam telo defendere opus est.

112 Respondetur, concessâ sequelâ maioris, negando minorem. Ad cuius probationem, distinguo antecedens: non possumus habere maiorem certitudinem formalem de veritate conclusionis obiectivæ, quam de veritate præmissæ minus certæ, per conclusionem formalem innixam dumtaxat dispositioni præmissarum, concedo; per aliam viam, nego. Quod enim conclusio illa formalis præcisè habens pro motivo, & obiecto formali vi dispositionis sylogisticæ identitatem extremorum cum tertio, & non revelationem, cum non sit assensus Fidei, non sit magis certa quam

quam præmissa minus certa; non tollit, quominus circa illam ipsam veritatem conclusionis obiectivæ exerceri possit assensus alius, qui sit Fides, utpote innixus aliunde autoritate, & revelatione Dei sufficienter propositis; ac proinde metaphysicè certus, quamvis una præmissarum præcesserit moraliter tantum certa. Nec obstat dialecticum illud de sequenda parte debiliore: quia locum dumtaxat habet in conclusione formali innixâ dumtaxat sylogisticè identitati suorum extremorum cum tertio: non de assensu eiusdem conclusionis obiectivæ, innixo per lumen superius motivo infallibili divinæ revelationis: hic enim assensus penes formalem certitudinem, quam aliunde haurit, quam à dispositione præmissarum, quamvis præmissæ præcedant, non sequitur partem debiliorem præmissæ minus certæ; sed ad metaphysicam certitudinem deluper evahitur, non nisi suppositâ veritate minoris præmissæ, quamvis formali certitudine minus certæ. Sicque occurrit fallaci argumento Patris Arriagæ transeuntis incautè à veritate, quæ supponitur, ad certitudinem formalem, quæ secundum proprias perfectiones importatur ab actibus. Hinc negantur duæ consequentiæ ob rationem dictam.

113 Ad confirmationem iam præoccupatam *num. 103.* distinguo antecedens: per præcisam certificationem de incluso, concedo: aliunde per lumen superius suppositâ veritate inclusionis, nego antecedens. Et concessâ minori, negantur duæ consequentiæ. Nam supposita veritate, prout in minori, obiecti inclusi, quâ in re non suppositâ non posset exerceri lumen Fidei circa veritatè conclusionis illam includentis; quamvis non præcesserit certitudo metaphysica formalis, sed moralis solum de eo quòd Cicero fuerit conceptus; certificari potest formaliter intellectus lumine Fidei ex revelatione in universali, de veritate conclusionis includentis, aut supponentis, quòd Cicero fuerit conceptus in peccato: quæ est veritas conclusionis includentis, aut supponentis veritatem illâ, quòd Cicero fuerit conceptus.

114 Quarta conclusio. Non sufficit notitia tantum opinativa, seu probabilis continentia singularis sub universali revelato, sicut in quarto sylogismo, ut possit credi, tanquam materiale Fidei obiectum,

conclusio illa obiectiva de singulari. Hoc intelligo, etiam si talis fortè conclusio sit in re vera: si enim fortè falsa foret, nemo dicit posse Fidei credi. Est sententia communis contra Ripaldam *disp. 8. sect. 5.* Ripald. *num. 53.* & Anonymos, quos refert, ac refellit Lumbier *quest. 7. art. 1. num. 396.* Lumb. Quinimò conclusionem iudico iam ita certam, ut opposita, quæ est in serie propositionum ibi damnatarum, videatur ab Innoc. XI. an. 1679. dâ nata sub ijs terminis: *Assensus Fidei supernaturalis, & utilis ad salutem, stat cū notitia solum probabili revelationis; imò cū formidine, qua quis formidet, ne non sit loquutus Deus.* Profecò, cum opinio non excludat prudentem formidinem, ne fortè erremus in eo quòd opinamur, per notitiam dumtaxat probabilem continentia singularis sub universali revelato, non applicatur singulari, nec proponitur intellectui revelatio sufficienter ad credendam firmiter super omnia, nec ad excludendam formidinem prudentem, ne fortè non sit loquutus Deus de tali singulari: scilicet de Salomone, quòd fuerit salvus ex eo quòd probabile sit, egisse poenitentiam finalem: cum qua formidine, & notitia dumtaxat probabili stare posse Fidei assensum assererat propositio damnata per Innocentium.

115 Alioquin posset homo Fide divina credere, se esse in Gratia, cum probabiliter possit de se indicare, veram egisse Poenitentiam: quod est contra Trident. *Trident. Sess. 6. Can. 9.* & se esse prædestinatum, & alia huiusmodi. Vtteriorem huius conclusionis rationem dabimus *disp. 6.* agentes de iudicio credibilitatis prærequisito ad Fidem, eo quòd ad prudenter velle credere firmiter super omnia, & usque ad sanguinem, non sufficiat opinio, seu probabilitas credibilitatis rei revelatæ, & existentia revelationis. Vbi solvemus obiectiones Patris Ripaldæ.

*Trident.*

*Inf. disp. 6.*

116 Obijci potest nunc ex nuper dictis. Si enim notitia minus certa, utpote physicè tantum, aut moraliter evidens continentia singularis sub universali revelato sufficit ad exercendam absolutè Fidem magis certam, utpote metaphysicè, circa singulare, suppositâ veritate dictæ continentia, & non aliter; cur, eadem supposita veritate, non sufficiet notitia minus certa, scilicet dumtaxat probabilis per minorè cum certitudine Fidei maioris; ad exer-

cedam absolute Fidem de singulari deducto in conclusionem? Respondetur, rationem esse: quia per notitiam solum probabilem continentiae singularis sub universali certè revelato, non excluditur prudens formido, ne singulare non contineatur, sub universali revelato; atque adeò ne non sit loquutus Deus de tali singulari, prout opus est ad firmitatem assensus Fidei credentis super omnia, & excludentis prudentem formidinem: ideoque requiritur iudicium saltem moraliter evidens, ut dictum est in tertia conclusione, de illa continentia, per quod excludatur omnis prudens formido, & probabilis ratio dubitandi de applicatione revelationis universalis ad tale singulare. Nam sine hoc iudicio saltem moraliter certo non imperaretur prudenter assensus super omnia; atque adeo nec assensus Fidei divinæ: nec excitaretur lumen, sive habitus Fidei ad eliciendum assensum Fidei: quippe nisi prudenter excitatur.

## S E C T I O X.

*Consecrarium celebre: Innocentium Duodecimum esse nunc verum Papam, esse obiectum, inter obiecta materialia Fidei Theologicae credendum.*

Hurtad.  
Turrecr.  
Veg.  
Bann.  
Cordob.  
Palau.

117 **G**Aspar Hurtadus nondum Iesuita, sequutus Turrecrematam, Vegam, Bannez, Cordubam, & alios, recensitos à Castro Palao tom. 1. tract. 4. disp. 1. punct. 5. §. 2. defenderat publicè Compluti partem negantem. Refertque delatam rem fuisse ad Clementem VIII. qui ipsum, eiusque Præsides, & Doctores, qui Theses approbaverant, advocavit Romam, ut rationem redderent: indultit postea; ut res per iudices à se deputatos in Hispania transigeretur. Indices post accuratam discussionem declararunt, Hurtadum, illosque Doctores innoxios, & Doctrinam conclusionis tolerabilem: quam tamen Hurtadus ipse postea Iesuita retractavit disp. 11. de Fide diff. 13.

Hurtad.

118 Vnde patet discrimen inter has duas propositiones: *Innocentius XII. non est Papa: De Fide non est Innocentium XII. esse Papam.* Hæc enim posterior Catholicos habet Authores; & est immunis à censura iuxta Palauum num. 8. Illa verò prior esset apud omnes saltem *temeraria*, utpo-

te sine sufficienti fundamēto contra communem Fidelium sensum: *Scandalosa*, utpote inductiva Schysmatis, irrisionis, & inobedientæ ad decreta Pontificis: inobediens & erronea, utpote contra conclusionem Theologicam. Quinimò & *Hæretica* iuxta Suarez disp. 10. sect. 5. & Arriagam disp. 7. num. 56. & iuxta conclusionem nostram statim ponendam: quamvis eius assertor posset fortè non esse formaliter hæreticus: propter opinionem nostræ contrariam: puniretur ut hæreticus iuxta Palauum ex Bannez.

119 Conclusio communis, & nostræ, omnino tenenda, est affirmativa: cum Suarez, Arriaga, & Palao citatis, & Oxæa disp. 5. sect. 7. Lumbier quæst. 18. art. 3. & Haunoldo Controv. 7. §. 4. Estque confectaria ad Doctrinam sect. præced. præfertim in conclusione tertia. Nam ex universali de Fide, quod *omnis ritè, & canonicè electus in Pontificatum est verus Papa*: & ex notitia moraliter saltem certâ ac evidenti, quod *Hic est ritè, & canonicè electus*: inferitur legitime, quod *Hic est verus Papa*: applicatâ nimirum sufficientissimè, satisque intellectui propositâ revelatione universalis ad singulare sub illo contentû.

120 Universalis illa, quod *omnis canonicè electus est Papa*, constat de Fide ex promissione Christi ad Petrum, eiusque Legitimos Successores: sub qua ut stabilitum manserit à Christo monarchicum Ecclesiæ suæ regimen, comprehendi necesse est omnem verum Papam: taliter saltem, ut propter illam possit, ac debeat catholicâ Fide credi, esse Papam illum, de quo, utpote canonicè electo, verè constat evidentiâ, & certitudine morali contentum esse sub illa universali. At quod id nunc sic constet de Innocentio XII. patet ex pacificâ possessione Pontificatus, & ex universali consensu Ecclesiæ illum acceptantis, ut canonicè electum in Ecclesiæ caput visibile, Petri successorem, & Vicarium Christi. Quid igitur deest, ut sit de Fide ex universali illo revelato, hoc singulare evidenter in illo contentum esse verum Papam. Insuper: quia de Fide est hæc esse veram Ecclesiam Catholicam, & factâ ritè per eam electione Canonicâ, esse in ea aliquem, qui verus sit Papa, & ut talis habendus à Fidelibus. At certè si nunc post ultimam electionem agnoscendus est aliquis, ita certò, & absque ulla prudenti ratione

tionem dubitandi, non est alius, nisi hic, in quem utique cõspirat universalis Ecclesiæ consensus, ut contrariû incedibile prorsus sit: quod si ita vere nõ esset, sineret Spiritus Sanctus assistens desuper Ecclesiæ, omnes Fideles tã perniciosè decipi in re gravissima, & fundamentali Christianæ Religionis. Credendum igitur est Catholica Fide, Innocentium hunc esse de facto verum Papam, & Successorem Petri in Vicariatu Christi. Nec aliter Deus Ecclesiæ suæ revelavit hæc Evangelia, quæ legitimè esse factam, & canonicam Scripturam: nisi quatenus revelavit Evangelia tradita Ecclesiæ per Apostolos esse verbum Dei; & deinde constat, quod, factò diligentissimo examine, hæc, quibus utimur, esse illis conformia.

121 Hinc appositisimè ponderat Ant. Perez num. 12. quam irrationabiliter, & iniquè agant Hæretici, & Schismatici id negantes. Quis enim Regum, quis alius Principum tot, tamque illustra proferret testimonia pro legitimo suo natali, & pro iuridicâ successione in Regnum, quot, & quanta habet nunc Innocentius XII. pro legitimâ suâ successione, & possessione summi Pontificatus. Aut ergo nemo teneretur obedire Regibus, & Principibus; aut omnes tenemur huic Papæ. Profecto Rex quilibet, modò Catholicus, modò Hæreticus, seu Paganus, iudicaret iniustissimam rebellionem Vassalorum se nõ illi subijcientium sub pretextu negandi eius legitimitatem non nisi morali certitudine multis testimonijs comprobaram; ex eo nempe quod naturæ lumine notum sit, parendum esse Superiori, cuius iurisdicctio constat sufficientibus testimonijs. Alioquin & Filij liceret negare obedientiam, & observantiam Parentibus, quos utique tales esse, non fortioribus argumentis innotescit: sicque totus in Orbè superioritatis, & subiectionis ordo perturbaretur. Si, inquam, hoc ita est; non eadem ratione, & quidem evidentissimâ habeantur, ut iniquissimi rebelles huic Christi Vicario, qui quocumque pretextu obedientiam illi negant? Repugnat enim principio luminis naturæ nolle parere Superiori possidenti, suamque superioritatem talibus testimonijs probanti. Principes sic agentes viam subditis suis parant, ut similibus pretextibus, quæsitisque coloribus, ipsis inobediant.

122 Probatur iterum conclusio ex Bulla Martini V. in Concil. Constantiensis, iubentis, Hæreticos ad Ecclesiam redeuntibus credere, Papam canonicè electum, expresso eius nomine, qui pro tempore fuerit, esse verum Successorem Petri. Non autem iuberentur sic expressè profiteri, & credere, si de Fide non esset. Nec valet responderi, proinde non exigi Fidem absolutam; sed conditionatam, si talis Pontifex canonicè sit electus. Si enim id dumtaxat ab Hæreticis exigeretur, ad quid opus erat exigere singulare nomen Pontificis pro tempore regnantis? Hoc quidem additum creditur ad præcludendos huiusmodi dolos. Demus, quod Pontifex nominatim ab Hæreticis reductis admittus approbaret aliquod Concilium, aut aliquid definiret, ij certè ex vi talis professionis conditionatæ non obligarentur absolute credere huiusmodi Concilium, & Definitiones; sed tantum, si à Papa legitime electo emanassent: semperque relinqueretur locus tergiversandi impugnando legitimitatem electionis. Cum ergo ijs maximis inconvenientibus occurrere studuerit Ecclesia per Constitutionem illam Martini V. professionem certè absolutam, & non dicto modo conditionatam exigit ab Hæreticis & Fidem absolutam de singulari Pontifice nominatim pro tempore existentis.

123 Insuper. Nam ex eo quod teneamur adherere Ecclesiæ, & ab illa minimè recedere, Fide credendum est, hæc unam esse veram Ecclesiam Christi, ut in re tanti momenti summam habeamus certitudinem: ob parem igitur rationem, eadem divinâ Fide credere opus est, tanquam à Deo revelatum, hunc singulariter esse verum Papam, visibile Ecclesiæ Caput, cui ex præcepto divino parere tenemur. Nec momenti est quod voluerunt aliqui, sufficere ad hoc, esse de Fide, Innocentium XII. exercere validè munus Papale, in quantum spectat ad regimen Ecclesiæ; quamvis non sit de Fide esse verum Papam. Præterquam enim quod hoc bene refutat Suarez num. 4. & 5. facilius certè foret ijs persuadere sibi, esse de Fide, hunc esse verum Papam, quam esse de Fide, exercere validè Papatum, quamvis de Fide non sit, esse verum Papam.

124 Denique. Christus revelans se velle per suum Vicarium iudicare controversias

versas Fidei, eo certe modo voluit à nobis hoc credi, quo eius Vicarius posset nobis esse iudex, & Regula. At solum in genere & non in particulari revelatus vix ad id prodesse posset: ad quem enim singulariter recurreremus? An ad idolum Platonis? Atque hinc sequeretur, ut vacillarent omnes Fidei definitiones editæ à singularibus Pontificibus: si enim de Fide absolute non esset, talem esse verum Papam; sed solum sub hypothese, quod legitime fuerit electus, sub hac eadem hypothese, & non aliter, capi deberent eius definitiones, & decreta: sicque nihil firmum ex Pontificibus haberemus: quod maxime dedecet Ecclesiam à Christo Domino institutam, & ab Spiritu Sancto gubernatam.

125 Respondent nonnulli, assensus Fidei, quos præstare debemus Decretis, ac definitionibus Pontificijs, stare satis posset cum eo quod non Fide credamus eos fuisse, nec esse veros Papas. Nam etiam Pseudopapa, communiter existimatus verus haberet quoad eiusmodi definitiones assensum Spiritus Sancti, ne in hoc erret; ex providentia scilicet Dei pro Ecclesie bono: ut aiunt Lessius *lib. 2. de Inst. cap. 35. dub. 35.* & ex illo Tannerus. Cæterum ut hæc responsio firma foret, deberet afferri aliqua Scriptura, ubi promitteretur Pseudopapæ ea assensum Spiritus Sancti. Quod si id sibi persuadent ex providentia Dei, facilius quidem est, quod omnes nobis persuadeamus, spectare ad eandem Providentiam pro Ecclesie bono, quod non proponatur, & universaliter acceptetur ut verus Papa, nisi qui reipsa verus est Papa. Mirum profecto est quod promissio Christi: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: quam extendimus absolute pro de Fide ad singulares Papas veros, velint Adversarij; qui hoc nobis negant, extendere ad Pseudopapas quoad definitiones Fidei.* Hoc enim est vim inferre sacro Textui: cum Successor putativus Petri non sit absolute Successor Petri, cui in Persona Petri promissit Christus: *Tu es Petrus, & super hanc Petram, &c.*

126 Intellego conclusionem adversus aliquos citatos à Palao *num. 10.* de Innocentio; seu de quolibet alio individuo Papæ, etiam antequam aliquid de Fide definiat, dummodo sit iam ex universalis Ecclesie consensu in pacifica possessione. Quod si post electionem res maneret in li-

gigio, ad instar Schismatis, stantibus utroque prudentibus rationibus dubitandi de canonica electione; aut an alius potiori iure habendus esset pro Papa, viris pijs ac doctis utrinque variè sentientibus; tunc, inquam, quamvis fortè unus præ alijs esset reipsa verus Papa, nondum id esset de Fide ob defectum sufficientis propositionis, requisitæ ad Fidei assensum.

127 Obijcies primò. Si necesse foret, esse de Fide Innocentium XII. nunc esse verum Papam, maxime, ut Fide credamus, quæ ipse de Fide definiit; sed ad hoc id non est necesse: ergo ad nihil. Probat minor: quia cum instruiamur de Mysterijs Fidei à Parentibus, Parochis, Magistris, aut Concionatoribus, ea sic proposita Fide credimus, quamvis non sit nobis de Fide eos exercere legitime ministerium Catechisticum, aut esse legitimos Parochos, aut approbatos Concionatores: ergo ut Fide credamus ea, quæ definiunt & proponeret Innocentius, necesse non esset, esse de Fide, eum esse verum Papam. Respondetur in primis, eam rationem positam in maiori nec esse solam, nec maximam; sed simul cum alijs probare satis nostram conclusionem: ideoque negari posset maior ob rationem objectionis. Deinde transmissa maiori, negari potest minor. Ad cuius probationem concessio antecedente negatur consequentia, ob rationem disparitatis sumendam ex dictis *sect. 5.* Quia Parentes, & Catechista præcisè proponunt res Fidei; at Papa non solum proponit; sed infallibilitate & autoritate divina, qua ratione tati muneris pollet, cum in definitionibus eius loquutio sit loquutio, & revelatio Dei, facit res esse de Fide, quæ antea de Fide non erant: ad hoc autem expedit valde, quod certius constat de ipsius Papatu, quam de legitimitate Catechistæ, vel Parochi, qui Regula Fidei non sunt.

128 Obijcies secundò. Contigit aliquando, reputatam fuisse in Ecclesia verum Papam, qui verè Papa non erat: Tunc autem proponebatur ab Ecclesia Papa non legitimus: cuius utique Papatus Fidei credi non potuit: & pro infallibilitate suarum definitionum recurri opus est ad responsionem Adversariorum *num. 125.* à nobis relectam *num. 126.* Respondetur negando antecedens; pro quo nullibi legitur Historia fidedigna. Contigit quidem Ecclesiam aliquandiu non agnovisse certum

Pa-

Papam, eo quod variè opinarentur docti, ac pijs de electione. At totam Ecclesiam conspirasse in acceptione, & propositione Papæ, qui verus Papa non esset, nec contigit, nec potest permittere Deus, quod unquam contingat. Sic Suarez *num. 8.* notans, ea, quæ incertus Papa in casu à nobis admissio definirer, non mansura ex eo certa de Fide, donec à certo Papa stabilirentur.

129 Obijcies tertio. Ut sit nobis de Fide, Innocentium XII. esse verum Papam, debet id esse revelatum à Deo, & revelatio sufficienter nobis proposita per aliquam regulam certam, & infallibilem in proponendo. Atqui, adhuc dato quod Papatus iste reipsa sit revelatus in universalis; revelatio pro singulari non est nobis proposita, nisi per ipsam Innocentium ipso Papatus exercitio attestantem, se esse Papam: ergo non sufficienter, ut debeat, aut possit Fidei credi. Confirmatur. Ut talis modus proponendi revelationem pro singulari sit sufficiens, & obligans Fideles ad recipiendum hunc Papam, supponitur Innocentium esse certam regulam rerum Fidei, atque adeo & esse verum Papam: testimonium autem, quod ipse perhibet de se ipso, non est sufficiens & obligans Fideles, ut ipse recipiatur tanquam verus Papa, certaque regula rerum Fidei. Respondetur, concessa maiori, negando minorem. Ea namque revelatio pro singulari sufficienter proponitur Fidelibus per moralem evidentiam electionis canonicæ, & communis acceptionis Ecclesie: qui modus proponendi certificat nos moraliter evidenter, atque adeo sine prudenti formidine, quod Innocentius est individuum singulare contentum sub universalis revelatione: & hoc quidem seorsim etiam ab attestatione ipsius Innocentij. Vnde negatur consequentia: nam ex doctrinis sectionis præc. constat similem modum proponendi revelationem reipsa extantem, sufficere ad absolutum exercitium Fidei. Hinc ad confirmationem negatur antecedens: nam totus is modus proponendi intelligitur seorsim à Papatu exercitio Innocentij. Ad potest ex dictis *sect. 5.* hanc ipsam Ecclesie electionem, & acceptionem absque prudenti contradictione sufficienter propositam per testimonia, quibus fit cuique respectivè moraliter certa, esse quasi novam revelationem singularis Papatus ex assi-

stentia Spiritus Sancti Ecclesie Christi nequitiam permittendæ in re tanti ponderis decipi, nec decipere.

130 Obijcies quartò. Papatus conferatur à Christo huic singulari, positæ electione Canonice per eos, quibus competit ius eligendi; & non secus. Quamvis autem de Fide sit, Christum conferre Papatum electione canonicè; at hunc esse electum canonicè, non est de Fide: ergo neque hunc esse Papam. Minor patet: hunc enim esse canonicè electum pendet ab eo quod sit à legitimis electoribus, scilicet Cardinalibus ex iure recepto: cum sufficienti suffragiorum numero, scilicet per duas tertias partes: voluntariè, ac liberè, non violentè, aut coactè; sicut nec simoniacè. Talem autem fuisse huius singularis Pontificis electionem, revelatum à Deo nequitiam est: ergo nec est revelatum, nec de Fide, hanc esse canonicè electum: ergo nec esse Papam. Quid verò, si ex aliquo in supradictis defectu electio reipsa non fuisset canonica; sed eo ipso ex iure nulla, & irrita?

131 Respondetur, concessa maiori, negari minorem ab Arriaga, Palao, Lumbier, & alijs opinantibus, electionem ipsam communi Fidelium consensu acceptatam ut canonicam, fieri etiam de Fide esse canonicam: supplete videlicet universalis Ecclesie consensu, & acceptione defectus aliquos canonicos, siqui forte fuerint, de iure humano. Melius tamen P. Suarez *num. 7.* concedit minorem: & negat consequentiam, ut illegitimam: futuram utique legitimam, si in minori verificaretur, hunc non esse electum canonicè: at id in minori non asseritur; sed non esse de Fide, hunc esse canonicè electum. Cum quo stat, quod id sit moraliter evidenter certum: qua morali certitudine stante, supposita rei veritate, stat sufficiens propositio revelationis universalis Papatus pro hoc singulari; ut absolute citra formidinem Fidei credi possit, ac debeat singulariter, & contractè ad hunc: ex dictis *sect. præc.* pro tertia præsertim conclusione. Vnde concessa prima consequentia, nego secundam. Moneo tamen, quod negans à ijs circumstantijs electionem fuisse canonicam, quamvis non eo ipso incurreret hæresim, incurreret alias censuras infra hæresim, & ut suspectus saltem in Fide, & de Schismate puniretur.

132 Ad ultimam illam interrogatio-

Bbb

nem

Lessius.  
Tanner.

Palao.

Arriaga.  
Palao.  
Lumbier.

Suarez.

Haunold.  
Pallavic.

nem respondet Haunoldus num. 164. ex Cardin. Pallavic. num. 141. eiusmodi leges iuris humani non habere locum, nisi circa praviam illam electionem Cardinalium: qua nondum fit Fide certum, hunc esse Papam. Ad eam tamen, quamvis ex aliquo defectu iuris humani, fuisset occultè irrita, sequitur alia electio, quæ est acceptatio Ecclesiæ talis individuæ in Pontificem: in quam non cadunt leges illæ iuris humani: & per hanc supplerentur prædicti defectus, fieretque Pontifex legitimè electus. Satis enim est Ecclesiam habere verum Pontificem in eo, qui primò nulliter fuerat electus, nullitate per ipsam Ecclesiam auferibili; quam ignoranter carere per annos multos verò Pontifice, & manere re ipsa acephalam. Id quod ex similibus dispositionibus iuris in alijs materijs illustrat, atque exornat num. 165. rectè admonens eiusmodi supplementum non esse per modum dispensationis Ecclesiæ acephalæ super ius Pontificium: sed usum immunitatis ab illo iure pro isto casu, quam nulla constitutio Pontificia comprehendit.

133 Urgebis ex multis, quæ de iure divino requiruntur ad Pontificatum. Ut enim sit de Fide, Innocentium XII. esse Papam, debet esse de Fide, ac proinde à Deo revelatum, esse subiectum capax Papatûs: sed hoc non est de Fide: ergo nec illud. Minor probatur, quia non est de Fide, nec ullibi à Deo revelatum, Innocentium esse hominem, esse validè baptizatum, esse Sacerdotem; & alia huiusmodi; quæ tamen de iure divino necessariò, & indispensabiliter, ac prorsus indeclinabiliter requiruntur, ut Innocentius sit subiectum capax Papatûs: taliter ut nec per consensum totius Ecclesiæ suppleri valeant.

Arriaga.  
Palau.  
Oxea.

124 Respondent Arriaga, Palau, & Oxea concessa maiori, negando minorem. Quippè putant fieri etiam eo ipso de Fide ea omnia, quæ recensentur in probatione minoris. Caterùm mihi maximam ingerit difficultatem, cogi ad dicendum, esse de Fide, & à Deo revelatum, Innocentium esse hominem, esse baptizatum, & consequenter baptizatum habuisse intentionem sufficientem, rectè protulisse verba essentialia, & adhibuisse aquam naturalem: esse Sacerdotem, & consequenter Episcopum ordinantem habuisse intentionem eum ordinandi, validè ordinasse, &

validè baptizatum fuisse, validèque ordinatum ab Episcopo validè etiam ordinante, & sic deinceps in copiosam retro seriem Episcoporum ordinatorum, & ordinantium. Quis enim hac omnia credat esse Fide credibilia, ut à Deo revelata? Mirandum magis in Arriaga, quòd velit, factò de fide Innocentium esse Papam, fieri de Fide esse hominem; & nolit, factò de Fide Christum esse hominem, fieri de Fide esse animal rationale: ut iam adversus ipsum notabam sect. 6. & nu. 63.

Arriaga.

135 Respondetur itaque rationabiliùs cum Suarez num. 7. ex dictis sect. præc. negando maiorem. Nec enim esse hominem est idem, ac esse Papam; cum sint realiter separabilia: nec revelare esse Papam, est revelare esse hominem; cum sint revelationes formales realiter diversæ. Nec ex eo quòd ex instituto Christi necessariò connectatur esse Papam, cum hoc quòd est esse hominem, baptizatum, & Sacerdotem. Nec ex necessaria connexionè Papatûs cum hoc quòd est esse hominem, baptizatum, & Sacerdotem, debere esse de Fide, esse homineitatem, Baptismum, & Sacerdotium; sed ea debere verè præsupponi, ut verè præsupponuntur; & de ijs moraliter certitudine constare, ut in simili diximus sect. præc. pro conclusione secunda, & tertia: ubi soluta solidè sunt, quæ contra responsionem istam opponi possunt. Ex quibus consequenter deducitur, eum, qui negaret Innocentium esse Sacerdotem, aut baptizatum, aut hominem, quamvis per id præcisè non esset hæreticus, fore temerarium, & præter alias censuras Theologicas infra hæresim, fore saltem de hæresi, & de Schismate suspectum, & à Fidei Tribunali puniendum; cum proinde per necessarias consequentias veniat ad negandam propositionem de Fide, scilicet Innocentium esse verum Papam.

Suarez.

136 Obijcies tandem: quòd, si de Fide esset, Innocentium esse verum Papam, omnes Schismatici essent eo ipso Hæretici; quia quamvis in genere crederent, Papam esse Vicarium Christi, negant tamen hunc hominem esse Papam. Sequela autem videtur esse contra communem sensum; Schismatici enim non eo ipso dicuntur peccare contra Fidem; sed contra charitatè, & unitatem ovilis Christi. Respondetur, negando sequelam. Quamvis enim

enim Schismatici pertinaces rarè desinant esse Hæretici, semperque habeantur de Fide suspecti; absolute tamen bene stare in aliquibus possent Fides de Vicariatu Christi in hoc Papa; & tamen negare ipsi obstinatè obedientiam, nolentes se ipsi subijcere pervicaciter. Quod tamen non est ita frequens. Addo excusandos fortè ab Hæresi formali ob opinionem probabilem nostræ contrariam, quam ipsi sequantur, quòd de Fide non sit, hunc hominem esse Papam. Sed de hoc in simili redibit otiosius sermo disp. 9. sect. 6.

Inf. disp. 9

## SECTIO XI.

Alia utilia consecraria de singularibus in alijs materijs.

137 **D**ubitari potest consequenter ad dicta. Primò: an ex revelatione universali, quòd omnis homo graviter peccans privatur Gratia, sit Fide divinà credibile, singularem hominem carere Gratia sanctificante, quando in se experitur affectum liberum graviter peccaminosum? Secundò: an ex revelatione universali, quòd omnis infans ritè baptizatus iustificatur, possit à me Fide divinà credi, hunc infantem à me baptizatum esse iustificatum, quando evidenter scio, me habuisse intentionem, verba essentialia protulisse, & veram aquam naturalem adhibuisse? Tertio: an ex eadem universali revelatione, sit similiter mihi Fide credibile, infantem non à me, sed ab alio probo, & docto baptizatum esse iustificatum? Quarto: an ex revelatione universali, quòd in omni Hostia ritè consecrata est Christus realiter præsens, sit divinà Fide credibile, in hac numero Hostia esse Christum realiter præsentem? Hæc sufficiant ad multa similia.

Molina.  
S. Thom.  
Arriaga.  
Suarez.  
Hurtad.  
Lugo.  
Ripald.

138 Circa primum negant multi cum Molina citantes pro se S. Thom. eosque sequitur Arriaga. Assistent alij cum Suarez, Hurtado, Card. Delugo, & Ripalda, & quidem consequentiùs, & meliùs. Quia de universali revelata dubitari nequit: de continentia verò singularis sub universali in prædictis circumstantijs constat evidentia morali, & sæpè plusquam morali: taliter quidem ut formidari prudenter non possit: Quid ergo vetet quominus ille, cui continentia illa sic evidens

est, & moraliter certa, supposita rei veritate, id absolutissimè credat Fide divinà pro singulari? Nec est hoc adversus Trident. docens, neminem absque speciali revelatione posse credere Fide, cui nequit subesse falsum, se esse in Gratia. Aliud enim est, se esse in Gratia, ad quod plura requiruntur, de quibus sic evidenter constare non potest: aliud est credere, se carere Gratia: ad quod sufficit certò nosse, se graviter peccare: quod sæpè experimento ipso notissimum est peccanti.

139 Circa secundum idem iudico dicendum ob eandem rationem. Nec placet distinctio, quâ in ijs utitur Haunoldus num. 149. & 156. ex Card. Pallavicino, distinguens inter revelationes, quæ fiunt à Deo universaliter, ut universaliter, & pro singulis Fide credantur, & quæ tantum ut universaliter Fide credantur, non verò pro singulis in particulari. Quis enim regulam, nisi divinando, statuat ad id discriminandum? Deinde distinguit inter posse, & debere Fide credi pro singulari: & ait, fortè posse; non tamen debere. Nos contenti sumus, quòd possit: quod debeat id credi Fide explicita, nemo dicet; de implicita dicendum ab omnibus videtur, debere id Fide credere quicumque possunt. Nec item placet, quod ait, ut possit Fide credi, necesse esse, quod alijs etiam possit fieri moraliter evidens ea continentia singularis in universali. Quid enim demit à mea evidentiâ, quod alijs evidens non sit, nec fieri possit?

140 Circa tertium: difficilius multò est, quòd altero ministrante, noticia illa mea de continentia talis infantis sub universali ritè baptizatorum (pertingat ad gradum evidentia, ac certitudinis requisita ad excludendam omnem prudentem formidinem in casu particulari; cum sciamus non rarè eiusmodi Sacramenta, aut ex malitia, aut ex imperitia invalidè, & irritè administrari, ideoque id negant communiter Theologi: & quidem meritò, regulariter loquendo. Quod si in aliquo casu particulari ad eum gradum evidentia, & certitudinis pertingeret ea mea noticia de validâ baptizazione per alium, non multum gravabor concedere, fieri mihi Fide credibile, talem etiam Infantem esse iustificatum. Nec iudico, hoc sic dictum adversari communi sententiæ.

141 Circa quartum affirmat absolute

Ripald.

Ripalda à nobis relictus, & reiectus *sect. 9. a num. 114.* contentus notitiâ probabili continentia singularis sub universali revelato ad Fidem pro singulari. Melius tamen id negat communis, & vera Sententia ob rationem à nobis datam *loc. cit. & attacham num. preced.* Nec obstat, quod Hostia hæc singularis proponatur à Fidelibus adoranda. Respondet enim bene Card. Delugo, debere adorari, quamvis non credatur absolute Fide divinâ singulariter esse consecratam: quia nemo sine fundamento sufficienti privandus est cultu, & honore sibi debito. Sic Pater absolute tenetur alere Filios, quos debet præsumere esse suos, quamvis quandoque possit prudenter formidare, ne forte sint alieni. Adderem rationem patentis discriminis inter adorationem, & creditionem Theologicam. Creditio, cum sit virtus mentis, respicit essentialiter veritatem, quæ actu Fidei Theologicæ nequit asseri esse, nisi ubi reipsa est. Adoratio, cum sit virtus voluntatis, respicit bonitatem ab intellectu propositam, quam interdum proponit intellectus, quamvis non per actum Fidei, ubi reipsa non est. Itaque, representante intellectu eam hostiam inconsecratam esse consecratam, & continere realiter Christum, adorat Christum, & Hostiam consecratam, quod præcisim ab omni circumstantia honestum est. Quemadmodum qui succurrit pauperi non vero, sed existimato, quamvis reipsa non succurrat pauperi, exercet honestissimè Charitatem: quia vult succurrere vero pauperi: quæ voluntas honestissima est. Hinc est quod vix angimur scrupulo immorandi in prolatione formæ consecratoria, aut pulsandi citius campanulam, quamvis sequi facile possit, quod aliqui adorent ante consecrationem. Quò pertinere posset factum, quod audi à Fide digno ad praxim reductum à quodam Discretore Spirituum. Qui ad discernendum Spiritum Fœminæ, dicentis, se vitam ægrè transigere posse sine Communionem quotidiana, ministravit illi Hostiam inconsecratam, præmonstrans aliam consecratam: sicque deprehensa fuit: quia sic vitam eo die transegit cum consolationibus, quas diu effinxerat, veræque Communioni mirifice volebat attribui, de quo tamen alij censuerint.

142 Hoc tamen minimè obstante, consequenter ad id quod diximus circa

primum, & secundum, videtur, pariter dici posse, quod ipsi consecranti posset facilius fieri moraliter evidens, ac certum, ferè consecrasset. Quâ evidentia, & veritate suppositâ, posset absolute Fide credere, hanc singularem Hostiam esse consecratam. Notandum tamen, quod deberet esse moraliter certus de suo etiam Sacerdotio: quod difficilius est: nisi fortè aliquo signo miraculoso constet de aliqua suâ validâ consecratione: ut si, quod aliquando contigit, Puer Iesus, aut aliquid simile, cerneretur in Hostia à se consecratâ cum indicijs sufficientibus veræ apparitionis. Nec obest quod diximus *sect. preced.* de moraliter evidentiâ Sacerdotij Pontificis: ad hanc enim iuvat potius, quam ad illam præ rei gravitate, & utilitate universalis Ecclesiæ acceptatio, & inverisimilitudo, quod permittat Deus, non Sacerdotem eligi in Pontificem.

## SECTIO XII.

*An sint obiectum materiale Fidei Theologicæ veritates revelatae solâ revelatione publicâ: an etiam quæ solâ revelatione privatâ?*

143 **P**ublica revelatio dicitur in præsentia, quæ fit à Deo pro tota Ecclesia generaliter, ut omnes credant per illam, omnibus propositam; quamvis non singulis factam; sed uni, vel alteri personis. Privata dicitur, quæ fit à Deo alicui singulariter pro se, aut pro alio; non pro tota Ecclesia, nec ab Ecclesia à cunctis credenda proponitur. His suppositis inter duo versamur extrema: aliud Hæreticorum dicentium, non sufficere ad Fidem revelationem publicam: aliud aliorum Orthodoxorum dicentium, non sufficere privatam.

144 Error igitur est Hæreticorum nostri temporis apud Card. Bellarm. *lib. 3. de Verbo Dei cap. 3.* non sufficere pro omnibus ad Fidem revelationem publicam; sed requiri, quod fiat à Deo immediate unicuique privata. Intorquent ad hunc errorem, ut moris habent, sacros aliquos Textus. Primum ex *Hieremia 31.* ubi legitur prophetatum de tempore saltem Legis Gratiæ: *Dabo legem in cordibus eorum: & non docebit ultra vir proximum suum, dicens, cognosce Dominum, omnes enim cognoscent me à minimo usque ad maximum.*

Se-

1. *Ioan. 2.* Secundò ex 1. *Ioan. 2.* *Vnctionem, quam accepistis, in vobis maneat, & non necesse habebitis, ut quis doceat vos; sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus.* Tertio ex *Matth. 23.* ubi Christus: *Nec vocemini Magistri: unus est enim Magister vester.* Quarto: quia sine gratia illustrationis supernæ unicuique immediate à Deo immisâ, nemo credere potest Fide Theologicâ: ergo neque sine privata Dei revelatione unicuique immediate facta: id enim videtur esse illa Gratiæ interna illustratio.

145 Ad primum respondemus Catholicis, Hieremiæ sententiam esse, quod in Lege Gratiæ, postquam per Apostolos in omnem terram exivit sonus Evangelij, non sit necesse, sicut faciebant olim inter Gentes intra domos suas aliqui pij verum Deum colentes, tradi privatim, & clanculum inter paucos veram Dei Legem: quandoquidem Apostoli, tanquam universales Mundi Magistri, illam coram Gentibus, & Populis erant evulgaturi. Qui sensus longè disidet à depravata intelligentia Hæreticorum.

Alapid.

146 Ad secundum, tria, iuxta Cornelium, docuit ibi Ioannes discipulos suos tunc temporis opportuna. Primum, ut constanter retinerent doctrinam Christi, iam ex Apostolis acceptam. Secundum, ut caverent à Seducoribus machinantibus contra illam, ut nunc faciunt Hæretici. Tertium, ut agerent iuxta Spiritus Sancti inspirationem, quam vocat vnctionem. Monet itaque, nè, cum iam instructi fuerint per Apostolos in Fide, præstòque habeant Spiritus Sancti gratiam illuminantem, & adiuvantem ad firmiter credendum, ambirent audire Magistros alios malè suspectos, per quos seducerentur: sicut si nunc hortaremur Fideles præsertim simplices, cavere à Prædicantibus Ereticis; cum bene sint exterius instructi per Ministros Catholicos; & interius illuminati per gratiam Spiritus Sancti.

Maldonat.

Marc. ult.

147 Ad tertium, exponit optimè Maldonatus, ibi non voluisse Christum, quod Apostoli non essent Magistri nostri, cum oppositum constet ex Scripturis, dicente ad illos ipso Christo Marci ult. *Docete omnes gentes;* sed quòd ita essent in ipso Magisterio inferiores Christo, ut comparative ad ipsum non mereantur tales appellari: sicut per similem Hebraismum dixit alibi: *Nemo bonus, nisi solus Deus: hoc est com-*

parative ad Deum, bonum per essentiam.

148 Ad quartum, ex verissimo antecedente falsissima est consequentia, & nulla probatio. Quamvis enim illustrationes auxiliares internæ sint quodammodo laxissimè loquutiones Dei; non tamen in ea strictâ, & propriâ divinæ loquutionis significatione, quæ ad Fidei revelationem requiritur. Quid hoc sit, quidvè dicat specialius strictâ Dei loquutio, prout ad Fidei revelationem requiritur, videbimus infra.

149 Est ergo de Fide contra prædictam Hæresim, sufficere ad Fidem Theologicam revelationem publicam, nec requiri, quòd unicuique privatim immediate revelet & loquatur Deus mysteria suæ Fidei. Constat ex *Ioan. 1.* ubi dicitur *Ioann. 1.* *Baptista, Missus à Deo, ut omnes crederent per illum; & ex Marci ult.* ubi ad Apostolos: *Prædicare Evangelium omni creatura: qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit:* quia scilicet per revelationem ipsis factam & publicè manifestatam, alij credituri erant. Fuitque sic rationi maximè consonum: sicut enim primi Parentes producti sunt à solo Deo, & deinceps alij homines per ipsos; sic fuit Dei providentia, primos in Fide homines, nempe Prophetas, & Apostolos per se solum instruere; & alios deinceps visibiliter per illorum ministerium.

Ioann. 1.

Marc. ult.

150 Congruit insuper civili Politicæ humanæ. Iuxta quam sunt in Republica Principes & Iudices ad ferendas leges, & ad decidenda dubia per illas, quin oporteat relinquere decisiones privato cuiuscumque iudicio: quod esset prorsus irrationabile, & inordinatissimum. Sic igitur in Republica Christiana oportuit, Legem ac Fidem tradi à Deo per Magistros publicos & universales, & non relinquere privato cuiuscumque Spiritui, & iudicio, eò maximè quo de Internis iudicare difficilior est. Nullus enim esset ordo; sed sempiternus horror, ut est inter Hæreticos, si fas cuiuscumque privato foret, iuxta quod ipse privatim iudicat, aut somniat sibi revelari, credere, & operari, sicque se ad nutum ab aliorum Fide segregare. Alioquin cur ipsimet Hæretici suos constituunt Magistros publicos, ut sectas suas disseminent? Quòd si, ut addunt isti, dum adest revelatio illa privata, nemo potest non credere; & si deest, non potest credere; nemo posset culpa-

bili-



biliter deficere in Fide, nec Hæreticus esse.

151 Iam quoad alterum extremum, aliquorum opinio est, revelationes privatas, quales interdum fiunt à Deo, aliquibus servis suis, nullatenus sufficere ad Fidem Theologicam: & quamvis mereantur aliquem assensum, non tamen præstari propter illas posse assensum, qui sit ex habitu per se infuso Fidei Theologicæ: atque adeo veritates sic dumtaxat revelatas non fieri obiectum materiale Fidei Theologicæ. Ita Caiet. Sotus, Canus, Bannez, & alij, quos sequutus est noster Valentia apud Card. Delugo *disp. 1. sect. 11.*

152 Affirmantem partem teneo cum Suarez *disp. 3. sect. 10.* Sic etiam Vazquez, Bellarm. apud Delugo cit. & apud Coninc *disp. 9. dub. 6.* Itemque Amic. *disp. 2. sect. 3.* Ripald. *disp. 7. sect. 1.* & Haunoldus *lib. 3. tract. 1. cap. 1. Controv. 6.* In primis enim quod sint eiusmodi revelationes privatæ, sintque dignæ aliqua fide, sive assensu, constat ex Trid. *Sess. 6. cap. 12.* nam alioquin frustra dixisset ibi, neminem scire posse, quos sibi Deus elegerit, nisi ex speciali revelatione. Deinde verò, quòd dignæ sint assensu Fidei per eundem habitum Theologicum, quo assentimur publicis, patet: Quia revera verbum Dei sunt non minus infallibile, quàm sint revelationes publicæ: circumstantia enim publicæ, vel privatæ nec addit, nec minuit infallibilitatem loquutioni divinæ: ergo reddit rem sic revelatam Fide Theologicâ credibilem: scilicet propter testimonium infallibile Dei loquentis: ad quòd utique de per accidens se tenet, quòd sit ad multos, vel ad unum. Sic certè per eundem numero habitum, & per eundem specie actum obediremus præcepto, sive nobis singularim; sive cunctis univèrsim intimato: & per eundem habitum gratitudinis agimus Deo grates pro beneficijs communibus; & particularibus: quia nempe ista differentiæ totam relinquunt utrobique rationem substantialem obiecti formalis, & motivi eiusdem virtutis. Hancque fuisse mentem Tridentinorum Patrum, testatur unus ex illis Catherinus apud Amicum, & Delugo: scilicet ex speciali revelatione posse hominem Fide divinâ credere suam salutem.

153 Dices. Fides Theologica est Fides Catholica, quòd est idem, ac Univer-

salis: utpote ea credens, quæ publicè credenda proponuntur universitati Fidelium: ergo quòd alicui revelaretur privatim sibi, aut paucis credendum, non pertineret, ut obiectum materiale, ad hunc nostrum habitum Fidei catholicæ, quo credimus alia univèrsim pro omnibus revelata, & proposita. Respondetur concedendo antecedens: scilicet id habere Fidem nostram Theologicam: & inde tanquam à principali parte accipere absolutissimè denominationem Catholicæ, seu univèrsalis: quia nempe credit præcipuè veritates à Deo revelatas Ecclesiæ publicè, & univèrsaliter pro cunctis Fidelibus. Negatur tamen consequentia: quia hoc non tollit, quominus credat etiam alias veritates privatim revelatas sufficienter alicui, vel aliquibus propositas: quamvis ab hac parte non acciperet denominationem Catholicæ: quæ quidem denominatio accidentaria est respectu Fidei essentialiter acceptæ penes obiectum suum materiale, & formale: nec opus est, quòd ipsi omni ex parte proveniat. Si mavis, distinguo consequens: quòd privatim revelatur, & proponitur, non pertinet ad habitum Fidei catholicæ, quatenus catholicæ, concedo: quatenus Theologicæ, nego: hæ autem rationes idem realiter in eodem nostro Fidei habitu sunt.

154 Suboritur difficultas: an & quando urgeat obligatio credendi revelationi privatæ, aut ipsam cui fit, aut alijs, quibus privatim proponitur? Certum est, ad hanc obligationem requiri, quòd revelatio sit sufficienter proposita. Certum etiam est, quòd alijs vix unquam proponetur sufficienter ad hanc obligationem, nisi per propositionem, & approbationem Ecclesiæ. Sic autem, ut animadvertit Suarez *nu. 7.* iam fieret revelatio univèrsalis. Ipsos verò, qui revelationem privatam acceperunt, reprehensos legitimus in scripturis, quia revelationi satis à Deo propositæ non crediderunt: ut Saram *Gen. 18.* & Zachariam *Luc. 1.*

155 Cardin. Delugo præter illum, cui privatim facta est Dei revelatio, distinguit inter alios, quibus proponitur, eos ad quos, sive pro quibus facta fuit illi revelatio, ut scilicet eos admoneret: & eos, ad quos per illum monendos revelatio non est facta. Quo discrimine notato ait, illum, cui privatim revelatio facta est, eosque ad quo-

rum

rum monitionem dirigitur à Deo, obligari credere, si sufficienter exclusâ omni prudenti formidine proponatur; non verò ceteros. Quia cum ceteris, ad quos non dirigitur, nec immediate, nec mediate loquitur Deus per eiusmodi revelationem privatam: ideoque non exigit ab eis fidem; sicut neque ego à te per ea, quæ loquor cum tertio nullatenus ad te directa, nec spectantia.

156 Melius tamen P. Ripalda ex Suarez ait; tam illum, qui immediate habuit immediatam Dei revelationem; quam alios, quibus forsân sufficienter proponeretur, sive ad eorum monitionem directa fuerit, sive non, obligari ex iure naturali non positivè discredere; neutros tamen teneri statim eo ipso credere ex naturali iure; nisi interveniret speciale Dei præceptum statim credendi, & aliquid ex illa exequendi.

157 Et ratio est. Nam ex generali lege naturæ non est unde oriatur obligatio illa statim credendi; bene verò non discredendi. Sicque intelligitur, quòd dici solet, veraci loquenti deberi fidem: scilicet quoad speciem; non quoad exercitum: id est deberi non discredere; non ita statim credere; cum liceat audienti suspendere assensum. Et firmatur à simili: non enim magis debetur naturali lege Fidelis veracitati Dei loquentis, quàm bonitati Dei æmor: at bonitati Dei propositæ debetur quidem, illam non odisse; non verò sic illam positivè statim amare; sed pro certis temporibus, quibus specialis urget obligatio diligendi Deum. Id quòd etiam in publicè revelatis videre est. Neminem ergo per se loquendo ex lege naturali urget obligatio statim credendi. Obligatio autem non positivè discredendi omnes, quibus revelatio sufficienter proponeretur, obligaret; reiecto quoad hoc secundo illo discrimine Cardinalis Delugo, illorum, ad quos dirigitur, ab alijs, ad quos non dirigitur revelatio. Certè enim revelatio privata facta Davidi per Nathan, non solum Davidem, ad quem spectabat; sed alios etiam, ad quos non spectaret, si sufficienter ipsis proponeretur, obligaret ad non discredendum positivè.

158 Dixi: per se loquendo ex lege, aut iure naturali. Quia si revelationi privatæ accederet speciale Dei præceptum statim credendi, aut aliquid iuxta illam statim

exequendi, ille, cui iniungeretur tale Dei præceptum, statim obligaretur credere, & obedire, præviâ sufficienti propositione citra formidinem prudentem. Et in hoc poterunt esse reprehensibiles Sara, & Zacharias; nisi dicatur aliquomodo discredidisse, aut positivè dubitasse. Quoad hoc autem potest aliquem locum habere distinctio illa Cardinalis Delugo: eo quòd prædicta Dei præcepta non iniungantur, nisi ijs ad quos pertinet, & dirigitur revelatio.

159 Vtrum Hæreticus esset, & incurreret pœnas Ecclesiasticas Hæreticorum, qui discrederet revelationi privatæ sufficienter supradictis modis propositæ? Tractat Ant. Perez *disp. 3. sect. 11.* & responderet, utrumque affirmando *num. 2.* si externè constaret de discreditione ad revelationem privatam sufficienter propositam. Et addit, taliter discredentem deficere etiam à Fide revelationis publicæ: quia de Fide publicæ revelationis est, non esse falsum, quòd Deus sive publicè, sive privatim loquitur. Haunoldus verò affirmat Hæreticum fore, ideoque amittendum habitum Fidei: negat tamen subiiciendum pœnis Ecclesiasticis contra Hæreticos latis: non enim feruntur, nisi contra Hæreticos, qui communiter hoc nomine significantur contumaces, videlicet contra Fidem publicam, & Ecclesiæ definitiones.

160 Aliud dubium ponit idem Perez *num. 11.* an teneretur homo mori pro veritate Fidei fundatæ in revelatione privata: & an sic moriens esset verè Martyr? Et responderet, utrumque negando. Quia, inquit, Martyrium debet esse publicum testimonium pro Doctrina Ecclesiæ. Additque, eum, qui internè credens revelationi privatæ sufficienter propositæ, negaret externè veritatem sic sibi revelatam; peccaturum quidem venialiter ob mendacium; non verò mortaliter cõtra præceptum externæ professionis Fidei: quia hoc præceptum est de profitenda

Fide publica Ecclesiæ.

DIS-


Caietan.  
Sotus.  
Canus.  
Bann.  
Valent.  
Suarez.  
Vazquez.  
Bellarm.  
Lugo.  
Coninc.  
Amic.  
Ripald.  
Haunold.

Catherin.  
Amic.  
Lugo.

Perez.

Suarez.

Gen. 18.  
Luc. 1.



## DISPUTATIO IV.

### DE MOTIVO, SEV OBIECTO FORMALI FIDEI Theologica.

**I** **M**IRVM est, quàm variè loquantur Authores in hoc puncto de motivo Fidei, valdè affini ad Fidei resolutionem, de qua seorsim *disp. 8.* In quibus sanè fundamentalem Catholicæ Religionis doctrinam concernentibus oporteret non solum unanimiter sentire; verumetiam loqui. Quapropter qui assertivam potius, quàm desertivam Theologicam profiteor, operæpretium duxi, in ijs præsertim variorum placita Catholicorum non tam impugnare, quàm conciliare, quoad potero: ut, si minùs vocibus; sensu tamen, & re, quàm minimùm nos ab illis, & illi inter se, videamur disidere.

#### SECTIO I.

*Neglecto Manicheismo, varia Theologorum placita circa obiectum formale Fidei recensentur.*

**2** **D**etestamur in primis unanimiter errorem Manicheorum expugnatum egregiè varijs in locis ab Augustino. Quippe dicebant in odium Fidei, nihil à nobis posse prudenter credi, nisi quod humana ratione intelligitur, & persuadetur: atque adeò earum etiam veritatum, quas Fide novimus, motivum assentiendi aliud esse nobis non posse præter humanam rationem. Eos perstringit B. Pius V. in Proemio ad Catechismum Romanum: de quo videndus adversus Academicos, & alios Sapientissimus Elizaide de *Ver. Relig. q. 5.* Sat sit nobis Apostolus *1. Cor. 2.* scribens: *Prædicatio nostra non est in persuasibilibus humana sapientia verbis; sed in ostensione Spiritus, & virtutis, ut Fides nostra non sit in sapientia hominum: utpote sublimiori innixa motivo assentiendi.* Plura eruditè Suarez *disp. 3.* ubi varias postmodum assert de motivo nobilissimo Fidei Theologorum sententias: quarum seligam celebriores, & utiliores.

**3** Guillelmus Parisiens. dixisse dici-

tur, Fidei nostræ non esse querendum motivum ex parte intellectus: nam eo ipso crederet discursivè; sed potius ex parte voluntatis obsequentis Deo: credimus enim captivantes intellectum Deo, ut Domino, quia iubet: atque adeo non nisi ex motivo obediendi Deo præcipienti. Hæc sententia fortè traditur à Guillelmo in aliquo sensu vero: de Fide scilicet quoad voluntatem credendi. In alio autem, falso quoad assensum intellectualem Fidei, impugnatur communiter. Aliud enim est loqui de pia affectione, seu voluntate credendi, quæ est actus voluntatis; aliud, de assensu ipso Fidei, qui est actus intellectus. Penes illud prius potest rectè haberi pro motivo, & obiecto formali honestas obediendi Deo iubenti credere: sicut id habent aliæ etiam virtutes voluntatis, circa suos actus præceptos, modò imperatæ à virtute obedientiæ; modò intrinsecè attingentes motivum obediendi. Penes istud autem posterius de assensu intellectuali Fidei, in quo sensu versatur quæstio, quamvis hic assensus imperetur ab illa voluntate ex affectu obediendi Deo, suum quoque correspondere debet intellectui motivum, & obiectum formale in ratione veri: & hoc ipsum imperatur ab illa voluntate credendi: cum non sit voluntas credendi

dendi irrationabiliter sine motivo intellectuali assentiendi; sed rationabiliter cum illo, & propter illud: quod fortè non negabitur à Guillelmo. Præsertim cum assensus ipse in ratione virtutis Theologicæ intellectualis specificari debeat specialiter à perfectione aliqua divina, tanquam à motivo formali: ut assensus etiam Fidei versantes sæpè circa obiecta materialia creata, obtineant semper rationem virtutis Theologicæ ex parte motivi increati per ipsos immediate acti. Hoc igitur intellectualem motivum vestigamus in linea, & ratione veri. Quod etiam supponendum est, ut credatur adesse præceptum illud credendi, & imperetur obedientia in ratione boni.

Suarez.

**4** Alij apud Suarez *sect. 3.* dicunt rationem motivam credendi, & obiectum formale Fidei esse lumen ipsum Fidei, seu Deum prout per illud illuminantem, & auxiliantem, ut credamus: hoc enim ipsum est quædam veluti Dei revelatio, propter quam credimus. Cæterùm distinguit rectè Suarez inter revelationem Dei, quæ est loquutio stricta de Mysterio credendo; & inter lumen, seu illustrationem divinam circa talem revelationem, & veritatem: quod lumen, seu illustratio, ut videbimus infra, non est stricta loquutio Dei, qua de agimus, tenens sese ex parte motivi obiectivi; sed est gratia auxilians excitans & adjuvans nos ex parte principij effectivi ad volendum credere, & ad credendum ex motivo obiecti Fidei. Itaque quamvis sit ratio credendi ex parte principij, seu etiam applicatio motivi obiectivi ad credendum, in eo sensu, quo cognitio prævia ad amandum valet dici quodammodo ratio amandi; at non est ratio credendi se tenens ex parte obiecti, quæ sit obiectum formale, & motivum obiectivum credendi: sicut nec præcognitio ad amandum est obiectum formale amoris: quamvis sit applicatio proponens voluntati bonitatem, quæ est obiectiva ratio amandi, & obiectum formale amoris. Porro in præsentì quærimus rationem credendi tenentem se ex parte obiecti, seu motivum obiectivum assensus Fidei: quod certè non est lumen illud, sive habituale, sive actuale Fidei, se tenens ex parte principij, ut auxilium ad credendum.

**5** Alij videntur indicare obiectum formale, seu motivum Fidei esse salutem

animæ ex *1. Petri 1. Reportantes finem Fidei vestra, salutem animarum vestrarum.* Finis autem dici solet obiectum formale, seu motivum. Cæterùm equivocatio est in varia acceptione finis. Est enim finis intrinsecus immediate attactus ab actu, quem movet: & hoc modo dicitur finis, & motivum actus obiectum formale ipsius, quia propter illum sic attactus fertur in obiectum materiale. Alio modo, dicitur finis extrinsecus, ad quem, quamvis non attactus per actum, ordinari potest actus ab alio actu. Hoc secundo modo, in quo accipienda sunt Petri verba; non solum actus Fidei, sed eadem ratione actus omnium aliarum virtutum dicuntur habere pro fine salutem animæ; quia ad salutem animæ ordinantur: quod potius est salutem animæ esse finem habentis Fidem, quàm specialiter ipsius Fidei. Sic dicimus acquisitionem aliarum scientiarum esse finem extrinsecum Dialecticæ, aut potius finem Dialectici, quàm Dialecticæ, cuius utique finis intrinsecus, & obiectum formale sistit in rectitudine modi differendi. At illo priori modo, de quo præsens est quæstio, non est finis intrinsecus, atque adeo nec obiectum formale, seu motivum attactus per quemlibet actum Fidei salutem animæ: ut per se patet.

**6** Alij, ut Medina apud Ant. Perez *Medin. disp. 2. cap. 5. num. 12.* volunt, obiectum formale, sive motivum Fidei Theologicæ respectu illorum, quibus non est à Deo immediate facta revelatio, esse auctoritatem Ecclesiæ. Quò facere videtur Augustinianum illud: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesia Catholica commoveret auctoritas.* Cæterùm distinguendum est hic, quod iam distinximus *disp. præc. num. 46.* inter auctoritatem humanam Ecclesiæ, prout est præcisè congregatio gravis hominum sapientium, piorum, & fidedignorum; & inter auctoritatem Ecclesiæ, prout desuper fulcitam auctoritate Spiritus S. ei specialiter assistentis, nè erret in ijs, quæ de Fide definit, seu proponit. Si sumitur auctoritas Ecclesiæ primo modo, quamvis esse possit adminiculum ad credendum per modum applicationis motivi, & rationis formalis, cui innitur divina Fides; nequit tamen esse ratio ipsa formalis, & motivum intrinsecum Theologicum credendi; cum auctoritas illa humana non sit quid intrinsecè, & formaliter divinum; &

& virtus Theologica debeat habere pro motivo, & obiecto formali aliquid per se divinum. Si verò sumatur secundo modo, iam devolvitur ratio formalis credendi ad auctoritatem Dei specialiter assistentis Ecclesiae, & per illam revelantis, quod per illam proponitur, seu definitur de Fide, ut diximus *disp. 3. sect. 5.* Augustinianum illud, aut loquitur de auctoritate Ecclesiae in hoc secundo sensu, qui planè verus est: aut, si loquitur in illo primo, intelligitur de auctoritate illa humana Ecclesiae, tanquam de adminiculo ad credendum per modum applicationis motivi; non per modum motivi, & rationis formalis credendi Evangelio. Sic dicimus ignem comburere lignum, quia est approximatam, & non combusturum, nisi est approximatetur, dando quasi pro ratione comburendi approximationem, quae est conditio: quo tamen non significamus, eam esse rationem formalem, & virtutem comburendi.

7 Ant. Perez *dis. 2. cap. 2.* ait inductivum credendi præcedens voluntatem credendi, esse loquutionem moraliter divinam: hoc est, cum talibus circumstantiis, quæ non possint moraliter convenire, nisi loquutioni, cuius author sit Deus. Sic *num. 3.* & postmodum *num. 5.* ait, rationem formalem credendi esse divinitatem Authoris loquutionis moraliter divinæ: quam sententiam latè, ac ingeniosè explicat, & propugnat. Eà impugnat Arriaga suppressio Authoris nomine *disp. 1. sect. 3.* & citato pro ea Card. Pallavicino, Hannoldus *cap. 1. Controv. 4.* Iudico tamen, quòd in re quantum attinet pro nunc ad obiectam formalem Fidei, ut ipse fateatur Perez *cap. 5.* hæc sententia non discrepat à communi, de volente ad infallibilem auctoritatem divini testimonij rationem obiecti formalis Fidei: quamvis adherere videatur ad modum ad explicandi relatum *num. præc.* ex Medina, cui se accommodare videtur Perez *num. 12.*

## SECTIO II.

*Statuitur prima Dei veritas, seu infallibilis, summaque Auctoritas pro motivo, & obiecto formali Fidei Theologica.*

8 **S**Vpra dictis Authorum placitis expostis potius quam reiectis, alij-

que minoris momenti ultrò prætermisissis, verus iam, & communis Theologorum sensus est, motivum, seu obiectum formale Fidei Theologicae esse primam veritatem, seu infallibilem, ac summam Dei auctoritatem: quæ quidem una est ex intrinsicis, ac increatis Dei perfectionibus. Et quamvis in constitutione, & explicatione huius divinæ auctoritatis sit non leve dissidium; conclusio tamen sub istis terminis primæ veritatis, seu summæ auctoritatis Dei est ita recepta, ut superfluum putem pro eo recensere Authores, & Auctoritates, videndas apud Suarez *disp. 3.*

9 Ratio fundamentalis est. Quia Fides, utpote Virtus Theologica, debet habere pro obiecto formali aliquid prædicatum divinum: hoc enim est speciale virtutum Theologicarum prælativè ad virtutes morales. Prædicatum autem divinum magis conveniens ex parte sui motivi formalis Fidei, quæ est virtus intellectualis, atque adeò respiciens ad verum, est prima Dei veritas, summaque Auctoritas reddens Dei loquutionem summè certam, & infallibilem: quemadmodum prædicatum divinum formaliter conveniens ex parte sui motivi virtuti Theologicae charitatis, quæ est virtus voluntatis respiciens ad bonum, est prima, ac summa Dei bonitas in se; & formaliter conveniens virtuti Spei, quæ, utpote virtus etiam voluntatis, respicit etiam ad bonum, est ipsa prima Dei bonitas quoad nos. Sicut ergo istæ aliæ duæ virtutes Theologicae voluntatis respicientes ad bonum, habent pro obiecto suo formali primam, summamque Dei bonitatem; una, ut bonam in se; alia, ut bonam nobis; similiter Virtus Fidei, quæ est virtus Theologica intellectualis respiciens ad verum, debet habere pro obiecto suo formali primam Dei Veritatem, summamque Auctoritatem divinam, qua verum divinæ loquutionis testimonium, summè infallibilizatur, redditurque summè dignum Fide apud omnes audientes. Sic inter homines videmus, illos esse fide digniores, qui probatoris auctoritatis sunt; ideoque propter illorum auctoritatem nobis notam, fidem adhibemus eorum dictis, eò firmiorem, quòd maiori apud nos auctoritate pollent, in suis dictis, & attestationibus. Fides igitur super omnia, & usque ad sanguinem, quam à nobis exigit testimonium divinæ loquutionis, inniti necesse est

est tanquam motivo, & obiecto suo formali credendi, summæ Auctoritati Primæ Veritatis divinæ.

10 Obijcitur tamen primo. Prima Dei veritas, & Auctoritas summa divina, cum constent lumine naturæ, non attingunt per Fidem: ergo nequeunt esse obiectum formale Fidei. Probatum consequentia: quia quod attingit Fides, attingit credendo: non autem attingitur credendo, scilicet obscure, quod evidentiam naturali clarum est. Respondetur ex dictis *disp. 3. sect. 3.* negando antecedens, & consequentiam. In cuius præbatione negamus assumptionem: nam aliqua evidentia, ut vidimus *disp. 1. sect. 2. & 3.* bene stat cum obscuritate requisita ad Fidem: cum obiecta naturali lumine nota, ac proinde Dei Auctoritatem, possimus Fide credere, dummodo maneat obscuritas circa revelationem, quæ pars est altera obiecti formalis Fidei. Respondetur etiam aliter ex sententijs communicatoribus ad probationem consequentiæ distinguendo: quod attingit Fides, attingit credendo, credendo, inquam, obiectum suum materiale, concedo: credendo quidquid attingit, nego: materiale namque attingit, credendo materiale; formale verò, credendo materiale propter formale; non tamen credendo formale: quod quidem non Fide creditur ut quod, quamvis sit ut quod ratio formalis credendi materiale: sicque permissio assumpto, nihil inferitur: nam sufficit, quòd ratio formalis credendi aliunde quam ab ipsa Fide constet credenti. Sic quidquid attingit actus contritionis, attingit detestando: detestando, inquam, peccatum; non verò detestando, quidquid attingit; cum non detestetur divinam bonitatem, quam attingit, ut rationem formalem detestandi peccatum.

11 Secundò. Obiectum formale debet attingi per se, & ratione sui: sed Prima Dei veritas, summaque Auctoritas non attingitur à nobis per se, & ratione sui: ergo nequit esse obiectum formale Fidei. Minor probatur: quia increata non attinguntur à nobis in via, nisi per creaturas: ergo non per se, & ratione sui. Hæc obiectio pariter impugnetur virtutes omnes Theologales: quæ quidem debent habere pro obiecto formali perfectionem aliquam divinam. Respondetur negando minorem. Ad probationem concessio antecedente, ne-

gatur consequentia. Quòd enim dicitur Deus non attingi à nobis, nisi per creaturas; ut per medium præcognitum, seu per species creaturarum præcognitarum, tollit quidem, quominus attingatur à nobis intuitivè, & facie ad faciem: non verò quominus post cognitiones creaturarum per cognitionem aliquam inde derivatam, attingatur in se, & immediate immediatione terminationis, sive cognitionis, sive dilectionis ad ipsum: quamvis ad eiusmodi Dei cognitionem ducatur intellectus per creaturas, earumque cognitiones. Sic amor immediate attingit rem amatam, quamvis ad sic amandum ducatur per cognitionem.

12 Tertio. Si Fides haberet pro motivo, & obiecto suo formali ipsam intrinsicam Dei auctoritatè, haberet idem motivum ac Prophetia; essetque idem, esse Fidelem, ac esse Prophetam: quod est aperte falsum: ergo quia Prophetæ prædicens habet pro motivo sui assensus ipsam Dei auctoritatem; alij vero Fideles, & credentes, auctoritatem Prophetarum, Apostolorum, & Ecclesiae humanitatis consideratae proponentem, & attestantem ea, quæ Prima Dei veritas ipsis revelavit, ipsique credunt propter Dei Auctoritatem. Respondetur concedendo in antecedente, assensus Fidei, & Prophetiæ habere idem motivum, nempe Dei auctoritatem: propter hanc enim assentiuntur Mysterijs tam Prophetæ, quam cæteri Fideles: negatur tamen, quòd idem proinde sit, esse Fidelem, & esse Prophetam: utrumque constat ex dictis *disp. 2. sect. 4.* Vnde negatur consequentia: non enim differunt ex parte motivi auctoritatis divinæ revelantis; sed ex parte modi, quo notificatur tale motivum: Prophetis nimirum immediatè, & singulariter à Deo; cæteris verò Fidelibus universaliter mediâ propositione ipsorum Prophetarum, & Ecclesiae: hæc autem propositio non est motivum formale credendi; sed est medium, quo Auctoritas, & revelatio divina proponitur intellectui: credituro tamen propter Auctoritatem, & revelationem Dei.

13 Quarto. Communis modus credendi apud Fideles est, credere: non quidem propter Auctoritatem Dei summam: quæ fortè nec unquam illis, præsertim rudibus, in mentem venit; imo potius propter Auctoritatem Ministrorum Ecclesiae,

Parochorum, Catechistarum, Magistrorum, aut Parentum ipsis proponendum Myſteria Fidei: Vel ergo non rectè Fide Theologicà credunt communiter, quod durum est: vel Fide credunt propter auctoritatem Eccleſiæ, aut propter aliam humanam, & non propter divinam, quam minimè curant: ergo quia motivum effentiale, & obiectum formale Fidei non est: Authoritas increata Dei. Confirmatur ex illis, qui tempore Chriſti, & Apoſtolorum credebant propter miracula, iuxta illud

Ioan. 14.

*Chriſti Ioan. 14. Alioquin propter opera ipsa credite:* ergo motivum credendi ibi exhibitum à Chriſto erant ipsa miracula coram ipsis patrata, & non increata Dei Authoritas.

14 Hæc obiectio momenti est: & pro praxi valdè commendat, quod optandum maximè eſſet à Parochis, & Catechistis, ut nempe in Catechesibus expreſſè adnoscant, & ingeminent, veritates Myſteriorum, quas docent, eſſe dictas à Deo veritate infallibili, ſeque tanquam dictas à Deo illas proponere, ideoque super omnia credendas propter Dei testimonium summæ, ac infallibilis auctoritatis. Hoc enim & ipsis per facile est, & animabus, quas instruant, perquam utile.

15 Quoniam verò, quantalibet in hoc adhibita Ministrorum cura, semper manet locus obiectioſi præſertim pro rudioribus, respondendum est; hos quoque, quamvis sub ijs terminis non noverint auctoritatem Dei, communiter tamen, vel ex ipſo nomine Chriſtianiæ Doctrinæ, quo utuntur, intelligunt eas veritates ſibi tradi, ut Doctrinam Dei certam, ac infallibilem; ideoque diverſo modo, & animo id auſcultant à Parochis, Catechistis, aut Parentibus, ac quando de alijs rebus, & negotijs colloquantur: quod est, rudi ſaltem & vulgari Minerva intelligere, illam eſſe Doctrinam Dei, atque ad eam auctoritate plusquam humanâ munitam, & divinâ auctoritate ſuffultam: ſicque adiuti divinâ gratiâ firmiter credunt super omnia: & quidem Fide Theologicâ, & ex motivo divinæ auctoritatis utcumque ab illis conceptæ. Nec ab illis quidquam ulterius de neceſſitate exigendum est. Hinc ad obiectioſi negandam est antecedens ſic, ut oportet, benignius explicatum: & nulla est conſequentia. Ad confirmationem, ſi miracula ſic concipiuntur, quaſi testi-

nia Dei ipſam Dei auctoritatem præſeferentia, credere propter miracula, iam est credere propter auctoritatem Dei: Si minus, cauſalis illa, propter, non est neceſſe, quod ſonet rationem formalem credendi; ſed rationem manifeſtandi Auctoritatem Dei patratoris miraculorum, quæ ſit ratio formalis credendi, ut de auctoritate humanâ Eccleſiæ dicebamus. Quomodo miracula ſint, aut non ſint divinæ loquutiones, dicemus alibi.

16 Atque hinc video aberrare proſus ab ſcopo Scholaſtice multos, qui metaphyſicis ſubtilitatibus nimium incumbentes, obiectum formale Fidei per neceſſarium omnibus rectè credentibus conſtituere ſtudent in quibusdam formalitatibus, vix concepitibilibus ab ingenioſioribus: cū n certe potiùs ſtudendum ſit, illud conſtituere in perfectione Dei à rudioribus credentibus minùs diſſiciliter perceptibili ſaltem rudiori modo: qualis eſt Dei auctoritas, & infallibilis veritas: unde cumque iſta ſumatur, & quomodolibet conſtituatur in Deo: quod minoris negotij eſt: quamvis hoc videatur aliquibus, quaſi totum præſentis materiæ negotium. Illud peragemus à ſect. 4.

## SECTIO III.

*An præter increatam Dei Auctoritatem, aliquid etiam creatum, nempe Revelatio ad extra, ingrediatur rationem obiecti formalis Fidei?*

17 **D**Vplici via defendi ſolet pars negans. Vnam ineunt Caietanus, alijque apud Amicum, & noviter Eſparza, dicentes, præter Primam Veritatem, & Auctoritatem Dei intrinſecam, ingredi etiam rationem obiecti formalis Fidei divinam Revelationem: at non Revelationem paſſivam, quæ ſit quid creatum factum in tempore; ſed revelationem activam, quæ, ut de activa rerum productione philoſophantur alij, eſt quid intrinſecum, & coæternum Deo, nempe volitio divina revelandi: ſicque ſalvant revelationem eſſe quoque de ratione obiecti formalis Fidei, quin Fides habeat pro obiecto formali, aliquid creatum: revelatio namque paſſiva, quæ quid in tempore factum eſt, ſolum ſe habet, iuxta illos, tanquam conditio extrinſeca, & de connorato.

Aureol.  
Arag.  
Pallavic.

to. Aliam viam ineunt alij cum Aureolo, & Aragon, quibuſcum loqui videtur Card. Pallavicinus *cap. 5. num. 90.* abſolutiùs dicentes, adæquatam obiectum formale Fidei eſſe increatam Dei Auctoritatem; Revelationem verò nullatenus ingredi rationem obiecti formalis; ſed habere ſe ut puram conditionem, ſine qua non exercet Authoritas divina munus obiecti formalis, nec movet ad credendum. Sicut promulgatio legis eſt conditio pura, ut lex obliget.

Hurtad.

Suarez.  
Valent.  
Lugo.  
Ripald.  
Coninc.  
Oxea.  
Hannold.

18 Affirmo tamen cum communiori ſententia, ſimul cum Auctoritate increata Dei Revelationem, etiam paſſivam, quæ eſt quid ad extra creatum, ingredi rationem effentialem obiecti formalis Fidei: illam verò revelationem activam Deo coæternam non ſufficere, ſine paſſiva. Ad dendo contra Gaſp. Hurt. *diſp. 2. diſp. 2.* aliter diſtinguentem, omnem actum Fidei debere habere pro motivo, & obiecto formali Dei Auctoritatem, & revelationem. Ita Suarez *diſp. 3. ſect. 3.* Valentia, Card. Delugo, Ripalda, Coninc, Oxea *diſp. 2. Hannold. controv. 5. ſ. 2.* & alij.

19 Ratio nobis eſt. Quia credere eſt aſſentiri alterius testimonio, quia alter rem teſtatur, & dicit: & ſicut non ſufficit ad rei atteſtationem, alterum eſſe magnæ auctoritatis virum, nec velle rem atteſtari; ſed requiritur, quod reiſpã activè, & paſſivè rem atteſtetur; ita nec ſufficit ad Fidem, aſſentiri, quia eſt magnæ auctoritatis vir, ſed quia talis eſt, & rem dicto ſuo atteſtatur: per atteſtationem exteriorem completur effentialem auctoritas loquentis ad rem dictam. Fides igitur divina aſſentiri debet dictis à Deo, quia Prima Dei veritas auctoritatis summæ dicit, atteſtatur, revelat; ergo ſimul cum increata Dei Auctoritate habere debet Fides ex parte motivi pro formali obiecto revelationem, ſeu reiſpã atteſtationem divinam.

20 Nec dicas, hanc requiri ut conditionem puram. Contra enim. Quia cuiusmodi revelatio, ſeu atteſtatio taliter requiritur ad aſſenſum Fidei, ut attingatur immediatiſſimè per ipſum actum Fidei: aſſentientem utique tali veritati, quia illam Deus atteſtatur, & dicit. Quod autem attingitur immediatè per actum, non eſt pura conditio ad ipſum, ſicut eſt cognitio ad actum amoris illam nullatenus attingentis; eſtque eo ipſo obiectum aut

materiale, aut formale, ut eſt per ſe certum; cum ergo revelatio, atteſtatio, ſeu dictum Dei attingi debeat per aſſenſum Fidei, nequit dici pura conditio ad ipſum; imo potiùs obiectum ipſius, aut materiale, aut formale. Conſtat autem, eſſe formale ex eo quod attingatur ex parte motivi, ſeu rationis aſſentienti: credimus enim Myſteria, quia Deus summæ auctoritatis ea atteſtatur, revelat, & dicit: ergo Revelatio, ſeu atteſtatio Dei ingreditur ſimul cum Dei auctoritate rationem obiecti formalis Fidei.

21 Iam vero, quod non ſufficiat ad id revelatio illa activa increata, & coæterna Deo, quin eodem modo requiratur paſſiva creata, probatur. Cùm enim Fides aſſentiat, quia alter revelat, & loquitur, & non præciſè, quia vult loqui, & revelare, loquutio ſeu revelatio, quæ eſt motivum, & obiectum formale ſufficiens ad Fidem debet eſſe revelatio formalis, quia Deus formaliter revelat, & loquitur, factique res abſolutè revelatas audienti: hæc autem eſt revelatio paſſiva formalis: nam activa eſt revelatio dumtaxat cauſalis, hoc eſt effectiva revelationis formalis, non denominans Deum formaliter loquentem cum creaturis; ſed volentem loqui, ſeu revelare: ſicque determinans ab æterno Deum non ad revelandum ab æterno; ſed ad revelandum, & loquendum cum creaturis in tempore.

22 Confirmatur. Cùm enim creaturæ non extiterint ab æterno, ſed in tempore, non ſunt revelans ab æterno quidquam formaliter creaturis, ſed in tempore: ſcilicet per revelationem creatam factam ipsis in tempore. Quemadmodum, quamvis ab æterno habuerit decretum producendi in tempore creaturas, per quod fuit determinatus formaliter, non quidem ad illas ab æterno producendas, ſed producendas in tempore; tale tamen decretum non eſt formaliter, ſed cauſaliter productio creaturarum; quatenus nempe cauſat, & inducit formalem earum productionem: alioquin iam tunc eſſent verè, & formaliter productæ, ſicut fuerunt verè, & formaliter volitæ produci: & ab æterno eſſet, ac denominaretur Deus abſolutè, & formaliter revelans, & loquens cum creaturis, ſicut eſt & denominatur volens revelare, & loqui. Quis autem percipere valeat Deum abſolutè, & formaliter

ter loquentem cum non existentibus ; sicut percipitur recte volens ab æterno loqui cum illis, quando existant? Dicendum igitur omnino est, Deum non revelare, nec loqui absolute, & formaliter cum creaturis, nisi per revelationem passivam ad extra factam in tempore à se constituto: ac proinde, si aliqua Dei revelatio est obiectum formale Fidei, debere omnino esse revelationem passivam, quæ facit formaliter, & absolute Deum revelantem, & res revelatas, prout necesse est ad Fidem, credentem veritates, quia à Deo revelatas.

23 Obijciunt primò. Virtus Theologica ex discrimine suo à non Theologicis nequit habere pro motivo, & obiecto formali suo aliquid creatum, sed immediate Deum; ergo nec Fides revelationem passivam, quæ quid creatum est. Distingui-mus tamen antecedens: pro motivo, & obiecto formali adæquato, concedo; in adæquato, & partiali, nego antecedens, & consequentiam: assensus enim quilibet Fidei iam nititur increata Dei autoritate, quamvis non utcumque; sed revelante, & loquente: quod habere essentialiter simul pro formali obiecto autoritatem increatam Dei, & revelationem creatam: neque hoc est contra rationem virtutis Theologicæ. Certè enim actus voluntatis, qui detestaretur peccata propter Dei bonitatem, simulque propter foeditatem peccati, ob hoc non desineret esse contritio, & charitas, atque adeo neque actus virtutis Theologicæ. Sic virtus quoque Theologica Spei gaudet de Deo, & desiderat Deum, ut à nobis possidendum, eoque modo nobis bonum, per Visionem scilicet beatificam, quæ quid creatum est: quod creatum, simul cum increata bonitate Dei constituit obiectum formale virtutis Theologicæ Spei.

24 Hinc qui assentiretur veritati ob autoritatem, & testimonium Dei, simulque ob testimonium hominum eandem contestantium, non proinde desineret assensus ille esse Fidei Theologicæ. Non quia testimonium Dei reddat infallibile testimonium hominum; sed quia testimonium hominum non reddit fallibile testimonium Dei: nec tollit, quominus attingatur pro motivo per eiusmodi assensum increata Dei autoritas infallibilizans testimonium illud Dei, quantumvis crea-

tum, & coninectum cum alio creato non sic per se infallibile. Hoc, sicut & illud, quod dictum est de actu contritionis intellige, si tales actus moverentur taliter ob bonitatem, & ob autoritatem, ac revelationem Dei, ut illud aliud motivum inferius non attingeretur, quasi in subsidium motivi superioris, ac si testimonium Dei non foret per se sufficiens motivum ad securè super omnia credendum; aut bonitas Dei ad peccatum super omnia detestandum. Idcirco conformius est ad firmitatem nostræ responsionis exemplum adductum de virtute Spei.

25 Obijciunt secundò: Sequi, quod actus virtutis Theologicæ Fidei, non essent eiusdem speciei: siquidem revelationes passivæ creatæ, à quibus, ut ab obiecto formali, specificarentur, specie diversissimæ plerumque sunt. Responderetur: quod, quamvis non essent eiusdem speciei secundum considerationem physicam, aut logicam, quod parum interest; cum sic nec Fides actualis de uno obiecto materiali, & Fides de alio; aut etiam Fides hominis, & Angeli, aut alterius hominis de eodem sint logicè eiusdem speciei; attamen essent eiusdem speciei secundum considerationem Theologicam, & moralem: quantum videlicet attinet ad captivandum intellectum in obsequium Dei sic, aut sic revelantis: quod sufficit, ut pertineant ad eundem habitum. Quod si diversitatis speciei logicæ habenda esset ratio; diversæ quoque speciei censendi essent assensus, quo credo Trinitatem, & quo credo Regnum Davidis, quamvis idem numero haberent obiectum formale. Per hanc responsionem occurritur etiam objectioni, quæ similiter fieri posset contra unitatem specificam assensuum Fidei habentium pro obiecto formali diversas perfectiones increatas Dei iuxta doctrinam *secl. seq.*

26 Obijciunt tertio. Lex dumtaxat, & non promulgatio legis, est motivum, & obiectum formale obedientiæ; quamvis per promulgationem applicetur lex subditis obedientibus: ergo quamvis creditur increata Dei autoritas, per revelationem, sola Dei autoritas est motivum, & ratio formalis credendi; revelatio verò pura conditio ad credendum, sicut promulgatio legis ad obediendum. In multis deficit hæc paritas, cui nimis fidunt obijcientes. Oportet in primis discernere inter

inter obligandum, & obediendum: alia enim in lege ratio obligandi, alia est in actu obedientiæ obiectum formale, seu motivum, & ratio obediendi. Illud est ratio formalis obligandi; istud est ratio formalis obediendi: quæ duo diversissima sunt ex ipsis terminis: & importunè confunduntur in objectione. Deinde loquendo, ut in antecedente, de motivo, & obiecto formali obedientiæ, negatur antecedens: hoc enim nec est lex, nec promulgatio; sed, supposita lege, & promulgatione, est honestas relucens in opere conformi legi. Si autem exinde inferre quis vellet aliquid in præsentem, inferre deberet contra se, neque revelationem, neque autoritatem Dei esse rationem formalem credendi: quod est per se falsum, & negamus cum consequentia objectionis, ob apertam disparitatem: quia nempe ratio formalis credendi, attacta ut obiectum ipsius actus credendi, est autoritas, & revelatio Dei; credimus enim, quia Deus attestatur, & revelat; at ratio formalis obediendi attacta per ipsum actum obedientiæ, nec est lex, nec promulgatio, sed ipsi præsuppositis est honestas operis conformis legi.

27 Huc revocari potest responsio Magistri Lumbier: *qui quest. 2. num. 105.* concessio antecedente, negat consequentiam, dans disparitatem: quia promulgatio est applicatio obiecti obedientiæ, scilicet operis præcepti, ad potentiam obedientiam subditorum; revelatio verò Dei est applicatio divinæ autoritatis, quæ certò est obiectum formale Fidei Theologicæ, ad materiale, quæ sunt res revelatæ. Applicatio autem obiecti formalis ad materiale, cum se teneat ex parte obiecti, induit rationem obiecti formalis: applicatio verò totius obiecti ad potentiam manet in esse puræ conditionis: ut se habet cognitio respectivè ad quemlibet actum voluntatis, & promulgatio respectivè ad actum obedientiæ.

28 Præterea, si sermo esset de promulgatione legis in ordine ad obligandum, negaret antecedens P. Vazquez, opinans cum alijs, promulgationem esse partem essentialem legis: quod alij cum Arriaga intelligunt de lege in ratione proximè obligantis. Cum quibus Oxea *num. 190.* ait, ex actu interno legislatoris, & ex eius promulgatione compleri essentia-

liter legem, cum sit loquutio ad subditos, dicens constitutive manifestationem ad illos: quæ manifestatio est promulgatio, seu intimatio: quemadmodum verba sensibilia, quæ sunt manifestatio consensûs interni, constituunt cum isto essentialiter contractum matrimonij. Itaque distinguit inter promulgationem generalem, & inter noticiam singulorum: & ait, illam eam tenus esse talem, quatenus se ipsam, & voluntatem legislatoris profert: ista verò notitia totam legem, eiusque promulgationem à se distinctam, qui sunt actus legislatoris, representat: estque actus subditi, & conditio, ut obligetur à lege. Ex hac doctrina, negato in hoc sensu antecedente, potius confirmaretur, quam impugnaretur conclusio nostra.

29 Obijciunt quartò. Autoritas increata Dei à Beatis visa in se, est adæquata ratio assentiendi scientificè obiecto ipsius: ergo eadem obscure applicata viatoribus per revelationem est ratio formalis adæquata assentiendi Fidei, credendo ipsius obiectum: atque adeò revelatio non est, nisi pura conditio applicativa. Responderetur, concessio antecedente, negando consequentiam. Ratio clara disparitatis est: quia Dei Autoritas claudens Dei sapientiam, essentialiter per se habet non cognoscere res, nisi sicut sunt; hancque eius perfectionem videt, qui illam in se videt: ideoque ipsa sic in se visa est sufficiens ratio assentiendi scientificè veritati, quam ipsa videt. At ipsa per se sola non est ratio sufficiens credendi rem: nulli enim credimus, quia scit; sed quia scit, & loquitur, testatur & dicit, se rem scire: ideoque ipsa loquutio, dictio, sive revelatio est simul formalis ratio credendi.

30 Obijciunt quintò. Cómunis revelandi modus est, Deum infundere Prophetis iudicium, quo Mysteria obscura firmiter assentiendo cognoscant: ergo tale iudicium iam est assensus Fidei: sed non habet pro obiecto formali aliam revelationem, nec se ipsum: en ergo assensum Fidei non habentem pro formali obiecto, nisi increatam Dei Autoritatem; nullatenus verò revelationem ad extra. Responderetur, dato antecedente, negando consequentiam. Illud enim iudicium non est Prophætæ liberum, nec meritorium; sed fit in illo indeliberatè, sicut in nobis illustrationes gratiæ auxiliantes, quæ fiunt in nobis

To. de Gratia disp. 2. nobis sine nobis, ut explicuimus *disp. 2. de Grat. sect. 1.* Post illud autem iudicium in-deliberatum sequitur aliud iudicium, seu apprehensio suaſiva agnoſcens obſcurè (niſi loco Fidei detur quandoque in aliquo Propheta evidentia in atteſtante, cum qua non ſtat exercitium Fidei, ut diximus *Sup. disp. 1. sect. 2.*) illud prius iudicium, ut loquutionem Dei; deinde ſuccedit volitio libera credendi; & tandem ipſa creditio, ſive aſſenſus Fidei de Myſterio habens pro obiecto formali præcedentem illam Dei loquutionem, ſive revelationem. Vnde, conceſſa minori, negatur ſubillatio.

31 Aliter demum obijciunt Eſparza, & Card. Pallavicinus. Ille ſic. Loquutio externa ex ſe indifferens eſt ad verum, vel falſum; ad aſſenſum, vel diſſenſum: cum eſſe poſſet, ſive à ſapiente, ſive ab idiota; ſive à veraci, ſive à mendaci, ſive à ſaturo exterius proferatur: ſed quod eſt ſic indifferens inter duo, nec inadæquatè movere poteſt determinatè ad unum ex illis: ergo paſſiva loquutio, ſeu revelatio, nec inadæquatè poteſt eſſe obiectum motivum, ſeu formale aſſenſus Fidei; erit ergo pura conditio: nec aliter dici poteſt res credi, quia ab alio dicitur, niſi ſicut dicitur ignis cõ-burere lignum, quia eſt applicatum. Confirmat. In phyſicis cauſa, etiam inadæquata, debet ſaltem inadæquatè præcontinere phyſicè perfectionem effectus: ſimiliter ergo in intentionalibus intentionaliter. Atqui paſſiva revelatio nullatenus præcontinet adhuc inadæquatè perfectionem aſſenſus Fidei: ergo nec inadæquatè poteſt ad illum intentionaliter movere. Minorem probat, quia veritas aſſenſuum Fidei eſt magna perfectio: quam nullatenus participat, nec continere poteſt externa prælatio vocum.

32 Pallavicinus autem ſic. Quamvis actus alicuius habitus tendant in plures veritates, aut bonitates; ea tamen dicitur obiectum formale talis virtutis, cuius attingentia eſt peculiaris, & diſtinctiva illius virtutis ab alijs: ſed hæc reſpectu habitus Fidei, utpote diſcernens credentem à non credente, non eſt revelatio externa, ſed interna, cum autoritate intrinſeca Dei: ergo revelatio ad extra ſaltem paſſiva nullatenus dici poteſt obiectum formale Fidei. Maiorem probat: quia quamvis multi dicant, nos per omnes bonos affectus, ac proinde per actum temperantiæ,

amare formaliter noſtram felicitatem; hæc tamen non dicitur obiectum formale peculiare habitus temperantiæ; cum ſit quid alijs commune. Minorem verò ſic: quia quamvis aſſenſus Fidei tendat etiam in revelationem, ut in motivum etiam aſſentiendi, & non ut in puram conditionem; cognitio tamen revelationis externæ eſt quid commune credenti, & non credenti; diſcrimen tamen ſtat in eo, quòd ille iudicat ſigna illa externa eſſe loquutionem Dei, & alter non: ergo peculiaris diſcretio credentis ab incredulo ſtat in aſſenſu, ut reſpiciente Deum, non verò ut reſpiciente revelationem creatam.

33 Ad primum reſpondet ſatis Haunoldus *num. 97.* cum diſtinctione, loquutionem externam, eo quòd ſit indifferens, non poſſe eſſe motivum adæquatam; bene verò inadæquatam, coniunctam ſcilicet cum autoritate loquentis: nam hoc modo complexè ſumpta non eſt indifferens, ſed determinatiſſima ad verum, quando autoritas eſt omnino infallibilis: qualis eſt divina. Sic frons ex ſe indifferens ad faciem formoſam, vel deſormem, coniuncta cum genis, labijs, & naſo proportionatis conſtituit faciem pulchram, & inadæquatè conſtituit pulchrũ, quod ſit obiectum formale adamandi. Alia multa poſſent dici ad obiectionem, quibus ſuperſedeo; quia necelle non ſunt. Ad confirmationem conceſſo primo enthimemate, negatur minor ſubiuncta: ea enim præcontinentia, non eſt niſi, mutatis terminis, virtus unicuique rei comperens, quoquo modo cauſandi, ſeu inferendi aliam. Vnde eo modo, quo dicimus revelationem eſſe motivum ad aſſenſum Fidei, dicimus in hoc genere intentionaliter non ſolam, ſed complexè cum infallibili autoritate Dei præcontinere ſuo eminentiali modo perfectionem aſſenſus Fidei, ad quem ſic, & non aliter movet. Quid inde?

34 Ad alterum, videtur in eo non negari nobis in ſe, quòd aſſenſus Fidei attingat ex parte ſui obiecti formalis, non ſolam increatam Dei autoritatem, verum etiam revelationem creatam ad extra: quæ fuit in re noſtra conſuſio. Ad id, quod opponit contra noſtrum modum loquendi, dicimus; eo modo quo à nobis dicitur revelatio ad extra eſſe obiectum formale Fidei, iam eſſe Fidei peculiare. Non enim dicimus entitatem præciſè ſigni

ſigni creati nudè ſumptam eſſe obiectum formale Fidei; ſed ſignum illud ad extra, prout eſt loquutio Dei ſummæ autoritatis; quod complexum indiviſibiliſſe attingitur per aſſenſum Fidei, tanquam motivum & obiectum formale: rectè namque credens aſſentitur veritati, quia Deus ſummæ autoritatis eam revelat: in quo quidem valdè diſfert à non credente: qui videlicet, aut non aſſentitur, quia Deus ſummæ autoritatis illam revelat: ſive in eo peccat, quòd exiſtimet Deum illam non revelare; ſive quòd Deus ſummæ autoritatis non ſit: quod præſentis puncti non eſt; ſed à longè petatum.

## SECTIO IV.

Qualis Prima Dei veritas; an in eſſendo; an in cognoscendo; an in dicendo ſit cum revelatione motivum, & obiectum formale Fidei?

35 PRO terminorum explicatione, Prima Dei veritas in eſſendo dicitur ipſa Dei natura, & eſſentia: veritas in cognoscendo dicitur Dei Sapientia, impotens in ſe falli. Veritas in dicendo Dei veracitas, impotens velle alium, quocum loquitur, fallere. Quæ perfectiones facile diſcernibiles ſunt per ſuos conceptus. Planifiſimè in creatis videmus, quòd in homine aliud eſt, eſſe quod eſt: & hoc eſt eſſe hominem: aliud eſt, cognoscere res ut ſunt: & hoc eſt eſſe ſapientem: aliud eſt velle dicere res ut cognoscit; & hoc eſt eſſe veracem, ſeu veridicum: & multos eſſe homines, qui ſapientes ſunt: multos eſſe ſapientes, qui veraces non ſunt, ſed mendaces, quia ſcienter res dicunt aliter ac habent in mente: & alios eſſe veraces, qui ſapientes non ſunt, quia ſemper intendunt dicere res ut ſunt, & ut habent in mente, quamvis interdum inſcienter decipiantur, & decipiant.

36 Ex Authoribus, qui nobiſcum ſentiunt, Primam Dei veritatem revelantem eſſe motivum, & obiectum formale Fidei; alij id intelligunt de Prima veritate in eſſendo. Sic Aureolus & Caietanus rati, obiectum formale Fidei eſſe Deitatem, ſeu ipſam Dei eſſentiam, ſeu naturam. Alij id intelligunt de Prima veritate in cognoscendo, rati obiectum formale Fidei eſſe divinam Sapientiam. Sic Gaſpar

Hurtad. *disp. 2. diff. 2.* pro quo citatur S. Bonaventura in *3. dist. 24. art. 1.* Alij id, Bonavent. intelligunt de Prima veritate in dicendo, rati obiectum formale Fidei eſſe divinam veracitatem: pro quo citatur Durandus, Durand. & Caietanus, & alij apud Oxeam *disp. 2. Caietan.* Alij communius id intelligunt de complexo Oxæa. Prima veritatis in cognoscendo, & in dicendo: rati obiectum formale Fidei debere eſſe ſimul cum revelatione Dei Sapientiam, & veracitatem coniunctam. Ita Suarez, Suarez. *disp. 3. Card. Delugo disp. 1. sect. 6. Lugo.* Vazquez, Coninc, & Amicus: quos ſe Vazquez. quantur Oxæa *disp. sect. & subsect. 2. Lum. Coninc.* bier *quæst. 1. art. 4.* & Haunoldus *cap. 1. Amic. Controv. 2.* Ego quidem, ut ex omnibus Oxæa. proficiam, affirmo quidquid hæc quatuor Lumbier. ſententiæ affirmant: ſi verò aliqua illarum Hamold. negat, quod affirmant aliæ, quoad hoc, ab alijs, & à me relinquitur.

37 Concluſio igitur noſtra multimembris ſit: motivum, & obiectum formale Fidei eſſe Primam Dei veritatem revelantem, ſive in eſſendo; ſive in cognoscendo; ſive in dicendo; ſive ſeorſim; ſive coniunctim: taliter ut quælibet illarum Dei Veritatum ſola; & à fortiore complexè ſimul cum alijs, accedente revelatione, ſit ſufficiens motivum, & obiectum formale ſpecificativum aſſenſuum Fidei Theologiæ. Sic ſermè Ripalda *disp. 2. de Fide: & Ripald.* in hunc ſenſum ſe explicat Eſparza *lib. 6. Eſparza.* *quæst. 15.*

38 Moveor in univerſum: quia hic modus conſtituendi obiectum formale Fidei univerſalior eſt: & amplectitur quidquid veri continent prædictæ ſententiæ, eaſque, quantum fieri poteſt, conciliat. Salvat ante omnia, rationem Primi, ac Summi Veri eſſe obiectum formale Fidei, quæ virtus Theologica intellectualis eſt; ſicut ratio Primi, & Summi Boni, in quocumque Dei Attribute reperiatur, eſt obiectum formale Charitatis, quæ eſt virtus Theologica voluntatis. Et quidem hoc videtur conformius communiori modo credendi. Non enim curamus, niſi de captivando intellectu autoritati ſummæ Dei infallibiliter atteſtanti: undecumque inſit divinæ autoritati revelanti ea infallibilitas. Vnde mihi duo perſuadeo. Vnum, quòd motivum Fidei eſt Summa Dei Autoritas infallibiliter revelans, à quocumque Dei revelantis prædicato proveniat ſumma infallibilitas: de quo diſſidio creden-

dentes non curamus, & tamen credimus ex motivo formali Fidei nobis proposito sub terminis sufficientibus ad Theologicè credendum; alioquin non Theologicè credimus. Alterum: quòd, quantum attinet ad rem, & substantiam Fidei, dissidium istud tanti momenti non est, quanti fieri à multis solet. Nihilò tamen minus, pro solida nostræ couclusionis doctrina, & in gratiam tuendæ veritatis probamus seorsim per suas partes conclusionem.

39 Atque in primis, ut à faciliore, & receptiori parte exordiamur; probo complexum ex veritate *in cognoscendo*, & *in dicendo* esse pro Authoritate divina infallibili sufficientissimum motivum, & obiectum formale Fidei. Deus enim ratione suæ infinitæ, summæque Sapientiæ, quæ est Prima Veritas *in cognoscendo*, habet essentialiter, nõ posse falli in cognitione rerum, ut sunt: deinde ratione summæ suæ veritatis, quæ est Veritas *in dicendo*, habet nõ posse velle loqui res, nisi ut cognoscit: ergo ex conceptu huius utriusque veritatis habet formaliter, non posse alios loquendo fallere, nec loqui res, nisi ut sunt in se: in quo stat Authoritas summa infallibilizans omnino loquutionem: ac proinde adæquatissima ratio motivi Fidei. Declaratur ex humanis. Ut enim homo ratione suæ autoritatis sit fidedignus apud alios, reputari debet ex parte intellectus rectè cognoscens res ut sunt; & ex parte voluntatis, rectè volens loqui res ut cognoscit: alterutro autem horum deficiente, claudicaret eius autoritas: nec enim est fidedignus qui res sinistrè cognoscit, quamvis velit loqui res ut cognoscit; nec qui res cognoscit, ut sunt, si non vult loqui res, ut cognoscit: bene verò, qui talis habetur, ut res cognoscat ut sunt, & velit loqui res, ut cognoscit: & qui magis excellit in ijs duabus perfectionibus, fidedignior, & maioris autoritatis habetur. Cum igitur Deus ratione suæ Sapientiæ; quæ est Prima veritas *in cognoscendo*; & ratione suæ veritatis, quæ est Prima veritas *in dicendo*, utrumque id summè habeat; in complexo saltem illarum duarum veritatum, seu perfectionum stare necesse est inconcussam, summamque Dei Primi Veri Authoritatem, infallibilizantem metaphysicè eius testimoniam, loquutionem, & revelationem, prout oportet ad motivum adæquatissimum Fidei firmæ super omnia,

40 Deinde quoad aliam partem, quòd nempe sufficeret etiam ad id seorsim ratio Primæ veritatis *in dicendo*, seu conceptus summæ Veritatis divinæ; probatur solidè contra multos. Nam, quamvis in humanis sola veracitas non sufficiat ad faciendum hominem fidedignum; quia de conceptu veritatis solum est conformitas loquutionis cum mente, sæpè non conformi rebus ut sunt, eo quòd in cognoscendo fallatur; attamen veracitas divina, quæ est voluntas loquendi iuxta mentem, & non aliter; non est utcumque volitio loquendi iuxta mentem; quin etiam loquendi iuxta mentem divinam; non quidem chimericam, sed realem; atque adeo essentialiter conformem rebus ut sunt: alia enim mens repugnat Deo: ergo ex conceptu suo formali intrinseco est volitio loquendi conformiter non solum ad mentem; verum etiam ad res ut sunt: ac proinde per se seorsim etiam constituens Authoritatem Dei summam, & omnino infallibilizans testimonium divinæ loquutionis, & revelationis, prout ad motivum, & obiectum formale Fidei requiritur, & sufficit.

41 Respondent, id non habere veracitatem Dei immediate per se, & ratione sui; sed mediatè, & ratione divinæ Sapientiæ, & per se essentialiter ex conceptu formali suo conformis rebus ut sunt. Contra tamen manifestè: quia, quamvis id habeat ratione Sapientiæ, hoc non tollit, quin etiam id habeat quoque ratione sui, & immediatissimè ex conceptu suo. Quandoquidem ratione sui immediatissimè, & ex conceptu suo formali habet velle conformare loquutionem menti, non utcumque, sed reali, & divinæ, ac proinde essentialiter conformi rebus ut sunt: cum essentiali, ac formali repugnantia volendi loqui conformiter ad mentem difformem rebus in cognoscendo: ergo immediatissimè etiam, per se, & non per accidens, & ex conceptu suo formali intra lineam ipsam summæ veritatis divinæ dicit essentialiter conformitatem loquutionis, non solum cum mente, quin etiam cum rebus ut sunt.

42 Rursus. Datur in Deo cognoscere res ut sunt, & non aliter, quod est actus intellectus, & perfectio de linea intellectiva: & datur velle loqui res ut sunt, & non aliter: quæ volitio est certissimè actus voluntatis, & perfectio de linea volitiva;

at-

atque adeò non formaliter de linea veritatis *in cognoscendo*; sed formaliter de linea veritatis, seu veritatis *in dicendo*: id quod innegabile prorsus est. Atqui istud velle honestissimum, & rectissimum innegabile Deo, utpote intrinsecè, est per se essentialissimè conformativum loquutionis suæ non solum cum mente, quin etiam cum rebus ut sunt: utpote per se & ex intrinsecis suis repugnantissimum coniungi cum loquutione rerum aliter ac sunt; ut ex terminis patet. Igitur per se & ratione sui immediatissimè, & ex conceptu efficacitatis, & perfectionis suæ de linea volitiva, est conformativum loquutionis cum rebus ut sunt: ac proinde per se sufficiens ad constituendam authoritatem metaphysicè infallibilem loquentis, prout requiritur, & sufficit ad motivum, & obiectum formale Fidei simul cum revelatione sic loquentis.

43 Nec ludas, aut diffugas dicendo; dari quidem in Deo illud velle, eiusque rectitudinem, & efficacitatem: id tamen non pertinere ad conceptum veritatis: quæ quidem solum dicit ex conceptu suo velle conformitatem loquutionis cum mente: taliter, inquit, ut, si mens in cognoscendo falleretur, adhuc veracitas ex conceptu suo veller conformare loquutionem menti: mentis autem esset defectus & non veritatis: veritatis *in cognoscendo*, & non *in dicendo*, difformari rebus ut sunt. Contra namque primò. Cum enim illa dictæ divinæ volitionis rectitudo pertineat ad loquutionem, quam vult; & non sit formaliter rectitudo intellectus, sed voluntatis, cuius actus per se est, velle loqui conformiter ad res, & non aliter; nequit esse rectitudo formaliter de conceptu veritatis *in cognoscendo*, cuius utique formalis perfectio est de linea intelligendi: ergo est formaliter de conceptu veritatis *in dicendo*, quæ est veracitas, & de linea volendi. Contra secundò: &

44 Argumentor denud sic. Quamvis de ratione, conceptuque omnis veritatis *in cognoscendo*, ut sic, non sit infallibilitas, sed conformitas cum rebus, ut videmus in humanis; attamen Prima Dei veritas *in cognoscendo*, utpote perfectissima in sua linea, non solum dicit essentialiter conformitatem cum rebus, quin etiam infallibilitatem: id est non solum non falli, quin etiam nec falli posse; ideoque repugnans

tiam essentialiter cognoscendi res aliter ac sunt: totumque hoc pertinet ad perfectionem & conceptum Primæ, ac summæ veritatis *in cognoscendo* intra suam lineam, utpote intellectivam. Quamvis igitur de ratione omnis veritatis, seu omnis veritatis *in dicendo*, ut sic, non sit conformitas loquutiones cum rebus, sed præcisè cum mente, ut videmus in humanis: in quibus quia mens interdum non conformatur cum rebus, stat conformitas loquutionis cum mente sine conformitate cum rebus; attamen Prima veritas *in dicendo*, seu divina veracitas, utpote perfectissima in sua linea; non solum dicit essentialiter conformitatem loquutionis cum mente, quin etiam cum mente essentialiter conformi rebus, atque adeo conformitatem cum rebus, cum summa repugnantia formalissima volendi aliter loqui: totumque hoc pertinet ad perfectionem & conceptum Primæ, ac summæ veritatis *in dicendo* intra suam lineam, scilicet volitivam.

45 Usque adeo quidem, (& est punctum totius doctrinæ) ut, si fingamus, quòd mens Dei falleretur, cognoscens res aliter ac sunt; repugneret ab intrinsecis suis veritati summæ, velle loqui talem rem: necessitaretur enim ab speciali sua perfectione ad non velle loqui. Cum enim essentia sua sit ex perfectione suæ rectitudinis, non velle loqui, nisi conformiter cum mente, & cum rebus, si in eo casu veller loqui, aut veller loqui aliter ac res sunt in mente; quod esset velle mentiri; aut veller loqui aliter ac res sunt in se, quod esset velle fallere loquendo: quòd utrumque æquè repugnat ipsius rectitudini ex intrinsecis suis intra lineam volendi: quamvis non repugnet ex conceptu universalis veritatis ut sic, communi divinæ, & humanæ: eo quòd in nobis, in quibus veracitas admiscetur multis imperfectionibus, datur sæpè volitio loquendi, & loquutio conformiter ad mentem, & difformiter ad rem, quando mens errat in cognoscendo res: & tunc, quamvis falsum loquamur, non mentimur, quia non contra mentem imus: sæpeque datur volitio loquendi, & loquutio conformiter ad res, & difformiter ad mentem, quando verum in re dicimus, quòd falsum existimamus: & tunc quamvis verum loquamur, mentimur, quia contra mentem imus. Et ratio est: quia nostra veracitas non est tantæ per-

perfectiōnis in linea veracitatis, ut exigat conformare loquutionem menti semper conformi rebus, cum mens nostra talis non sit; veracitas verò summa Dei tantæ perfectiōnis est, ut ex intrinsicis suis & ex speciali rectitudine in linea veracitatis dicat conformare loquutionem menti divinæ essentialissimè conformi rebus: alia enim mens in Deo non nisi chimæra est.

46 Alia iam pars conclusionis: quòd nempe sufficeret etiam ad id seorsim ratio Primæ Veritatis *in cognoscendo*, seu conceptus summæ Sapientiæ divinæ, probatur similiter contra plures. Quia Prima Veritas *in cognoscendo* dicit formaliter ex intrinsicis suis, & intra suam lineam intellectivi, non solum loqui conformiter ad res ut sunt in se, quod ab omnibus supponitur; quin etiam necessitatem summam non loquendi, nisi conformiter ad mentem de rebus: quas utique speculative, & practice perfectissimè cognoscit. Atqui conceptus iste reddit ipsi formaliter repugnantem loquutionem mendacem, & falsam: quæ tamen non repugnat homini sapienti cognoscenti res ut sunt, & volenti, aut potènti velle eas loqui aliter, ac mente cognoscit. Ergo, quamvis de ratione omnis veritatis *in cognoscendo* ut sic, non sit autorizare, & infallibilizate loquutionem, nisi accedat conceptus veritatis in dicendo; id tamen erit de ratione Primæ, ac summæ veritatis *in cognoscendo*, qualis est divina, ex perfectione propriâ, & de intra suam lineam intellectivam.

47 Negat nobis maiorem. Quia, inquit, Sapientia, quæ quidem est veritas *in cognoscendo*, ex conceptu suo solum dicit formaliter cognoscere res, ut sunt in se; eas verò loqui ut cognoscuntur, & ut sunt in mente, pertinet iam ad lineam, & rectitudinem voluntatis volentis non aliter loqui, nisi iuxta mentem. Itaque etiam si Deus esset omniscius, ideoque impotens falli in cognoscendo, posset adhuc mentiri, & loquendo fallere, nisi obstarer rectitudo de linea voluntatis, & veracitatis non volentis, nec potentis velle loquendo fallere.

48 Contra tamen, & probatur, ac exponitur adversus responsionem illa maior nobis negata. Ut voluntas possit velle mentiri, & loquendo fallere, opus omnino est, quòd ex parte intellectus proponatur, ut aliquomodo bonum, mentiri, & loquendo fallere: nemo namque intendens ad ma-

lum operatur, & omnis peccans est ignorans, ut explicant Theologi cum S. Thom. *S. Thom.* ideoque omnis Beatus est impeccabilis, non solum ex conceptu sanctitatis, quam inamissibiliter importat status beatificus, quin etiam ex conceptu visionis Dei Summi Boni, ideoque necessitatis ad Dei amorem, & per se excludentis iudicium indifferens requisitum ad quodcumque velle peccaminosum, & inordinatum. Atqui eiusmodi cognitio de bonitate mendacij requisita ad velle, imò & ad posse velle mentiri; & ignorantia illa, quæ requiritur ad peccandum, atque adeo ad mentiendum; & iudicium illud indifferens requisitum ad quodcumque velle peccaminosum, & inordinatum, repugnans ex conceptu suo Visioni Dei; à fortiori repugnat multo magis summæ Sapientiæ Dei, & Primæ veritati *in cognoscendo* ex conceptu formalissimo suo, ex quo omnia intra, & extra Deum comprehensive intuetur. Ergo Sapientiæ summæ Dei, ac proinde Primæ veritati in cognoscendo repugnat ex conceptu suo, & ex perfectione suæ lineæ intellectivæ aliquid necessariò requisitum ad velle; imò & ad posse velle mentiri, loquendo fallere, quod esset turpiter operari; atque adeo dicit essentialiter ex conceptu suo non solum non falli, quin etiam nec posse loquendo fallere. Hoc autem est quiddam desiderari potest, ad summè autorizandam, & infallibilizandam loquutionem, prout ad motivum, & obiectum formale Fidei Theologica sufficit, & necesse est. Usque adeo quidem, ut, si fingamus, quòd Dei voluntas posset aliunde deficere à rectitudine suæ lineæ volendo fallere loquendo, redderetur hoc ipsi impossibile à perfectione summæ Dei Sapientiæ essentialiter ex conceptu suo excludentis dictamen practicum defectuosum prærequisitum ad id volendum.

49 Firmantur hæc omnia. Nobis enim si constaret voluntatem hominis, alioquin fallibilis in cognoscendo, esse ex aliquo capite incapacem loquendi falsum, & ex natura sua, aut ex Dei decreto, concursum denegante, necessitatem ad non volendum loqui, nisi re ipsa verum, abs dubio tali homini securè crederemus, quando loqueretur. Similiter, si constaret homini ex se mendaci, deesse cognitionem, vel aliud prærequisitum ad loqui, & velle loqui falsum; abs dubio quoque illi loquenti cre-

crederemus citra formidinem, quòd mentiat, & fallat nos. Hoc ergo, & multò maius est, quod dicimus de Prima Dei veritate *in dicendo*, & seorsim etiam de Prima Dei veritate *in cognoscendo*: illi nempe formaliter ex conceptu suo, & ex perfectione suæ lineæ volitivæ competere repugnantiam non solum volendi loqui contra mentem, quin etiam volendi loqui falsum; istique æquè formaliter ex conceptu suo, & ex perfectione suæ lineæ intellectivæ, repugnantiam non solum cognoscendi res aliter ac sunt; quin etiam volendi illas loqui aliter, ac cognoscuntur; per formalem, & essentialissimam exclusionem prærequisiti necessarij ad velle, & ad posse velle mentiri. Igitur utraque illarum seorsim habet rationem formalem adæquatissimam summè autorizandi, & infallibilizandi loquutionem Dei ab illa procedentem; ac proinde rationem sufficientissimam, simul cum revelatione, motivi, & obiecti formalis Fidei Theologica.

50 Alia denique conclusionis pars: quòd nempe Prima etiam veritas *in essendo*, hoc est Deitas ipsa, seu Essentia Dei sufficiat ex conceptu suo ad autorizandam summè, ac infallibilizandam divinam loquutionem, prout sufficit, & requiritur ad motivum, & obiectum formale Fidei, fuit olim sententia Aureoli, pro qua citatur ab alijs Caietanus: noviterque stat impensè doctissimus Ripalda contra communiorum.

Aureol.  
Caietan.  
Ripald.

To. de Deo.

51 Mihi quidem probari facillima est. Quippè latè propugnavi in Tract. de *Attrib. Essentiam* metaphysicam Deitatis, quæ est Prima veritas *in essendo*, involvere essentialissimè cuncta Dei Attribute; ac proinde Sapientiam summam, quæ est Prima veritas *in cognoscendo*; summamque veracitatem, quæ est Prima veritas *in dicendo*, cum, ut visum est; in ijs duabus simul, & in utralibet illarum seorsim stet ratio motivi, & obiecti formalis Fidei; stare quoque necesse est in Prima Dei veritate *in essendo*, sive in essentia Deitatis.

52 Ne tamen ad hanc nostram constitutionem Deitatis præsentis doctrinam adstringamus, aliter probo hanc nostram conclusionis partem de Prima Dei veritate *in essendo*, in quocumque Essentia Deitatis constituatur. Nam, ut expendit graviter, & luculenter Ripalda, in quocum-

Ripald.

que constituatur essentia metaphysica Deitatis, à Scripturis, Sanctisque PP. revocari solet Fides nostra ad autoritatem Dei præcisè, quia Deus est; minus curantes tam de constitutivo Deitatis, quam de Attribute Sapientiæ, & veracitatis sub ijs conceptibus, dummodo undecumque concipiatur attestatio infallibilis, summèque autorizata. Nec quidem Fideles de ijs specialiter curant in credendo; sed de eo quòd loquatur Deus, quia Deus est; sic enim concipiunt satis testimonij infallibilitatem ad firmiter, & securè credendum super omnia. Ergo quia sufficit ad motivum, & rationem formalem sic credendi loquutioni, quòd qui loquitur, sit Deus, & conceptus ipse Deitatis ex lumine naturæ: alioquin qui ex hoc præcisè motivo crederet Deo loquenti, nec rectè, nec utiliter crederet: quod dicere non auderem, nec audire à Theologo fas est. Rari enim essent, qui sufficienter crederent, ut oportet.

53 Præterea, Essentia Deitatis, in quocumque prædicato divino constituatur, aut involvit formaliter perfectiones Attribute, aut saltem realem cum ipsis identitatem, necessitatem, & plusquam exigentiam: ergo involvit formaliter essentialem repugnantiam cum defectu Attribute: ergo & cum omni imperfectione cuilibet divino Attribute oppositâ; atque adeo cum imperfectione physica, quæ esset, eius Sapientiam falli in cognoscendo; & cum imperfectione morali, quæ esset, eius veracitatem velle fallere in dicendo: non enim secundum se concipi potest, nisi chimæricè, ut indifferens ad hæc. Ergo seorsim etiam ab ijs Attribute constituit ex conceptu suo Autoritatem Dei summè infallibilizantem eius loquutionem: nihil autem ulterius necesse est ad motivum, & obiectum formale Fidei iuxta communem, & probatissimum morem credendi.

54 Dices. Loquutionem Dei ad extra non procedere formaliter ab essentia Deitatis contradistinctim formaliter ab Attribute: quod necesse est, ut formaliter infallibilizet loquutionem, siquæ obiectum formale Fidei. Contra tamen, quia iuxta hunc modum discurrendi, & importunè præsciendî, non quidem procedit loquutio ad extra à Sapientia, & veracitate, aut ab utraque; sed ab Omnipotentia: quæ est principium formale quo productivum ad extra effectuum, quos Sapientia,



tia dirigit, & voluntas Dei disponit; unaquæque in suo genere: quin tamen proinde negetur Sapientiæ, & veracitati, seu complexo utriusque munus motivi, & obiecti formalis Fidei, simul accedente loquutione ad extra factâ per Omnipotentiam: ergo quod Deitas non sit formaliter principium formale Quo productivum loquutionis ad extra, non tollit, quominus formaliter infallibilizet loquutionem Dei ab Omnipotentia productam, constituatque motivum, & obiectum formale Fidei, ut ratio formaliter autorizans, & infallibilizans loquutionem Dei ab Omnipotentia effectivè productam. Cuius ratio est in comperto: quia quamvis Deitas, prout modulo suo distincta ab Omnipotentia, non sit principium formale quo productivum loquutionis; est tamen principium formale quo autorizativum loquutionis Dei, non minus quam Sapientia, & veracitas; utpote non minus formaliter repugnans cum eo quod loquutio per Omnipotentiam producta sit falsiloqua. Sic vidimus in Tract. de Incarn. verbum divinum, imò & absolutam Deitatis sanctitatem, in quocumque prædicatorum Dei angulo à Præfessoribus istis collocetur, quamvis non sit principium formale quo productivum actionum humanitatis Christi, immediatè unitæ Personalitati verbi; esse nihilominus principium formale quo condignificativum earumdem, quomodo liber à principio effectivo producatur, eo ipso quod actiones Dei infinite Sancti sint. Sic igitur saltem in præfenti discurre, sit nobis integrum à paritate rationis inconcussa.

#### SECTIO V.

*Tota nostra Conclusio ab obiectionibus defenditur.*

55 **A**Dversus sufficientiam veritatis in dicendo à nobis probatam à numero. Obijcit cum alijs P. Oxæa num. 52. Veracitas, sicut nec Dei voluntas, non intendit, nec afficitur ad res, ut sunt; sed ut præsentantur ab intellectu: nec curat conformare loquutionem rebus; sed menti; cuius est conformari rebus. Sic Deus per virtutem v. gr. misericordiæ vult subvenire miserij creatorum largiendo bona; & per virtutem iustitiæ vult punire peccata, &

præmiare merita ad certam mensuram; quod autem non largiatur mala pro bonis, ut quandoque facit homo, dans pauperi ex affectu misericordiæ medicamentum nocivum pro salubri; non spectat ad virtutem misericordiæ: & quod non excedat, nec deficiat in mensura pœnæ, vel præmij, non spectat ad virtutem iustitiæ; sed utriusque ad Sapientiam, qua novit mala, & bona, mensuras præmij, & pœnæ. Igitur falsò diximus utramque illam perfectionem conformandi loquutionem menti, & rebus præstari à veracitate, quæ est virtus voluntatis.

56 Respondemus ex dictis negando totum. Primò namque falsissimum est, Dei voluntatem nõ intendere ad res ut sunt in se; cum & hoc bonum quiddam sit. Et quidem decreta intrinsecè efficacia Dei actus voluntatis sunt; & qui tamè ex intrinsecis suis afficiuntur ad obiectum in re ponendum, ut volunt. Deinde, dato, quod salvetur ratio virtutis voluntatis ut sic, & utcumque, abstractæ ab excludente, vel non excludente omnem imperfectionem, per velle bonum sive in se, sive existimatum, sicque falsò propositum ab intellectu; non tamen ratio virtutis voluntatis perfectissimæ, ac rectissimæ, qualis est divina, complectentis de intra suam lineam, cum sit de linea volendi, ex modo suo eximio affectivo, utramque illam perfectionem, scilicet velle operari benè conformiter ad representationem mentis divinæ; & velle benè operari, quod in se bonum est: cum in utroque reluceat ratio boni: & in alterutro deficere, esset imperfectio repugnans rectitudini divinæ voluntatis. Denique constat in exemplis adductis falsò dici, quod de ratione, & de linea voluntatis divinæ, non sit non velle malum pro bono; aut iniustum pro iusto. Hoc enim rectissimæ voluntati Dei prorsus repugnat, præcisim etiam à perfectione Sapientiæ summæ: & quidem ex conceptu lineæ suæ volitivæ: quia esset male velle.

57 Urgent: implicantiæ esse terminorum dicere, virtutem misericordiæ Dei esse talem, ut, factò, aut factò casu, quod falleretur divina mens iudicans bonum, quod re ipsa malum est pauperi, aut e-converso; non posset velle dare nisi quod in re est bonum. Tunc enim iam non esset misericordiæ, nec virtus: utpote volens, & agens contra dictamen rationis divinæ.

Ref-

Respondemus, nullam in terminis esse implicantiæ præter eam, quam suppositio chimerica præfert. Eâ verò admittâ, duo dicimus. Primum, quod voluntas divina in eo casu factò non posset velle illud malum iudicatum à Deo malum; sicut nec malum iudicatum à Deo bonum: quia de rectitudine divini velle, est velle bonum iudicatum à Deo bonum: conformiter scilicet ad bonitatem rei in se, & ad dictamen intellectus divini. Cum autem in eo casu non posset velle Dei habere utramque istam conformitatem, siquidem repræsentatio intellectus errantis non esset conformis rei in se, atque adeo fieret necessum, quod velle Dei in alterutra conformitate deficeret, eo ipso repugnaret ex intrinsecis suis tale velle: & necessariò abstineret Deus à volendo. Quod si in hoc sit aliqua contradictio, non nisi ex contradictione infertur. Secundum: quod, quamvis admisso eo primo casu impossibili, admittamus & aliud, quod nempe voluntas vellet in re bonum iudicatum à Deo malum, esset hic affectus virtutis, quamvis contra dictamen rationis divinæ: regula enim rectè volendi, non est dictamen rationis divinæ in eo casu chimerico errantis; sed dictamen reale infallibile, quod nunc est.

58 Atque hinc iuxta primum nostrum respondendi modum negandum est, quod sine probatione dicunt sæpius Adversarij: scilicet casu illo impossibili, quod Dei mens falleretur in cognoscendo, veracitas Dei ex conceptu suo vellet conformare loquutionem suam cum mente. Id, inquam, constanter negamus: quinimo dicimus, quod in eo casu ex conceptu veritatis suæ repugnaret, quod Deus circa id loqueretur: quia non posset loqui nisi aut aliter ac obiectum esset in mente, aut aliter ac esset in re: utrumque autem id repugnantisimum est veracitati divinæ: non ex conceptu veritatis ut sic; sed ex conceptu summæ, ac perfectissimæ veritatis: utramque illam conformitatem, in loquendo æquè essentialiter ex conceptu suo importantis: tanquam rectitudinem lineæ suæ: non quidem intelligendi; sed volendi: cum tam velle loqui conformiter ad mentem, quam velle loqui conformiter ad res, nisi significationes vocum pervertamus, de linea volendi sint: ut pro nostra conclusione probavimus.

59 Obijcit secundò. Veracitas Dei,

seu veritas in dicendo ex conceptu suo taliter exigit, aut præsupponit in Deo veritatem in cognoscendo, hoc est, iudicium infallibile de rebus, sicut sunt in se, ut seorsim, vel præcisim ab eiusmodi iudicio nõ sufficeret ad fundandum, suadendum, vel imperandum assensum Fidei firmum, infallibiliter verum, & conformem rebus, ut sunt in se: ergo sola non sufficit ad autorizandam, & infallibilizandam loquutionem Dei revelantis, prout oportet ad motivum, & obiectum formale Fidei. Autecedens probatur: quia si veracitas concipitur, ut non ducta per tale iudicium, non concipitur ut realiter est; imò, ut chimæra; ac proinde insufficientis, & inepta ad fundandam Fidem. Si verò præcisivè non concipitur ducta per tale iudicium, & tamen concipitur loquens res ut sunt in se, iam non concipitur veracitas, quæ est virtus voluntatis rationabiliter, & viriliter loquens verum; imò nec concipitur loquens; cum loquutio dicat directionem intellectus; sed concipitur dumtaxat emortua quædam, & quasi fatalis necessitas non dicendi nisi verum: ergo eo ipso non concipitur aliquid divinum; ac proinde nec sufficientis, nec aptum cum tali revelatione ad rationem motivi, & obiecti formalis Fidei Theologicæ.

60 Respondemus, negando antecedens. Ad probationem, concedimus priorem antecedentis partem: modus enim ille concipiendi veracitatem *ut non ducta* per tale iudicium, negat illi prædicatum necessarium; atque adeo falsus & chimericus est. Posteriolem antecedentis partem negamus: modus enim iste *non concipiendi veracitatem, ut ductam* per tale iudicium, nihil illi negat; sed ab eo quod sit, aut non sit ducta per tale iudicium, præcindit, & abstrahit: abstrahentium autem non est mendacium, nec falsitas; sicut neque nihil dicentium. Itaque concipitur sic vera virtus voluntatis divinæ, quamvis ex illo modo concipiendi non concipiatur, ut ducta per iudicium infallibile; cum nec propterea id illi negetur, nec desit. Nec propterea concipitur, ut emortua & fatalis necessitas: non enim concipitur, nisi necessitata ex propria perfectione ad nolum loqui falsum, & volendum non loqui, nisi quod in re verum est: ut autem conciperetur id habens irrationabiliter, fataliter, & emortuè, deberet concipi id habens sine

sine iudicio illo infallibili: qui modus concipiendi non est præcisivus, sed negativus; ideoque falsus, ut ad priorem partem antecedentis dictum est.

61 Sic ergo distinguimus consequens: eo ipso quod veracitas concipiatur quasi fataliter, ac emortuè necessitata, & non ducta per iudicium infallibile, iam non concipitur ut realiter est; concedimus; eo ipso quod non concipiatur ut talis, negamus: illud enim prius est errare: quia est negare veracitati prædicatum necessarium, duci videlicet per iudicium infallibile divinæ mentis; istud verò posterius est præscindere; & sic præcisim ab infallibilitate iudicij divinæ mentis, invenire in rectitudine divinæ veracitatis velle loqui conformiter ad res, & non aliter: quæ est rectitudo specialis, ac virtuosa de linea volitivi divini, adæquans conceptum summæ veracitatis sufficientissimæ ex hoc conceptu suo, præcisim etiam à rectitudine iudicij, quam supponit, ad summè authorizandam, & infallibilizandam loquutionem. Sic certè apud Adversarios ipsos, quævis esset chimærica divina loquutio directæ per veritatem in cognoscendo, & imperata per veritatem in dicendo, & non producta à veritate in essendo, sive ab Omnipotentia, ubique immensè existentibus; nihilominus assensus credens mysterium ex motivo revelationis, & veritatis simul in cognoscendo, & in dicendo; præcisim verò ab Essentia, Omnipotentia, & immensitate; esset assensus Fidei Theologicæ, fundatus utique in autoritate Dei realissimæ, & non chimæricæ; quantumvis ex modo illo concipiendi præcisim à multis prædicatis sibi necessarijs, & sine quibus chimæra foret. Sic etiam decretum Dei intrinsecè efficax præcisim quoque à scientia dirigente est sufficiens medium realissimum ad cognoscendam rem decretam, quamvis sine scientia dirigente foret chimæra. Oportet igitur discernere inter deesse, aut negari de aliquo prædicatum, & inter non attribui illi, seu affirmari de illò tale prædicatum per aliquem modum nostrum concipiendi: hoc est præscindere; illud verò fingere, & errare.

62 Adversus totam nostram conclusionem obijciunt alij tertio ex Card. Pallavicino apud Haunoldum *Contr. 4.* contententes, nec complexum utriusque Primæ veritatis in cognoscendo, & in dicendo, acce-

dente revelatione, sufficere ad motivum, & obiectum formale Fidei; sed ulterius requiri essentialiter aliquod prædicatum divinum, quod est, Deum non posse permittere, quin re ipsa loquatur, tantam apparentiam credibilitatis, quanta haberi debet ab obligato ad credendum.

63 Arguunt autem sic. Ex 1. Ioan. 1. & 5. Infidelis peccans non credendo facit Deum mendacem. Sed non est cur ita faceret, si Dei Autoritas, præter veritates in cognoscendo, & in dicendo, non involueret essentialiter istud aliud prædicatum divinum: ergo istud insuper involvit; atque adeò prædictæ illæ duæ veritates non sufficiunt, nedum alterutra. Minorem probant: non enim omnes, qui peccant non credendo, sunt adeò blasphemii, ut dicant, aut putent, Deum esse mendacem, aut in cognoscendo falli posse: ergo falsis apud illos illis Dei veritatibus in cognoscendo, & in dicendo, in eo solum infideliter peccant, quia putant, Deum non loqui per hæc signa credibilitatis, quæ ipsis proponuntur; & per ea non ipsis proponi testimonium, quod re ipsa sit Dei. Atqui id sic putantes necesse est, quod negent aliquod prædicatum essentialiter autoritatis Dei: ergo prædictum novum prædicatum debet essentialiter involvi in constitutivo Autoritatis Dei. Probatur minor: quia nemo facit Deum mendacem, nisi negans eius autoritatem: sed non negatur Dei autoritas, nisi negato aliquo saltem prædicato essentiali illius: Cum ergo à communiter peccantibus discredendo non negentur alia prædicata divinæ Veritatis in cognoscendo, & in dicendo, sed solum illud, ut ex communiter contingentibus notum est; istud debet præterea esse essentialiter, & de constitutivo divinæ Autoritatis, requisitæ ad motivum, & obiectum formale Fidei.

64 Novus hic theologizandi modus ex duplici præsertim capite mihi valdè displicet. Primum: quia in id videtur collimare, quod nec respectu rudiorum possint à Deo permitti eadem omnino signa, & motiva credibilitatis pro articulo falso, ac pro vero, æqualiter proposito à Parocho: quin pro vero adsit aliquod speciale discerniculum etiam respectu simplicium, quo illa motiva & signa compleant rationem divinæ loquutionis de articulo vero, præ falso. Id quod mihi difficulter persuasum debetur, donec mihi fiat credibile, Autho-

res

Inf. disp. 5.

res istos habuisse revelationem de eiusmodi discerniculis: de quibus agemus *disp. seq. sect. 9.* Secundò: quia cum omnis credens obligetur iudicare infallibilem Dei autoritatem in loquendo; si Dei autoritas involueret essentialiter constitutive novum istud prædicatum Dei ab ijs Authoribus excogitatum, hoc etiam obligaretur firmiter credere, cum non sit evidens, sed obscurum; & illud discredens infidelis esset, utpote discredens articulo divinæ Autoritatis; quod tamen à nemine dicendum puto: esset enim imponere credentibus novum onus credendi, quod vix apud me attingit metas opinionis: cum è diverso res Fidei nostræ eo studio tractari debeat, ut pro rudibus etià ac simplicibus, minori, qua possint, difficultate, obtineatur ex vero motivo Fidei assensus salutaris.

65 Ad argumentum autem oppositum, maior indiget explicatione ex vera, & non fucata intelligentiâ Scripturæ, ubi legitur, quod infidelis, aut non credens facit Deum mendacem: cuius sacræ sententiæ solidam, ac genuinam expositionem legere oportebit apud Cornelium, Lorinum, & alios Interpretes Litterales. Ex quibus animadvertere est, Ioannem ibi non dicere, quod infidelis dicit Deum mendacem; sed, facit Deum mendacem: Non blasphemè dicit Deum esse mendacem; quoties incredulè dicit, Verbum non esse incarnatum, ut per se patet; facit tamen Deum mendacem, non quidem signatè & dictò; sed exercitè & facto: quatenus nempe incredulitate sua, propositis talibus signis testimonij Dei, qualibus in simili dubitari prudenter non posset de testimonio hominis veracis, sic discredens, negansque tunc testimonio Dei debitum Fidei obsequium, quod nulli homini, nisi mendax haberetur, negari non posset, eius testimonio sic proposito; gerit se cum Deo, ac si Deus mentiri posset; aut quasi in eo mentitus esset. Hic, & non alius Scripturæ sensus planissimus.

66 In hoc igitur sensu, & non in alio à Scripturarum sinceritate alieno, vera est maior argumenti. Et in eodem negatur minor: sicque nulla est consequentia, & subillatio. Ad probationem minoris, concedimus antecedens: & distinguimus consequens: in eo solum peccant, quia utrumque putant, Deum non loquutum esse, quæ eis utcumque proponuntur; nego:

multa enim sæpè proponuntur, ut à Deo revelata, secundum aliquorum opiniones, quorum revelatio ab alijs impeccanter, & impunè negatur: ex eo, quia talibus circumstantijs, & signis divini testimonij propositis, sub quibus prudenter dubitari non potest de divino testimonio; & tamen incredulè dissentiant mysterijs, Deo testimonio sic ipsis proposito revelatis, concedo consequentiam. Ad minorem autem subiunctam dicimus, ex nuper adnotatis; ad hoc non esse necesse, negare dicto autoritatem Dei: quæ ut benè dicitur in probatione, negari dictò non potest, nisi blasphemè negato aliquo saltem ipsius prædicato essentiali: esse tamen illam offendere facto, modo quo explicuimus, & quo intelligenda sunt verba Ioannis, quod omnis infidelis facit Deum mendacem. Unde nihil concluditur contra nos, nec contra solidam veritatem.

## SECTIO VI.

Qua ratione reducuntur utiliter ad veram doctrinam nostræ Conclusionis Autoritas Dei Assertoria, Propositoria, Promissoria, & Comminatoria, & Iuratoria: Maiestas Dei: Autoritas quoque Christi, & Ecclesiæ.

67 **M**ulta sub hoc Titulo comprehendimus: in quibus dilucidandis, & ad obiectum formale Fidei Theologicæ adaptandis variant, & laborant Authores. Ea tamen iuxta doctrinam universalem Conclusionis nostræ explicatis ritè vocibus minùs difficulter expeditur in particulari: & quidem non sine operæpretio.

68 Autoritas Dei purè Assertoria est, à qua procedit; & infallibilizatur Dei loquutio, seu revelatio purè assertiva: id est, simpliciter affirmans aliquid, aut negans. Propositoria dicitur illa, à qua procedit, & infallibilizatur Dei loquutio de ijs, quæ Deus faciendæ statuit, aut decrevit. Promissoria: à qua procedit, & infallibilizatur loquutio Dei aliquid promittentis in futurum. Comminatoria: à qua procedit, & infallibilizatur loquutio Dei comminantis malum infligendum. Maiestas Dei est summa Dei, ut Supremi Domini excellentiæ ad quam reducitur Autoritas Præceptoraria, Dominativa, & Legislativa: à qua

Ece

pro-

Pallavic.  
Haunold.

procedit, & infallibilizatur loquutio Dei aliquid præcipientis, aut prohibentis. De Authoritate Dei assertoria nihil est speciale, quod addamus: cum omnis doctrina in Superioribus tradita illi præsertim adaptetur. De reliquis dicam pauca: quia pauca sufficient.

69 Dico primò. Authoritas Dei *Propositoria* præter veritates in *cognoscendo*, & in *dicendo*, dicit etiam specialiter decretum Dei de adimplendo proposito suo nobis revelato. Hoc Dei decretum, pertinens ad virtutem constantiæ, est etiam simul cum revelatione sufficiens motivum, & obiectum formale Fidei, qua credimus eius adimplentem. Nam in primis loquutio, seu revelatio illa Dei propositoria procedit à decreto illo; seu proposito intrinsecè efficaci, quod præsupponit. Deinde ab illo metaphysicè infallibilizatur, scilicet à virtute divinæ constantiæ immutabilis. Itaque conceptu speciali suo, & ex perfectione suæ lineæ dicit essentiali connexionem cum sui adimplentem. Igitur, revelatio eiusmodi proposito divino, in illo simul cum illius revelatione relucet motivum sufficiens, ratioque formalis securissima credendi positionem rei sic à Deo propositæ, seu decretæ, & revelatæ: taliter nimirum, ut assensus nostræ Fidei Theologicæ de adimplentem possit habere pro sufficienti motivo, & obiecto formali eiusmodi decretum, virtutemque constantiæ in ipso involutam simul cum revelatione; sive coniunctim, sive etiam seorsim, aut præcisim à veritatibus in *cognoscendo*, & in *dicendo*: iuxta modum, quo in simili discurrebamus *sect. 4.* Est enim ex parte Dei perfectio summè authorizans, & per se reddens infallibilem divinam loquutionem propositivam: cum ex intrinsecis suis repugnet omnino perfectioni talis divini propositi, seu decreti, eius revelationem non impleri, & non verificari.

70 Dico secundò. Authoritas Dei *Promissoria* præter veritates in *cognoscendo*, & in *dicendo*, dicit etiam specialiter decretum divinum faciendi rem promissam. Hoc decretum spectans ad virtutem fidelitatis, aut iustitiæ, sive commutativæ, sive distributivæ, est etiam simul cum revelatione promissoria, sufficiens motivum, & obiectum formale Fidei credentis adimplentem promissi: modò coniunctim; modò etiam divisim, aut præcisim à ve-

ritatibus in *cognoscendo*, & in *dicendo*. Ratio est eadem, ac in *num. præc.* similiterque confectaria ad doctrinas *sect. 4.*

71 Dico tertio. Authoritas Dei *Comminatoria* præter veritates in *cognoscendo*, & in *dicendo*, dicit specialiter decretum infligendi malum pœnæ. Hoc decretum spectans ad virtutem iustitiæ vindicativæ, est simul cum revelatione comminativa sufficiens motivum, & obiectum formale Fidei credentis infligationem pœnæ revelatam: modò coniunctim; modò etiam seorsim, aut præcisim à veritatibus in *cognoscendo*, & in *dicendo*. Sequitur ex præcedentibus à simili.

72 Dico quarto. Authoritas Dei *Præceptoris*, Dominativa, seu Legislativa, pertinens ad *Maiestatem* Dei, ut Supremi & omnipotentissimi Domini: sive ipsa Dei *Maiestas* eiusmodi Authoritatem supremè dominativam ex ratione perfectissimæ iustitiæ legalis, involvens; sive coniunctim, sive etiam seorsim, aut præcisim à veritatibus in *cognoscendo*, & in *dicendo*, est, simul cum revelatione divini præcepti, vel prohibitionis, sufficiens motivum, & obiectum formale Fidei credentis obligationem obediendi. Ratio, præter prædicta, specialis est. Quia, præcipiente Deo, ut aliquid à se revelatum credamus, cum Supremæ Maiestati præceptivæ per se repugnet præcipere, ut credamus falsum; in hoc ipso conceptu involvitur specialis quædam Authoritatis summæ ratio, per se metaphysicè infallibilizans revelationem, & loquutionem illam, cuius assensum Maiestas Dei præcipit: igitur abs dubio, qui iussus crederet dictæ revelationi ex eiusmodi motivo divinæ Maiestatis præcipientis, & loquentis, eoque titulo authorizantis, & infallibilizantis eiusmodi loquutionem, crederet Theologicè propter motivum sufficientissimum, & ex obiecto formali Fidei. Antecedens patet. Nam illa Authoritas dominativa, & præceptiva Supremæ Maiestatis Dei ex intrinsecis suis habet formaliter, & de intra suam lineam, non posse obligare ad assensum malum, nec falsum; sed ad bonum damnatum, & verum.

73 Præterea: quia divinum præceptum per se, & ratione sui est testimonium divinum de re, cuius assensum Deus præcipit. Quapropter, si Deus mihi hodie omnino indispensabiliter, & absolute, misere-

cras pro anima Purgatorij Petri hodie vivi; eo ipso revelat me cras fore vivum, & Petrum defunctum: & eo ipso quod præcipit aliquid fieri; testatur posse licitè fieri. Similiter ergo præcipiens Deus aliquid credi, testatur eo ipso id esse verum: ergo credens id esse verum, quia Dei Maiestas præcipit ut credatur, exercet eo ipso assensum Theologicum Fidei, habentem pro motivo Authoritatem Maiestatis Dei præceptivè revelantem: taliter nimirum ut Authoritas ista Maiestatis Dei ut Supremi Domini, sit obiectum formale prædicti assensus intellectualis Fidei; & non solum actus voluntatis volentis obedire, & captivare intellectum, ut ex Gualtero retulimus, & reiecit *sect. 1. num. 3.*

74 Scire si cupias, quid ad prædictas Dei Authoritates addat Authoritas *Imperatoris*: quando scilicet Deus non utcumque rem testatur, & asserit, quin etiam iurat, ut sæpè legitur in Scripturis. De hoc dixi quod satis est ad meum sensum *disp. 1. num. 83.* Ex ibi dictis mihi tria persuadeo. Primum: Deum non nisi metaphoricè, & improprie posse dici iurare. Secundum: iuramentum non posse superaddere certitudinem, & firmitatem testimonio Dei, utpotè summè certo, ac infallibili. Tertium: modos illos loquendi Scripturarum valde prodesse, non quidem, ut firmius credamus; sed ut iuxta humanum morem loquendi plus moveamur ad firmiter credendum.

75 Authoritas Christi non est cur nos demoretur. Vno verbo dicimus, omnia quæ dicta sunt de Authoritate Dei, intelligi debere de Authoritate Christi; cum verè Deus sit; cuius utique loquutio, utpotè Theandrica, est loquutio Dei summè authorizata, & infallibilizata ab omni divina Authoritate increata.

76 Authoritas Ecclesiæ distingui nunc etiam debet, ut sæpè distinximus. Una est purè humana, prout à congregatione multorum hominum sapientum, veracium, & proborum: hæc autem Authoritas, quamvis inter humanas maxima sit; quia tamen purè creata est, non sufficit ad motivum, & obiectum formale Fidei. Alia est Authoritas Ecclesiæ, prout in suis definitionibus suffulta ab speciali assistentia Spiritus Sancti, ut diximus *disp. 3. sect. 5.* Hæc autem refunditur in ipsam increatam Authoritatem Dei per illam loquentis, & revelantis.

77 Ex dictis sit mihi pariter dicendum, Omnipotentiam quoque divinam, à qua scilicet procedit physicè, & specialiter revelatio, sive loquutio Dei ad extra, esse simul cum revelatione sufficiens motivum, & obiectum formale Fidei, sive coniunctim, sive etiam seorsim, aut præcisim à prædictis alijs divinis perfectionibus. Ratio est: quia in primis pertinet ad Deum ut loquentem ad extra; cum sit principium physicum *quo*, & veluti lingua divinæ loquutionis ad extra. Deinde ex conceptu suo speciali habet non posse esse causam per se operationis intrinsecè vitiosæ, Deum dedecentis; ac proinde nec loquutionis, nec promissionis, nec comminationis, & cuiuscumque revelationis divinæ falsæ: qualibet ergo divina loquutio induit authoritatem, & infallibilitatem: ex hoc etiam speciali capite, quod sit opus per se speciale Omnipotentis, cui ex intrinseca perfectione suæ lineæ repugnat per se causare loquutionem Dei falsam, aut mendacem; sicut nec operationem peccaminosam: usque adeo ut, si fingatur, Sapientiam Dei falli, & voluntatem imperare influxum per se specialem Omnipotentis in talem loquutionem, huic influxui repugnet ex intrinsecis suis Omnipotentis: ergo in Omnipotentia ut loquente, & revelante relucet etiam speciale prædicatum summè authorizans, & infallibilizans divinam loquutionem, prout requiritur & sufficit ad motivum, & obiectum formale Fidei Theologicæ. Præterea, Omnipotentia ex speciali conceptu habet esse virtutem productivam ad extra, non nisi possibilem, ut firmavimus in *Tract. de Attrib.* ergo repugnat illi ex conceptu suo speciali suæ lineæ producere loquutionem Dei non veram: quæ quidem impossibilis est, & chimæra.

78 Obijcies, sequi ex ijs nostris Doctrinis, quamcumque Dei perfectionem, aut Attributalem, aut etiam Relativam simul cum revelatione habere specialem rationem motivi, & obiecti formalis Fidei: quia nulla est increata Dei perfectio, cui per se ex intrinsecis suis non repugnet, Deum mentiri, & falsum loqui; haud quidem secus, ac Deum esse chimæram. Sunt, qui concesserint sequelam, nihil absurdum in ea rimentes. Potest tamen negari. Nam ut aliqua Dei perfectio sit de formali suo conceptu motivum, & obiectum formale

Sup. disp. 1. sect. 5.

Sup. disp. 3.

To. de Deo.

Fidei, præter eiusmodi repugnantiam intrinsicam cum loquutione Dei falsa, quam omnes habent, debet formaliter pertinere ad Deum ut loquentem, aliquatenus videlicet influendo in loquutionem, aut tanquam principium quod loquens, ut Deus; & Persona divina; aut tanquam principium formale, quo, sive directivum, & illuminativum, ut Sapientia; sive determinativum, ut voluntas; sive physicè productivum, ut Omnipotentia; sive inclinativum, ut interdum virtus misericordiae, interdum iustitiae, interdum fidelitatis, interdum constantiae, aut aliarum virtutes adæquantes moralem Dei bonitatem, & sanctitatem, pro varietate scilicet rerum revelandarum. Reliquæ autem Dei perfectiones, quæ ex proprijs conceptibus non pertinent formaliter ad Deum ut loquentem; sed habent se quasi de purè materiali, ut immensitas, æternitas, aliaque id genus, quamvis alioquin per se etiam excludant essentialiter à Deo mendacium, & falsiloquium, non ita pertinent ad motivum, & obiectum formale Fidei.

79 Dices, has quoque Dei perfectiones cum realiter & obiectivè sint ipsa Dei Sapientia, veracitas, & Omnipotentia, posse sic concipi, ac proinde ut realiter sunt principium loquutionis divinæ ad extra. Fateor id esse verum; atque adeo sub eo conceptu singulas esse posse motivum & obiectum formale Fidei. Hoc tamen iam est eas reducere ad conceptus, & perfectiones formales Sapientiae, veracitatis, aut Omnipotentiae habentium se de formali ad loquutionem ex proprijs conceptibus. Quod dicimus, est, eam perfectionem æternitatis, & alias huiusmodi, ex proprijs ac definitivis conceptibus suis de materiali se habere ad Deum ut loquentem; ideoque ex proprijs suis conceptibus definitivis non pertinere ad motivum, & obiectum formale Fidei, sicut alia.

### SECTIO VII.

*An ipsa veritas intrinseca Mysteriorum possit etiam esse motivum, & obiectum formale Fidei Theologicae, & salutaris?*

80 **S**TATUS, & sensus huius utilissimæ difficultatis variè à varijs expositus & satis implexus, dignoscetur securius

ex fundamentis negantium, & affirmantium, ut sententiam feramus pro expediendâ Fidelium praxi maxime convenientem.

81 Negativam partem tenet communis sententia apud Oxeam latè, & doctè *Oxea.* pro ea differentem *disp. 2. sect. 1. subsect. 2.* Explicat autem se, & differit sic. Fides in nobis est supplementum Scientiæ: quatenus nempe si cuncta credibilia sciremus per principia intrinseca, non indigeremus notitiâ Fidei: quæ propterea iuxta phrasim Apostoli evacuatur in Beatissimè, adveniente Dei, & aliarum rerum visione: ergo motivum extrinsecum Fidei est supplementum motivi Scientiæ. Atqui motivum Scientiæ est, aut ipsa veritas intrinseca Mysteriorum, aut medium intrinsecum cum illis connexum, vel à priori instar causæ, vel à posteriori instar effectûs: Fides igitur nequit habere pro motivo, nec pro ratione, & obiecto formali firmiter assentiendi ipsam veritatem intrinsecam Mysteriorum, quæ sunt obiecta materialia ipsius; sed loco illius attestacionem extrinsecam Dei, quæ est Dei summæ autoritatis revelatio. Assensus ergo, qui assentiretur alicui Mysterio v.g. existentiae necessariæ Dei, Trinitati, aut Incarnationi, propter intrinsecam veritatem talium Mysteriorum, eo ipso non esset assensus Fidei, utpote non innixus motivo, & obiecto formali proprio Fidei. Confirmatur: quia Fides est virtus Theologica, eiusque assensus sunt actus Theologici: atque adeo habentes immediatè pro motivo, & obiecto formali aliquod prædicatum divinum: sed veritas intrinseca rerum revelatarum sæpè non est quid intrinsecè divinum, cum sæpè sint res creatæ; ut creatio Cœli, & terræ, Nativitas, & prædicatio Baptistæ, Resurrectio Lazari, Apostolatus Petri, & alia huiusmodi: assensus ergo, qui haberet pro motivo, & obiecto suo formali intrinsecam veritatem talium Mysteriorum, non est Theologicus; atque adeo nec Fidei.

82 Affirmativam nihilominus partem tenet latè Ripalda *disp. 2. sect. 3.* alios *Ripalda.* allegans *sect. 2. num. 16.* Explicat autem se, & arguit multipliciter, ac ingeniosè.

83 Primò ex doctrinâ Philosophicâ, de qua meminimus *disp. 2. num. 27.* iuxta *Supr. disp. 2. sect. 2.* quàm præcedentibus legitimis præmissis, potest deduci legitima conclusio ex præ-

illuminatione præmissarum; non tamen habens pro obiecto formali intrinseco veritatem obiectivam præmissarum, sed ipsam intrinsecam veritatem obiectivam conclusionis detectam per præmissas: quin tamen propterea desinat esse formalis conclusio; & quidem pertinens ad Fidem, cuius formalem conclusionem diximus ibi esse assensum Fidei. Tunc igitur assensus prædictæ conclusionis erit assensus Fidei, habens tamen pro motivo, & obiecto formali intrinseco ipsam intrinsecam veritatem Mysterij, quod est obiectum talis conclusionis; manifestatâ tamen luce præmissarum: quarum utique obiectum, quod tunc est Dei autoritas & revelatio, non esset tunc obiectum formale intrinsecum conclusionis; sed extrinsecum, & nõ per ipsam; sed per præmissas actum; non motivum; sed impulsivum, ut ex *Hurtad. loquitur Lumbier quest. 2. art. 4. num. 146.* sicque erit assensus Fidei non habens pro obiecto formali, & motivo; nisi ipsam intrinsecam veritatem Mysterij.

*Hurtad. Lumb.*

84 Secundò. Postquam Fidelis semel, iterum, aut sæpius, credidit Mysteria, quia Deus revelavit; sæpè deinceps eidem assentitur, memor Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, aliarumque similium veritatum, quamvis immemor revelationis. Quemadmodum postquam audivimus à varijs narrationem facti, sæpè recordamur facti, eique denuò assentimur, immemores illius, à quo id accepimus, nec pro nuntio conscij, an legerimus, an audierimus. Eiusmodi autem assensus Mysteriorum, utpote obscuri, sunt assensus Fidei: durissimum enim esset dicere, eos assensus non sufficere ad exercendos identidem actus meritorios amoris, timoris, doloris, obedientiæ, elemosynæ passim fidelibus occurrentes: & quidem non sufficerent, si non essent assensus Fidei, sine qua actus meritorij non fiunt, ut suppono ex *disp. de Grat.* Id quod de Fide stricta, & non quomodocumque latè intelligere necesse est contra Propositiones 23. & 65. rectè prohibitas ab Innocentio XI. Atqui eiusmodi assensus communissimè contingentes habent iam pro obiecto formali, & pro intrinseca ratione assentiendi veritatem ipsam Mysteriorum; non verò revelationem: quæ quidem nec in mentem venit: nec ut plurimum Confessarij, aut assistentes moribundis ad excitandos in eis pios mo-

tus voluntatis requisitos ad iustificacionem curant revocare illis in memoriam revelationes Mysteriorum; sed veritates Mysteriorum, ut quotidiano cernimus experimento. Ergo quia eiusmodi assensus Mysteriorum, ut communiter exerceantur, quamvis intrinsecè non attingant revelationem, & autoritatem Dei; sed ipsam veritatem intrinsecam Mysteriorum, sunt verè assensus Fidei salutaris.

85 Tertio. Antequam intellectus credat Mysterium, apprehenditur Autoritas Dei revelans: ex qua apprehensione affluget menti veritas revelationis & Mysterij. Post hanc lucem apprehensivam potest intellectus assentiri illicè veritati Mysterij, utpote iam sibi propositæ per apprehensionem præviâ, quin illicè assentiat veritati existentiae revelationis: in casu saltem, quo Deus, ut potest, deneget concursum ad ulteriorem assensum veritatis existentiae revelationis apprehensæ. Tunc certè assensus veritatis Mysterij procederet obscure à luce revelationis apprehensæ detegentis veritatem Mysterij; atque adeo esset assensus Fidei: sed nõ attingeret, ut motivum intrinsecum, revelationem, quamvis eam supponeret actam per præviâ apprehensionem: ergo esset assensus Fidei, quin haberet pro obiecto formali per ipsum actum revelationem, sed intrinsecam veritatem Mysterij manifestatam per revelationem præviâ apprehensam. Sic existentiae coloris nequit intellectus intuitivè assentiri, nisi posita luce: posita verò luce potest intellectus assentiri existentiae coloris, quin eo assensu attingatur existentiae lucis, cuius ope color alioquin latens innotuit. Sic etiam ex prævio amore simplici bonitatis Dei potest moveri voluntas affectu charitatis perfectæ ad efficacem detestationem peccati oppositi bonitati divinæ; non tamen actus intrinsecè per ipsam detestationem; sed dumtaxat præactus per prævium illum amorem simplicem.

86 Quarto. Apprehensâ Dei Autoritate revelante, potest imperare voluntas assensum Mysterij, non imperato assensu existentiae revelationis: ergo assentiretur veritati Mysterij, quin assentiretur veritati revelationis. Antecedens probatur. Nam voluntas potest velle obsequium præstare Deo, & in assensu revelationis, & in assensu Mysterij: imò hic potius videtur exigi à Fi-

à Fide: sed si assensus Mysterij non posset esse sine assensu revelationis, totum Fidei obsequium, revocandum esset in assensum revelationis, & nihil ultra haberet obsequij assentiri Mysterio: ergo quia potest voluntas liberè imperare assensum Mysterij sine assensu revelationis. Maior probatur: Primo: quia obsequium præstitum Autoritati creatæ non tam consistit in assensu testificationis, quam rei testificatæ: ergo apprehensâ Dei revelantis testificatione, præcipuum Fidei obsequium est in assensu Mysterij: quamvis non sit simul assensus revelationis per ipsum attractæ. Secundo: quia Hæreticus spernit, & offendit Autoritatem Dei, non solum dissentiens existentia revelationis, quin etiam dissentiens immediate Mysterio, quamvis non dissentiret existentia revelationis: imò & continuans post notitiam revelationis eundem fortè dissentium Mysterij, quem ante notitiam revelationis, ac proinde non attractâ revelatione, prius inchoaverat: ergo poterit Fidelis obsequi divinæ Autoritati, non solum assentiendo existentia revelationis, quin etiam assentiendo immediate Mysterio, non attractâ per talem assensum revelatione, quamvis præviè apprehensâ. Sic apud multos cum Suarez, quod adorentur Imagines propter exemplar, non tollit, quominus per se ipsas etiam immediate adorari possint, quin eo ipso actu adoretur exemplar: nam ad earum adorationem sufficit extrinseca propositio exemplaris, & simplex affectio voluntatis in eius excellentiam, quamvis actus efficax adorationis in solam feratur imaginem directè.

87 Ad hæc quatuor capita reducuntur huius sententiæ momenta susus videntur apud Ripaldam cit. Quibus pro communi sententia negante respondere studuit impense, & doctè Noster Oxea *subsect. 1.* Verumenim verò in ipsius responsionibus, alioquin ingeniosis, & solidis, nisi malè fallor, deprehendere mihi videor, vix quidquam rei ab ipso absolute negari, quod in sententia Ripaldæ affirmari necesse sit: quidquid hinc & inde superfit de dissidio vocali circa aliqua, quæ minus è re sunt. Sicque videtur intellexisse, & resolvisse difficultatem istam utilissimam M. Lumbier *art. 5.* ex cuius doctrina tentari potest utriusque sententiæ in multis, & quidem præcipuis conciliatio. Quod si obti-

neri potest, in id maxime laborandum iudico, prout expedit maximopere ad tuendam communem, & omnino sustinerendam Fidelium, præsertim simplicium, praxim in credendo, ne propter Scholasticas subtilitates dicere cogamur, illos ut plurimum, non credere salutariter, & consequenter non operari meritorie: ut expenditur in probatione secunda Ripaldæ *num. 86.* quæ huius puncti gravissimi medullam profundius attingit.

### SECTIO VIII.

*Nostrum iudicium pro conciliatione utriusque Sententiæ, & securitate communis Fidelium praxis.*

88 Iudicium meum esto pro communi sententia, veritatem intrinsecam Mysteriorum non esse sufficiens motivum, & obiectum formale ad assensum Fidei salutaris, si illorum assensus nec formaliter, nec virtualiter, nec explicitè, nec implicitè habeant intrinsecè pro motivo, & obiecto formali Dei loquentis, & attestantis Autoritatem, & revelationem. Bene verò, si hanc habeant pro motivo, & obiecto formali, si minus formaliter, & explicitè, saltem virtualiter, & implicitè. Sic fortè complectemur, pro communiter credentium praxi, quidquid in utraque sententia verum esse necesse est, ut in sequentibus conabimur.

89 Prior huius conclusionis pars videtur æquè plana, ac planum est, quod actus, qui nec formaliter, nec virtualiter, nec explicitè, nec implicitè, attingerent pro motivo, & obiecto formali suo increatam Dei bonitatem, non essent actus Charitatis Theologicæ, nec ad habitum Charitatis Theologicæ pertinerent, ut effectus per illum elicit. Id quod videtur omnino convinci per argumenta primæ sententiæ posita *num. 81.* In quibus tamen expedit observare: quod, quamvis verum sit, quod intenditur ibi, assensus habentes pro motivo & obiecto formali solam intrinsecam Mysteriorum veritatem non esse assensum Fidei, utpote nullatenus nixos testimonio Dei revelantis, ac proinde motivo essentiali Fidei penes intrinsecam tendentiæ suæ prorsus destitutos; attamen verum non est, sed absolute negandum, quod ibi inter arguendū videretur sensum assumi, Fidè taliter esse

esse supplementum Scientiæ, ut corâ motivo scientiæ stare nō possit simul motivum Fidei, & ipsa Fides, ut stat sæpè circa veritates alioquin evidentes, simulque à Deo revelatas, iuxta dicta *disp. 1. sect. 3.* tunc enim stabit Fides cum motivo Scientiæ, habens etiam suum motivum & obiectum Fidei, scilicet testimonium Dei revelantis veritatem aliunde evidentem.

90 Nec proinde talis assensus erit Scientiæ: quia non est idem, actum habere pro obiecto motivum Scientiæ, & esse scientiam: ut patet in actibus opinativis habentibus sæpè pro obiecto suo motivum scientiæ, scilicet veritatem ipsam intrinsecam rerum, aut earum connexionem cum suis causis, vel effectibus, quin scientifici sint, eo quod non ita penetrent eas intrinsecas veritates, vel connexiones, ut excludant formidinem de opposito. Dicitur itaque Fides supplementum Scientiæ, quia eius habitus datur ut plurimum pro notitia cerra exclusiva formidinis veritatum, quæ non nisi ex Dei revelatione certò nobis innotescunt. Quod neutiquam tollit, quominus Fidei assensus attingat interdu Mysterium revelatum propter intrinsecam veritatem Mysterij, dummodo ea ipsa veritas innotescat per Dei revelationem, quæ sit etiam motivum saltem virtualiter & implicitè talis assensus. Hoc enim iam est, assensum inniti testimonio Dei revelantis modo sufficienti ad rationem virtutis Theologicæ.

91 Atque hinc patet recta intelligentia confirmationis in eodem *num.* subiunctæ. Concessis enim præmissis, neganda est consequentia: aut, ut pateat defectus terminorum, distinguendum consequens: assensus, qui haberet pro motivo veritatem intrinsecam Mysteriorum, non attingens simul ex intrinseca sua tendentia pro motivo testimonium Dei revelantis, non esset Theologicus, concedimus; si simul ex intrinseca sua tendentia attingeret pro motivo saltem virtualiter, & implicitè testimonium Dei revelantis eandem Mysterij veritatem, negamus: hoc enim sufficeret ad rationem assensus Theologici, & Fidei ad habitum virtutis Fidei pertinentis: ut in sequentibus explicabitur.

92 Posterior pars conclusionis, quæ in re coincidit cum substantia, & utilitate doctrinæ Patris Ripaldæ, probatur. Primo ex doctrinis communibus in materia vir-

tutum: quarum scilicet actus, eo ipso quod virtualiter implicitè & exercitè, quamvis non formaliter, explicitè, & signanter, attingant motivum, & obiectum formale specificativum alicuius virtutis, dicuntur ad illam pertinere: ut patet in actibus contritionis, detestantibus super omnia peccatum, quia offensivum infinitæ bonitatis Dei amabilis super omnia: eo enim ipso dicuntur pertinere ad virtutem, & habitum Charitatis Theologicæ; quamvis non ita expressè, formaliter, directè, & signanter attingant motivum ipsum charitatis, scilicet bonitatem Dei; sed indirectè dumtaxat, exercitè, virtualiter, & implicitè: & in actibus attritionis detestantibus peccatum, quia dignum pœnâ privationis æternæ beatitudinis: eo enim ipso dicuntur pertinere ad virtutem, & habitum Spei Theologicæ, quamvis non ita directè, formaliter, directè, & signanter attingant motivum ipsum Spei, scilicet Deum, ut bonum nobis; sed indirectè dumtaxat, exercitè, virtualiter, & implicitè: & sic in alijs idemtidem. Sic igitur ad rationem assensus Theologici pertinentis ad virtutem, & habitum divinæ Fidei, attingentis formaliter & directè veritatem intrinsecam sæpè creatam Mysterij revelati, sufficet, si exercitè, virtualiter & implicitè ex ipsa sua intrinseca tendentia moveatur à testimonio, & increata autoritate Dei revelantis, quamvis sæpè non attingat huiusmodi motivum ita formaliter, explicitè, & signanter, ac alij assensus expressiores.

93 Probatur insuper eadem pars posterior conclusionis nostræ ex fundamentis Patris Ripaldæ, adductis pro Sententia affirmante à *num. 83.* In quibus tamen animadvertum velim, cavendum sedulo in illis esse, ne contra Prohibitionem supra laudatam Innoc. XI. de qua agemus *disp. 11. Infrà disp. 11.* foveri videatur doctrinæ de sufficientia Fidei latæ, qualis esse dicebatur quælibet notitia supernaturalis aliquorum Mysteriorum, non innixa strictæ Dei revelationi, sed aliunde habitæ. Hac autem notâ cautè depulsâ à prædictis fundamentis, de cætero magnam continent partem veræ, ac bonæ Theologiæ pro secunda parte nostræ conclusionis. Quoniam verò non omnia, quæ ibi immiscuit Ripalda, placere nobis possunt, oportet singula diiudicando percurrere, ut veræ, & firma discernantur à falsis, & minus solidis cum fructu, Pri-

*Sup. disp. 1*

*Suarez.*

*Ripald.*

*Oxea.*

*Lumb.*

94 Primum argumentum numeri 83. veram ponit Philosophiam, cuius ibi meminimus remissivè: verèque infert ex illa, quòd in eo sylogismo: *Omne quod Deus revelat, ita est: revelat Trinitatem: ergo ita est: conclusio formalis est assensus Fidei ex dictis à nobis disp. 2. sect. 2.* Adde nunc, forè quoque assensum Fidei, etiamsi ea conclusio haberet pro obiecto formali veritatem intrinsecam Mysterij manifestatam luce illarum præmissarum. Nam hoc ipsum est, habere virtualiter, & implicitè pro motivo, & obiecto formali veritatem obiectivam suarum præmissarum, involuente Dei auctoritatem, & revelationem de Trinitate: & quamvis signatè non exprimat, se assentiri ex hoc motivo, id tamen revera exercitè præstat, ad modum quo revera assentitur exercitè obiecto suo, quamvis id signatè non asserat: non enim formaliter asserit, se assentiri; sed Trinitatem ita esse. Et ratio est: quia hoc ipsum, quod est, assentiri veritati obiectivæ talis conclusionis ut detectæ, & manifestæ per præmissas beneficio, & lumine divinæ revelationis in ipsarum obiecto involuta; est exercitè, virtualiter, & implicitè assentiri ex motivo divinæ revelationis. Hoc autem verè sufficit ad exercitum Fidei strictæ contradistinctim ad Fidem latam, nullatenus innixam divino testimonio, cuius utique notitiam, & lucem non præsupponeret: & à quo propterea nec implicitè, nec virtualiter exercitè moveretur. Hinc quia de re potius, quam de vocibus curamus, admissio modo loquendi Patris Hurtado, quòd scilicet in eo casu Dei Auctoritas & revelatio non sit obiectum formale intrinsecè motivum talis conclusionis, sed extrinsecè impulsivum, quatenus actum à præmissis impellentibus ad assensum conclusionis; intelligendum nobis est, loquendo formaliter signatè, & explicitè: cum quo stat, quòd exercitè virtualiter & implicitè auctoritas & revelatio Dei de Trinitate sint tunc motivum intrinsecum talis conclusionis assentiens veritati Trinitatis, quamvis formaliter illi etiam assentiatur propter se ipsam. Id autem sufficit, ut eiusmodi conclusio sit assensus Fidei strictæ, & ab habitu Fidei, quamvis simul etiam à suis præmissis.

95 Secundum argumentum numeri 84. substantialissimum est, & præcipui ponderis in hoc puncto. Nec aquidem vi-

deo, qua ratione undecumque conquistâ negari possit à Theologo, quòd intendit, nisi perturbando Fidem, & conscientias præsertim simplicium communiter & ut plurimum modo, quo ibi dicitur, credentium in usu Sacramentorum, & in exercitio operum virtutis. Si enim sic non exercent decursu vitæ Fidem strictam verè Theologicam, actum fere esset de suo modo credendi, seu assentiendi Mysterijs: & certè studiosius de hoc deberent instrui à Parochis, Catechistis, & Confessarijs: quos tamen omnes quoad hoc deesse muneri suo, eos relinquendo in praxi sua communi, & in modò profitendi Mysteria, non facile credam, nec nisi temere indicarem.

96 Idcirco nec doctissimus Oxæa auctus est id nobis negare in responsione ad hoc argumentum Ripaldæ: factus ingenuè *num. 6.* eiusmodi ordinarios Catholicorum assensus de Mysterijs esse moraliter, æquivalenter, & reductivè actus elicitos per habitum Fidei, sufficientes ad exercendos motus voluntatis salutes, & meritorios: quod est in rei substantia concedere nobis totum intentum, prout opus est. Addit tamen minùs benè, minùsque consequenter, latè dumtaxat esse actus Fidei: quod est, in modo saltem loquendi, dicere, non obstante nuperà prohibitione Innocentianâ, Fidem latè dictam sufficere ad actus virtutum salutes, & meritorios, non satis coherentem ad prohibitionem Innocentianam. Profectò, si eiusmodi assensus obscuri Mysteriorum eliciantur à Fidelibus per habitum infusum Fidei, & moraliter, ac æquivalenter, aut virtualiter ex motivo divinæ revelationis, à cuius lumine derivantur; & sufficiunt ad exercendos actus salutes, & meritorios, quibus Fideles communiter disponuntur utiliter ad iustificationem, inæsequibilem in præsentem Dei lege sine Fide stricta; non capio qua doctrinæ coherentiam negari possit, esse assensus Fidei strictæ, prout ex communi modo, & praxi credendi Fidelium contendimus.

97 Si dicas, deficere à ratione strictæ Fidei, quia deest illis habere tunc pro motivo, & obiecto formali Auctoritatem, & revelationem Dei; contra est: quia, quamvis id non habeant formaliter, explicitè, & signatè ob formalem incogitantiam revelationis, id tamen habent ex modo suo

suo intrinsecò assentiendi virtualiter, implicitè, & exercitè: etiamsi tunc in mentem non redeat formaliter revelatio, cuius notitia physicè præterijt. Hoc autem sufficere, ut sint assensus Fidei strictæ, liquidò constat ex dictis: aut certè nec id sufficere, ut sint salutariter excitativi actuum meritoriorum, & disponentium ad iustificationem; nec, ut eliciantur ab habitu infuso Fidei Theologicæ: qui extra spheram sui obiecti formali non exercetur, ut est omnibus notum. Quodsi semel supponas, in aliquo eventu fieri assensum Mysterij nullatenus, nec virtualiter, nec implicitè habentem pro motivo divinam revelationem, non secus, ac si ea nunquam prælassisset; dicam, quòd in eo eventu non admittibili in homine Fidei, nisi positivè excludente à suo assensu motivum divinæ revelationis, non exerceretur assensus Fidei, nec talis assensus erit ab habitu Fidei, nec sufficere ad actus salutes, & meritorios. Hic autem casus eò minùs oppugnat doctrinam nostram generalem, quòd longius recedit à communi modo credendi, & à praxi Fidelium timoratorum: pro quibus laboramus.

98 Tertium argumentum numeri 85. revocat in mentem doctrinam, quam ex P. Suarez tenuimus *disp. 3. sect. 3.* non sufficere ad assensum Fidei quamlibet prænotitiam, seu apprehensionem Auctoritatis, & revelationis Dei; sed requiri earum assensum æquè firmum, ac de Mysterio revelato: saltem cum primum credimus Mysteria revelata. Quâ doctrinâ suppositâ, sic admitto discursum tertij argumenti, ut fatear, post assensum sufficientem de auctoritate, & revelatione, exerceri deinceps posse novos assensus Fidei de Mysterio revelato sine novo assensu formali, & explicito de Dei Auctoritate, & revelatione; non verò sine virtuali, & implicito, & habente exercitè virtualiter pro motivo Dei Auctoritatem, & revelationem: qui quidem est assensus ipse de Mysterio, ut derivatus ab assensu physicè præterito Auctoritatis, & revelationis, ipsique exercitè innixus: atque adeò habens virtualiter, implicitè, & exercitè pro motivo, & obiecto formali Dei auctoritatem, & revelationem, de qua iam semel præcesserat formalis assensus non revocatus, & sui speciem in intellectu relinquens. Nec valet contra hoc illud, quòd opponitur de decreto Dei offe-

rentis deinde concursum suum ad assensum Mysterij, & denegantis ad assensum revelationis. Hoc enim nec decerni, nec verè dici potest de assensu formali Mysterij, & virtuali revelationis, & exercitè ex motivo revelationis, cum sint omnino idem. Itaque denegare concursum ad assensum hoc saltem modo assentientem revelationi, & propter revelationem, esset eo ipso denegare ad assensum Fidei Theologicæ de Mysterio: sicut, si negaretur concursus ad assensum obscurum, aut ad supernaturalem: & sicut eo ipso quòd denegaret Deus concursum ad actum habentem saltem virtualiter pro motivo Dei bonitatem, denegaret certè ad actum Theologicæ Charitatis.

99 Quòd additur ibidem de colore, & luce, non venit ad rem. Lux enim non est motivum, propter quòd intellectus primò assentitur existentie coloris: sed requisitum, seu obiectum commateriale potentie visivæ, sine quo non mitteretur ad intellectum species coloris: qua tamen specie transmissâ, simulque specie lucis, intellectus deinceps assentiri potest existentie utriuslibet seorsim, aut utriusque simul, aut neutrius: cum in hoc se habeant omnino inconnexè. Non sic Mysterium, eiusque revelatio, quæ fuit motivum primò assentiendi Mysterio. Quòd subiungitur de affectu detestante efficaciter peccata, quia opposita divinæ bonitati, doctrinam nostram confirmat potius quam impugnat: non enim esset affectus veræ contritionis, nec virtus Charitatis, si ex modo suo intrinsecè efficiendi voluntatem non haberet exercitè pro motivo saltem virtualiter, & implicitè divinam bonitatem, ut arguebamus *num. 92.*

100 Quartum argumentum numeri 86. præ oculis ponit, quòd circa tertium adnotavimus. Dicimus ergo, præcedente illa notitia divinæ revelationis, posse fortè imperari à voluntate assensum Fidei de Mysterio, non imperato novo assensu formali revelationis, nec habente formaliter explicitè, & signatè pro motivo revelationem; non tamen quin illam habeat pro motivo virtualiter, implicitè, & exercitè: prout sufficere diximus ad assensum strictæ Fidei. Quodsi affectatè imperaret tunc voluntas assensum de Mysterio, positivè volens excludere motivum revelationis; atque adeò nec virtualiter, nec implicitè habentem

tem divinam revelationem pro motivo; in hoc raro casu imperaret assensum, qui non esset Fidei, nec ab habitu Fidei, nec sufficiens ad exercendos actus salutes meritorios, & dispositivos ad iustificationem: quemadmodum si imperaret actum amoris, qui nullatenus esset propter Dei bonitatem, imperaret amorem, qui nec esset Charitas Theologica, nec ab habitu Charitatis Theologicae, ut in simili diximus num. 98.

102 Quod additur in probatione antecedentis de obsequio captivandi intellectum, in utroque quidem perspicitur, & in assensu Mysterij, & in assensu revelationis, cum in utroque detur obscuritas vincenda per imperium, seu piam affectionem voluntatis: nec sine obsequio isto in utroque stat assensus Fidei strictae, cum debeat esse de Mysterio propter Dei revelationem. Nec omnino tenet paritas auctoritatis, & testificationis humanae: nam in humanis clarè novimus attestationem loquentis, & solum obsequimur in assentiendo propter illam rei testificatam; in Fide verò divina, tam obscura nobis est revelatio de Mysterio, ac ipsum Mysterium: & circa utrumque exercetur Fides, ut tenuimus cum Suarez nuper citato.

103 Ad illud de Hæretico dicimus; quod hæreticè discredens semper contemnit, & offendit auctoritatem Dei: sive confitendo divinum testimonium, & blasphemè iudicando falsum esse, sicque discredens Mysterio revelato, quod raro contingit; sive, quod communius evenit, protervè, & contumaciter negando Dei attestationem sufficienter sibi propositam, & non nisi imprudenter, ac temerè dubitabilem, sicque nolens assentiri veritati Mysterij: ut exposuimus sect. 5. à num. 65. Vnde consequentia contra nostram doctrinam nulla est. Non enim valet à contrario argumentum, quod sufficit ad Fidem illud, cuius defectus sufficit ad hæresim: cum scitum sit, bonum dici ex integra causa; & malum ex quocumque defectu.

104 Ad tertiam probationem de Adoratione Imaginum dico, meum esse sensum, ut tradidi *disp. de Incarnat.* quod per actum verè religiosum adorationis Imaginis adoratur quidem imago externè, & internè; non tamen quin per ipsam tendentiam talis actus adorationis habeatur saltem virtualiter pro obiecto etiam formali

excellencia exemplaris. Quod potius prodest, quam obest nostræ doctrinæ.

### SECTIO IX.

*Expeditio totius difficultatis, & confirmatio doctrinæ ex solutione urgentis Obiætionis.*

105 **O**bjicies urgentur contra supradicta: quod non satis explicatur à nobis, in quo revera stet virtualis illa, implicita, & exercita attingentia intrinseca revelationis pro motivo & obiecto suo formali, in prædictis Fidelium assensibus non attingentibus formaliter, & explicitè, eo quod divinæ revelationis cognitio iam physicè fuerit elapsa, nec tunc menti denuò proponatur, quando sæpè Fideles præsertim rudiores assentiuntur de novo Mysterijs, immemores revelationis.

106 Ratio autem dubitandi, & in hoc insistendi est maxima. Quia, quamvis cultus Dei respiciat essentialiter ad Excellentiam Dei in se infinitè bonam; actus tamen virtutis Religionis intendens cultum propter eius honestatem; non proinde dicitur adhuc virtualiter tendere ex motivo intrinseco infinitæ bonitatis, seu excellentiæ Dei: nam eo ipso esset actus Theologicus, utpote habens saltem virtualiter pro obiecto formali increatam aliquam perfectionem Dei, & aut esset actus virtutis Theologicae Charitatis, aut Religio esset quarta virtus Theologica: quod dici nequit: nec posset homo offendere Deum, & velle exhibere Deo cultum: quod tamen passim fit à magnis peccatoribus, & fieri posse patet ex eo quod potest homo odisse Principis excellentiam, & tamen velle præstare ipsi obsequium debitum propter illam. Præterea: quamvis actus perfectæ contritionis habens pro motivo bonitatem Dei, & actus visionis eiusdem divinæ bonitatis, connectantur essentialiter cum infinita bonitate Dei in se; non tamen propterea amor quilibet divinæ visionis, aut perfectæ contritionis est, adhuc virtualiter ex motivo, & ex obiecto formali bonitatis Dei in se: alioquin esset eo ipso actus perfectæ Charitatis: quod esse per se falsum, & absurdum patet ex eo quod eiusmodi amores stare possint in anima cum actuali peccato. Ergo multò minus quod assensus aliquis assentiatur veritati Mysterij, quamvis

vis ea veritas innotuerit per revelationem, quinimo & quamvis ea veritas, quod est falsum, connecteretur essentialiter cum revelatione attacta per alios assensus, non sufficit ad hoc ut eo ipso dicatur ei veritati assentiri adhuc virtualiter ex motivo revelationis, prout opus est ad assensum Fidei strictæ procedentem ab habitu Fidei Theologicae. Insuper: ex ijs quæ docuimus *disp. de Grat.* ut verè quis dicatur operari propter aliquem finem adhuc virtualiter, non sufficit, talem finem fuisse propositum operanti, nec præcessisse aliquam de illo complacentiam; sed requiritur quod voluntas specialiter aliquo affectu feratur in eum finem. Sic igitur, ut intellectus verè dicatur adhuc virtualiter assentiri Mysterio iam revelato ex motivo revelationis, & propter revelationem, non sufficit præcessisse notitiam, sive assensum revelationis, sed requiritur, quod quoties assentitur Mysterio, feratur formaliter in motivum revelationis; alioquin non erit assensus Fidei strictæ. Quomodo autem feratur intellectus formaliter in motivum revelationis, quando illam prorsus immemor non animadvertit? Quod si, *virtualiter, implicitè, & exercitè*; in quo stat virtualis ista, implicita, & exercita attingentia motivi tunc incogitanti?

107 Hæc quidem & solutione, & explicatione indigent, ut doctrina vera pro communi modo credendi, & Fidelium praxi subsistere valeat in re maximi momenti, & obiecti præsentis rem ulterius explicando fiat satis.

108 Quocirca ad rationem dubitandi concedendum illi est, veras esse doctrinas; quibus utitur tam de actibus Religionis, quam contritionis, & de alijs elicitis propter finem. Et ex illis satis convinci, eiusmodi præcedentias, & connexiones non esse sufficientes, ut prædicti actus dicantur adhuc virtualiter esse intrinsece propter illos fines. Sicque nec dicimus, quod id præcisè sufficeret ad hoc, ut supradicti assensus Mysteriorum, prout communiter apud Fideles fiunt, sint virtualiter, & exercitè ex motivo Fidei, & ab habitu Fidei, verèque actus Fidei strictæ. Quinimo fatemur ultro, quod post apprehensionem, & prænotitiam divinæ revelationis, quæ etiam & post multos assensus Mysteriorum formaliter exhibitos ex motivo divinæ auctoritatis, & revelationis, tunc sig-

nanter repræsentatæ, possunt deinceps decursu temporis haberi assensus aliqui de iisdem Mysterijs, quin sint intrinsece, adhuc virtualiter, & exercitè ex motivo revelationis, atque adeò quin sint actus Fidei, nec ab habitu Fidei: si nempe aut positivè excluderetur motivum revelationis, aut essent formidolosi, aut ex modo suo intrinseco versandi circa Mysterium omnino independentes à prænotitia revelationis, & æquè componibiles cum eo quod nunquam nota fuisset auctoritas, & revelatio divina. Hi enim assensus, exercibiles utique interdum post semel, ac sæpè ritè credita Mysteria, nullatenus essent Fidei, quia nullatenus essent ex intrinseca sua tendentia ex motivo divinæ auctoritatis, & revelationis, ut iam animadvertimus num. 97.

109 Quod, ijs minimè obstantibus, diximus, & dicimus, est, regulariter loquendo, prout opus est apud Fideles, assensus subsequentes, & quidem firmos, qui fiunt Mysteriorum ex consuetudine, post elapsam physicè primam illam advertentiam ad revelationem, & auctoritatem Dei, esse exercitè ex intrinseca sua tendentia ex motivo divinæ auctoritatis, & revelationis, modo sufficientissimo, ut sint assensus Fidei strictæ, ab habitu Fidei, & utiles ad salutem: non præcisè ob rationes illas præcedentiæ, & connexionis, quas satis infirmat ratio dubitandi: sed ex eo specialiter, quod tales sunt ex natura sua, & ex modo tunc assentiendi Mysterijs re ipsa à Deo Auctoritatis summæ revelatis, ut essentialiter supponant revelationem re ipsa factam, & prænotam; & ex illa deriventur per sua principia effectiva, idèque excludant essentialiter, non solum actum infidelitatis, quin etiam & formidinis de Mysterijs, iisque obscurè assentiantur, ac firmiter super omnia: ut experiri est apud Fideles sic communiter profiteres Mysteria Fidei, ut veritates divinas, & doctrinam Christianam.

110 Quod autem modus hic sincerus & firmus assentiendi Mysterijs sit intrinsece, & exercitè moveri ad sic assentiendum ex Dei auctoritate, & revelatione, quamvis signatè non tunc animadvertis; ex eo mihi sit indubium, quod unusquisque Fidelium sic ex consuetudine credentium, interrogatus, cur sic ea Mysteria credat, illis responderet ingenuè: *quia sunt*

veritates catholica: quia sunt doctrina Christiana: quia tradita ab Ecclesia Ministris: quia de Fide sunt; ijs, aut similibus loquendi modis apud ipsos usitatis significantes more suo capiendi satis apto motivo autoritatis, & revelationis divinae, excitata specie revelationis praeterita, quae per accidens erat quasi sopita. Mentirentur autem sic illico in se reversi respondentes: quod non potest nisi temerè dici, si reipsa quando communiter sic credunt, non crederent exercitè ex eiusmodi motivo, quo se credidisse respondent ingenuè interrogati, & in se reversi: quamvis signatè, quando ex consuetudine credunt, non sic formaliter & explicitè ad hanc animadvertant. Ad hunc certè modum explicari solet influxus, seu causalitas finalis intentionis praeteritae ad actiones subsequutas: exercitas quidem ex illa intentione, quam vis actu incogitanter: ut quando ex intentione consecrandi in celebratione, adimus templum, ingredimur Sacristiam, induimus vestes Sacras, accedimus ad altare, & legimus Missam, & post hanc omnia proferimus verba consecratoria. Hanc enim omnia exercentur ex intentione illa consecrandi, & unumquodque illorum vult Sacerdos ex intentione consecrandi, & quidem praesupposita illa prima intentione, sufficienter ad reipsa consecrandum: cuius virtualis, & exercitè motionis signum est, quod de quacumque illarum actionum interrogatus Sacerdos, cur illam exercent, illico in se reversus respondebit, & quidem verè: ad celebrandum, ad consecrandum: aut quid simile, idem diverso modo significans. Facit tunc exemplum patentissimum Agricolae seminantis adhibendum in simili *disp. 11. num. 13.*

Infrà  
disp. 11.  
Lugo.

111 Cardinalis de Lugo *disp. 1. num. 19.* & alibi non semel, addit non incongruè pro uberiori horum, & similibus explicatione, in supradictis Fidelium assensibus de Mysterijs iam primò, creditis ex motivo divinae Autoritatis, & revelationis formalis expresso, semper deinceps actu intercedere sensum formalem aliquam cogitantiam revelationis, quantumvis tenuem, vixque perceptibilem; sufficientem tamen, ut intellectus exercitè moveatur exinde ad assentiendum mysterio. Sicque explicat etiam, supradictas actiones continuatas derivatas ab expressiori intentione physice praeterita, fieri; & mo-

veri ex eadem intentione, physice etiam, quamvis tenuiter, aut manente, aut repetitè inter operandum. Nec obest, quod actu non advertatur: quia aliud est cogitare directè, quamvis tenuiter, de revelatione; aliud est reflexè animadvertere hanc cogitationem: illud prius sufficit ad exercitè assentiendum ex motivo revelationis sic utcumque cogitatae; istud posterius non requiritur, nisi ad cognoscendam signatè & reflexè talem cogitantiam: quam non sic reflexè animadverti, facile est operanti ex consuetudine, aut propter eius tenuitatem, aut propter distractionem mentis ad alia. Hanc mihi verisimilia valde sunt.

112 Quorum ulteriorem rationem reddere nititur Card. Pallavicinus *num. 54.* quia veritati, cui intellectus noster assentiri nequit propter se ipsam, primà vice; nec secundà vice potest assentiri, nisi superveniat notitia alicuius novi motivi: ex vulgari proloquio: *idem manens semper idem, natum est facere semper idem:* Unde, si veritas Mysterij per se ipsam non est secundum se proportionata intellectui nostro, ut ei propter se ipsam assentiri valeamus, si prima vice ei assensum praebuimus propter revelationem, postea numquam poterimus ei assentiri, nisi aut propter eandem revelationem, aut propter novum aliud motivum, & nullatenus propter se ipsam. Cum autem simpliciores communiter, quando deinceps assentiuntur firmiter Mysterijs, non curent de alijs motivis, nec Mysterijs propter se assentiri valeant, in promptu est, quod non nisi ex motivo revelationis assentiantur: ideoque Fidem strictam exercent. Si obijcias, quod postquam assensum semel praebuimus veritati alicuius conclusionis ex motivo praemissarum; saepe postea possumus, & solemus assentiri denuò veritati eiusdem conclusionis seorsim prorsus, & immemores praemissarum, propter quas primum assensum praebuimus. Respondet, verum id esse: at non nisi quia species memorativa ex Aristotele representant obiectum iam praecognitum; non secundum se; sed ut iam alias cognitum; & in hoc ipso novum motivum ad denuò assentiendum, nempe quasi auctoritatem nostri iudicij praeteriti.

Pallavic

Ing.

113 Magister Lumbier *num. 15.* rem aliter explicat dicens, praedictos Fidelium assensus, quamvis tunc actu non cogitentur

Lumb.

revc-

revelatio, fieri exercitè propter revelationem, simius tanquam propter rationem formalem *Quae*; at saltem tanquam propter rationem formalem *sub qua*. Quarum rationum formalium notum discrimen est; quod ratio formalis *Quae* movet ad actum signatè attacta per actum; ratio verò formalis, *sub qua*, movet exercitè ad actum, quamvis non exprimat signatè per actum: ut sunt cognoscibilitas respectu actuum intellectus; amabilitas respectu actuum voluntatis, & visibilitas respectu visionum ocularium. Intellectus enim cognoscit exercitè obiectum, quia cognoscibile est: voluntas illud amat, quia amabile, & oculus videt quia visibile: quae tamen rationes formales signatè non exprimuntur per tales actus; & sunt tamen ratio formalis, *sub qua* tales actus exercentur.

114 Ex ijs doctrinis solidior mihi videtur discursus Cardinalis Delugo. Cui addi potest, quod habitus Fidei, cum sit per se infusus, datus ad simpliciter instar potentiae, latius quodammodo patet, quam habitus adquisiti, qui dantur ad facile exercentes actus similes ijs, per quos adquiruntur. Quapropter de illo, sicut de alijs per se infusis, congruentius intelligi, ac dici potest, influere in multos actus, quasi sui iuris, quamvis non exprimentes signatè idem obiectum formale, quod exprimentur alij actus eiusdem habitus. Et quidem praedicti assensus Mysteriorum com-

muniter exercitià Fidelibus bonà fide, quamvis actu incogitantibus de Dei auctoritate, & revelatione, cui iam semel captivarunt intellectum circa eadem Mysteria, cum obscuri sint, ac firmi, & excludentes formidinem, qui modus assentiendi proprius est Fidei strictae, non video à quo alio habitu efficiantur, nisi ab habitu Fidei, quod negare non audet P. Oxea *Oxea. num. 6.* atque adeo inter assensus Fidei strictae computandi sunt.

115 Summa, & clausula doctrinae tandem sit: Primò, eiusmodi assensus ordinarios Fidelium esse quidem actus Fidei, & quidem Fidei strictae: id quod certum reputat Cardenas *Dissert. 15. cap. 3. & 4.* Secundò, eos non inniti veritati dumtaxat intrinsecè Mysteriorum; sed verè divinae revelationi quomodocumque sufficienter attactae virtualiter, aut etiam fortè quodammodo formaliter. Tertio: eos esse Fidei non latae, sed strictae, prout necesse est ad iustificationem, & salutem. Quarto: nullum dari, nec dabilem esse assensum Fidei necessariae ad iustificationem, qui quoquo modo non sit ex motivo divinae auctoritatis, & revelationis. Huic doctrinae, quam attingere necesse erit *disp. 11. sect. 4.* ad stipulatur P. Card. *dissert. 15. cap. 3. & 4. & dissert. 16. cap. 6.* eam certam iudicans pro praxi, eamque ex Hurtad. *pro moverat dissert. 11. cap. 2. art. 6.*

Infrà  
disp. 11.  
Carden.

Hurtad.

## DISPUTATIO V.

DE DIVINA AVTHORITATE, ET REVELATIONE: eiusque immunitate ab imperfectionibus.

**I** ASSIGNAVIMVS *disp. praeced.* pro Motivo, & obiecto formali Fidei Theologicae Dei loquentis Auctoritatem, & Revelationem. Sequitur, quod de istarum quidditatibus & perfectionibus differamus: praesertim de earum repugnantia cum omni labe mendacij, falsiloquij, ac deceptionis, prout ad infallibilitatem motivi Fidei nostrae verissime, ac certissimae opus est.

SE-



## SECTIO I.

Quid sit, & in quo consistat Summa Dei attestantis Authoritas Remissivè.

2 **A**uthoritas alicuius Personæ usurpari solet dupliciter. Vno modo vulgariter, & ut ita dicam, in essendo. Alio modo singulariùs, & in attestando.

3 Priori modo dici solent viri magnæ autoritatis, qui constituti sunt in fulgenti dignitate, & dominio, seu iurisdictione. Hi enim quamvis interdum mendaces sint in attestando, dici solent magnæ autoritatis, id est, Excellentiæ: scilicet in essendo: quia ut plurimum tales Personæ sunt alijs fidedigniores. Non curamus in præfenti de Authoritate in isto sensu: quia nisi accedat Authoritas in attestando, nihil facit ad Fidem exhibendam attestantibus.

4 Posteriori modo dicuntur esse magnæ Authoritatis, qui sapientes sunt & veraces, & tales ab audientibus existimantur: & quidem eò maioris Authoritatis, quò sapientiores, & veraciores in suis dictis habentur. Hæc autem Authoritas est, quæ pertinet ad Fidem exhibendam illorum loquentium attestantibus.

5 De ista autem Authoritate loquendo, prout ad præfens attinet, quando de Fide dandâ loquenti, & attestanti, seu revelanti tractamus; ea quidem in Deo summè sapienti, summèque veraci, summa est, ut sæpè supposuimus in Superioribus, & in sequentibus stabiliemus.

6 Est autem Authoritas Divina: *Perfectio infinita & increata Dei ut loquens, reddens eius loquutionem ad Creaturas summè infallibilem, & super omnia fidedignam.* Dixi: *Dei ut loquentis*: quia ut monui *disp. preced. num. 8.* perfectiones divinæ constituentes de formâ summam Dei Authoritatem debent aliquomodo esse principia loquendi ad extra.

7 Quamnam autem sint illæ Dei perfectiones constitutivæ divinæ Authoritatis, vidimus ibidem latè, præsertim *sect. 4.* &

5. ubi diximus, Primas Dei veritates in essendo, in cognoscendo, & in dicendo, Dei Maiestatem, & Omnipotentiam tam coniunctam, quam seorsim constituere satis conceptum divinæ, ac summæ Authoritatis: quia unaquæque in linea suæ perfectionis, & à fortiori omnes simul sunt diversimodè principia divinæ loquutionis ad

extra, dicitque specialem repugnantiam influendi in loquutionem non veram; ac proinde conceptum summè infallibilizandi divinam loquutionem, attestantem, & revelationem, ut ibi fusè ostendimus: nec est, cur hic eadem repetamus.

## SECTIO II.

*An Deus propriè loquatur ad extra: Quid sit, & in quo stet ea loquutio: & an esse possit a Deo, ut auctore naturæ.*

8 **L**oquutio Dei alia est increata ad intra: quæ est æterna productio Verbi à Patre: quâ solus Pater notionaliter Paternitate ipsâ, suâ quasi linguâ, producit apud se Verbum æternum: quo formaliter cuncta loquitur ab æterno intra ipsum Deum, ipsi Verbo, & Spiritui Sancto. Alia est ad extra, qua Deus loquitur cum creaturis in tēpore, illis manifestans, seu revelans aliqua æternæ suæ Sapientiæ arcana. Huius loquutionis veluti lingua est Omnipotentia, utpote principium Quò physicè productivum loquutionis temporalis ad creaturas, commune tribus Personis: quæ propterea dicuntur simul loqui ad extra, sicut & operari. De loquutione notionali, & æterna Dei ad intra, agitur *1. p. in disputationibus de Trinitate.*

9 Nunc sermo nobis est de loquutione, sive revelatione Dei ad extra: quam simul cum Dei Authoritate inclusimus in motivo & obiecto formali Fidei: & quidem de loquutione, seu revelatione temporali passivâ; quam à purè activâ & æternâ distinximus *disp. preced. sect. 3.*

10 Hæc autem divina loquutio ad creaturas, una est impropria, & latissima; alia stricta, & propria. Lata dicitur quæcumque rei manifestatio ad hos à Deo directâ in sensu *Psalm. 18. Cæli enarrant gloriam Dei*: & similiter aliæ creaturæ, Deusque per illas dicuntur eloqui perfectiones sui Authoris; Deusque quodammodo minus latè dicitur loqui ad cor hominis per frequentes illustrationes, & inspirationes internas gratiæ suæ; qui modo, & per eventus externos fulguris, naufragij, & subitæ mortis dicitur alloqui peccatores ad emendationem.

11 Stricta Dei loquutio, seu revelatio non est ita communis, & frequens; sed immediatè paucorum, quibuscum singulariter

*Sapient.* riter *Sermocinatio eius*: quamvis exinde mediatè perveniat universâ iter ad alios. Quo stricto modo loqui posse, sæpequè loquatam Deum cum creaturis, est de

*Genes. 8.* Fide. Sic loquutus est Deus ad Noe, *Genes. 8.* Ad Moysen. *Exod. 6. 13. 14.* & sæpè *alibi.* Sicque scripsit Paulus ad Hebr. 1. *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissimè dictus istis loquutus est nobis in Filio.* Difficultates aliquas super hoc ponit, & solvit Anton. Perez *disp. 1. cap. 4.*

*Perez.* 12 Quid autem speciale dicat essentialiter præter manifestationem utcumque rerum à Deo, stricta Dei loquutio, seu revelatio, est explicatu difficile, ut videre est apud Perez cit. Ripaldam, & Oxam *disp. 5.* & Lumbier *quæst. 8.* Nec mirum; cum ipsi etiam, qui eiusmodi Dei loquutiones & revelationes experiuntur in se, fateantur, se quidem illas indubitanter experiri, certòque percipere; à se tamen explicari doctrinaliter vix posse, quomodo fiant, aut quid sint?

*Ripald. Oxæ. Lumb.* 13 S. Thom. *1. p. quæst. 107. art. 1. in Corp.* concludit: *Nihil est aliud loqui ad alterum, quàm conceptum mentis alteri manifestare*: unde dicitur communiter, quod loquutio est mentis manifestatio: sicque Deum loqui ad creaturas, nihil erit aliud, quàm suam illis mentem manifestare. Hoc tamen, nisi ampliùs explicetur, non plene satisfacit. In primis enim Deus producens multas creaturas, in quibus resplendet eius sapientia, & multiplex eius obiectum; manifestat quidem nobis suam sapientiam, multosque suæ mentis conceptus alioquin nobis ignotos: non tamen eo ipso nobiscum strictè loquitur: sicut nec Artifices loquuntur edentes in lucem eximia suæ artis opera, quibus potiùs, quàm verbis peritiam suam manifestant. Si dicas, requiri ulterius ad loquutionem, quòd id fiat ex intentione manifestandi conceptus mentis; nondum satisfacis: Deus enim multa produxit, non strictè loquens, ex intentione ostendendi Sapientiam suam, aliæque Attribute, quorum habet conceptum in mente sua: & saltem in nobis omnibus producit cognitiones, quibus multa, quæ concipit mente suâ Deus, nobis manifestantur, & abs dubio ex intentione nobis ea manifestandi: quin tamen proinde cum omnibus nobis strictè loquatur. Deinde, si à loquutione Dei ad intra licet

arguere, productio Spiritus Sancti non est loquutio: & tamen communicat Spiritui Sancto divinam Sapientiam, cum manifestatione omnium conceptuum divinæ mentis: & quidem ex intentione id ipsi communicandi, & manifestandi. Aliquid igitur specialius dicit stricta Dei loquutio præter manifestare utcumque conceptus mentis ex intentione illos manifestandi.

14 In re nimis obscura videtur dici posse, divinam loquutionem ad creaturas consistere in signo aliquo creato generis intellectivi repræsentante, & immisso specialiter à Deo ex intentione repræsentandi non solum obiectum, de quo est sermo Dei; sed conceptum etiam divinæ mentis circa illud, caracteristicè quoque notificante, se à Deo sic specialiter immitti. Hæc competere posse signo alicui, sive sit formalis cognitio, sive obiectum cognitionis, à Deo productio in intellectu creaturæ, nihil est quod ob stare videatur. Hæc autem sufficere ad rationem strictæ loquutionis, mihi ex bonis Authoribus persuasum; quia nihil video, quod ultra requiratur. Si dicas, loquutionem mendacem esse propriè loquutionem: & tamen nec manifestat, nec fit ex intentione manifestandi conceptum mentis; cum potiùs illum occultet & simulet; respondetur iam manifestare, fierique ex intentione manifestandi conceptum; quamvis non illum, qui est in mente, sed alium: quod non tollit ab illa rationem loquutionis; sed facit illam loquutionem mendacem ex vitio, & pervertitate sic loquentis.

15 Iuxta prædictum explicationis nostræ modum loquutio externa humana proferentis v. gr. *Deus est immortalis*, præter significare hoc obiectum, & conceptum sic loquentis, ex speciali modo suo caracteristico habet notificare etiam Petrum v. gr. esse, qui loquitur, & qui sic sentit, quamvis interdum oculis eum non intueamur. Ad hunc etiam modum mihi pro meo captu explico, in quo consistant mutæ colloquutiones Angelorum, scilicet in productione certorum signorum spiritualium in alterius intellectu significantium res, & conceptum loquentis, simulque notificantium, eum esse qui loquitur: cum dominio insuper pro iure naturali occultandi reliquis arcana cordium, ne id percipi ab alijs possit, invito loquente. Si enim duo homines possint sibi invicem

signa aliqua loquuntiva materialia mutuo consensu instituta, talia ut pro reliquis non inserviant, cur simile quid in spiritualibus Angelis intellectualissimis, rationalissimis, perspicacissimis, & potentissimis non facilius concedamus?

16 Ea specialis, & caracteristica Dei per eiusmodi signa loquentis notificatio aliquando est clara, & evidens; & tunc habetur evidentia in attestante, ut pro ali-

*Supr. disp. 1. sect. 2.*

19. Regulariter tamen apud viatores est inevidens, & subobscura relinquens locum in ipsis ad meritum Fidei, ut ex P.

*Et disp. 2. sect. 4.*

Suarez diximus *disp. 2. num. 63.* Prædictum modum, & caracterem divinæ loquutionis, & revelationis ut plurimum obscuræ, studet, & solet quandoque simulare Dæmon, quandoque humana imaginatio. Atque hinc proveniunt illusiones perniciosissimæ: quibus dignoscendis invigilant per varias regulas prudentes Directores animarum, & Doctores Scholastici iuxta ac Mystici pro discretionem spirituum satis difficili: de quo luculentissimè noster Jacobus Alvarez de Paz ad finem sui Tomi tertij.

*Paz.*

17 Quoniam verò loquutiones, sive revelationes Dei, modò fiunt interventu alicuius signi sensibilis, & materialis; modò purè spiritualiter; ideo dividitur Dei loquutio in internam, & externam; interna verò subdividitur in Imaginariam, & purè Intellectualem. Externa est, quæ fit interventu alicuius signi materialis sensu externo perceptibilis. Talis fuisse dicitur vox Patris de Filio in Jordane, & Thabor. Interna Imaginaria est, quæ fit interventu alicuius signi materialis; non tamen externo, sed interno sensu phantasiæ perceptibilis: quales sunt multæ loquutiones, & revelationes divinæ in somnijs factæ per imaginationem alicuius vocis, aut spectri oculis, aut auribus non perceptibilis: quod tamen in vigilia potest etiam evenire. Interna purè Intellectualem est, quæ fit per sola signa spiritualia immediatè immittit intellectui absque interventu prædictorum signorum sensibilium. In loquutionibus interdum utitur Deus ministerio Angelorum ad immittenda prædicta signa; interdum non; sed per se solum ea immittit. De quibus omnibus eruditissimè noster Antonius Fernandez in *Præludivs ad Visiones Vet. Testam.* & à Scholasticis Ripalda *disp. 5.*

*Fernand. Ripald.*

18 Loquutioni correspondet auditio: perceptio scilicet vitalis supradicti signi loquuti. Quæ quidem perceptio quandoque est clara, quandoque minus, quandoque magis clara: ut accidit in auditio-nibus loquutionis humanæ. Potest esse nova cognitio reflectens supra divinam loquutionem; & potest esse ipsa cognitio creata directa à Deo ut loquente immittit quasi reflectens supra se ipsam. Tunc autem ipsa cognitio, prout immittitur à Deo, est loquutio, & prout percipitur à creatura, est auditio: Sicut dicimus in Physicis, quod idem modus est actio prout oritur à principio, & passio prout denominat terminum productum.

19 Superest dissidium agitata inter PP. Antonium Perez, & Ripaldam super quæstione: an dari possit stricta Dei loquutio naturalis, à Deo scilicet solum ut Authore naturæ cum creaturis suis loquente? Affirmat Ripalda *disp. 11. de Eme Supern. 5. de Fide*, quem multi facile sequuti sunt. Primò: argumento vulgari; quod nulla in hoc apparet repugnantia. Secundò: quia constat, Deum aliquando loquutum fuisse cum Dæmone: at certè non loquutione supernaturali. Tertio: quia incredibile, & irrationabile videtur, Deum ut Authorem naturæ rationalis taliter mutum constituere, ut ne verbum quidem cum creaturis suis intellectualibus loqui posset in statu puræ naturæ: sicut colloquuntur invicem homines, & Angeli. Quarto: quia Deus sicut Legislatores supremus, posset in eo statu leges ferre præceptivas, & prohibitivas: pœnas, & præmia statuere, & proponere: hæc autem à Deo per loquutionem debere, aut saltem posse fieri videtur innegabile: huiusmodi autem Dei loquutiones, & respectivè creaturarum auditiones naturales essent in eo ordine, & à Deo ut Authore naturæ.

20 Negat id tamen ex adverso cit. Perez *disp. 1.* & quidem magis solidè, ac Theologicè. Primò: quia quicquid non est à creatura cognoscibile nisi ex Dei revelatione, eo ipso à SS. Patribus supernaturale reputatur: alioquin illegitimè sæpè arguerent ex hoc principio rerum supernaturalitates. Sed quæcumque Dei revelatio non est à creatura cognoscibilis, nisi ex Dei revelatione: ergo eo ipso supernaturalis est suffragio Sanctorum Patrum. Secundò: quia si possibilis esset loquutio Dei naturalis;

*Ripald.*

*Ioan. 15.*

rallis; non est, cur sic aliquando non fuerit loquutus. Si dicas, sic loquutum fuisse in statu puræ naturæ; cur non sic diceres in eo statu suscitaturum fuisse subito mortuos, etiam ut Author naturæ. Tertio: quia Dei loquentis maximè proprium est, loqui dantaxat, quia vult, nullà id exigente causà naturali: quod autem à Deo fit, nullà id exigente causà naturali, ordinis naturæ non est. Quarto: quia loquutio est socialis secreti cordis manifestatio, & transmissio ad alium notitiæ propriissimæ loquentis. Vnde loquutio Dei manifestat id, quod specialissima ratione est propriū Dei multò magis quam secreta cordis sunt propria hominis. Quæ autem sunt propria & occulta Dei, nequeunt sciri à creatura, nisi per Spiritum Dei: hoc est non nisi supernaturaliter. Atque hinc semper celebratur, ut eximia Dei gratia, quod Deus cum aliquibus colloqueretur, ut cum Abrahamo, Moyse, & alijs huiusmodi Dei amicis, & familiaribus. Vnde est, quod dixit Christus Ioan. 15. *Iam non dicam vos servos, sed amicos; quia servus nescit, quid faciat Dominus eius: vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Ex quibus liquido fit, Dei loquutionem, quamvis non sit ipsa Dei amicitia, esse signum, & quid valdè pertinens ad amicitiam divinam; ac proinde ad ordinem supernaturalem: cum, ut ex communi Theologorum Sanctorumque PP. sententia diximus *disp. 19. de Gratia sect. 4.* amicitia creaturæ cum Deo repugnet esse de ordine naturæ.

*To. de Gratia disp. 19.*

*Ibidem disp. 13.*

21 Rationes oppositæ nõ me urgent, ut in simili vidimus *loc. cit. de Gratia*, & pensulatiùs *ibid. disp. 13. sect. 11.* pro eo quod nequeat Deus remittere peccatum, ut Author naturæ. Eas facile dissolvit Anton. Perez *cap. 3.* ex quo ad primam, quam in similibus sæpè despexi, nisi ad miniculò aliquo positivo fulciatur; dico, repugnantiam in eo esse, quod loquutio naturalis Dei esset naturalis, ut supponitur; & non esset naturalis eo ipso quod ut manifestatio socialis pertineret ad ordinem supernaturalem amicitia divinæ.

*S. Thom.*

22 Ad secundam: non est alienum à S. Thom. 1. p. quæst. 64. art. 1. dicere, illas loquutiones Dei ad Dæmones esse supernaturales. Nonne caracter supernaturalis manet in multis damnatis? Forte etiam dici posset, illas non fuisse strictas Dei lo-

quutiones; sed aut alicuius Angeli ministri Dei: aut alios modos non strictè loquutivos, manifestativos tamen & intimativos rerum, ut dicemus ad quartam rationem pro legibus, & præceptis ad homines in statu puræ naturæ.

23 Ad tertiam; dicimus nec esse irrationabile, nec incredibile; sed congruentissimum supremæ excellentiæ, & Maiestati Dei, quod nequeat loqui cum creatura, nisi eo ipso illam extrahendo ab statu puræ naturæ: sicut nec amicitiam cum illa inire, nec se intuendum præbere. Quid inde? Neque hoc est, Deum esse mutum; sed aut creaturas esse surdas ad audiendam loquutionem Dei, nisi ex speciali gratia ad id à Deo eleventur; aut Deum non posse loqui, nisi eo modo quo non repugnat: sicut non est Deum esse invisibilem, non posse videri à creatura manente in pura natura: nec esse imitem, non posse condonare peccata, manente puro statu naturæ, ut suo in loco diximus.

24 Ad quartam dicimus, ad finem, & administrationem purè naturalem mundi non fore Deo necessariam strictam cum creaturis loquutionem. Quippe leges suas naturales, & alia huiusmodi satis manifestaret sine stricta loquutione, ornado creaturas naturali ratione, discursu, & intelligentia: quæ nec Fides est, nec strictam Dei loquutionem requirit. Aliæ verò leges positivæ divinæ, naturali ratione inassequibiles, & non nisi per strictam Dei loquutionem, iam eo ipso essent supra ordinem puræ naturæ. Nec obest, quod intra ordinem etiam naturæ dentur aliqua Dei beneficia gratuita creatoris. Non enim inde sequitur, tale debere esse beneficium divinæ loquutionis, sicut nec beneficium remissionis peccati, ut expendimus *disp. 13. To. de Gratia sect. 11.* ubi ultimam de hoc rationem dedimus *num. 136.* Profectò multum distat in Principe aliqua beneficia conferre subditis; & miscere colloquia cum illis. Aliæ namque beneficia fiunt eò facilitiora, quò Princeps maior est; colloquium verò, quò Princeps excellentior est, eo fit difficilius, & sacratius, sicut & amicitia. Hinc enim commendatur Principis magnitudo, & maximè Dei suppremitas, & Maiestas infinites plus distans à creaturis, quam magnitudo Principis creati à subditis.

## SECTIO III.

Quousque divina Authoritati repugnet mendacium, & falsiloquium?

25 **T**aliter certè, ut Deus Opt. Max. nec sit unquam mentitus, nec de absolutâ ulla potestate mentiri possit, nec falsum quidquam loqui. Prima pars pro de facto est de Fide contra Hæreticos Priscillianistas, & Armenos blasphemè mentitos, Deum sæpè mentitum fuisse. Posterior pro de possibili est contra Olchotum, Alliacensem, Almainum, & veteres alios: qui, quamvis negent, Deum posse mentiri, prout *mendacium* sonat peccatum mentiendi, sicut *homicidium*, peccatum occidendi; aserebant tamen, Deum posse loqui falsum, sine peccato tamen mendacij; sicut hominem occidere sine peccato homicidij. Sic sententiam istam explicant Anton. Perez *disp. 3. cap. 2.* & Haunoldus *cap. 5. Contr. 1.* Quæ tamen absque errore saltem in Fide proferri nequit: & nimis accedit ad apertam Hæresim Priscillianistarum.

26 Tota nostra veritas patet ex Scripturis. Numer. 13. *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur.* Proverb. 12. *Abominatio est Domino labia mendacia.* Actor. 1. *Deus, qui non mentitur.* Et Hebr. 6. *Abundantiùs volens Deus ostendere immobilitatem consilij sui interposuit ius iurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatiū haberemus.* Vbi rectè ponderat Card. Delugo, etiam pro de possibili stabiliri doctrinam nostram: notatque, conformiter ad ea quæ diximus *disp. 1. num. 83.* iuramentum in Deo non tam addere firmitatem summæ firmitati loquutionis suæ, quam energiam quamdam quoad nos in modo loquendi iuratorio. Dices, hæc valere pro de facto, & pro de potentia ordinaria; non pro de absoluta. Contra tamen: quia si non valeret etiam pro de absoluta, debile foret argumentum Apostoli, nostraque Fides, & spes innixa Dei testimonio, & promissione vacillaret. Quis enim sciret, Deum nunquam usurum, aut non usum iam fuisse eâ sua absolutissimâ potestate. Si dicas: quia decrevit, & testatus est, se nunquam mentitum, nec mentiturum; instamus: unde certificaretur, in hoc ipso de se testimonio non mentiri?

Certè non aliunde, nisi quia certum est, nullatenus mentiri posse. Fieret insuper, quòd Deus neminem posset autoritate suâ dedocere aliquem errorem: semper enim homo dedocendus formidare posset, an in eo ipso deciperetur à Deo? Quis autem à tanto absurdo non abhorreat?

27 Hinc evincitur, nec posse Deum loqui falsum etiam non peccaminosè mentiendi. Primò: quia firmitas Fidei, ac Spei nostræ, si loquutiones, & promissiones Dei possent esse falsæ, æquè vacillarent; si, sive mentiendi, sive non mentiendi; sive peccando, sive non peccando laborarent vitio, aut periculo falsiloquij: nos enim credendo, & sperando propter illas, perinde aberraremus à vero illis innitentes, si res nobis dictæ, aut promissæ evenirent aliter, ac loquitur Deus, quomodocumque hoc esset. Secundò: quia explicatio Sententiæ Olchoti implicatorja est in suis terminis. In nobis enim, qui in multis mente decipimur, aliud est mentiri; aliud loqui falsum: quia sæpè res mente sinistrè concipimus, & tunc si loquimur falsum, quod putamus verum, loquimur iuxta mentem, ideoque non mentimur; cum mentiri sit contra mentem ire; & tamen falsò loquimur, & falsum loquimur, quia non conformiter ad res, ut sunt in se: & e converso sæpè non loquimur falsum, & mentimur, quando loquimur verum in re, quod mente putamus esse falsum. At in Deo summè sapiente id esset loqui falsum, & mentiri. Cum enim Omniscientiæ suæ repugnet habere res in mente aliter, ac sunt in se, nec possit per errorem falsò quidquam concipere, nec per incitiam quidquam ignorare, eo ipso quòd loqueretur falsum, eundo contra rem, ut est in se, iret contra mentem, in qua res sunt, ut sunt in se; ac proinde eo ipso mentiretur. Deo igitur eâdem ratione repugnat loqui falsum, & mentiri: & utrolibet modo decipere quemquam.

28 Dices, in ratione mendacij, sicut in ratione homicidij, iam involvi malitiam peccati propter illam prohibiti. Deus autem non mentiretur loquens falsum, quia non esset id ipsi prohibitum, nec in eo peccaret: sicut ob eandem rationem non est homicida, nec peccat occidens hominem, nec hoc est Deo prohibitum.

29 Contra tamen: & ostenditur nostra doctrina à ratione naturali. Nam apud homi-

homines aliquem honoris sensum habentes, nihil ferè habetur contumeliosius, quàm loquenti palam discredere, & dicere: *mentiris*: usque adeò, ut & ij quoque, qui Deo mendacium, seu falsiloquium impingunt, ægrè ferrent, si in hoc ipso obijceretur illis: *mentimini*. Ergo quia ex naturæ lumine sic est intrinsecè turpe, & inordinatum mentiri, ut nulla ratione possit cohonestari, nec desinere esse malum, & prohibitum quia malum, utpotè destrucivum societatis, & conversationis humanæ. Nec prodest, quòd aliqui dixerint, licitum esse mentiri. Nam iuxta hanc ipsorum sententiam, seu potius errorem, posset illis responderi, quòd mentiantur: nec illis dicentibus, se licitum existimare mentiri, credendum esse: de quo & ipsi mendacij, seu falsiloquij fautores erubescerent.

30 Dices, Deum ratione supremi dominij posse facere id sibi licitum, sicque absque peccato mentiretur, aut uteretur falsiloquio. Contra tamen: quia ex hoc ipso fieret deformior deordinatio societatis rationalis; fieretque Deus minùs fidedignus, quàm reliqui. Quamvis enim reliqui physicè possimus mentiri, non tamen sine peccato, nec sine fræno prohibitionis, & punitionis: at Deus posset sine peccato, & impunè; imò cum laude: nam quidquid in Deo est, est summè laudabile, & in Deo esset velle mentiri, aut falsò loqui: ergo ex hoc ipso quòd licitè id posset, esset liberior ad falsiloquia, & minùs fidedignus in suis loquutionibus: ac proinde clariùs ex lumine naturali repugnat Deo id posse facere licitè, quàm illicitè. Nec iterum prodest dicere, id in Deo non fore mendacium; sed falsiloquium. Iam enim vidimus in Deo, fecus ac in nobis, perinde fore falsiloquium, & mendacium. Et quidem quando in nobis falsiloquium excusatur à mendacio, & à peccato, excusatur per ignorantiam, quâ miserè decipimur, putantes verum, quod est falsum. Deus autem Omniscius non posset per ignorantiam excusari: absit hoc probrium ab eo, cui nota sunt omnia: ergo decipiens nos in falsiloquio suo, aut ipse desperet ignoranti similis, aut omnino mentiretur.

31 Obijciunt Priscillianistæ multas Scripturæ loquutiones, quarum aliqua videntur sibi contradicere: aliæ suo tempore non impleri: aliæ non nisi difficillimè cum vero conciliabiles: unde blasphemabant,

Deum in illis mentitum esse. Responderetur, dari quidem in Scripturis loquutiones difficillimas: & quæ speciem habent Antilogiæ, seu contradictionis; rectè tamen introspectas sibi non contradicere: ut de singulis suis in locis exponunt impensè Interpretes Sacri. Multas collegit in doctum, iustumque volumen de Antilogijs Illustrissimus Alvarez Sanctacrucius Angelopolitanus Antistes, legendus per otium cum fructu. Nunc in genere quatuor nobis observanda sufficiant. Primum: loquutiones comminatorias Dei ad peccatores communiter subintelligendas esse cum tacitis conditionibus: *si non penituerint; si precibus non me placaverint*. Secundum: quod per Hebraismum permissiones significari solent verbis quasi suisvis, & præceptivis. Tertium, quòd in Scripturis multa dicuntur in sensu figurato, & symbolico interdum abstrusissimo: cuius obscuritatis rationes congruentissimas congerit Card. Bellarm. *tom. 1.* Quartum: quòd non omnia, quæ narrantur in Scripturis facta, vel dicta ab alijs, etiam Iustis, & Sanctis, capi debent ut facta, vel dicta ex instinctu Spiritus Sancti; sed ut à Deo in illis permessa ordinata ad fines altissimos Providentiæ suæ. Per has & alias huiusmodi regulas à Scripturarijs studiosius usurpatas paratur responsio ad obiectionem positam, & ad sequentem, constanter negando, Deum usquam mentitum in Scripturis potius quidem reverenter evolvendis, quàm temerè, ac blasphemè de divino mendacio insimulandis.

32 Obijciunt secundo specialius; quod dixit Deus Ezechiel. 14. *Ego Dominus decipi Prophetam illum.* Et 3. Reg. 22. *Dixit Deus: quis decipiet Achab?* & cum Diabolus sese ad id obrulisset, ait Deus: *Egrederere, & fac ita.* Et Genes. 27. inspirante Deo mentitus est Iacob Patri suo Isaaco, falsò loquens: *Ego sum Primogenitus tuus Esau.* Et Exodi 11. præcepit Deus Hebræis, ut peterent ab Ægyptijs commodatò vasâ pretiosa sine animo restituendi. Et tandem laudatos legimus per Sacras Literas multos insigniter mentitos. Ex quibus videtur, non ita abhorruisse Deum in Scripturis suis à mendacio, & falsiloquio.

33 Responderetur tamen ex nuper dictis, per Hebraismum significari solere permissionem ad instar consilij, vel præcepti, cum nec consilium, nec præceptum

fit, figurato scilicet modo loquendi: ut est illud Christi ad Iudam Ioan. 13. *Quod facis, fac citius*: id est, permillum est tibi. Ad hunc ergo modum intellige, Deum decepsse Prophetam; id est, permisisse quod deciperetur. Sic etiam permisit Diabolo deceptionem Achabi, notificans permissionem per verbum quasi præceptivum: *Fac ita*: non quidem id iubens, sed iam non impediens, sicut antea. Ad factum, dictumque Iacobi communiter SS. Patres illud salvant, sicut ab iniustitia, sic à mendacità: nam quoad ius hæreditatis, ipse verè erat Primogenitus. Cornelius verò cum Chrysofom. Lipomano, Lyra, Caietan, & Pererio non recusat, quod quoad aliqua mentitus tunc fuerit Iacobus ex consilio Rebecce; non Dei; id purè permittentis ad fines à se intentos. Hebræis non consulit Deus mendacium; sed dixit, ut vasa peterent ab Ægyptijs, quæ iam bono iure illorum erant. Quodsi aliqui petebant commodatò sine animo restituendi; non ex Dei consilio id erat; sed ex ignorantia sua: quâ fortè à peccato etiam excusabantur. Multa ibi Cornelius. Ad postremum fatemur laudari multos, qui mentiri sunt; non tamen, quia mentiri; sed ob alia bene gesta.

34 Obijcies tertio. Potuit Deus consulere Abrahæ, & potuisset per se patrare homicidium Isaac innocentis, dispensans scilicet in præcepto naturali non occidendi, ut occisio tunc non esset homicidium peccaminosum; imò sibi, & Abrahamo licita, & honesta: sic ergo posset similiter licitè mentiri, & consulere mendacium: faciens scilicet per dispensationem præcepti naturalis, quod falsiloquium non esset mendacium peccaminosum, imò loquutio licita, & honesta. Respondetur: quod vox, *homicidium*, more Theologico sumitur absolutè pro occisione iniusta turpi, & prohibita; sicut vox, *mendacium*, pro loquutione peccaminosè falsa, ideoque prohibita. Quare in terminis Theologicis negamus absolutè antecedens: quia Deus nec consuluit, nec per se patrare posset occisionem iniustam.

35 In terminis verò purè occisionis innocentis verum est, quod fit à Deo sibi, & alijs licita. Non quidem per dispensationem, seu abrogationem præcepti naturalis non occidendi; sed per constitutionem talis occisionis extra materiam talis

præcepti: quod utique nunquam de illa fuit. Quocirca sciendum est, quod quando Legislatores eximit aliquem, alioquin legi subiectum, ab obligatione legis, manente ratione, motivo, & obligatione legis quoad alios, dicitur dispensari in lege: quando eximit omnes in totum, dicitur abrogari lex. Nequit Deus tollere obligationem præcepti naturalis, nec uni, nec omnibus, manente ratione, & motivo talis præcepti, seu legis, eo ipso manentis ex iure naturali: ideoque nequit in ea dispensare; nec eam abrogare. Constituit tamen sæpè pro iure, ac libito suo actionem extra materiam præcepti naturalis: quod utique nunquam fuit de actione sub talibus circumstantijs constituta. Sic res habet in casu posito occisionis innocentis: ratio namque præcepti naturalis non occidendi innocentem est, quatenus non expedit disponere de vita propria, vel aliena contra voluntatem Domini vitæ, & mortis. Eo autem ipso quod Deus, Dominus vitæ, & mortis, iubeat, consulat, aut velit, aut per se, aut per alium occidere quemquam, iam non disponitur de vita contra voluntatem Domini: sicque constituitur occisio extra materiam præcepti non occidendi, in circumstantijs in quibus nec est, nec fuit unquam prohibita: sicut etiam quando per leges humanas Ministri Iustitiæ interficiunt nocentes ratione utilitatis publicæ; quos privatus homo licitè interficere non possit.

36 In ijs, inquam, terminis concedimus antecedens obiectionis. Negamus tamen consequentiam: ob rationem valde disparè. Quia loquutio falsa nullà ratione constitui potest extra materiam præcepti naturalis non mentiendi; ideoque in quacumque circumstantia est prorsus incohonestabilis.

37 Vrgent tamen, petendo rationem ulteriorem datæ disparitatis, quasi liberè dictæ. Cum præsertim in aliquibus circumstantijs posset accidere, quod utilitas mendacij, vel falsiloquij multum præponderaret damno deceptionis; casu nimirum, quo alicui parato iniuste occidere hominem, quem verè putat Laicum, diceremus: *nè occidas, quia Sacerdos est*. Certè enim utilitas evitandi homicidium per hoc falsiloquium præponderat maxime damno talis deceptionis. Cur ergo in ijs, & similibus circumstantijs falsiloquium non fieri licit-

licitum & extra materiam præcepti non mentiendi; sicut in suis circumstantijs rationabilibus occisio fit licita, & extra materiam homicidij prohibiti per legem non occidendi?

38 Respondetur, rationem esse claram, & notanter observandam. Quia ea ipsa utilitas falsiloquij pro illo, & similibus casibus pendet à prohibitione generali falsiloquij, & mendacij illorum etiam casuum comprehensivâ. Si enim mentiri, aut sic falsiloqui liceret, & non esset prohibitum, nihil proderet, me tunc dicere: *Sacerdos est*: ad hoc ut alter, alioquin paratus ad occidendum, non occideret, quia non id mihi crederet, sciens mihi licere sic falsò loqui, seu mentiri: nunc autem credit, quia ego, cui mentiri non licet, attestor. Quinimò nec digni essemus fide pro casibus, in quibus, ut re ipsa Sacerdotem ab iniusta occisione liberarem, verè diceremus: *Sacerdos est*. Pater ergo omnimoda incohonestabilitas mendacij, seu falsiloquij: cum ex eo, quod nulla utilitas casus particularis præponderat damno communi reddendis inutiles loquutiones etiam veras ad evitanda quæcumque damna: tum specialiter ex eo, quod præponderatio ipsa utilitatis in eo casu particulari pendet ab eo quod & tunc, & semper indispensabiliter illicitum sit mendacium, & falsiloquium. Nec ob aliam rationem plus proderet tunc iurare, quàm simpliciter loqui; nisi quia periurium magis prohiberetur, quàm falsiloquium. Non sic res habet in occisione hominis: nam quod iubente Deo pro dominio suo vitæ, & mortis liceret occisio innocentis; & pro bono publico per leges humanas occisio nocentis, nec adversatur specialiter utilitati, quæ tunc est in illa occisione, nec generaliter fini prohibitionis homicidij, & occisionis iniustæ. Quæ omnia lumine naturæ clarescunt.

39 Obijcies quartò. Potest homo ex invincibili errore existimare, aliquid, quod est falsum, esse verum; imò & esse à Deo revelatum; seque teneri illud credere, & alijs enunciare; alioquin peccaturum: In eo autem casu talis conscientia erroneè obligaretur homo ille à Dei lege, & apud se falsò credere, & alijs falsò loqui rem illam: en ergo saltem casum, quo præciperet Deus falsiloquium. Et simile argumentum fit pro casu, quo quis existima-

ret, ut olim existimant nonnulli veteres PP. esse quandoque licitum mentiri. Respondetur casum maioris esse possibilem. Negatur tamen assumptum, quod in eo casu obligaret lex Dei ad falsiloquium: lex enim Dei non obligat ad peccandum; & in illo casu ea Dei lex applicaretur erroneè ad falsiloquium: ut latius explicui *disp. de Grat. Vnde absolutissimè negamus To. de Grat consequentiam.*

40 Et similiter respondemus ad argumentum simile existimantis erroneè licitum, imò & obligatorium esse mentiri, ut in ijs ipsis terminis diximus ibidem. Quod tandem attingit ad veteres PP. non est, cur ab hoc errore excusemus Origenem, & Cassianum, alioquin errare solitos. Hieronymum autem, & Chrysofomum, dum alicubi innuunt, licitum esse quandoque mendacium, sic exponimus, ut nomine mendacij non intelligant, nisi loquutionem amphibologicam, quâ audientes decipiuntur, eo modo quo sic loqui licere dicemus *sect. seq.* Legendus pro cunctis Augustinus in *lib. Special. ex professo contra Mendacium.*

#### SECTIO IV.

*An Authoritati divinæ repugnet loqui verbis amphibologicis*

41 **P**ropositionum per Innocentium XI. merito prohibitarum hæc est ordine 26. *Si quis, vel solus, vel coram alijs, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causâ, sive quocumque alio sine iuret, se non fecisse aliquid, quod reverè fecit; intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit; vel aliam diem ab ea in qua fecit; vel quodvis aliud additum verum; revera non mentitur, nec est periurus.* Et circa eandem materiam in eodem decreto 27. propositio damnata est hæc: *Causa iusta vivendi ijs amphibologicis, est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum; ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.* Prohibitiones harum doctrinarum laxarum nimis, & Christianæ Theologiæ minus conformium; oportet præ oculis haberi à sinceris amatoribus veritatis, ut rectum feratur iudicium in præsentî controversia.

Quo-

Alapid.  
Chrysof.  
Lipoman.  
Lyr.  
Caietan.  
Perer.

Origen.  
Cassian.  
Hieronym.  
Chrysof.

Augustin.

42 Quocirca duplex amphibologia distinguenda est. Vna melius sic dicta, quando verba in externa sua significatione, duos, aut plures sensus habent; & possunt in uno dici à loquente, & in alio accipi ab audiente. Vt si dicerem: *Scio Petrum vidisse Ioannem*: hæc enim verba secundum se indifferentia externè sunt ad dicendum, aut Petrum esse visum à Ioanne; aut econtra Ioannem à Petro. Alia restrictio potius purè mentalis, quam legitima amphibologia est; quando verba secundum significationem externam non habent sensum alium, nisi cum, in quo accipiuntur ab audiente; per restrictionem tamen purè mentalem loquentis in alium sensum distorquentur: ut si dicas: *hodie non comedi*: & mente reserves, tibi que subintelligas: *nisi semel*. An Deus possit amphibologijs uti in loquendo, vel revelando, pendet à difficultate, an sic vel sic amphibologicè loqui sit, aut non sit mentiri: ideoque an & quomodo Deo, & nobis licitum, aut non licitum? De quo puncto doctissimè Coninc *disp. 10. dub. 3.* cuius iudicium, mihi magni semper habitum, recentibus prohibitionibus Innocentianis valde confirmatum est.

43 Prima conclusio. Prior ille modus propriæ, ac legitimæ amphibologiæ Deo, & nobis licitus est in suis circumstantijs. Primò: quia vtitissimus viris prudentissimis, & sanctissimis: quinetiam & Deo veracissimo in multis Scripturarum Sacram loquutionibus: quarum aliquas exposuimus *sect. præced.* & alias exponemus in præsentia. Vnde est, quòd sæpè contrahitur ab Interpretibus Sacris, uter sit genuinus locorum Scripturæ sensus, quando occurrunt verba secundum se capacia duorum, aut plurium. Hinc est etiam, quòd aliqui accipere soleant ansam errandi, usurpantes verba Scripturæ in sensu à Deo non intento, cuius tamen secundum corticem literæ propterea aliquando occidentis, capacia forent. Secundò à priori: quia non mentitur, qui externam loquutionem conformat menti: eam autem conformat, qui verbis utitur secundum significationem veram ipsarum, quamvis non secundum omnem: cum nullo iure teneatur secundum omnem illis uti; imò expediat multoties sic loqui, sic celando secreta cordis strictissimo naturæ iure cuique reservata, & non nisi pro libito cuiuscumque propa-

landa, dum per media licita potest hoc iure suo uti *iustis de causis*.

44 Nec desunt Deo causæ iustæ sic loquendi: præsertim cum iam nobis providerit Ecclesiam infallibilem earum loquutionum ambiguarum Interpretem, ut nemo erret, nisi qui nolit eam consulere. Causas eiusmodi pro loquutionibus Dei enumerat post Bellarminum antea cit. Coninc *num. 61.* Primam scilicet, nè doctrina Sacra apud imperitiores minus estimaretur, si nimis esset omnibus obvia. Secundam, ut excitaretur studium doctiorum in scrutandis Scripturis. Tertiam, ut Prælatorum, & Ecclesiæ Doctorum dignior esset apud vulgus existimatio. Quartam, ut infidelibus Sacros Libros passim lectitantibus celarentur sacratiora Mytheria, quæ facilius iriderent, quam intelligerent, & crederent. Quintam, ut maneat in obscurum multa, quæ prædicuntur, & non oportet sciri penitus ante tempus.

45 Dixi: *iustis de causis*. Nam absque ulla causâ loqui amphibologicè, quando videmus alterum decipiendum, quamvis mentiri non sit, est tamen ex genere suo peccatum veniale contra virtutem veracitatis, vel sinceritatis, quâ obligamur non dare proximo occasionem deceptionis, si cut nolumus nos ab alijs sic decipi. Accedunt sæpè graviores aliæ obligationes non sic ambiguè loquendi: aut ex charitate, quando ex eiusmodi deceptione damnum aliud proximo resultaret: & quòd maius esset hoc damnum, gravior esset obligatio, & maior requireretur causa ad reddendam licitam amphibologiam: quòd ex circumstantijs perpendendum est: aut ex officio, quando se alij à nobis instruendos traderunt: aut etiam ex iustitia, ut quando stipendio accepto docemus; aut ex obedientia, ut quando respondemus Superiori legitime interroganti. Sic ex Lessio, Coninc à *num. 44.*

46 Obijcies. Nec Deo, nec nobis licet intendere errorem, seu deceptionem alterius: ergo nec ullo modo loqui amphibologicè, quando videmus alterum esse decipiendum. Responderetur, concedendo antecedens ex dicendis *sect. seq.* & negando consequentiam. Quamvis enim nulla amphibologia licita sit intendendo deceptionem, quia eiusmodi intentio est intrinsecè turpis, & mala; uti tamen amphibologia hac, quæ ex una parte mendacium

Bellarmin.  
Coninc.

Lumb.  
Ovied.  
Hurtad.

Lessio.  
Coninc.

Hurtad.

non est, ut vidimus; & ex alia parte non fit ex intentione mala decipiendi; sed ex intentione bona celandi veritatem iustis de causis, non est unde illicitum dicatur: cum licitum sit, imò & quandoque obligatorium, celare veritatem, & medium prædictæ propriæ amphibologiæ nec mendacium sit, nec per se illicitum. Quod si sequatur exinde deceptio in audiente præter intentionem sic loquentis iustis de causis, sibi imputet, qui loquutionem non intelligendo, à se ipso potius, quam à loquente decipitur. Loquens enim, quamvis prævideat alterum decipiendum, utitur iustis de causis iure suo celandi veritatem per media licita; damnum verò deceptionis alterius sequitur præter intentionem: sicut occisio proximi prævisa, & sequuta, sed non intenta à defensione mea cum moderamine inculpatæ tutelæ: & alia huiusmodi passim in moralibus: ut prosequuntur Magist. Lumbier *quest. 5. à num. 294.* & P. Oviedus *Contr. 3. punct. 2.* Vbi fallum, & improbable iudicat, quòd dixit Hurtadus, posse Confessarium positivè velle, & intendere licitè deceptionem interrogantis de auditis in confessione: quamvis fateamur, posse rectissimè intendere celare veritatem per amphibologiam, ex qua alter decipitur, & veritas manet occulta, & sigillum confessionis inviolatum: de quo alia dicemus *in seqq.*

47 Secunda conclusio. Posterior alter modus impropriæ amphibologiæ, & propriæ restrictionis purè mentalis, nec Deo, nec nobis licitus est. Hoc videtur iam esse extra litem post Innocentianam prohibitionem propositionum, quas retulimus *num. 41.* ut in suis expositionibus dicti Decreti Pontificij expendunt Cardenas, Lumbier, & alij iuxta communem Fidei- lium intelligentiam, & observantiam, quæ optima solet esse legum interpres, quando in verbis legis aliquod potest esse dubium circa sensum intentum à Legislatore: alioquin vix erit lex, quæ non possit per subtiles tergiversationes eladi. Vnde nescio quid sibi voluerit novus noster Hurtadus Fuente *Dissertatione suâ 16. cap. 8.* super Propositiones ab Innocentio damnatas, sic dialecticè comminuens, aut communiens Propositionem 16. inter damnatas, quam supra retulimus, ut damnatio Pontificis prudentissima, ac moralissima, quasi ac- rem dumtaxat verberare, ferè dici posset.

Sed hæc alio pertinent ex professo.

48 Ratio conclusionis est: quia eiusmodi loquutio non tam amphibologica, quam purè mentaliter restrictiva, est absolutissimè falsa, nec iuxta præsentem vocum institutionem, quam unus loquens nequit ad libitum immutare, habet, nec habere potest significationem veram: ergo est falsiloquium, & purum putum mendacium: atque adeò est turpis semper, & illicita, & nulla ex causa cohonestabilis iuxta doctrinam certam *sect. præced.* Antecedens probatur: nam audientibus eodem modo significat ea loquutio, ac si absque restrictione purè mentali proferretur; cum restrictio omninò lateat in mente, & in corde sic loquentis, ac proinde non immutet quoad audientes significationem orationis externæ, utpote eatenus dumtaxat audientibus significativa, quatenus externè percepta, ut instrumentale signum ipsis exhibitum. Si igitur ea loquutio secundum totum id, quòd præfert externè, est falsiloqua, & mendax, circumscripta restrictione purè mentali; haud secus erit adhibita tali restrictione nullo signo externo audientibus significata. Atque hinc est quòd qui apud homines, haberentur taliter restrictores, non minus fierent indigni fide, & conversationis humanæ corruptores, quam apertissimè falsiloqui, & Mendaces. Profecto, qui tibi hodiernis satur, potest dicere sine mendacio: *hodie non manducavi*: mente subintelligens, *nisi semel*; aut mente restringens: *Constantinopoli*: de servo domi clauso posses eodem iure dicere, & iurare: *non est dominus*: subticens mentaliter restrictivè syllabam: *nus*: & de usurarijs: *sunt divi*: subticendo: *tes*: & de furibus: *sunt sancti*: subintelligendo mentaliter: *ficabiles*. Quis autem hæc approbet, & non ut absolutissima mendacia detestetur?

49 Hæc dixerim adversus restrictiones purè mentales: id est, nullo signo externo significatas humano more. Nam aliquæ restrictiones, quæ, quamvis non per voces nudè sumptas significantur, significantur tamen per alias circumstantias externas, complentes humano more loquutionem vocalem, ad modum quo supplet, vel completi potest, & solet per nutus; non sunt restrictiones purè mentales, nec ut tales damnandæ: imò iuxta conversationem humanam admittendæ, pro iure, &

in aliquibus casibus pro obligatione celandi veritatem, & occultandi, dum opus est, secreta cordis. Hanc verissimam limitationem, seu potius explicationem, insinuat satis Pontifex in illo termino propositionis damnatae: *Intelligendo intra se aliquid aliud*: quod nempe sub nullius signi externi significationem cadat.

50 Exempla moralibus rem moralem declaro. Confessarius, auditā confessione Rei de furto, & homicidio, profert: *Ego te absolvo à peccatis tuis*: & has easdem voces profert Princeps Reo petenti remissionem delictorum: ex circumstantijs autem sensibilibus hæc eadem voces non idem significant; sed rem maximè diversam. Amico petenti librum dico: *Tuus est*: & interroganti de dominio libri, respondeo: *Tuus est*: en, ijdem vocibus, & quidem iuxta institutionem humanam, in prioribus circumstantijs externis significatur donatio libri; non sic in posterioribus. Ad hunc modum, ait rectè *Quiròs tom. 1. disp. 4. num. 15.* interrogatos nos de peccato audito in confessione licitè facturos; & abque labe mendacij, nec falsiloquij, absolute, ac rotundè id negantes: non quidem beneficio restrictionis purè mentalis; sed quia in eiusmodi circumstantijs externis, ex institutione etiam hominum, ad quorum placitum voces significant, voces illæ, alioquin negativæ, iam non sunt negativæ, nec affirmativæ peccati; sed verè protestativæ obligationis non loquendi de auditis in confessione, & taxativæ ignorantia sic interrogantis. Quodsi aliquis sic interrogantium id non animadvertat, suæ imputet incertitiæ, quod ignoret hominum mores. Similiter loquutio promittentis, se ducturum Mariam in uxorem, quamvis sic ore tenus absolute proferatur, ex circumstantijs tamen externis sponsalium significat ex hominum usu subintellectis certis conditionibus, sub quibus iure resilitur ab sponsalibus. Sic etiam homo interrogatus à Iudice de crimine verò proflus occulto, licitè negat: hæc enim responsio in circumstantijs iudicij ex hominum usu, dicit potius se non teneri iudice fateri, quam se non perpetrasse delictum. Idemque est iustis de causis extra iudicium in multis casibus, in quibus interrogati de ijs, quæ non oportet nos revelare, respondemus: *nescio*: quo iam ex usu vocum significamus, aut nos id nescire,

aut non oportere manifestare. Sic tandem in consecratione Episcoporum, interrogatus qui consecratur, an velit Episcopus esse: respondet absolute: *nolo*: & planè non mentitur, quamvis desideret consecrari, & fortè ambierit Episcopatum: quia in illis circumstantijs externis extrahitur verbi significatio ad altiorem sensum: nam omnino nolens non consecraretur.

51 Hinc probare non possum, quod insinuat Card. Pallavicinus, modum utendi licitè huiusmodi amphibologijs in prædictis iustis casibus esse proferre verba illa externè absolute, purè materialiter, sine intentione loquendi per illa: sic enim, inquit, non erunt loquutio, atque adeò nec loquutio falsà, nec mendacium. Verum enim verò, præterquam quòd hac arte non meliùs occurritur difficultatibus, quas obijcit communiore sententiæ à nobis traditæ, non faciliè intelligere possum, esse pro cuiuscumque arbitrio spoliare verba significatione, quam habent apud alios ex publica hominum institutione; sicut nec commutare significationes verborum; eo quòd unus apud se statuat, quòd vox, *homo*, significet canem; & vox, *canis*, significet hominem: saltem debet priùs cum audiente convenire de hoc abusu. Alioquin est implicatòria intètio, qua vellet proferre vocem, *homo*, & vellet non significari alijs hominem. Non est ergo minus implicatorium velle proferre sonum propositionis vocalis ex hominum instituto significantis hanc rem, simulque velle non significare alijs hanc rem, eo quòd apud se purè internè statuat eiusmodi sonum à se prolatum nihil significare. Ars videtur cunctis restrictionibus mentalibus postponenda.

52 Obijciunt primò Restrictores purè mentales contra secundam nostram conclusionem: quòd illis usus est, ipsa veritas, Christus Dominus. Quippè rogatus *Marc. 13. de die iudicij* respondit: *Neque scio dies* *et hora* *domini veni*: cum tamen ipse bene sciret. Et Ioan. 7. rogatus de ascensu ad Festum, respondit: *Ego non ascendo ad festum hunc*: & tamen mox ascendit. Et *Matth. 9. 11. de Baptista dixit*: *Ipse est Elias*: cum verè non esset. Et *Matth. 9. dixit absolute*: *Non est mortua puella*: & tamen verè mortua erat: cum ergo dicere non liceat, Christum aut mentitum, aut quidquam ignorasse, dicendum est, eam fuisse restrictionibus

Pallavic.

Marc. 13.

Ioan. 7.

Matth. 9.

& 11.

bus purè mentalibus; ac proinde & Deo, & nobis illas quandoque licere.

53 Respondetur, concessio toto antecedente, negando consequentiam. Nam ille non fuerunt restrictiones purè mentales, attentis circumstantijs externis talium loquutionum, iuxta quòd notatum est *num. 50.* Quinimò exemplis ibi adductis addi possunt hæc. Itaque in primo loco Apostolis rectè scientibus, nihil ignorari à Christo, per eiusmodi responsionem, non illis significabatur Christum nescire diem iudicij, sed non oportuisse ab illis sciri, sicque retùdere illorum anxietatem sciendi, quòd non expediebat: quem sensum in multis casibus fert secum, more etiam humano, modus ille respondendi. In secundo verissimè tunc respondit Christus ad cognatorum mentem: volebant enim ad suos fines, ut Christus cum illis palam ascenderet ad Festum: & sic respondit tunc, quòd non: contra quòd non est, quòd postea ascenderit secretò: ad modum quo invitanti me ad prandium, verè respondeo ad mentem *nolo comedere*: contra quòd non est, quòd voluerim domi meæ prandere: cum enim sensum ferunt ex communi etiam usu circumstantiæ illæ externæ. In tertio verissimè potuit Christus dicere, quòd Baptista erat Elias: scilicet in spiritu. Sic usitatissimè de insigni oratore dicimus, esse Tullium, scilicet in eloquentiâ: de strenuissimo Duce, esse Casarem, seu Alexandrum, scilicet in fortitudine. In quarto; ijs, qui Puellam, velut nunquam inter vivos videndam, deplorabant, verissimè significavit Christus ad ipsorum mentem, quòd non sic erat mortua; sed ad breve tempus ad instar somni.

54 Obijciunt secundo. Loqui dictò secundo modo amphibologicè per restrictionem purè mentalem, non est mentiri: ergo non est, cur non quandoque liceat. Antecedens probatur: quia sic loquens non it contra mentem: cum potius loquutio formalis sic loquentis sit iuxta ipsius mentem: ipsius autem restrictio purè mentalis nihil alijs significat, cum apud ipsum maneat merè internè. Card. Delugo *disp. 4. num. 65.* concedit antecedens ob eius probationem: & negat consequentiam: quamvis id non esset mentiri, esset illicitum contra virtutem veracitatis, & sinceritatis, ut de ipsatione erroris dicemus *sect. seqq.* Respondetur tamen meliùs ex Ripal-

Lugo.

da *disp. 4. num. 73.* & Coninc *num. 50.* negando antecedens, ut vidimus *num. 48.* Ad probationem, negamus sic loquentem non ire contra mentem: quia in mentem non habet, quòd voces significant: & loquutionem profert significantem alijs mentem, quam ipse non habet. Nec equidem video, qua arte sic loquens non habeat intentionem significanti alijs, quòd per se voces significant, ac proinde mentem contrariam menti sic loquentis; cum certè restrictio purè mentalis significationem vocum minimè tollat apud alios: quorum scilicet respectu est, ac si non esset. Mihi perinde hoc est, ac si dicerent ij Authores, se non habere intentionem occidendi hominem, quando intendunt illum iugulare, aut decapitare.

55 Nec telum istud retorquere nobis possunt contra doctrinam primæ conclusionis. Nam in casibus ibi positis loquutio tota externa, aut completa in esse loquutionis per alia signa circumstantiarum externarum, non per se determinatè significat mentem contrariam menti sic loquentis; sed per accidens, & præter intentionem ex sinistra intelligentiâ audientis.

56 Obijciunt tertio. Loquens non semper tenetur totam suam mentem alijs manifestare, propter strictissimū ius reservationis Secretorum cordis: ergo iure suo potest licitè mentem partim alijs manifestare, partimque sibi retinere. Hoc autem aptè fit arte restrictionis purè mentalis: sine qua non videtur satis provisum tuendò iuri naturali celandi secreta cordis. Nec propterea loquitur falsum: sic enim loquens re ipsa intendit significare secundum quòd habet in mente, quamvis non secundum totum. Nec mentitur: quia non contra; sed iuxta mentem it. Vnde est illud Magni Gregor. lib. 26. Moral. cap. 7. *Si intentio non dicitur deservire verbis; sed verba intentionis patet, quòd Deus non accipit sic iuramentum, sicut ille cui iuratur; sed potius, sicut qui iurat, intelligit.* Confirmatur: quia posset esse casus, in quò Confessarius nullo modo posset celare veritatem peccati auditi in confessione, nisi respondendo cum restrictione purè mentali. Quid ergo tunc? aut quomodo simul urgerent arcuissimum præceptum sacri sigilli, & præceptum non respondendi cum restrictione purè mentali?

57 Respondetur: concessio antecedente, Hinc con-

concedo etiam consequentiam: quia sicut totam mentem possumus occultare tacendo; sic & partem, non omnia loquendo: & hæc est sanissima, & aptissima restrictio mentalis. Quod si ex audientium malitia silentium meum habetur pro confessione: hoc mihi ne utiquam imputari, qui medio utor ad id instituto: sed aliorum pravitari, qui sicut silentium meum, sic etiam quamcumque loquutionem meam etiam omnino negativam possent pro confessione strictè, ac malignè interpretari, præsertim imbuti doctrinis usûs liciti restrictionum purè mentalium. Negatur autem minor subsumpta: quòd nempe ad occultationem secreti aptum sit medium restrictio purè mentalis: est enim bonæ causæ malum patrociniū: cum sit intrinsicè malum, & illicitum, & ex nullo sine cohonestabile: sicut & occisio volentis à me extorquere secretum cordis, quod iure naturæ possum, ac debeo celare. Per alia media licita sufficienter provisum est iuri celandi secreta: & non per medium peccaminosum restrictionis purè mentalis, sicut nec per occisionem sui, aut volentis extorquere secretum: cum mala facienda non sint, ut eveniant bona.

58 Nego deinde ex dictis num. 54. quòd sic loqui cum restrictione purè mentali, non sit falsum loqui, & planissimè mentiri. Est falsum loqui: quia tota loquutio externa esset contra rei veritatem, si non adhiberetur restrictio purè mentalis: ac proinde quamvis hæc adhibeatur; quia restrictio purè interna nec immutat statum rei significatæ in se; nec significationem loquutionis externæ, ut est per se certum: est planissimè mentiri, quia dicens externè; *non comedi*; retento purè mentaliter; *nisi semel*; in mente habeo, me comedisse, & loquor me non comedisse: huic autem menti adversatur ista loquutio, ut per se patet: alteri autem menti, qua restringo; *nisi semel*; nec conformatur, nec difformatur externa illa loquutio; quia de illa non loquitur: sicut loquutio hæc: *Petrus legit*; nec conformatur, nec difformatur menti, qua scio, Paulum sedere; quia de hoc non loquitur; sed habet se ad hoc omnino impertinenter.

59 Ad testimonium Magni Gregor. notat in primis Coninc num. 38. ea verba non esse Gregorij; sed Gratiani glossantis super alia Gregorij verba ad cap. 3. 1. *1001*:

ubi solum ait, quòd Deus, quando verba possunt habere varios sensus aut ex se, aut ex circumstantijs, in quibus proferuntur, non per ea decipitur, sicut interdum homo; semper enim penetrat, in quo sensu dicantur à loquente. Quòd non tam est contra secundam nostram conclusionem, quam iuxta primam.

60 Ad confirmationem negatur antecedens: nam aut nullo modo posset, aut posset per silentium, vel per verba, ut diximus num. 50. quæ sine restrictione purè mentali æquè celaret licitè, ac per eadem verba per restrictionem mentalem illicitè. Postrema illa interrogatio momenti non est: ac si similiter interrogares: casu quo celare non posset secretum Sacerdos, nisi occidendo aut se, aut extorquentem, hinc urgente præcepto sigilli; inde præcepto non occidendi? Profectò præceptum sigilli nec obligat ad medium peccaminosum, nec illo indiget; cum satis illi sint media licita, & aptissima, ne violetur.

### SECTIO V.

*An Authoritati divinæ repugnet per se infundere nobis errorem, sive actum falsum etiam citra loquutionem?*

61 SVM pro Dei gratia ex indole mihi desuper indita, veritatis, & sinceritatis studiosus, & amans. Idcirco proclivis semper ad avertendam à perfectione veritatis summæ Dei labem omnem non solum passivæ; sed activæ quoque deceptionis: qualis esset per se infundere creaturis actum falsum, seu errorem ullum intellectualem, quamvis citra loquutionem propriè dictam: memor dixisse in simili Augustinum cap. 1. de Mendacio: *Nunquam errari iustus, quam cum amore nimio veritatis, aut reiectione nimia falsitatis erratur.*

62 Pro hac nostra Sententia stant Doctor Eximius obiter disp. 3. sect. 5. & disp. 44. Metaph. sect. 13. Montoya disp. 4. de Volunt. sect. 3. fufius P. Oxea disp. 4. sect. 3. Lumbier quest. 5. art. 2. Granad. tract. 6. de Pecc. disp. 5. Coninc disp. 10. dub. 2. Amicus disp. 2. sect. 4. Card. Pallavicinus disp. 3. de Act. hum. quest. 2. & Aranda, passim in suo tomo de Incarn. contra Vazquez, Lorcam, utrumque Hurtad. Ripaldam, Arriagam, Cardinalem Delugò disp.

Augustin.  
Suarez.  
Montoya.  
Oxea.  
Lumb.  
Granad.  
Coninc.  
Amicus.  
Pallavic.  
Aranda.  
Vazquez.  
Lorca.  
Hurtad.  
Ripald.  
Arriaga.  
Lugus.

4. num. 33. multosque Iuniores. Qui quidem, quamvis nobiscum conveniant in eo quòd nequeat Deus decipere, seu in errorem inducere quemquam per loquutionem falsam, quia hoc esset mentiri, quòd clarè repugnat divinæ authoritati; aiunt tamen, illi nequaquam repugnare; imò posse Deum creaturam decipere per infusionem erroris speculativi, sive actus falsi, qui non esset loquutio: sic enim non esset falsiloquium, nec mendacium. Dixit Speculativi: qualis error esset: *his tria non sunt sex*: nam errorem, seu dictamen practicum falsum contra bonos mores; aut contra Fidem, aliunde repugnare à Deo per se infundi iam consentitur.

63 Ratio nostra universalis; tam quoad errorem speculativum, quam practicum est. Quia Deo taliter repugnat alios decipere, & seducere, ut pro turpissimo probro vocaretur à Iudæis Christus: *Seducitor ille*. Sed per se infundere errorem est formalissimè decipere, & seducere: ergo maximè repugnat Deo verissimo. Minor patet: quidnam enim erit formalis decipere & seducere, quam infusio erroris, qui est ipsa formalis deceptio, & seductio. Maior autem probatur: quia mentiri eatenus repugnat Deo, rectæque rationi, quatenus contra virtutem veracitatis; quæ est ad alterum, est abusus signorum, quibus loquimur, inducens in audientibus errorem intellectualem, quo decipiuntur, & seducuntur; sed hoc non minùs præstat, imò magis, & immediatius, infusio immediatissima erroris, seu actus falsi, qui est ipsa formalis deceptio, & seductio: hæc igitur infusio non minùs repugnat Deo, summæque veritati iuxta rectam rationem ex ipso naturæ lumine, quam mentiri: ita videlicet, ut sicut repugnat Deo mendacium etiam speculativum; sic & speculativi etiam erroris infusio.

64 Respondent pro disparitate; errorem speculativum inductum sine loquutione, ac proinde sine mendacio, cum solum sit representatio physica rei, esse malum purè physicum intellectus, sicut morbus, & mors est malum physicum corporis, potens à Deo per se induci; ideoque fit destructivus duntaxat boni purè physici, nempe veritatis oppositæ: at error inductus per loquutionem mendacem, utpote non solum representans rem ita esse; sed etiam, Deum ita sentire, esset infamativus

divinæ veracitatis, & sapientiæ; cuius defectus esset, rem sentire; sicut loquitur, quando falsum loqueretur: hoc autem est malum non purè physicum; quin etiam morale indecentissimum.

65 Contra tamen primò. Quamvis enim morbus, & mors non sint, nisi mala purè physica, utpote destructiva valetudinis, & vitæ; quæ non nisi physica bona sunt; respectu tamen illas volentis, & per se inducentis sunt mala moralia, taliter ut illicitum sit, illa velle, & per se inducere: ergo quòd error speculativus sit homini decepto malum purè physicum oppositum bono physico veritatis, non est ratio sufficiens, cur respectu illud alteri volentis, & inducentis non sit obiectivè malum morale, taliter etiam ut faciat moraliter malam, & illicitam, liberam eius volitionem, & inductionem: & quidem pro semper; quia pro semper indecens, & contra rationem est, illa velle & inducere, utpote specialiter opposita naturæ, ut rationali; haud secus ac semper est indecens, & illicitum falsò loqui. Atque hinc est, minimè prodesse responsioni; quòd aliquando liceat velle, & intendere mortem: iam enim dedimus notam disparitatem inter loquutionem, & occisionem sect. 3. num. 38. Infusio autem erroris; specialius oppositæ naturæ ut rationali, multò plus sapit naturam loquutionis falsæ; quam occisionis iustæ.

66 Contra secundò. Non solum se gerit malè unus ad alterum per significationem rei aliter, ac iudicat, per loquutionem; verum etiam quando sine loquutione id faceret: & quamvis per loquutionem dupliciter fallat: nempe & quatenus significat rem ita esse; cum ita non sit; & quatenus significat, se ita sentire, cum ita non sentiat; hoc non tollit quominus per infusionem erroris, quæ loquutio non est, uno illorum modorum fallat, quatenus nempe significat rem ita esse, cum ita non sit; quamvis modo altero non fallat: ergo, quamvis infusio erroris non habeat duas illas difformitates, sicut nec illas haberet loquutio mendax difformis in niti, & non rei; habet tamen unam, & quidem præcipuam fallendi alterum in cognitione veritatis naturæ ut rationali proportionatissimam: ergo, quamvis non significet eam esse mentem infundentis errorem, adversatur re ipsa ipsius menti, & violat veritatem, &

authoritatem, non conformans eiusmodi significationem menti sui auctoris, nec veritati rei. Cur ergo non erit hoc malum indecens, & morale respectu liberè volentis, & per se inducentis illud, & oppositum virtuti veritatis; & eò magis oppositum, quò immediatius adversatur fini veritatis, qui est communicare alijs veritates, quas unus habet in mente. Huic certè fini moralissimo, & rationalissimo opponitur directè infusio erroris; cum tamen mendacium directè non opponatur, nisi medio, nempe loquutioni veræ, mediâ quæ causatur in audiente cognitio veræ. Dicere autem, quod veritas id curat non nisi per mediâ quæ sunt loquutio, est liberè respondere per quæstionem: quæ libertate dici posset id non curare per mediâ nutuum, seu scripturum; sed per loquutionem oris: & quæritur, quænam virtus voluntatis curet de hoc, quod quidem velle honestissimum est?

67 Præterea. Si tota malitia moralis mendacij, & falsiloquij stat ex ea tantum parte, qua loquutio difformatur menti, rogo, an citra loquutionem posset Deus per se infundere homini errorem circa mentem alterius. Si potest: ergo neque in hoc est indecentia moralis: si non potest, desidero rationem, cur hoc non potest, adhuc sine loquutione, & potest per se infundere errorem difformem veritati rerû, quæ potissimus est finis loquutionis? Hinc patet, quàm inutilis sit recursus aliquorû pro turpitudine loquutionis falsæ, potius quàm infusionis erroris, ad pactum formale, vel virtuale inter homines initum de non falsiloquio. Tum quia Deum non ligat humana pactio; & tamen repugnat illi ab intrinseco falsiloquium. Tum quia impositâ vocibus significatione ex arbitrario hominum pacto, iam ab intrinseco illicitum est, uti vocibus contra significationem illis impositam: ergo æquè illicitum, inhonestum, & ab intrinseco turpe, uti cognitionibus, quæ signa naturalia sunt, ad significandas res aliter ac sunt: ut esset infundere cognitionem ex fine suo, & naturæ rationalis institutam ad significandum verè, Petrum vivere, quando mortuo Petro non nisi falsò id potest significare.

68 Denû si non esset in usu loquutio stricta homines inter & Angelos; & posset unusquisque alteri infundere noticias rerû, ut vellet; quid magis esset dissentaneum

rectæ rationi ex ipso lumine nature, quàm quòd mutuo vellent sese decipere, etiam citra loquutionem, per mutuas infusiones errorum? Profectò turpissima foret deordinatio, non minùs ac nunc, homines sese mutuo decipere per loquutiones mendaces: & actum esset scèdissimè de conversatione rationali. Nec est homini rationis compositi dubitabile, quòd in eo casu possibili foret valde laudabilis in genere moris, qui nollet sic facere: foretque aliqua virtus moralis curans de infundendis cognitionibus veris, & prohibens infundere falsas. Sit ergo virtus veracitatis; aut sit qualibet alia; hæc certò est virtus eximie residens in Deo, cui virtuti in genere moris opponitur, ac repugnat, Deum velle per se infundere errores, & per illos decipere, ac seducere ex professo creaturas suas; reddensque non solum physicè, quin etiam in genere moris malum indecentissimum, longèque alienum à Deo veritatis, velle per se infundere errores, & actus falsos; non minùs quàm mentiri.

69 Concipe, si fas est, Deum hunc nostrum infundere Mundi Principibus errorem, ut ais, physicum speculativum, quo sibi persuaderent, in Oceano esse Insulam, cuius rupes sunt argenteæ, montes aurei, arborum gemmeæ, petreæ adamantes, arbores fluentes lacte, & melle: quo delusi expedirent eò certatim classes suas cum ingenti Orbis universi confusione. Quid si Christianis infunderet errorem, quo sibi persuaderent, post biennium fore finem mundi? quænam omnium commotio, & perturbatio? quales pœnitentiæ? Fac quòd postea homines sic in utroque casu delusi, nossent, Deum illos insigniter decipisse. Et perpende, quam conciperent de Deo existimationem: & quo animo ferres, quòd simile quid de te existimaretur. Absit igitur tantus error, & disce tandem à Platone dignè philosophari de Deo vero. Quippe Dial. 2. de Rep. proponens sibi: *Volueritne mentiri Deus, aut sermone, aut opere spectrum ostendens?* quamvis falsò admittat littere nobis mendacia necessitate urgente, respondet de Deo: *Est ergo Deus simplex, & verus, & in opere, & in sermone: & neque ipse transmutatur, neque alios decipit, neque per spectra, neque per sermones, neque per signorum pompas, neque reverè, neque per somnium.* Hincque increpat Poetas somnia falsa à Dijs suis immissa

Platon.

ca-

canentes.

## SECTIO VI.

## Obiectiones.

70 **O**biiciuntur aliqua Scripturæ loca, in quibus videtur Deus aliquos per se decepisse; & alios induxisse, ut homines deciperent. Sed in primis ea loca iam aptè exposuimus *sect. 3. nu. 33.* Deinde, si quid probarent, probarent, Deum loquendo, aut inducendo ad falsiloquium decepisse, ac proinde per licita mendacia: à quo & Adversarij, quibuscum nunc disputamus, meritò abhorrent.

71 Obijcitur secundo. Deus est causa per se specialis omnis actûs creati supernaturalis: sed dari potest actus supernaturalis creatus Fidei, aut alterius speciei falsus: ergo potest esse specialis causa actûs falsi; ac proinde per se infundere creaturis errorem. Respondetur, concessa maiori, minorem esse plusquam falsam, ut latè defendimus *disp. 1. sect. 4.* ubi dissolvimus, quiddid in probationem falsæ minoris adduci solet.

72 Obijcitur tertio. Error intellectualis non est malum culpæ, sed pœnæ, quam utrique mereri potest homo propter peccata: ergo posset Deus hoc erroris malum per se infligere, & infundere in pœnam: præsertim cum hoc non sit mentiri, nec loqui; sicque nec contra virtutem prohibentem mendacia, & falsiloquia. Respondetur: distinguendo antecedens; non est malum culpæ formale, concedo: quo modo nec mendacium est formaliter malum culpæ: obiectivum, nego: est enim sicut mendacium, malum naturæ rationalis, quod sui volitionem & per se inductionem facit formaliter malam in esse moris. Nec alio quidem modo est malum falsiloquium, sufficientissimè ad reddendam formaliter malam, & illicitam, Deoque repugnantissimam illius volitionem, & per se inductionem. Nego deinde, peccatorem posse à Deo mereri talem pœnam, nisi in eo sensu, quo, ut explicuimus *disp. de Prædest.* dici valet mereri unum peccatum in pœnam alterius: id est, quòd Deus permittat errores, sicut & ulteriora peccata, in pœnam peccati; neutiquam verò ut per se inducat: quod Deo repugnantissimum est. Vnde negatur consequentia. Quamvis enim per se infundere errorem, non esset

Sup. disp. 1

Supr. disp. de Prædest.

mentiri, nec strictè loqui, prohibetur ab eadem virtute summe veritatis, aut sinceritatis: quam utique non solum decent mendacia, & falsiloquia, verum etiam dolositas deceptionis, & seductionis per se dissona naturæ ut rationali: nam sincere cum alijs agere, est agere sine dolo, sive dolus sit cum mendacio, sive sine mendacio.

73 Obijcitur quarto. Deus per se, & plusquam permisivè causare potest conclusionem falsam: ergo & errorem, & deceptionem. Probatur antecedens: quia per se causat præmissam supernaturalem de Fide: sed ex illa, & ex alia sequitur conclusio falsa: ergo Deus per se causans illam præmissam, causat eo ipso conclusionem falsam: quod enim est causa causæ, est causa causati. Exemplum sit in hoc syllogismo: *Omnis homo est lapis: Christus est homo: ergo est lapis:* de quo latè P. Oxea *sect. 5.*

& Lumbier *quest. 5. art. vlt.* In primis hæc obiectio similiter probaret contra obijcientes, posse Deum per se causare errorem practicum contra mores, si similis syllogismus disponeretur in materia ad praxim respiciente: ut in hoc syllogismo: *Nullus homo est adorandus latrâ: Christus est homo: ergo non adorandus latrâ.* Deinde responderetur, negando antecedens. Ad probationem, concessa maiori, negatur minor. Nam conclusio illa falsa, quamvis fluat ab utraque illa præmissa; non fluat ab utraque per se illam inducente; sed à falsa ut per se inducente; à vera autem non per se, sed per accidens: cui propterea non per se tribuitur falsitas conclusionis; sed præmissæ falsæ sibi similiori trahenti præmissam veram, ut secum influat in talem conclusionem. Per accidens verò & Deus ipse concurret physicè ad conclusionem falsam, sicut ad actum peccaminosum: sic autem nihil mirum quòd præmissa supernaturalis concurrat ad conclusionem falsam: cui propterea non tribuitur error conclusionis, sed præmissæ falsæ erranti: quemadmodum claudicatio pedis infirmi, non tribuitur virtuti progressivæ, sed infirmitati, seu defectui pedis: quamvis physicè ab utraque proveniat: quia nempe ab infirmitate provenit per se; à virtute verò non nisi per accidens. Proloquimur: *Quod est causa causæ, &c.* non est universaliter verum, præsertim in moralibus: alioquin Deus esset causa malorum omnium, quæ sunt

Oxea. Lumb.



fiunt à creaturis causatis à Deo. Aptè autem, sicut oportet, explicatum nihil nobis officit.

74. Obijcitur quintò. Potest decensimè Deus movere hominem affectu supernaturali, ut suadeat alteri opinionem probabilem sibi veram, re tamen ipsa falsam: ut si falso iudicans hodie esse ieiunium, suaderet alteri ieiunare ex affectu adimplendi præceptum: sed error intellectualis, quem tunc causaret homo in intellectu alterius, esset specialiter, & per se à Deo; nam esset ex prædicto affectu supernaturali: ergo potest causare Deus, & in prædicto causat per se errorem. Hæc obiectio si quid probat, contra obijcetes probat, posse id Deum etiã per loquutionem, aut inducendo per se hominem ad loquutionem falsam, sine qua non suaderet alteri suam opinionem, ut per se patet. Sed respondetur pro omnibus, quamvis non cum omnibus, negando antecedens, & consequentiam. Cum enim hominis opinio in casu posito sit falsa, nequit Deus veritatis specialiter movere ad eam alteri suadendam, quod esset movere ad alterum intellectualiter decipiendum. Posset quidem in eo casu homo ille sic falso opinans, ex affectu supernaturali suadere alteri, ut ieiunet; quia hoc non est malum; & dicere, se sentire esse diem ieiunij, quia hoc non est falsum: & quod debeat alter ieiunare, si cum ipso sentit, esse diem ieiunij: quia hoc verum est, ne peccet operando contra suam conscientiam; eo modo, quo id utiliter explicui *disp. de Grat.* At quod re ipsa sit dies ieiunij, non potest ex affectu supernaturali suadere, sed ex affectu humano directo per suum iudicium falsum. Quod si ad iudicandum hoc ducitur ex eo quod debeat ieiunari, quando præcipit Ecclesia; & ex eo quod sit præceptum hodie ieiunandi, una præmissa supernaturalis, & alia naturalis, & falsa concurrent ad iudicium illud, quasi ad conclusionem falsam; illa per accidens, & ista per se, ut responsum est ad præcedentem obiectioem.

75. Obijcitur sextò. Error, sive cognitio falsa potest esse auxilium gratiæ per Christum: ergo potest esse per se specialiter, & inductivè à Deo. Antecedens probatur: interdum enim error intellectualis conducit homini, & est causa evitandi peccatum: ut si à mendacio officioso pro-

ferendo detineret me cogitatio, qua falso iudicarem esse peccatum mortale; & ab homicidio perpetrando cogitatio, qua falso iudicarem, hominem esse Sacerdotem: & ab occisione Sacerdotis cogitatio, qua falso iudicarem; Præbytericidium esse peccatum irremissibile. Interdum etiam inducit ad operandum meritorie: ut si falso iudicans, pauperem simulatam esse verè pauperem, moveretur quis ex charitate ad elargiendam eleemosynam.

76. Respondetur, negando antecedens: nec est facile creditu, Christum passum & mortuum pro intellectualibus erroribus, & deceptionibus; sicut nec pro mendacijs, & falso loquijs; in quibus utique fieri posset simile argumentum contra obijcetes; cum similiter occasionare possint multa bona. Hinc ad probationem dico, unum etiam peccatum inservire quandoque ad evitandum aliud: ut quando quis omittit furtum iam iam patrandum causâ insequendi hostem fortè obvium: quin propterea peccatum dici possit gratia per Christum. Sic ergo nec ex eo quod error aliquis occasionaliter inserviat ad evitandum peccatum, aut ad operandum meritorie, inferitur esse gratiam per Christum, aut causam per se operationis meritorie: occasionaliter autem, & per accidens ipsa quoque peccata commissa inserviunt ad dolorem supernaturalem conceptum ex gratia per Christum, quin peccata sint gratia per Christum. Ad primum exemplum pauperis falso existimati, dico, falsam illam existimationem, non immissam, sed permissam à Deo; solum occasionaliter & per accidens inservire ad actum supernaturalem misericordiæ per se tunc causatum ab alijs cogitationibus verissimis, ac supernaturalibus, quæ verè sunt gratia per Christum; qualis est cognitio, quod bonum sit succurrere pauperi. Quod si fingas, nullam tunc allucere cogitationem non falsam, crede, nullam tunc fieri actum meritorium. Similiter si ex iudicio falso irremissibilitatis Præbytericidij conciperem occasionaliter timorem, quo averterer ab illo perpetrando; talis timor non esset supernaturalis, nec salutaris, nec ex gratia, nisi oriretur ab aliqua cogitatione sancta, atque adeò non falsa, qualis esset, non expedire, sed malum fore, committere peccatum irremissibile: quod verissimum est.

Obj-

77. Obijcitur septimò. Deus confert auxilia supernaturalia ad actus falsos: ergo sunt per se specialiter causabiles à Deo. Antecedens probatur: interdum enim actus falsus fit ex imperio voluntatis supernaturali: quod aut est, aut supponit auxilium gratiæ: ut quando pia affectio supernaturalis credendi revelata à Deo movet, ut intellectus assentiatur rei sibi à Parocho propositæ, quasi veræ, & revelatæ à Deo; cum tamè re ipsa ita non sit: & quando affectus supernaturalis virtutis studiositatis movet nos ad amplectendas multas opiniones existimativè veras; & re ipsa falsas. Respondetur, negando antecedens, & probationem. In quâ ad illud de pia affectioem dico, non posse in eo casu affectioem supernaturalem, nec piam, imperare talem assensum falsum; cum eo ipso talis volitio assentiendi esset volitio rei turpis, atque adeò materialiter, mala, quavis propter inculpabilem errorem, seu ignorantiam non imputabilis ad peccatum: nec posse iudicium prudentiæ supernaturale dictare, quod in eo casu honestum sit imperare talem assensum; quamvis dictare possit, non peccatum hominem sic volentem: de quo specialiùs infra. Ad illud de studiositate similiter nego, affectum supernaturalem studiositatis posse velle amplecti, ut verum, quod in re falsum est: quamvis possit iudicari verissimile ex bonis fundamentis. Quod si intellectus absolutè iudicat verum, quod re ipsa verum non est, non sic iudicat ex affectu supernaturali virtutis studiositatis; sed ex affectu naturali vitiatò, quamvis sæpe inculpabiliter.

78. Obijcitur tandem. Deus per se specialiter causat causas per se, ac necessario inducentes errores, ac deceptiones intellectuales: ergo potest per se causare, & inducere eiusmodi errores, ac deceptiones: quia quod est causa causa, est causa causati: saltem quando est causa causæ per se. Antecedens probatur multis. Primò: quia Deus specialiter causat apparitiones Christi, ut infantis in Eucharistia: unde concipitur ibi ita esse; cum ita non sit. Secundò: quia consulere potest, ut Christianus peragrans Africam utatur vestibus Turcicis: quo se Turcam simulat; & incolas inducat in errorem, quod verè Turca sit. Tertio: quia Deus miraculose texit araneorum telis latibulum Sancti Felicis: quæ industriâ persequutores decepti sunt, exi-

stimantes ibi non esse. Quarto: quia specialiter causat species baculi recti semimeris aqua: quæ per se inducunt existimationem fallam, quod sit curvus. Quinto: quia mittens Deus Raphaelem in specie hominis, ut comitaretur Tobiam, voluit, & induxit errorem, quo Tobias existimavit esse hominem: & apprensus Christus Magdalene in specie hortulani; & Discipulis in Emaus in specie peregrini voluit, & induxit errorem, quo putaretur hortulanus, & peregrinus.

79. Respondetur, negando etiam antecedens. Ad primam probationem dico, eas apparitiones à Deo specialiter esse; nec tamen falsas, nec per se inductivas erroris, sed verè repræsentativas infantie Christi, quæ verè fuit. Quod si quis iudicat ex illis, Christum nunc esse infantem; suæ inscitie tribuatur, non illis apparitionibus, nec Deo illas causanti. Ad secundam, & tertiam dicimus, nec vestes Turcicas, nec telas araneorum per se significare id, quod illi homines tunc decepti intelligunt: ideoque ipsorum potius inscitie, quam Dei miraculo, aut consilio per se imputatur talis deceptio. Ad quartam, quæ rem potius philosophicam, quam punctum nostrum Theologicum tangit, dico speciem determinatam intellectum ad iudicandum, tunc baculum esse curvum, non causati per se specialiter à Deo; sed ad exigentiam causæ secundæ illam per se causantis. Ad quintam, nego Deum intendisse, voluisse, aut induxisse eos errores: sed permisisse ex humani ingenij tarditate, seu inadvertentia, alios fines sibi decensimos volendo, & intendendo, ad quos oportuit illas apparitiones causare, & errores ex illis eventientes permittere, ut explicat sigillatim Montoya *disp. 41. de Volunt. sect. 3. nu. 9. Montoya. & 10.*

80. Ex quibus infert P. Oxea *num. 51. Oxea.* nullo in casu Deum per se specialiter causare causas per se necessario causantes errorem. Si enim causæ per se necessario causant errorem, non causantur per se, sed per accidens à Deo, ad exigentiam causæ secundæ; si verò causantur per se à Deo, illæ non per se necessario causant errorem. Sicque nunquam dicitur specialiter per se causare errorem ex illa regulâ: *quod est causa causæ, &c.* quæ ad summum valet de causa per se causæ per se.

81. Hinc addendum ex Patre Suárez *Suárez.*

num.

**Arriaga.** nu. 14. contra Arriagam, nec posse Deum infundere specialiter habitum erroris: quamvis simul decernat impedire, ne prodeat in actum erroris. Hoc enim repugnat etiam perfectioni summæ divinæ veritatis, & dedecet eius sinceritatem. Nam, quamvis impediretur actus erroris, talis habitus est ex natura sua, & per se causativus erroris: quæ seorsum etiam ab actu erroris, est turpis deformitas naturæ rationalis, non nisi turpiter volibilis: ideoque non causabilis specialiter à Deo Authore Republicæ rationalis. Sic etiam Coninc, & Amicus. Sic dici etiam solet de habitibus vitiosis voluntatis, adhuc impeditis actibus. Ob eandem rationem nec posset Deus absente albedine specialiter conservare species intentionales determinantes ad videndam albedinem, & iudicandum ibi esse, cum non sit: de quo fufius Amicus, dubitans de possibilitate talium specierum.

## SECTIO VII.

An Authoritati divinæ repugnet per se causare vera miracula assumpta à Creatura in confirmationem doctrinæ falsæ

82 **A**SSumpta, inquam, à creatura abutente in confirmationem doctrinæ falsæ suæ, virtute miraculorum sibi à Deo communicatâ in alios fines. Nam certum est ex dictis, Deum non posse intendere confirmationem falsi, nec in eum finem assumere, nec patrare miracula. Est autem controversia: an in dicto casu posset Deus in alium finem bonum patrare miracula, quibus abuteretur creatura in finem pravum confirmandæ suæ falsæ doctrinæ, quam eo medio credibilem faceret.

83 Aliqui sequuti Durandum promovere aggressi sunt, id non repugnare divinæ Authoritati, ut Hurtadus apud Ripaldam disp. 4. sect. 5. quibus adhæret Oxea sect. 4. Iste verò Ripalda id Deo possibile iudicat iuxta aliam Dei legem; non iuxta præsentem. Oviedus contr. 3. punct. 4. id iudicat Deo moraliter impossibile; non verò metaphysicè, nec physicè.

84 Communis tamen, & vera Sententia, ac omnino tenenda id iudicat Deo, eiusque summæ Authoritati repugnantissimum cum Suarez disp. 4. sect. 3. quem se-

quantur Coninc disp. 11. dub. 2, & quam plures. Ratio autem est. Quia vera miracula de se habent comprobare, & credibilem facere nomine Dei, qui est illorum specialis causa, doctrinam, pro cuius veritate patrantur: ergo si patrantur à Deo, quando homo illis abutitur pro doctrina falsa, Deus per se specialiter illa patrans, per se, & specialiter per illa comprobaret doctrinam falsam, quasi nomine, ac sigillo suo per se illam muniret: quod in nulla lege, nec moraliter, nec metaphysicè decens, nec possibile Deo est. Consequentia videtur legitima: quia per se specialiter causare, quod per se est comprobatio doctrinæ, est ipsissimum specialiter comprobare doctrinam.

85 Antecedens autem probatur. Nam ex una parte Pharo imprudens, & inexcusabilis prædicatur, & à Deo punitus propter incredulitatem: quia post tot visa miracula non plenè creditit, nec convictus fuit: ex alia verò parte qui Fidem amplectebantur convicti miraculis, laudabiliter, & prudenter agebant: neutrum autem sic esset, si miracula, ut opera specialissima Dei, non haberent de se comprobare, & credibilem facere doctrinam, cui inserviunt, tanquam quædam divinæ attestations: si minus ut loquutiones strictæ; saltem ut signa potentissima veritatis ad instar sigilli Dei. Id abs dubio significat Paulus Hebr. 2. ubi loquens de modo, quo sibi persuasit veritates Evangelij, ait: *Conestante Deo signis, & portentis, & varijs virtutibus.* Nec alioquin egisset ad rem Christus ordinans miracula, quæ patrabat ad probandum, quod docebat: ut Ioan. 5. & 10. *Opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me. Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Et Ioan. 15. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: & paulò ante dicitur: nunc autem excusationem non habent de peccato suo: scilicet de incredulitate.* Quo argumento utuntur passim Sancti PP. ex eodem Apostolo 2. Cor. 12. & 1. Thesalon. 1. Dices fortè, quòd signa tunc attestantia doctrinam Christi non erant sola miracula; sed præterea sancti, verèque divini Christi mores, & suæ doctrinæ puritas. Contra tamen. Quia Christus loquebatur ad Iudæos: quibus doctrina de ipsius Deitate habebatur quasi blasphemiam: mores aut quasi communes, aut de familia-

Hebr. 2.

Ioan. 5.

Ioan. 15.

2. Cor. 12.

1. Thes. 1.

Ioan. 11.

Matt. 11.

Marc. ult.

ritate cum peccatoribus, & publicanis insimulari, & legi difformes: & adversus has existimationes arguebat ut in excusabilem eorum incredulitatem ostensione miraculorum, quæ nemo alius fecit: quam miraculorum vim ad comprobandam doctrinam ipsimet Iudæi veriti sunt Ioan. 11. dicentes: *Hic homo multa signa facit: si dimittimus eum sic, omnes credent in eum.*

86 Atque hinc est, quòd miracula maximi habentur inter signa credibilitatis Fidei nostræ: quam scilicet faciunt prudenter credibilem. Quòcirca Christus ipse interrogatus à Discipulis Baptistæ Matt. 11. *Tu es qui venturus es?* Respondit per opera miraculosa, quæ fiebant: *Cæci vident, claudi ambulant, &c.* Et Marci ult. dicitur de Deo: *Sermonem confirmante sequentibus signis.* Quorsum, precor, isthæc, si miracula de se non essent doctrinæ comprobatio? Aut rogo: si Deus aliquibus Hæreticis, aut Paganis dedisset gratiam miraculorum, quæ ipsi abuterentur in comprobationem suorum dogmatum, patrante Deo pro ipsorum nutu, quamvis non ex ipsorum intentione, tot miracula, quot patravit pro nostra Fide, aut certè plura, aut maiora; sectarij sui haberent profuis erroribus ex parte miraculorum credibilitatem, quam habemus Fideles de nostris Mysterijs: aut quis eos non excusaret de sua incredulitate? Aut quemodo illis objiceremus pro nostra vera Fide: *Si opera non fecissem, quæ nemo alius fecit?* Ergo quia miracula sunt de se probationes, & quasi attestations divinæ: atque adeo non patrabilia à Deo speciali causâ miraculorum, quando ex quacunque hominum intentione subserviunt, instar Dei sigilli non nisi à Deo specialiter impressi, comprobationi doctrinæ falsæ. Esset enim illam quasi divinam approbare, & manu sua signantissimè sigillare; sicque homines indignissimè decipere, eoque absolute constituere in eo casu, pro quo dixisse fertur conditionaliter Hugo Victorinus: *Domine, si error est, quod credimus, à te decepti fuimus.*

87 Perfectò dedecus esset turpissimum Principis humani, quibuslibet ad id finibus moveretur, scienter pati, quòd sigillo suo Regio, sicut & subscriptione suâ, signarentur, & munirentur litteræ falsæ, intendentibus alijs, ipso conscio, quamvis

id non intendente; sigillo Regio eas falsitates confirmare: sic enim actum certè esset de authoritate talis Principis: quis enim deinceps sigillatis eiusdem subscriptionibus firmam haberet fidem? Signa autem miraculorum, ipsis fatentibus adversarijs, sunt quasi sigillum Dei; alioquin nihil còducerent ad reddendum nobis credibile, ut supponimus, quod per illa confirmatur. Summè igitur dedecet, ac repugnat divinæ Authoritati ea patrare, intendentibus Ministris per ea sigillare nomine Dei doctrinam falsam: cui divina veritas subscribere nullatenus potest: quis enim valeat Deum adigere, ut faciat id, quod ipsi essentialissimè repugnat.

88 Admittit P. Oxea; miracula esse de se quasi Dei sigillum: & ait, non esse de se comprobativa doctrinæ, nisi hæc alioquin sit rationi consona: sicut sigillum Principis non esset comprobativum litterarum, quæ alioquin essent dissona; & indignæ Principe: quòd si hoc non obstante illis fidem haberet aliquis ob sigillum, suæ imprudentiæ verteretur; non Principi. Contra est tamen: nam hoc ipsum esset dedecus bono Principe indignissimum, ac proinde prorsus repugnans Deo optimo, cui utique metaphysicè impossibile est, quod moraliter dedecet: sic enim nulla deberetur fides sigillo regio, sciente Rege, impresso: nisi iuxta subiectam materiam aliunde ratione examinandam: & quid in dubijs, ubi ratio non est iræ patens? Quid in Mysterijs Fidei plerumque lumen rationis prætervolantibus? Certè si in ijs ex se non debetur Fides sigillo Principis, funditus evertitur eius authoritas, ut lumine rationis notum est. Quidquod sic destruitur quæstionis suppositio, quòd scilicet miracula ad instar sigilli, aut subscriptionis Dei faciant credibilem doctrinam, pro qua exhibentur ex intentione creaturæ, quamvis præter intentionem Dei illa patrantis propter alios suos fines. Præterea innegabile est, quòd maxime pertineret ad authoritatem Principis, si eius sigillum, seu subscriptio omnino repugnaret adhiberi, nisi litteris veris. Cur ergo hanc perfectionem denegemus summæ summi Principis Dei optimi Maximi Authoritati.

89 Per hæc præoccupantur aliqua partis adversæ diffugia, meo videri parum profutura. Primum est; id fore indecens

Coninc.  
Amicus.

Durand.

Hurtad.

Ripald.

Oxea.

Ripald.

Ovied.

Suarez.

si intentio Dei esset confirmatio doctrinæ falsæ per miracula : at ea non esset intentio Dei ; sed creaturæ. Cæterum in primis hoc diffugio uti non deberent aliqui ex Adversarijs , quos vidimus supra non iudicare indecens, quod Deus per se intendat, & causet deceptiones. Deinde sic aperitur via ad dicendum similiter non dedecere Deum, esse per se causam loquutionis mendacis, quâ creatura intenderet alios loquendo decipere, dummodo id non intenderet Deus. Aut cur non ita similiter? Idcirco.

90. Diffugiunt secundo dantes in hoc rationem disparitatis : id dedecere per loquutionem ; miracula vero non esse strictè loquutionem : quia, quamvis sint signa comprobantia doctrinam ita esse in re ; non tamen consignant Deum sic in mente sua sentire : prout ad strictam loquutionem opus est. Cæterum huiusmodi diffugium præclusimus *sect. 5.* probando, infusionem erroris repugnare Deo haud secus, ac falsiloquium, quamvis non sit stricta loquutio : propter indecentissimam difformitatem naturæ ut rationali ; in eo præcisè quod faciat concipere res aliter ac sunt in se : quæ ratio, præcisissimè etiam à conceptu loquutionis prævalet in miraculis comprobantibus errores. Deinde : quia cum lumine naturæ consistet, Deum cuncta nosse, ut sunt in se ; eo ipso quod miracula significant nobis, & probent rem ita esse, significant, & probant Deum sic sentire : ac proinde, eo ipso quod falso approbarent ad instar sigilli, & subscriptionis Dei, rem ita esse, falso quoque approbarent, Deum sic sentire ; ideoque quoad hoc etiam æquiparari loquutioni. Præterea : quia, ut rectè notat Card. De Lugo, proferre voces sine animo significandi sensum, quem in ijs circumstantijs habent ex institutione sua, nequit non esse deceptio turpis opposita veritati, ut esset negatio. Petri per illas voces non sum, quando interrogabatur, an esset ex Discipulis Christi ; quamvis non haberet animum id significandi, nec se ita sentire, ut iam tetigimus *sect. 4. præsertim num. 51.*

91. Diffugiunt alij tertio dantes pro disparitate, quod voces illæ mendaces, utpote stricta loquutio externa, seorsim ab intentione, quâ proferuntur, significant ex se animum attestandi falsum Deo repugnantem ; ac miracula seorsim ab inten-

tionem Dei patrantis illa in approbationem doctrinæ, non ex se significant animum approbandi talem doctrinam : cum autem non patrentur à Deo ex intentione approbandi doctrinam falsam ; sed alijs ex finibus ; ideo determinatè, & ex se non habent significare, & approbare doctrinam falsam. Addunt, quod voces seorsim ab intentione, quâ proferuntur, habent ex institutione significare hanc determinatè rem, aut illam ; ideoque propria earum significatio non pendet ab animo proferentis ; miracula verò seorsim ab intentione Dei ea patrantis non habent ex se, nec ex institutione, significare hanc determinatè doctrinam : nam resurrectio mortui non habet ex se confirmare hoc mysterium, & aliud determinatè illuminatio cæci.

92. Quàm verò sit impervium diffugium istud, ut perspicuum fiat, notum debet omnibus esse, miracula de se non significare doctrinam, quam probant, mediatè, & directè, sed mediatè, & indirectè : quatenus persuadent Authorem doctrinæ, in cuius approbationem adducuntur, esse Deum, qui est Author miraculorum omnipotentissimus ; unde inferitur, talem doctrinam esse veram. Itaque seorsim à circumstantijs præsentibus ex se indifferentia sunt, ut aut hanc, aut illam doctrinam confirmet, aut nullam, si nempe subita curatio non in confirmationem alicuius veritatis usurparetur ; sed patrantur à Deo ad levandum ægrotum. Attamen simile quid evenit etiam in vocibus, suppositâ earum institutione : eadem enim voces externæ ex se indifferentes sunt, ut proferantur, modò enunciativè, & tunc significant animum attestandi per illas, modò recitativè, ut ab Historicis, & Historionibus ; aut delectationis, aut exercitamenti causâ, ut à Musicis ; & tunc non id significant : & per circumstantias præsentis determinatur, & completur earum significatio in actu secundo. In quo dubitare potest nemo.

93. Atque hinc ostendo datæ disparitatis inutilitatem. Quamvis enim miracula secundum se habeant prædictam indifferentiam, patrata tamen à Deo in talibus circumstantijs determinatè iam significant, & contestantur veritatem talis doctrinæ, in cuius confirmationem adducta patrantur à Deo, & ut diximus, hanc esse quo-

quoque mentem Dei ; imò magis directè, ac immediatè mentem Dei, & mediatè, ac indirectè exinde, hanc esse rei veritatem : ergo sic in talibus circumstantijs à Deo patrata, si attestarentur doctrinam falsam, ex cuiuscumque intentione illam attestarentur, significarent, Deum, qui specialis est Author miraculorum, esse specialem Authorem doctrinæ falsæ : & quidem eodem modo, & eadem vi, qua attestantur doctrinam falsam : quo nihil certè est indecentius, repugnantius, ac perniciosius Autoritati Dei veracissimi.

94. Rursus. Miracula patrata à Deo in talibus circumstantijs in ratione signi externi significantis in actu secundo Dei intentionem attestandi doctrinam, cui inserviunt, aut constituuntur, seorsim à quocumque alio, per semetipsa, & per præsentis circumstantias externas ; aut præterea vel per aliquam internam Dei voluntatem, seu intentionem præsentis providentiæ Dei? Si dicatur primum : ergo sicut voces ex institutione sua, seorsim ab intentione, quâ actu proferuntur, habent significare determinatas res, & internam proferentis intentionem eas attestandi ; similiter miracula in talibus circumstantijs externis patrata habent ex natura sua, seorsim à quacumque intentione Dei patrantis, determinatam significationem externam rei, & intentionis divinæ eam attestandi. Vnde, sicut proferre voces sine animo significandi, quod ipsæ ex institutione sua externè significant, est mendacium, aut falsiloquium, vel turpis dolositas opposita veritati, aut alteri virtuti morali regulanti rectiloquium ; simillimo modo incurreret Deus eadem omnino vitia turpissima ; si in talibus circumstantijs patraret miracula, quæ cum talibus circumstantijs ex natura sua externè significant determinatè talem doctrinam, sine animo significandi, & attestandi, quod ipsa taliter patrata externè significant, & attestantur.

95. Si dicatur secundum, sequitur liquidò, miracula penes id totum, quo constituuntur in ratione actu significandi externè, non deservire potius ad confirmandam doctrinam veram, quàm falsam : quod est contra Adversarios, & contra suppositionem præsentis quæstionis, & contra textus claros Scripturæ, quos expēdimus *num. 85. & 86.* Patet sequela : ex

eo namque quia isti soni ; *Leo rugit* ; ex se seorsim ab hominum institutione non habent significare potius rugire Leonem, quàm hominem dormire ; si seorsim ab hominum institutione proferrentur, non essent signa rugitus Leonis ; & ut id determinatè significant, deber aliunde quoquo modo constare, de impositione significationis. Si igitur miracula secundum id præcisè, quod in ijs externis circumstantijs præferunt, non habent significare, & confirmare determinatam istam doctrinam, nisi ex aliqua interna Dei voluntate, seu intentione, dum de hac nobis aliunde non constet, nihil valent ad confirmationem huius doctrinæ : unde non nisi inspicienter propter illa assentimur, esse doctrinam divinam potius quàm humanam, seu diabolicam. Et ratio est plana : quia cum materia signi distinguitur à forma contingenter illi adveniente, ut constituatur formaliter in ratione significandi rem certam, ex sola præsentia materiæ non inferitur præsentia formæ ; atque adeo in tali materia secundum se non relucet vis ulla significativa talis rei, potius quàm alterius : ut considerare est in sono, *Blitini*, nondum ex institutione rem certam significante. Si igitur miracula, & illa circumstantiarum externarum apparentia non sunt nisi materia signi indifferens ad formam contingentem voluntatis internæ Dei volentis per ea doctrinam aliquam confirmare ; certè in nullis circumstantijs externis secundum se spectatis, prodesse poterunt ad certæ doctrinæ confirmationem.

96. Diffugiunt alij tandem dicendo ex Ripalda, sic fore iuxta possibilem aliam Dei legem, & providentiam : de facto tamen prodesse miracula ad confirmationem doctrinæ ; quia Deus lege suâ ordinariâ præsentis providit non patrari, nisi in confirmationem doctrinæ veræ. Verùm in primis diffugium istud viam indicat, quâ dicant alij, Deum nunquam mentiri, nec de lege, aut potentia ordinaria mentiri posse ; bene verò de absoluta iuxta aliam legem sibi possibilem. Discrimen, quod frustra inculcare studet Ripalda, quoad hoc inter loquutionem mendacem, & miraculum pro mendacio, dissectum manet à *num. 90.*

97. Contra deinde est, Nam ut vidimus *sect. 3. præsertim num. 26.* potestas

Dei absoluta, in quacumque velis lege, mentiendi derogaret præfenti authoritati Dei, & Fidem nostram infirmaret iuxta Ripaldam: similiter ergo potestas Dei etiam absoluta ad patranda miracula confirmantia doctrinas falsas, derogaret præfenti authoritati Dei, infirmaret præfens nostrum iudicium credibilitatis fundatum in miraculis: credentes enim angere possent scrupulus, seu formido, an Deus pro aliquo casu utatur ea sua potestate absolute? Nam miracula secundum se indifferentia essent ad hanc, & aliam Dei legem, & providentiam, ordinariam, seu absolutam: opus ergo esset, quod ij Authores ostenderent nobis, ubi revelaverit Deus, se nunquam omnino usurum potestate illa sua absolute, ne prudenter de facto formidare liceret.

98. Demus casum, quo proponatur Gentili Christiana nostra Fides, eamque velimus illi facere proximè credibilem paratione coram se insignis miraculi: resistit ipse obijciens, miraculo non fieri sibi credibilem; quia patrari à Deo absolute potest pro doctrina falsa, & prudenter formidat, ne in hoc casu sic fecerit, volens ob aliquos fines agere de absoluta sua potestate. Vnde, precor, convincetur, ne formidet. Non quidem ex solo miraculo: sed cum hoc compari potest absolute Dei: sed illud quandoque patrandi pro errore: & de hoc formidat circa præfens miraculum. Non ex adiunctis verbis Catechistæ asseverantis, Deum in hoc casu non sic se gerere: quia & cum ijs Catechistæ verbis compati possit usus potestatis absolute Dei, si cum miraculo compati possit. Non ex Scripturis, aut ex authoritate Ecclesiæ attestantibus Deum de facto non uti eâ potestate sua absolute: supponimus enim, eum Gentilem tunc venire ad Fidem, & ipsam authoritatem Ecclesiæ, & infallibilitatem harum Scripturarum persuadendam illi esse, & faciendam credibilem sine formidine, paratione præfentis miraculi. Quamnam, precor, vim haberet apud ipsum ad totum id paratio miraculi, si non repugnaret omnino metaphysicè Deo illud patrare, nisi pro doctrina vera? Hæc igitur metaphysica repugnantia statuenda, & vijs omnibus à Theologo propugnanda, ne robur argumentorum credibilitatis Fidei nostræ miraculis subnixum maxime debilitetur.

## SECTIO VIII.

Fundamenta contraria convelluntur.

99. PRIMUM est, quod monuit Deus Deuteron. 15. *Si surrexerit in medio tui Prophetes, aut quasi seminum vidisse se dicat, & prædixerit signum, atque portentum, & venerit, quod loquutus est, & dixerit tibi, eamus, & sequamur Deos alienos; non audias, &c.* Ergo quia signa, & portenta possunt patrari, quamvis illis abutatur Propheta pro falsa doctrina: quin habeant vim eam confirmandi, nisi aliunde pura probetur: sicque non est, cur à Deo patrari non possint intendente creaturâ, & non Deo, per illa confirmationem falsæ doctrinæ. Respondetur, sensum sanum verissimi antecedentis esse, admonere, ne contra doctrinam à Deo receptam crederent Pseudo-Prophetis contra docentibus; & aut miracula vera falsò, aut falsa & apparentia verè pro se allegantibus. Vnde negatur consequentia. Ad hunc modum monuit Paulus ad Galatas primò: *Licet nos, aut Angelus de Cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit; & quamvis multa pro ijs miracula alleget, ut glossat Cornelius ibi: quia nempe non nisi falsò allegari possunt: aut ficta, & non facta sunt.*

100. Urgebis. Quoad intellectum audientium, præsertim simplicium, perinde se haberent miracula sive vera, sive apparentia; sive verè, sive falsò allegata, si ab eodem Catechista, seu Parocho bonæ existimationis allegarentur simul, & eodem modo pro duobus articulis; uno vero, alio falso. Si ergo hoc non repugnat Authoritati Dei, neque repugnabit patrare vera pro doctrina falsa. Respondetur, fatendo, quod perinde in eo casu foret quoad movendum intellectum audientium; quoad Deum tamen non perinde se haberet. Nam in uno casu nihil per se facit Deus, ut causa specialis; sed purè permittit aut errorem, aut malitiam Catechistæ, vel Parochi falsum pro vero proponentis, aut falsò allegantis miracula pro falso. In nostro verò casu per se, & ut causa specialis patraret miracula pro falso: & in hoc stat ratio repugnantia, & disparitatis manifestæ. Ideoque dato antecedente, de quo *sect. seq.* negamus consequen-

quantiam pro præfenti quaestione.

101. Fundamentum secundum est. Quia Deum concurrere ad miraculum cum creatura Thaumaturga, prævidendo abusum creaturæ ad falsitatem persuadendam, quam ipse non intendit, non est Dei mentiri, nec decipere; cum solum sit permittere, ut illa mentiatur: ergo non repugnat divinæ Authoritati, sicut nec permittere mendacia. Antecedens probatur: quia mentiri est contra mentem loqui: loquutio autem dicit, quod signum externum ponatur ex intentione significandæ rei, & conceptum loquentis: cum tamen Deus prædicto modo patrans miracula, non ea ponat ex intentione sua significandæ doctrinam falsam, quamvis hanc intentionem permittat creaturæ. Respondetur negando antecedens: ea enim paratio veri miraculi, aut esset mendacium Authore Deo, sicut est Author, & specialis causa miraculi, aut si nollet id appellare strictè loquutionem, est planè vitiosa, turpique irreverentia Summo Principe Reipublicæ rationalis indignissima, opposita, aut summæ Veracitati, aut alteri, quocumque donetur nomine, virtuti moralissimæ, regulanti per signa manifestationem interiorum in mutuâ conversatione naturarum intellectualium. Ad probationem antecedentis, fatemur, mentiri esse contra mentem loqui, aut per voces, aut per scripta, aut per nutus, aut per alia signa. Iam autem loquitur contra mentem, qui alijs significat sentire se in mente quod non sentit, quidquid sit de intentione, quâ id facit, ut satis vidimus *sect. præc.* hoc autem vitium incurreret Deus veritatis, quod absit, patrans signa miraculorum, per quæ in prædictis circumstantijs author, & causa per se specialis esset significandi alijs, se sentire, quod nec sentit, nec sentire potest, cum falsum sit.

102. Fundamentum tertium. Si miracula essent per se attestatiò divina doctrinæ, cuius confirmationi inserviunt, sequitur, quod credere propter miracula iam esset credere strictè Fide ex motivo divini testimonij. Hoc autem esse absurdum probatur: sic enim iudicium credibilitatis Fidei nostræ, fundatum in signis & argumentis, quorum unum sunt miracula, iam esset stricta Fides; cum tamen præcedat ad piam affectionem, quam Fides stricta subsequi debet. Mag. Lumbier.

quest. 4. num. 285. sequelam non reputat absurdam: & in id inclinat. Card. de Lugo *disp. 1. sect. 7.* favetque Ripalda. *disp. 4. sect. 3.* Nec quidem ego, si miracula considerentur ut loquutiones divinæ admōdum, quæ id diximus de definitionibus Ecclesiæ *disp. 3. sect. 5.* sic enim iam in eis resplendet authoritas Dei revelantis, quæ est Fidei strictæ motivum. Nec obstat illud de iudicio credibilitatis. Nam, ut videbitur *disp. seq.* aliud est iudicium credibilitatis, quo scilicet assentimur mysteria esse credibilia; aliud est iudicium Fidei, quo assentimur esse vera: iste assensus Fidei est obsecutus ex motivo divinæ authoritatis, & revelationis, ubicumque hæc sufficienter proposita resplendet, sive in Scripturis, sive in Concilijs, sive in Definitionibus Pontificijs, sive in miraculis consideratis, ut sunt subscriptiones, aut sigillum Dei, sic interponentis summam ipsius authoritatem. Illud prius iudicium est evidens; non ex motivo divinæ revelationis, sed ex alijs argumentis, & adminiculis humanitus etiam consideratis: & præcedit piam affectionem ad credendum: & tam illud, quam pia affectio præcederent assensum Fidei, quo crederetur, mysterium esse verum, quia illud Deus per miraculum attestatur. Multa enim prudenter discutienda sunt, & præcognoscenda ad iudicandum de veritate miraculi, & de applicatione illius ad talem veritatem confirmandam. Quapropter regulariter ordinariè non numerantur inter motiva Fidei; sed inter motiva credibilitatis: quæ longè diversa sunt: ut patet in authoritate Ecclesiæ, quæ ut est authoritas humana multorum Sapientum, est unum ex motivis credibilitatis: mysterium; & ut involvit authoritatem Dei per assistentiam specialem Spiritus Sancti, potest esse motivum Fidei. Sic discurre licet de miraculis.

103. Fundamentum quartum. Deo nec repugnat patrare miracula, quibus à se specialiter factis abutuntur creaturæ in pessimos fines: nec committere generaliter creaturæ virtutem ea patranda in turpes usus: ut patet in potestate consecrati-va, & effectiva aliorum Sacramentorum, quæ sæpè concipiunt mali Ministri pravis intentionibus, concurrente specialiter Deo ad eiusmodi opera supernaturalissima. Ex quo interuntur duo: Primum: ergo posset etiam

etiam specialiter patraret quæcumque miracula infervientia creaturis pro confirmatione falsæ doctrinæ, dummodo id ipse non intenderet. Secundum: ergo illa ipsa opera Sacramentorum posset creatura efficere ex intentione confirmandæ falsæ doctrinæ: ergo patraret Deus in eo casu possibili miracula, quibus creatura confirmaret ex prava intentione sua, & non Dei, doctrinam falsam: cur ergo non sic alia miracula extraordinaria. Respondetur, concedendo totum antecedens. Cuius veritas, nec ad suam illationem procedere potest Patri Ripaldæ; quia hoc procedit etiam iuxta præsentem Dei legem, pro quâ id negat ipse: nec ad suam Patri Oviedo; quia hoc nec physicè, nec moraliter repugnat, nec est indecorum Deo, cum tamen id ipse non velit pro potentia morali.

104. Nos autem negamus primam illationem ob disparitatem notissimam. Quia Deus in casu antecedentis satis frequenti, nec in se habet, nec in creatura causat specialiter turpes illas intentiones; nec causando specialiter miraculum causat specialiter aliquid, quod ipsum dedecet, cum miraculum per se decentissimum sit; nec causat specialiter aliquid per se inductivum turpium finium prævæ intentionis creaturæ: sicque nullius turpitudinis fit Deus causa per se specialis, & Author; sed purè permissor. At eo ipso quod patraret ea miracula in prædictis circumstantiis, quamvis nec in se haberet intentionem malam, nec per se specialiter illam causaret in creatura volente decipere; per se specialiter causaret deceptionem in creatura sic decepta: quia per se causaret in prædictis circumstantiis tale miraculum per se causativum deceptionis circa rem, & circa mentem Dei: hanc enim deceptionem potius per se causat miraculum, ut attestatio, seu sigillum Dei, quam intentio decipientis; ut est per se clarum: Ideoque clarè ex ipsis terminis authoritati summæ Dei indecorum, ac repugnans.

105. Secundam illationem concedo: quia genus illud miraculorum, nec aptum est ad quidquam persuadendum, cum omnino occultè, & invisibiliter fiant; nec sunt loquutio, nec sigillum Dei ad doctrinam confirmandam, cum constet ex lege Dei satis notâ, eam fieri à Deo ordina-

riè profus independenter à confirmatione doctrinæ. Vnde ex circumstantiis suis non habent esse attestations Dei, nec persuadent veritatem doctrinæ, pro qua ab aliquo ministro applicarentur. Vnde si quispiam propter hæc sibi quoquo modo proposita, sicut per iustificationem peccatoris, deciperetur credens falsum, suæ inscitia vertenda foret deceptio; non verò patratiōnis talis operis, quantumvis supernaturalissimi. Hinc distinguo subillationem: causaret Deus in eo casu miracula ordinaria, quæ nullatenus sunt attestations Dei pro doctrina, concedo; alia extraordinaria, de quibus processit quæstio, nego: ob rationem datam claræ disparitatis.

106. Dices: ergo si Deus legem omnibus notificaret, se nolle per sua miracula etiam extraordinaria in quibuscumque circumstantiis patrada, confirmare doctrinam ullam, posset tunc creatura, polleas à Deo gratiâ miraculorum, ea patrare pro doctrinâ falsâ. Hæc consequentia videtur negari non posse. Si autem conceditur, subinfertur, miracula non habere ex natura sua esse confirmationem, & attestations divinam doctrinæ, cui applicatur: si autem id non haberent ex natura sua, non possent id non habere ex lege extrinseca. Quod si possunt id non habere per aliquam Dei legem, venit in sententiam, quam reiecit, Ripaldæ negantis posse Deum ea patrare pro doctrina falsâ iuxta præsentem Dei legem; & affirmantis, posse iuxta legem aliam Deo possibili.

107. Respondet bene Mag. Lumbier *Lumbier* *quæst. 4. art. 2. §. 3.* concedendo consequentiam: quia in eo casu miracula essent quasi non essent quoad confirmationem doctrinæ: nec aliter ad id deservirent, ac nunc ortus solis. Idque extendit *num. 275.* ad miraculum, quo mutus, aut infans proferret voces attestativas alicuius mysterij; dummodo Deus expediret dumtaxat in actu primo potentiam loquutivam, & non concurreret specialiter ad loquutionem: ad hanc enim, si falsâ esset, non posset Deus concurrere, ut causâ specialis. Ad subillationem respondetur, quod diximus, competere miraculis extraordinariis ex natura sua esse confirmationem, & attestations divinam doctrinæ, dictum à nobis esse de miraculis cum debitis circum-

cumstantiis externis: quorum una est quod non adsit lex Dei nobis notificata nolendi per illa quidquam attestari. Hac autem notificatione interpositâ, redduntur inutilia ad confirmandam doctrinam: & cessat quæstio, quam controvertimus: hæc enim fuit, & est de miraculis infervientibus ad confirmationem doctrinæ, an patrari à Deo possint, quando ex intentione creaturæ confirmant doctrinam falsam? Nec proinde tollitur, quominus ex natura sua sint attestativa doctrinæ: sicut quod lapis possit impediri à motu deorsum, non tollit quominus ex natura sua habeat moveri deorsum: & quod ex duorum conventionem vox lapis possit non significare lapidem, sed solem; non tollit quod ex sua institutione habeat significare lapidem. Neque hoc est venire in sententiam, quam reiecit, Ripaldæ: Hic enim, manente in utraque lege, quod miracula sint confirmativa, & attestativa doctrinæ, ait, quod in una non possunt, in altera possent patrari à Deo: nos verò pro utraque id negamus: solumque id affirmamus pro lege, qua essent inepta, & inutilia, & quasi non essent, ad finem confirmandæ doctrinæ.

108. Fundamentum quintum. Doctrina falsâ potest à Paroco proponi scienter, vel ignoranter, cum iisdem motivis externis credibilitatis, quibus doctrina vera: talibus, ut audiens Cathecumenus sentiat se iam obligatum ad credendum. Si ergo non dedecet authoritatem Dei, quod proponatur à creatura doctrina falsâ sub iisdem omnino motivis, per quæ doctrina vera fit evidenter credibilis, & sub obligatione credenda; similiter, nec dedecet, nec repugnat, quod vera miracula solita confirmare, & attestari doctrinas veras patraret quandoque Deus, abutente illis creaturâ ad confirmationem doctrinæ falsæ. Respondetur in antecedente tangi doctrinam per difficilem utiliter discutendam *sect. seq.* In præsentem, transmissio antecedente, negatur consequentia: ob rationem disparitatis, quam iam insinuavimus *num. 100.* Quia nempe in casu antecedentis deceptio Cathecumeni fit aut ex inscitia, aut ex malitia Parochi, vel Cathecista, Deo purè permittente, quæ per se causant talem deceptionem, sicut permittit mendaciâ, & peiora mala. At in casu consequentiæ Deus non esset purè

permissor, sed causâ per se specialis miraculi per se causantis deceptionem: quod indecet, & repugnat, ut etiam tetigimus *num. 104.* Discernere itaque opus est inter fieri credibilem doctrinam falsam alijs medijs, aut per malitiam, aut per ignorantiam adhibitis: & fieri credibilem media patratiōnis miraculi; cuius scilicet Autor, & causâ per se specialis est Deus, quidquid per illud intendat creatura illo utens, vel abutens. Illud prius fieri potest absque ulla Dei purè permittente ignorantia, ac dedecore; istud posterius, cum Deum Authorem miraculi faciat Authorem deceptionis, & erroris, repugnantisimum est Deo veritatis, in quo dolus non est.

### SECTIO IX.

*An Authoritati divinæ repugnet doctrinam falsam, & non suam proponi sub iisdem motivis, & signis, quibus doctrina sua fit proximè credibilis, & sub obligatione credenda?*

109. **C**ausa potest esse frequens, & est examine dignissimus. Cathecista bonæ existimationis apud eos præfertim rudes, quos instruit in Fide, illis ut Minister Ecclesiæ sub iisdem argumentis, & signis veritatis doctrinæ Christianæ, five ex malitia, five ex ignorantia, proponit credendos inter veros Fidei articulos aliquos falsos, vel à Deo non revelatos: ita urget, & apparenter, ut auditores eum quasi Magistrum venerantes, iudicent; se non posse prudenter dubitare de veritate eorum, quæ narrat, & prædicat, ut à Deo revelata; atque ad eum, se iam teneri credere. Dubium est, in hac præfertim tempestate maximè controversum, an absque iactura, & dedecore repugnante divinæ Authoritati contingere possit, quod sub iisdem omnino motivis, taliter potentibus ad efformandum iudicium evidens credibilitatis, ut inducant re ipsa obligationem credendi Fide divinâ articulos veros, & revelatos; proponatur absque ullo discerniculo perceptibili articulus falsus, aut à Deo re ipsa non revelatus; ac proinde nec divinâ Fide credibilis?

110. Tres Scriptores nostri apprimè docti, & acuti Afr. Perez *disp. 2. cap. 2.* *Perez.* & 3. Card. Pallavicinus *lib. 3. de Fide* *Pallavic.* *cap. 5.* & Esparza *quæst. 22. ad 1. omni-* *Esparza.*   
no

no negant, id posse contingere, nec à Deo permitti posse; sed aiunt, esse omnino necesse, quòd semper in similibus casibus interveniat discerniculum aliquod, quo credentes duci possint ad dignoscendum inter verum & falsum, & non eodem omnino modo ipsis appareant, quòd re ipsa verum, & à Deo revelatum est, & quòd apparenter duntaxat est verum, & revelatum à Deo; re tamen ipsa aut non verum, aut non à Deo revelatum.

111 Assentirem equidem huic iudicio, si hæc discernicula, sine maioribus absurdis, percipere valuisssem. Sed meam ut fatear tarditatem, tantum arcanum penetrare non potui. Ea vocarunt in examen, & ex professo, reiecerunt alij Theologi, signanter Haunoldus lib. 3. cap. 2. Controv. 3. Ex quibus selectiora perstringam, ut harum doctrinarum, aut insubstantia, aut inintelligibilitas intelligatur.

112 Mirabilis Ant. Perez mirabile sibi construxit discerniculum articuli veri à falso, seu revelati à non revelato in prædictis casibus. Supponit veluti Fidei, & doctrinæ suæ fundamentum, quòd *Author loquutionis moraliter divina non potest esse, nisi Deus*. Vocat loquutionem moraliter divinam eam, quæ à quocumque ministerialiter proveniat, significat, eius Authorem esse Deum, & inducit obligationem credendi sine formidine. Supponit, esse naturaliter impossibile, quòd circa res obscuras, quales sunt Fidei, intellectus non dubitet, aut formidet. Infert, esse miraculum, quòd obscura credens credat sine dubitatione, aut formidine. Ex ijs sibi statutus docet, propositis simul articulo vero, & falso, hominem, quantumvis rudem, experiri illico in se, circa verum non posse dubitare, & obligari ad credendum; & circa falsum non posse non dubitare, & non obligari; unde est quòd credat verum sine formidine; & circa falsum non possit non formidare; ac proinde non obligetur ad istud credendum sine formidine; cum nemo obligetur ad impossibile: & in eiusmodi experientia interni miraculi tollentis formidinem, quæ naturaliter tolli non posset, constituit discerniculum veri à falso respectivè ad quemlibet credentem.

113 Subtilis hæc excogitatio in primis præbet ansam hæreticis, qui, ut ipsi ad Fidem postea reversi confitentur, credebant suos errores super omnia sine for-

midine, ad dicendum, se verà Fide illos credere, ac proinde esse veros. Si enim credere super omnia sine formidine est discerniculum, & argumentum veræ Fidei; facile dicent, se apud se habere eiusmodi discerniculum; nec ita facilè erit eos convincere de opposito. Hoc autem ex ipsis terminis patet esse absurdissimum. Sicut etiam quòd Hæreticus, qui convertitur ad Fidem, per certam, ac evidentem experientiam dignosceret diversitatem sui assensus veri, ac supernaturalis, ab assensu, quem antea præstabat. Visà enim hæc experientia, & visò per experientiam hoc miraculo: quomodo non haberet evidentiam Mysteriorum Fidei? Aut quid deesset ad evidentiam in attestante?

114 Deinde. Aut prædicta experientia est patens, & discernibilis; aut indiscernibilis, & dubia? Si secundum: quodnam, precor, est discerniculum istud, si ipsum indiscernibile est: quomodo præstat evidentiam iudicij credibilitatis, si ipsum est in dubio, & ambiguitate suâ laborans? Si primum: ecce tibi miraculum quotidianum patens, & manifestum in omnibus Fidei credentibus; omnes enim aut sine formidine credimus, aut non factis credimus. Sic enim minoratur meritum Fidei nostræ: & unicuique inesset facultas discernendi verum à falso; quatenus nempe circa verum, & non circa falsum, eam credendi sine formidine potestatem experiremur. Neminem profectò audiivi talem experientiam de se fatentem; & persuasum nobis volunt, esse in omnibus. Fortè Perez speciali Dei privilegio secum id experiebatur: erat enim verax, apprime doctus, ingeniosus, ac pius. At dato quòd in hoc esset singulariter à Deo illuminatus, non debuit hanc ad omnes ponere regulam generalem, ad proprium potius uniuscuiusque spiritum confictam, quàm ad amulsim veritatis excogitatum; experientia ipsa teste: cum imò potius experiantur verè credentes potestatem formidandi, cui liberè, atque admodum meritorie resistunt firmiter credendo, ut vidimus *disp. 2. sect. 1.*

115 Præterea. Potentia expedita proximè ad exercendum aliquem actum non solet cadere sub evidentem experientiam, antequam actus exerceatur: quis enim experiatur, Deum habere sibi para-

Suprà  
disp. 2.

tum concursum: ergo potentia expedita credendi sine formidine non cadit sub evidentem experientiam ante exercitium credendi sine formidine. Atqui ante exercitium credendi præcedit iudicium credibilitatis: ergo istud iudicium, & evidens Mysteriorum credibilitas nequit fundari in prædicta experientia de miraculo credendi sine formidine.

116 Denique. Tam longè abest à vero, quòd dum Fide credimus, experiri debeamus, nos non posse formidare; quin potius duo supponit falsa Perez in substructione sui discerniculi. Vnum: quòd naturaliter non possimus obscura credere sine formidine. Alterum: quòd non nisi miraculose, Fidei credamus sine formidine. Hoc enim voluntariè supponitur contra S. Thom. *Quodlibet 6. quæst. 4.* ubi deducit certitudinem adhæssionis non esse propriam solius virtutis Fidei: eo quòd æquè firmiter adhæreat hæreticus plerumque suis erroribus, ac Catholicus veritatibus Fidei: & contra Philosophum 7. *Etic.* docentem apud S. Thomam sæpe aliquos æquali firmitate adhærere veritati, ac falsitati: quod & experimento notum est.

S. Thom.

Aristotel.

Augustin.

Audiatur Augustinus *cap. 12. de Vilit. credendi*, sic eloquens: *Si quod nescitur credendum non est, quomodo serviant Parentibus Liberi, eosdem mutuâ dilectione diligant, quos Parentes suos esse non credunt? Non enim sciri illo pacto potest, sed interpositâ Matris autoritate de Patre creditur: de ipsa verò matre plerumque, nec matri, sed obstetricibus, nutricibus, famulis. Nam cui Filius potest furari, aliusque supponi, nonne potest decepta deciperè? Credimus tamen: & sine ulla dubitatione credimus, quod scire non posse constemur.* En quomodo Augustinus, & Thomas firmitatem adhæssivam Fidei, exclusivam formidinis, non collocant in ipso modo intrinseco tendendi actus Fidei; quocum ex intrinsecis suis non posset esse formido; sed in imperio extrinseco voluntatis, ut diximus *disp. 2. sect. 1.* Quo ex mente tantorum doctorum coarctat præcipuum fundamentum doctrinæ huius discerniculi.

117 Porro, si minus hæ sapientum doctrinæ nondum convincunt falsitatis illâ, quam impugnavimus, convincunt saltem non esse certam, nec evidentem: ergo discerniculum in illa fundatum nequit esse evidens, & absque formidine cognitum,

præsertim, si, ut sibi supponunt, de obscuris nequit dari naturaliter assensus sine formidine. Hoc igitur nobis satis est, ut non sit aptum ad fundandam in eo evidentiam iudicij credibilitatis.

118 Cardinalis Pallavicinus, hoc reiecto discerniculo, aliud meditatus est, consistens in quadam, ut ait, apprehensione supra-humanâ singulari, sonante non tam vocem hominis, quàm Dei. Id alij pro rusticorum etiam discerniculo vocant illuminationem quamdam internam de se dicentem: *Sum vox Dei inimitabilis à natura; & certifico, quòd Parochus nunc verum dicit.* Addunt, hanc internam vocem reflexè cognitam causare iudicium credibilitatis, habereque inter alia rationem motivi credibilitatis.

119 Hæc doctrina habet in primis contra se eadem ferè absurda, quæ præcedens. Deinde incurrit aliud, quòd nempe pro instructione Fidelium; & pro conversione infidelium sufficeret verbum Dei scriptum, sicque supervacanei forent Prædicatores in Ecclesia Dei; & parùm interesset, quòd Ministri Verbi Dei, ac doctrinæ Christianæ sint docti, ac idonei præindocis, & ineptis; & superflueret in Ecclesia externa Fidei regula infallibilis. Si enim solus ille interior instinctus sufficit ad discernendam veram Dei revelationem à falsâ, & apparenti, & legitimam eius propositionem à illegitima, non est cur ita fatagat Ecclesia de alijs externis adminiculis.

120 Præterea horreo in hac doctrina, quòd facilis sit ab ea transitus in errorem Spiritus privati maximè invalescentem apud Hæreticos, quo dicunt unumquèque debere duci in credendis, & in agendis. Si enim per supradictam illuminationem, sic homo disponitur non solum exercitè, verum etiam signatè per reflexionem supra illam, ut certus sit se benè iudicare, dum reflexè iudicat esse verum, & non solum apparentem instinctum illum Spiritus Sancti; quid deest ad exerrationem Hæreticorum de suo spiritu privato: quo imbuti parvi-pendunt exteriores Regulas Fidei? Præsertim, cum ad prædictam apprehensionem, seu illuminationem supra-humanam dicatur sequi iudicium evidens credibilitatis dictans, omnia motiva contraria suadentia, illam illuminationem non esse loquutionem Dei, esse eoispo

inestimabilia : itemque honestum , imò & obligatorium esse iudicare, esse verum instinctum Dei.

121 Ponamus Catholicum , & Iudæum decertantes de ratione resolutive nostræ Fidei, quam in eiusmodi illuminationem devolvere student ij Authores. Petit Iudæus, quare Catholicus credat adventum Melsiæ, & Deum illum revelasse. Si non dat rationem, urgebitur quòd leviter, imprudenter, & sine ratione credit. Si dat pro ratione: quia ad sic credendum illuminatur interius illuminatione de se dicente, se esse vocem Dei, & Parochum verè, & voce quasi Dei dixisse, venisse Melsiam; cerrè Iudæus meritò rideret, dicens se simul audivisse eundem Parochum, & vocem Dei non agnovisse, nec talem illuminationem expertum esse. Dicat Catholicus, Iudæum iam illam habuisse, sed immemorem esse. Plus hoc rideret Iudæus argutus, obliviosior habitus, quam rusticus Catholicus, & eadem dicendi libertate reponeret, se quasi vocem Dei audivisse verba suorum Rabbino- rum, & internè illuminatum ad negandum adventum Melsiæ. Ineptum igitur omnino est inuentum istud, seu discerniculum ad dandam rationem resolutoriam Fidei nostræ.

122 P. Esparza, reiectis duabus supradictis explicationibus, sumum explicat Discerniculum sumptum potius ex parte Parochi, quam ex parte credentis. Ait in summa, quòd Parochus, seu Catechista, quamvis iisdem verbis, ac motivis proponat rusticò articulum verum, & falsum; articulum verum proponit re ipsa ut Minister Dei; & ex Fide supernaturali, quam habet ipse; falsum autem non re ipsa, ut Minister Dei, quamvis talis existimetur: quia Deus nec per se, nec per Ministros suos, dum re ipsa agunt Ministros Dei, loquitur falsa; & Fides supernaturalis circa falsum esse nequit. Unde est, quòd verba illa Parochi, tam de articulo vero, quam de falso, sint entitativè naturalia; circa verum tamen sunt extrinsecè, & quoad modum supernaturalia ex eo quòd non à Parocho utcumque; sed à Parocho re ipsa, ut Ministro Dei, & ex Fide proferrantur: quòd non habent respectu falsi. Ideoque verba illa respectu veri sunt apta generare in audiente bene disposito conceptum illum, seu illustrationem discer-

nentem verum à falso: sicque adest semper discerniculum aliquod articuli veri, ab articulo falso, quamvis per verba entitativè eadem à Parocho rusticis proponantur.

123 Ego quidem minimè dubito, quòd Deus adsit illustrationibus suis in prædicto casu ad credendum articulum verum, quibus non adest, nec adesse potest ad credendum falsum, nec ad credendum uno assensu verum & falsum. Facile quoque mihi persuadeo, quòd in ea opportunitate prædicationis, aut Catecheseos uberioris ad id adfunt illustrationes. Quod verò tales sint, ut Rusticus audiens, per eas discernere certò possit verum à falso, neque an sint, necne illustrationes Spiritus Sancti; an illusiones, an cogitationes naturalissimæ, an veræ, an falsæ; persuadere mihi non possum: & vellem intelligere ex qua Scriptura, qua revelatione, ex qua experientia, aut ex quo alio principio novum hoc Mysterium sibi, & nobis persuadeat Theologus iste: quòd dum non monstrat, hoc etiam discerniculum, cum duobus præcedentibus, tanquam liberè dictum excipiendum est; & omnino ineptum ad fundandam evidentem Mysteriorum Fidei credibilitatem. Est enim fundare rem certam, & evidentem in doctrina vix apud me probabili: ut dicebamus num. 117. Deinde patitur hoc discerniculum præcipuas difficultates, quas opposuimus solidissimè duobus præcedentibus.

124 Præterea, Quid si Parochus ignoranter errans, mente utrumque illum articulum verum putet, sicque bona fide, ut vera Fide credendum rusticò proponat? Dicendum erit, quòd incredibile prorsus est, rusticum eo suo discerniculo dignoscere, quòd Parochus adultæ suæ Fide non dignoscit, nempe errorem suum circa unum articulum, & veritatem alterius. Mirabile dictu! Quòd eo suo discerniculo posset rusticus dignoscere Parochum suum, in uno errare, & in alio non. Quid si Hæreticus internus, simulatus Catholicus, prædicet verum articulum, quem ipse non credit? Certè in hoc casu verba Catechistæ non supernaturalizantur à Fide, quam utique ipse non habet; ac proinde iuxta prædicti Discerniculi expositionem non erunt apta generare in intellectu audientis illuminationem illam discer-

cre-

cretivam veri à falso: & tamen dabilis est talis Catechismus verus, sicut & verus Baptismus Ministri Hæretici, quo suadente alij verà Fide credant. Quod si hoc discerniculo dignoscere posset rusticus, aut errorem, aut animum instructoris, est illi concedere Spiritum propheticum penetrantem arcana cordis.

125 Insuper ex prædicta doctrina videtur liquido sequi, quòd quilibet legens Scripturam Sacram, quæ quidem est Verbum Dei scriptum, posset illo suæ Fidei discerniculo dignoscere in locis difficillimis, quis sit sensus verus à Scriptore Canonico intentus, ibique ab Spiritu Sancto revelatus: & quis falsus à multis Expositoribus existimatus verus. Hæc autem sequela arma dat Hæreticis pro errore sui Spiritus privati, eo abusus Textu, quòd non satis cautè utuntur ij Authores pro suis discerniculis: quòd *Spiritualis iudicat omnia*. De quo videndus Cornelius. Profectò si ex hoc admittenda forent prædicta discernicula, nè bona fide decipiantur simplices in credendo; mirum, quòd ij Authores non studuerint pro simili discerniculo, ut homo & dignoscere certò possit, an sit, necne validè in re baptizatus: & quòd mirabilius esset, præsertim parvulus: cui utique tam necessarius est ad salutem Baptismus in re, ac adulto Fides.

## S E C T I O X.

Nostra, & communis in hoc puncto Sententia.

126 Dicendum igitur est, non esse necesse recurrere ad huiusmodi discernicula Mysterijs plena, nec minùs forte captu, & creditu difficilia, quam Mysteria Fidei; sed sufficere motiva externa credibilitatis: quamvis sub iisdem motivis, & signis possit interdum aliquibus præsertim rudioribus proponi eodem modo articulus falsus, aut non revelatus inter veros, & revelatos: & hoc nequaquam repugnatè divinæ Authoritati. Ita Ripalda, & Oviedus hic: Granadus *tract. 2. disp. 3. Valentia quest. 1. punct. 4. Amicus disp. 3. sect. 1. adducens pro se, & pro nobis Augustinum legendum 6. Confess. toto cap. 5. Coninc disp. 13. dub. 1. Tanner. disp. 1. quest. 2. dub. 2. & 5. & quest. 5. dub. 5. Becan. cap. 2. & 11. de Fide Arria-*

Ripalda.  
Oviedus.  
Granadus.  
Valentia.  
Amicus.  
Augustin.  
Coninc.  
Tannerus.  
Becanus.

ga *disp. 5. sect. 3. & disp. 6. sect. 4. subsect. 4. Palau tom. 1. tract. 4. punct. 4. §. 2. R. P. N. G. Thyrsus lib. 1. utilissimæ suæ Manuductionis num. 189. præstantissimus Theologus, de ijs nostræ Fidei punctis optimè meritis P. Michael de Elizalde quest. 62. de vera Relig. Card. Delugo disp. 4. num. 84. & disp. 5. à num. 25. Quiròs tom. 1. disp. 3. sect. 2. Turrian. disp. 7. dub. 7. præter Capreolum, & Canum, alioque ex Nostris: quibus accessit Haunoldus §. 5.*

127 Fundamentum est ipsa propositio casus positi num. 109. non rarò contingentis, aut ex malitia, aut ex ignorantia, præsertim apud simplices, & rusticanos, qui Parochos, & Concionatores, velut Ecclesiæ Doctores, auscultant, & venerantur: eorumque dicta velut oracula excipiunt, non potentes, aut non obligati pro suo captu amplius inquirere. Accedit impugnatio discerniculatorum, quibus Authores oppositi nituntur, ut communem hanc sententiam à sua quasi possessione deturbent. Quam tamen nihil habere, quòd summam Dei Authoritatem dedecet, aut lædat, ex eo patet, quòd in prædicto casu, & alijs similibus nihil intervenit per se inducens errorem, aut deceptionem, quòd Deus per se inducat, & causet; cum omnia illa mala, Deo purè permittente, fiant, ut vidimus num. 108. & fiet clarius solutione argumentorum.

128 Primum, quòd objici potest à paritate repugnantæ patrationis miraculi confirmativi doctrinæ falsæ, iam fuit à nobis satis dissolutum *sect. 8. num. 108. data palmari ratione disparitatis.*

129 Secundum est ab authoritate S. Thomæ 2. 2. *quest. 2. art. 9. dicentis de credente: Inducitur authoritate divinæ doctrinæ miraculis confirmatæ; &, quòd plus est, instinctu Dei moventis: idè non leviter credit. Ecce, inquit, in S. Thom. inter motiva credèdi discerniculum obiectivum nomine *instinctus Dei* moventis. Respòdetur; nihil minùs cogitasse S. Thom. nec nomine *instinctus Dei* venisse in tanti Doctoris mentem discerniculum istud obiectivum. Sensus ipsius clarus aliter est, & expeditus. Leviter credit, qui sine motivis credendi, & sine dictamine prudentiæ de honestate credendi credit. Itaque, ut quis non leviter credat, quòd est intentum S. Thom. requiritur motivum ex par-*

kkk 2

te

Arriaga.  
Palau.  
Lugo.  
Quiròs.  
Turrian.  
Capreolus.  
Canus.  
Elizalde.  
R. P. N. G.  
Thyrsus.

te obiecti, & dictamen prudentiæ de honestate credendi, seu iudicium credibilitatis ex parte credentis: quod iudicium fit ex gratia Spiritus Sancti moventis. Ecce tibi; quod S. Thom. vocat *instinctum Dei moventis*, longissimè à sensu discerniculi obiectivi est: resolvens utiq; distinctissimè Fidem in motivum suum, obiectivum sumpsum, seu propositum ex autoritate Ecclesiæ, & miraculorum; & in causam suam efficientem, quæ est gratia, seu instinctus Spiritus Sancti: sine qua nec Fides, nec iudicium prudens credibilitatis haberi potest utiliter ad salutem. Alia S. Thom. & Augustini testimonia, nobis obijcere tentat Card. Pallavicinus pro discerniculo suo. Sed frustra; ut videre est apud Hauldum à num. 220.

130 Tertium sumitur à sinistra intelligentia verborum 1. Ioan. 1. quod infidelis peccans facit Deum mendacem: quod, inquit, verum esse nequit, nisi respectu omnis; iam ex facta sibi Mysteriorum propositione obligati credere, detur apud se inter motiva credibilitatis discerniculum obiectivum, quod habeat ex essentiali prædicato esse loquutionem divinam. Hunc tamen Ioannis Textum solidè iam, ac genuinè exposuimus *disp. præc. sect. 5.* ubi multa diximus; huc concernentia: & vidimus quam longè sit sensus sanus, & planus ab intento argumenti.

Suprà  
disp. 4.

131 Quartum argumentum. Ea quæ docentur à Parocho, proximo Fidei instructore, accipiendæ sunt, ut omnino certa, & infallibilia: opus ergo est, illum non posse mentiri in ijs, quæ docet: si enim existimamus, eum posse mentiri, poterimus prudenter dubitare, & formidare de veritate eorum, quæ docet. Respondetur: distinguendo antecedens, ut omnino certa ex autoritate infallibili divinæ revelationis, quam proponit, vel supponit, concedo; ex ipsius dicto, nego antecedens: at motivum actus credendi, non est dictum Parochi, sed Dei; quamvis motivum credentis, quæ ad iudicium prævium credibilitatis, sit dictum instructoris. Hinc nego consequentiam. Neque enim ad actum Fide credendi mysterium, neque ad actum prævium iudicij credibilitatis opus est, quod ipse non possit mentiri: sed quod Deus in suo dicto non possit mentiri; & quod ipse non actu mentiatur, neque fallatur; nec nisi temerè, ac impru-

denter existimari possit actu mentiri, & falli: eo enim ipso non poterimus prudenter dubitare, nec formidare de veritate eorum, quæ ut à Deo dicta docet: ut ulterius explico in sequentibus.

## SECTIO XI.

### Quintum argumentum ex certitudine Fidei.

132 Quintum sumitur à metaphysica certitudine Fidei. Si doctrina falsa, vel non revelata, posset proponi cum eisdem motivis, & signis credibilitatis, ac vera, & revelata; non possent Fideles esse certi de veritate doctrinæ, sibi propositæ: opus igitur est aliquo caracteristico discerniculo semper inter illas ex parte motivorum respectu credentis. Antecedens probatur: quia veritas doctrinæ credendæ pendet à proponente, saltem ut ab applicante illam intellectu assensuro: sed hæc dependentia sufficit, ut veritas doctrinæ reddatur incerta, si potest esse falsa ex parte proponentis, potentis similiter proponere doctrinam non veram: ergo si hoc posset, non possent Fideles reddi certi de veritate doctrinæ, quam credunt: ergo necesse est, ut eam fide credendam proponens participet infallibilitatem virtute alicuius, discerniculi obiectivi nulla vi applicabilis doctrinæ falsæ.

133 Hoc argumentum videtur eò vergere, ut cuilibet Parocho, Catechistæ, aut ludimagistro adrogare velit in suis propositionibus Catechisticis parem infallibilitatem ex assistentia Spiritus S. ac habent Regulæ Fidei, ut Pontifices, & Concilia in suis definitionibus ex Cathedra: quod mirum dictum est. Nec prodest quidquam, respondere, illam non habere permanentem, & per modum habitus; sed transeunter ad actum. Certè enim qui Catechistæ sunt ex officio, habitualiter habent Mysteria proponere frequentius, quam Concilia, & Pontifices definire ex Cathedra; atque adeo habitualiter haberent eam infallibilitatem, & assistentiam decretam à Deo ad singulos actus proponendi; nec aliter illam habere video ex promissione Dei Concilia, & Pontifices, nisi ad singulos actus, & quidem rariores, definiendi. Quapropter mirum est, quod qui cuilibet rustico potestatem faciunt nimiam discernendi in prædictis casibus ve-

rum

rum à falso; ipsimet, docti cum sint, non satis discernant inter infallibilitatem propositionis. Mysteriorum cuiuslibet Catechistæ; & propositionis Conciliorum, Pontificum, & aliarum Regularum Fidei: quod nimicum, quamvis pares sint in infallibilitate doctrinæ revelatæ à Deo; non tamen infallibilitate propositionis doctrinæ tanquam revelatæ: nam in hoc secundo infallibilis est propositio Regularum Fidei; non sic propositio Catechistæ. Discernendum insuper est inter motivum Fidei, & inter motiva iudicij credibilitatis: quæ videntur à nonnullis confundi, quasi non discernant inter iudicium Fidei, quo credimus Mysterium esse verum; & inter iudicium credibilitatis, quo præviè assentimur esse credibile: quæ tamen ex terminis ipsis diversissima sunt, ut ex professo videbimus *disp. seq.*

Infrà  
disp. 6.

134 Ex ijs ad argumentum distinguimus antecedens: non possent esse certi de veritate doctrinæ antecedenter ad assensum ipsum Fidei, concedo: per ipsum assensum Fidei, nego: per hunc enim metaphysicè certum formalissimè certificatur, quia nititur revelatione Dei verè existente; quamvis quia obscurus est, & invidens, non per se tollat omnem formidinem, cum patiatut saltem involuntariam; sed per imperium voluntatis, ut dictum est *disp. 2. sect. 1.* Motiva autem alia, seu signa credibilitatis, quibus nititur iudicium credibilitatis, non sic certificent de veritate mysterij, sed faciunt evidentem eius credibilitatem: quæ duo diversissima sunt. Vnde distinguimus consequens: ex parte motivorum iudicij credibilitatis, nego; ex parte motivi assensus Fidei, concedo: hoc autem discerniculum quoad duos illos articulos verè, & exercitè existens est divina revelatio, pro uno realiter existens, & pro alio non nisi existimativè. Ecce verum, & solidum discerniculum in re & in actu exercito, quamvis ignotum, & occultum communiter credentibus in actu signato. Hinc ad probationem antecedentis distinguimus maiorem: Veritas doctrinæ pendet à proponente, applicativè; id est, in applicari ad intellectum assensurum, concedo: constitutivè, & in suo esse, nego: nam veritas rei in esse veritatis omnino independens est ab eo quod sic, aut sic proponatur; imò & ab eo quod proponatur, vel non proponatur. Nego dein-

Suprà  
disp. 2.

de minorem in sensu satis implexo, & obscuro, quo profertur: nam quod proponens doctrinam possit aliunde in similibus falli, vel fallere, non tollit doctrinam in se veram esse veram, nec quod ipse non fallatur, dum eam proponit ut veram. Falsæ denique sunt, & malæ duæ illationes in sensu arguentium: quem, ut corrigam, claritatis gratia, distinguo primam: non possent Fideles reddi omnino certi de veritate doctrinæ ex motivis credibilitatis ante assensum ipsum Fidei, concedo: per ipsum assensum Fidei innixum motivo revelationis verè à Deo factæ, nego: per hunc enim metaphysicè certificatur certitudine formali; adhærivè verò & excludente formidinem per imperium voluntatis, Deo revelanti obsequentis, prout opus est in materia inevidenti, quantumvis in se certissimè. Secundam omnino nego intellectam; ut volunt, de discerniculo illo obiectivo, & in actu signato respectu ad omnes credentes, diverso à divina revelatione exercitè discernente revelatum à non revelato.

## SECTIO XII.

### Sextum argumentum à Prudentia credendi.

135 Sextum sumitur à prudentia maxime requisitâ ad credendum super omnia. Quia non possumus prudenter credere firmissimè sine formidine, & super omnia obiectum, si tota obiecti apparentia, qua inducimur ad credendum, est compatibilis cum falsitate: sed id eveniret, si articulus falsus proponi nobis posset cum eadem evidentia motivorum, & signorum, qua proponitur verus: ergo non potest sic proponi sine aliquo discerniculo obiectivo. Minor est clara. Maior probatur: quia credere sine formidine, & super omnia, est credere modo tendendi firmissimo, reddente intellectum quietum, & imperturbabilem in assensu, ideoque repugnantem cum admisione formidinis: sed hic modus credendi involvit, quod nec motivum, quo inducimur ad credendum, nec aliud æquale sit separabile à veritate, ad quam credendam movet: ergo & quod non sit compatibile cum falsitate. Minor probatur: Quis enim dicat quietum, & imperturbabilem in assensu eum, qui sci-

ret



ret., totam illam veritatis apparentiam, qua movetur ad assentiendum, stare posse cum falsitate obiecti, cui assentitur.

136 Confirmatur: quia repugnant simul in uno intellectu prudenter hæc duo iudicia: *Credo super omnia sine formidine Trinitatem*: & *iudico, totam illam motorum apparentiam, qua moveor ad id credendum, compati posse cum non Trinitate*. Nam illa creditio esset imprudens, & ultra meritum obiecti: atque adeo non esset honestè imperabilis à voluntate, prout opus est ad Fidem.

137 Confirmatur secundo: quia infideliter discredens in eo casu, *facit Deum mendacem*: Et Apostolus ponit firmissimum solatium nostrum in hoc quòd *impossibile est mentiri Deum*. Si autem motiva inducentia, & obligantia ad credendum possent compati cum falsitate rei, nihil ex ijs Scripturis concluderetur ad intentum: præter namque foret incredulo vera responsio, se satis credere impossibile mentiri Deum; solumque negare, dixisse Deum id, quod ut dictum à Deo proponitur sub quibusdam motivis, cum quibus compatibile est, quòd Deus id non dixerit. Accedit damnatio Innocentiana huius propositionis: *Assensus Fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imò cum formidine, qua quis formidet, nè non sit loquutus Deus*.

138 Respondetur distinguendo maiorem: si ea motiva apparentia talia sint *respectivè ad credentem*, in ijs circumstantijs, ut non nisi imprudenter, ac temerè dubitare possit de ipsorum coniunctione cum veritate; nego maiorem: si enim talia sunt, ut locum non relinquunt prudenti dubitationi actualis fallentiæ, quamvis in re sint compatible cum falsitate, inducere possunt applicativè ad prudenter credendum sine formidine, firmiter, & super omnia ex motivo intrinseco divinæ revelationis infallibilissimæ sic propositæ: Si talia non sunt, concedo maiorem, minorem, & nego consequentiam. Dixi: *Respectivè ad credentem*. Nam, ut bene notant Valentia, Turrianus, & Granadus, & alij, pro simplicibus, qui Magistrum, Parochum, seu Catechistam, ut oraculum audiunt, non tot adminicula talis apparentiæ requiruntur, ut non nisi temere, & imprudenter dubitare, aut formidare pos-

sint; quot in viro docto, & ingenioso, propterea obligato ad cautiùs procedendum: quæ res moraliter ex varijs circumstantijs perpendenda est.

139 Ad probationem maioris, neganda est maior Cardinali Pallavicino, volenti repugnantiam illam, & exclusionem formidinis competere assensui Fidei ex intrinseco modo suo tendendi: contra quem monstravimus *disp. 2. sect. 1.* eam non illi competere seorsim ab imperio extrinseco voluntatis. Nec certè est contra naturam, & firmitatem assensus Fidei, non relinquere intellectum omnino quietum, & imperturbabilem; cum non rarò firmissimè credentes patiantur scrupulos, anxietates, tentationes, perturbationes, & formidines involuntarias circa Mysteria, quæ usque ad sanguinem credunt. Quòd autem non compatiatur cum admittance voluntaria actualis formidinis, habet ex consortio imperij voluntatis liberè, & meritorie captivantis intellectum in obsequium Fidei. Neque hoc est negare assensibus metaphysicam certitudinem; sed evidentiam: ut vidimus *loc. cit. & distinximus disp. 1. sect. 5.* Minor est falsa loquendo, ut par est, de motivo credibilitatis, quo applicativè & præviè inducimur ad credendum ex motivo intrinseco divinæ revelationis: & nulla est consequentia. Ad probationem interrogatoriam minoris, dicam ego minimus; quod is qui non nisi temere & imprudenter formidare, aut cogitare potest, talem apparentiam actu stare cum falsitate obiecti, quamvis sciat quoquo modo posse stare, potest prudenter assentiri obiecto, quod sic apparet, eà animi quiete, & imperturbabilitate, quæ requiritur ad Fidem: scilicet sine voluntaria, & prudenti formidine. Quid plura?

140 Ad primam confirmationem dico; quòd circa illa duo iudicia cautè còtra nonnullos arguentes notandum est, quòd in suis propositionibus aliud mète tenent, & aliud verbis sonant, ut quoquo modo argumentari videantur. Pro nunc prius illud iudicium inoffensè admittimus. In secundo aliud verba sonant; aliud, ut reor, ab arguentibus intenditur. Verba sonant, actum credendi, seu Fidei assensum habere pro motivo apparentiam illam signorum credibilitatis: & hoc est falsum; sicque iudicium illud secundum, nec est, nec necesse

esse est, quod sit, cum primo illo iudicio, quod ibi apponitur, in intellectu rectè, prudenterque sentientis, & credentis. Motivum enim intrinsecum credendi non sunt illa signa apparentia; sed est divina autoritas, & revelatio incompatibilis cum non Trinitate, proposita & applicata intellectui credituro per illa signa, quæ sunt motivum evidentis iudicij credibilitatis præviè ad assensum obscurum Fidei, qui est actus credendi: non verò motiva ipsius assensus Fidei; sed applicativa motivi: ad modum quo cognitio prævia bonitatis, qua movetur voluntas, non est motivum amoris, sed applicatio motivi. Intentum autem arguentium fortè non est contra hoc; sed in secundo illo iudicio non loquuntur de motivo intrinseco Fidei; sed de motivis credibilitatis, in quibus stat apparentia illa veri, & quibus dispositivè, aut applicativè inducimur ad credendam ex intrinseco motivo divinæ revelationis veritatem Trinitatis. Sic autem intellectum secundum illud iudicium, nec est incompatible cum primo, nec cum recto, ac prudenti modo credendi. Nam ut firmiter, ac prudenter credam veritatem Trinitatis ex motivo divinæ revelationis essentialiter incompatible cum non Trinitate, sufficit, quòd per talem signorum & argumentorum apparentiam proponatur mihi Dei revelatio, ut non nisi temerè, ac imprudenter dubitare possim de illius existentia in actu, quamvis cum apparentia illa signorum alioquin foret possibile, quòd non existeret. Quemadmodum enim ad veritatè iudicij dicentis mundum existere, sufficit quòd mundus existat, quin illi quidquam obsit, quòd possit non existere; sic ad veritatem, & prudentiam assensus Fidei firmissimi de Trinitate propter divinam revelationem sufficit existentia Trinitatis, & revelationis, & quòd non nisi imprudenter, ac temerè possit de eius existentia dubitari; quin illi quidquam obsit possibilitas coniunctionis non existentie cum apparentia signorum credibilitatis, dummodò talis non existentia impossibilis sit cum divina revelatione, quæ est motivum intrinsecum assensus Fidei, dignissimum fidei firmissimæ, & super omnia. Vnde immeritò dicitur, hoc esse credere ultra meritum obiecti.

141 Quocirca observatum maxime

velim ex lumine naturæ; quòd obiectum formale, seu motivum credendi, quod est testimonium loquentis, eò est dignius fide, & maiori fide, quò loquens maioris autoritatis est apud audientes, quibus eius loquutio proponitur. Vnde est, ut cum æquali propositione sufficienti testimonij viri gravis, probi, sapientis, & prudentis, & testimonij viri inferioris notæ, maior reverentia, & fides illi, quam isti debeatur: sicut maior cultus, & reverentia Personæ excellentiori, quam minùs excellenti apud eos, quibus utriusque dignitas sufficienter, æquè tamen proponeretur. Cum autem Deus sit apud omnes summæ Autoritatis eo ipso quòd nobis sufficienter proponatur eius testimonium, meretur apud nos fidem firmam super omnia: iam enim obsequium firmæ Fidei non est pensandum iuxta firmitatem solius propositionis; sed iuxta firmitatem, & dignitatem divini testimonij sic sufficienter propositi, ut non nisi temerè, ac imprudenter dubitari de eo possit. Sicut ergo magis exigit à nobis fidem testimonium viri gravis, quam viri levis, æquè nobis sufficienter propositum; taliter, ut maiorem abs dubio rationem offensionis haberet ille, quam iste erga discredentes; quia maior in illo, quam in isto autoritas contemnitur, quamvis propositio testimonij non sit metaphysicè, nec physicè certà, & essentialiter connexa cum existentia testimonij: alioquin rueret fides inter homines: sic magis exigit à nobis fidem testimonium Dei, quod est summæ autoritatis, nõ solum quando media, per quæ notificatur, & proponitur doctioribus, sunt Regulæ Fidei involuentes summam ipsius Dei Autoritatem in proponendo; verumetiam quando simplicibus, & rudioribus proponitur per Catechistas, & Parochos, Parentes, aut Magistros, qui inferioris autoritatis cum sint, apud illos tamen respectivè tantæ sunt autoritatis, ut non nisi imprudenter, ac temerè dubitare possint, quòd hic & nunc in eo fallantur, aut fallant. Sic enim est illis sufficienter propositum testimonium Dei, ut propter illud prudenter, firmiter, & super omnia credant, prout decet divinum testimonium sufficienter notificatum. Ad modum certè, quo in physicis ignis eodem modo comburit iuxta virtutem suam, sive à puero debili, sive à viro robusto applicetur: & proprius ad rem sicut ab eodem

Scriptore fidedigno allegatae auctoritates Augustini, & Ariminensis, non aequè moverent ad assensum; sed certè plus prima quàm secunda: nam adhibitâ sufficienti utriusque propositione, maiorem per se vim inicit Augustiniana.

142 Ad secundam confirmationem, verum, sanumque sensum verborum Ioannis dedimus supra. Ex illis, & ex verbis Pauli solatium magnum est Fidelibus rectè credentibus: non quidem fundatum in conficto isto discerniculo; sed in rei veritate: quidquid perveraces increduli pro se respondere aggrediantur, nunquam enim desinent loqui: & ad hæc nova discernicula facilius dicent, se tale quid nunquam percepisse. Apud Deum tandem iudicandi sunt. Quoad præfens apud nos solatium nostrum, de quo Apostolus, optimè fundatur pro Fide nostra in eo quòd impossibile sit mentiri Deum. Si enim Deus mendax esset, minoris esset momenti Dei testimonium. Statuto tamen hoc Fidei, & rationis naturalis principio, quòd Deus mentiri non potest in ijs, quæ attestatur, solum restat notitia de ipsius testimonio, quæ multifariam haberi potest. Et dicimus, quòd regulariter sufficit illa, quæ fundatur talibus signis, motivis, seu argumentis credibilitatis, quibus propositis non nisi imprudenter dubitari, formidari, aut iudicari potest, Deum id actu non attestari. Quòd si perveraces increduli fatentes Dei veracitatem, hanc Dei attestationem negant, non nisi temerè, & imprudenter negant: quòd nec Fidei, nec doctrinæ nostræ obesse potest. Sicque, ut exposuimus *disp. 4. num. 65. faciunt*, quamvis non dicant, Deum mendacem: eiusque auctoritatem factò contemnunt, & offendunt, quatenus testimonio Dei sufficienter propositio non assentiuntur: sicut offenderet abs dubio auctoritatem Regiam, qui Regis attestationi non crederet, si taliter ei notificaretur, ut de ista non nisi imprudenter, ac temere dubitari posset, quamvis simulatè venerans Regis auctoritatem se à non credendo, aut parendo excusare affectaret, vano prætextu suæ dubitationis de attestatione Regia. Damnatio Innocentiana nihil habet contra hoc: Nec enim dicimus, notitiam solum probabilem divini testimonij sufficere ad Fidem: cum talem requiramus, ut non relinquat locum prudenti formidini, cui subiacent notitiæ solum probabiles:

nec dicimus assensum Fidei Theologicae stare unquam posse non stante re ipsa divino testimonio, ut in seqq. magis explicò.

### SECTIO XIII.

#### Septimum argumentum ex obligatione credendi.

143 **S**eptimum sumitur ex obligatione credendi Fide firmâ. Nam sufficienter propositâ revelatione Dei circa Mysterium, non solum potest, quin etiam obligatur homo firmiter, & super omnia credere, aut saltem non discredere: sed non posset sic credere, & multò minus obligari credere, si tota ea apparentia motivorum credibilitatis stare posset cù eo quòd Deus id revera non revelasset: implicat ergo quòd tota ea apparentia signorum, & motivorum existentia revelationis sit sufficiens & obligatoria ad credendum Fide firmâ Mysterium, quin re ipsa detur revelatio: atque adeo in supradictis casibus, in quibus similiter proponuntur à Parocho articulus revelatus, & non revelatus, opus est aliquo obiectivo discerniculo, etiam quoad rusticos, ut articulus verè revelatus censeatur sufficienter propositus, & alius non; & rusticus sit obligatus ad Fide credendum vnum, & non alium; cum ad credendum non revelatum obligari à Deo nequeat.

144 Minor, in qua videtur verti difficultas, probatur multis. Primò: Quia si homo sic Fide crederet, eo ipso vacillaret eiusmodi Fides, utpote potens admittere prudentem formidinem, seu dubitationem circa existentiam revelationis. Secundò: ad eiusmodi evidentiam credibilitatis, subsequitur evidentia obligationis credendi firmiter, & super omnia: hæc autem evidentia obligationis stare nequit, non stante re ipsa revelatione: lex enim Dei nequit obligare fide credere, quòd re ipsa non est à Deo revelatum. Tertio: quia si cum eadem, aut pari apparentia motivorum pro articulo falso, ac pro vero, posset, aut obligaretur credere verum, obligaretur etiam credere falsum ex iudicio prævio supernaturali, & ex affectione pia credendi etiâ supernaturali: implicat autem, iudicium naturale suadere, & affectionem piâ supernaturali inclinare ad actum falsum. Quarto: quia eo in casu actus ille

cre-

credendi articulum falsum, sicut & verum, esset ex motivo revelationis: essetque supernaturalis, & meritorius: implicat autem ex dictis *disp. 1. sect. 4.* & sæpe alibi, actus supernaturalis falsus. Quintò: quia in illa apparentia parium motivorum pro articulo falso; ac pro vero; cum esset par obligatio utrumque credendi, peccaret homo discredens articulum falsum: atque adeo mereretur illum bona fide credens: quis autem dicat, errorem Deo insensissimum esse Deo obsequiosum, & meritorium? Sextò: Quid, si postea dedoceret rusticus ille bene, ac verè instructus, quòd illud, quòd crediderat, sit error? Deberet profectò revocare præconceptam Fidem de illo articulo: Fides autem nostra cum sit certò metaphysicè vera, est irrevocabilis, & immutabilis. Septimò: quia dedecet divinam providentiam sinere tot homines simplices in similibus casibus bonâ fide procedentes; decipi in materia Fidei: ac proinde nec permittere, quòd signis omnino paribus credibilitatis illis proponantur articuli veri, ac falsi, sine aliquo discerniculo obiectivo ab ipsis pro captu perceptibili: quòd si non animadvertant, sibi imputent. Quis enim hoc de Deo optimo sibi persuadeat? Aut quis in eo damnet miseros rusticanos, vera, & falsa promiscuè à Parocho, pari motivorum apparentiâ, proposita credentes, sine ullo, pro ipsorum captu, discerniculo?

145 Responderetur, distinguendo in maiori, posse, & obligari: nam posse solum dicit potestatem credendi; obligari addit legem, qua credere teneatur. Hoc sic distinctò, distinguo maiore: si re ipsâ adest revelatio, concedo maiore: si non adest, subdistinguo: potest homo & obligatur credere, eâ fide & obligatione, qua potest, concedo: Fide Theologicâ, & supernaturali, nego: ad hanc enim Fidem non habet potestatem circa mysterium non revelatum; cum nec habitus Fidei, nec auxilia gratiæ actualis influere possint in actum falsum, aut in actum credendi obiectum re ipsa non à Deo revelatum: atque adeo nec ad id obligari potest homo: quia esset obligari ad impossibile. Posset itaque tunc conari credere, quantum potest, & crederet actu naturali falso, existimato vero; ex motivo divinæ revelationis falso sibi propositæ, existimatæ verè sibi propositæ; firmitate ad hæc sibi possibili; non tamen firmitate

te, ac certitudine formali metaphysicâ, quæ soli actu verò supernaturali competit, ut vidimus *disp. 1. sect. 5.* Non obligaretur re ipsa sic credere: quia nulla Dei lex obligare potest ad actum falsum; sed obligaretur existimativè ex conscientia erroneâ, quantum sufficit ad peccandum, si discrederet, ut remissivè ex dictis *disp. de Grat.* explici in terminis præsentis difficultatis supra. His sic distinctis circa maiorem argumenti, nego minorem casu, quo re ipsa apparentiâ illa motivorum coniungeretur cum existentia revelationis Mysterij: nam in eo casu, quamvis apparentiâ illa secundum se stare posset cum eo quòd Deus re ipsa tale Mysterium non revelasset, actu tamen non stat absque reali Dei revelatione, cui sufficienter, & verè propositæ innitur assensus supernaturalis de tali mysterio ex motivo divini testimonij, formaliter metaphysicè certus, & firmus, nec potens esse nisi coniunctâ re ipsâ existentia divinæ revelationis, quæ est motivum Fidei, cum apparentiâ illa motivorum credibilitatis. Hinc distinguo consequens: implicat, quòd tota ea apparentiâ sit sufficiens, & obligatoria ad credendum, quin re ipsa detur revelatio: ad credendum scilicet fide existimativè tantum supernaturali, & adhæsivè tantum firmâ, & ex obligatione tantum existimatâ, nego: nam totum hoc stare potest, non stante in re Dei revelatione, sed solum existimativè: ad credendum fide re ipsâ supernaturali formaliter metaphysicè certâ, & firmâ, concedo consequentiam: hæc enim stare repugnat, non stante re ipsa, & sufficienter propositâ Dei revelatione. Vnde subillationes aliæ falsæ sunt, & non nisi ex falsa, ac sinistra terminorum intelligentiâ deductæ.

146 Ad primam probationem minoris negamus, quòd sic vacillaret nostra Fides: quæ nimirum non habet pro motivo intrinseco apparentiam illam signorum credibilitatis; sed Dei revelationem realiter existentem, propositam, & applicatam per iudicium prævium credibilitatis fundatum in apparentiâ illa signorum. Negamus itidem, quòd admittere possit prudentem formidinem, seu dubitationem circa existentiam revelationis: cum enim apparentiâ illa signorum revelationis, talis esse debeat, ut quamvis stare posset cum illa non revelatio, non nisi imprudenter ac temerè iudicari possit, quòd actu stet;

LII

ne-

nequit admittere prudentem dubitationem, seu formidinem de actuali non existentia revelationis.

147 Ad secundam dico, totum, quod narrat, esse verum, loquendo de vera, ac re ipsa existente obligatione credendi. Quod si staret tota illa apparentia signorum fundans iudicium credibilitatis, non stante re ipsa revelatione Mysterij, non subsequeretur ad tale iudicium credibilitatis iudicium evidens veræ obligationis credendi, sed existimata, sicut non verè, sed existimativè tantum adesset revelatio mysterij; & non verè, sed existimativè staret lex Dei credendi tale mysterium: quæ difficultas, & solutio, communis est multis casibus conscientia erronea: pro quibus dedimus doctrinam generalem huc applicandam *disp. 24. de Grat. sect. 1.*

To. de Gra-  
ti. disp. 24.

148 Ad tertiam, negamus sequelam: quæ nec ullâ ratione probatur, nec ex nostris dictis infertur: velle credere falsum, est in re velle intellectualiter errare; quâvis non sic existimetur: errare autem intellectualiter est quid obiectivè moraliter turpe, ut vidimus *sect. 5.* & velle intellectualiter errare non potest non esse volitio materialiter turpis, quamvis possit ex ignorantia, vel inadvertentiâ, non imputari ad peccatum: nullius autem turpitudinis moralis potest esse Deus causa per se specialis: ut esset, si ad id per se moveret iudicium, seu affectio supernaturalis, cuius causa per se specialis est Deus. Esset igitur in eo casu illa obligatio tantum existimata orta, à regula supernaturali credendi, quidquid Deus revelat, malè applicatâ per aliud iudicium naturale erronum; existimans tate mysterium esse revelatum à Deo; ab illa per accidens, ab isto per se: ut dici solet de præmissis naturali, & supernaturali inferentibus conclusionem falsam.

149 Ad quartam concedimus, quod eo in casu actus ille credendi articulum falsum esset ex motivo divinæ revelationis existimata; negamus tamen, esse supernaturalem, & meritorium: opinamur enim cum Ripalda, & multis alijs, quibus novissimè opitulatur Hauptoldus *cap. 1. Com- trov. 1.* quod & nos alibi sæpè insinuavimus, actum naturalem, & supernaturalem habere posse idem motivum, aliunde sumptò discrimine naturalitatis, & supernaturalitatis. Sufficit ergo quod ille sic in-

Ripald.  
Hauptold.

vincibiliter errans, & credens, in eo non peccet, excusatus per ignorantiam, & bonam fidem. Quod autem in eo mereatur apud Deum, non credam; sicut neque apud me: quidquid dicant multi.


150 Ad quintam dico in primis, in ea supponi falsò, quod in eo casu foret par obligatio credendi articulum falsum, ac verum; est enim, ut vidimus, notabilis disparitas, quod pro verò adest vera obligatio ex lege verè existente; pro falso obligatio tantum existimata ex lege Dei pro illo non existente, sed tantum existimata. Concedo deinde quod peccaret homo discredens tunc illi articulo sic proposito: non quidem quia ageret contra legem Dei credendi tali articulo; cum repugnet Dei lex credendi falsum; sed quia ageret contra legem nolendi discredere articulo verò sic proposito, quæ lex est verè in Deo: ille autem homo tunc discredens vult discredere articulo verò; cum illum, quem discredit, existimet esse articulum verum: per errorem scilicet conscientia suæ, per quem illa Dei lex bona, & vera, malè & falsò applicatur ad illum articulum. Nego tandem, quod proinde homo in eo casu, bonâ fide, id est, invincibiliter deceptus, credens articulum illum falsum existimatum verum, mereretur per talem assensum; nisi tantum existimativè: sicut enim fides illa esset non verè, sed existimativè tantum supernaturalis; sic esset non verè, sed existimativè tantum meritoria, ut in genere dixi ex professo *disp. 24. de Grat. sect. 1.* de omnibus actibus materialiter malis, qui fiunt ex errore invincibili, quo existimantur boni.

151 Ad sextam, concedo libenter, quod rectè postea instructus rusticus ille deberet revocare primum illum assensum. Nego tamen id esse contra irrevocabilitatem, & immutabilitatem nostræ Fidei supernaturalis, ac Theologicæ metaphysicè certæ, & essentialiter connexæ cum eo quod verum, quod credit, sit reipsa à Deo revelatum. Actus enim ille fidei, quem in eo casu deberet revocare rusticus ille benè doctus, nunquam fuit in re Fidei supernaturalis; sed tantum existimativè. Quid hoc, precor, officit firmitati, immutabilitati, & irrevocabilitati veræ Fidei nostræ subnixæ infallibili revelationi Dei verè extanti?

152 Ad septimam: non possum non mira-

mirari, Theologis alioquin doctis tantum negotij facessisse considerationem illam nobis obiectam, ut propter illam existimarent, illam permissionem dedecere maximè Deum, quasi similes Dei permissiones non sciamus, & veneremur in Deo sanctissimo ob altissimos fines nobis inscrutabiles. Nonne miseri Puelli, qui exteriùs baptizantur, & inter multos, qui cum intentione debitâ baptizantur, alij baptizantur sine intentione, ac proinde invalidè, sicque decedunt Cælo privati? an venit in mentem Authoribus, quos impugnamus, aliquod pro ijs discerniculū quoad nos? Nonne miseri adulti, qui attriti confitentur; & quia absolvens aut ex malitia, aut ex ignorantia non habuit intentionem requisitam ad valorem, non iustificantur, sicque decedunt, & descendunt ad tartara? An huiusmodi permissiones dedecent Deum? An propterea aliquod adest discerniculū perceptibile ab ijs miseris, ut illud opportunè animadvertentes tantum damnum

reparent, sibi que consulant? Satis ergo est, quod in eo ipsi non peccent, sicut nec peccat in nostro Fidei casu rusticus ille ab instructore deceptus. Sicque non peccati damnamus miseros illos rusticanos sic à Parocho deceptos; sed illorum fortem dolemus: non sine spe, quod Deus per aliquam viam illis de veritate providebit: sine discerniculo tamè illo obiectivo pro tunc ab ipsis perceptibili, ut vix apud me probabiliter asseritur à prædictis Authoribus: quibus incumbit hanc suam discerniculorū doctrinam facere evidentem, ut in ea possit firmiter, ut aiunt, fundari credibilitas mysteriorum. Discerniculum verum, ac solidum exercitè est, quamvis non obiectivum, nec à rusticanis illis signatè perceptibile, quod ad credendum in ijs casibus articulum verum & à Deo revelatum, adiuvat gratia Spiritus Sancti, & influit habitus Fidei supernaturalis; non verò ad credendum articulum falsum, aut à Deo reipsa non revelatum.



## DISPUTATIO VI.

### DE IUDICIO, ET SIGNIS, SEU ARGUMENTIS credibilitatis Catholice Fidei.

**I** DE iudicio isto, signisque credibilitatis necesse fuit dixisse multa inter disputandum in Superioribus. Superfunt alia, quæ in præsentem disputationem coniecimus, ad hanc Fidei Tractationem non solum perutilia, quin etiam necessaria.

#### SECTIO I.

*An Mysteriorum Catholica Fidei sint & iudicari debeant evidenter credibilia?*

S. Thomas.  
Suarez.

Amicus.

Psal. 92.

**A**firmandum est omnino cum S. Thom. & communi Theologorum. Ex quibus P. Suarez *disp. 4. sect. 3.* hoc censet ita certum, ut à Catholico dubitari non possit. Et Amicus videris *disp. 3. sect. 4.* late defendit esse de Fide. Patet ex illo Psalmi 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt mihi*; id est, *valde*: quasi exaggeratoriè. Taliter nimirum, ut

non relinquatur incredulis locus rationalis excusationis, iuxta prolatum Christi Ioan. 15. *Nunc autem excusationem non habent de peccato suo*: scilicet iuxta subiectam ibi materiam, *de incredulitate sua*, post tot, tamque præclara signa credibilitatis. Id quod verissimum est quoad eos omnes, quibus Fides nostra sufficienter annuntiat, & illam respuunt: ergo quia facta sunt illis evidenter credibilia: si enim facta foret illis tantum probabiliter credibilia, excusari possent rationabiliter, & prudenter per iudicium oppositum probabile de ipsius incredulitate.

3 Ratio autem à priori sumitur à collectione signorum, seu argumentorum credibilitatis, prout expendimus *sect. seq.* ex quibus cuicumque intellectui benè morato redditur ita moraliter evidens existentia divinæ revelationis de Mysterijs nostræ Fidei, ut non nisi imprudenter, ac temerè negari possit, aut de illa dubitari; atque adeo nec de veritate talium Mysteriorum. Vnde eorum credibilitas est plusquam moraliter evidens: quòd nempe ea sint à quocumque prudente credibilia propter Dei revelationem absque formidine de opposito. Evidentissimum enim est, esse credibiles absque prudenti formidine, tanquam à Deo revelatas, res, de quibus per talia signa fit moraliter evidens esse à Deo revelatas. Quemadmodum evidentissimum est, esse probabiles, seu à multis Authoribus assertas, quamvis cum prudenti formidine, multas doctrinas, quarum veritatem negamus, aut in dubium revocamus. Aliud itaque est iudicium de veritate, aliud est iudicium de credibilitate mysteriorum; sicut aliud est iudicium de probabilitate, aliud est iudicium de veritate opinionum: cum accommodo discrimine, quòd iudicium de veritate opinionum admittit prudentem formidinem de opposito, quia est dumtaxat probabile, quamvis iudicium de probabilitate sit evidentissimum; iudicium verò de veritate Mysteriorum sufficienter propositum, non admittit prudentem formidinem, quia est moralitè evidens, supponens tamen iudicium evidentius de eorum credibilitate.

4 Obijcitur tamen primò. Mysteria Fidei non sunt credibilia, nisi eo modo, quo possunt credi: sed non possunt evidenter credi, cum Fides sit essentialiter obscura, & credens, quod non videt, ut diximus *Sup. sect. 2. disp. 1. sect. 2.* ergo non sunt evidenter credibilia. Hæc obiectio variat in appellatione terminòrum: & non tam indiget solutione, quam explicatione. Aliud est, Mysteria esse evidenter credibilia; seu, quod idem est, posse *credi evidenter*, appellante evidentià supra creditionem possibilem; aliud est, esse *evidenter credibilia*, seu esse evidens posse credi, appellante evidentià supra credibilitatem actualem ex signis & argumentis dantibus sufficiens motivum iudicandi, à quocumque prudente posse, ac debere credi. Concedimus ergo præmissas,

appellante evidentià supra *credi*: & negamus consequentiam: in qua iam evidentià non appellat supra *credi*, quod est actus ipse Fidei, vel actualis, vel possibilis, essentialiter obscurus; sed supra credibilitatem: quæ non est actus ipse Fidei, sed apparètia motivorum suadentium cuiuslibet prudentis esse, hic, & nunc credere propter revelationem taliter propositam. Hinc fatemur, quòd *Fides est credere quod non vides*, esse verum, & à Deo revelatum; non tamen quod non vides, esse credibile. Nihil igitur ex paralogismo nobis obiecto concluditur contra nos, nec contra essentialem obscuritatem Fidei nostræ. Benè namque stat cum obscuritate essentiali Fidei, assentientis veritati mysterij ex motivo intrinseco revelationis, evidentià circa aliud prædicatum, quod est credibilitas revelationis, & Mysterij: sicut cum evidentià, & incertitudine veritatis alicuius opinionis evidentià, & certitudo probabilitatis.

5 Obijcitur secundò. Si Mysterium v. gr. Trinitatis est evidenter credibile, est similiter evidenter possibile: sed non est evidenter possibile: ergo non est evidenter credibile. Maior, in qua est difficultas, probatur: quia de eadem evidentià valere debet illatio ista: *Mysterium est evidenter credibile: ergo est evidenter possibile: ergo quia, si est evidenter credibile, est evidenter possibile.* Antecedens probatur: quia valet hæc illatio: *est evidenter impossibile: ergo est evidenter incredibile: ergo & illa: est evidenter credibile; ergo est evidenter possibile: ex vulgatissima regula dialecticorum: ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis.* Multos, audivi, & legi in hac obiectio laborantes; cum tamen mihi ferè nihili sit. Quippè facile respondeo, negando maiorem. Ad cuius probationem nego, valere quidquam eam illationem antecedentis. Ad eius probationem concessa illatione antecedentis, falsa, & illegitima est illatio consequentiæ. Nec est ad rem regula verissima Dialecticorum: ea enim est de opposito consequentis oppositione contradictionis Logicæ. At certe propositio illa: *Mysterium est evidenter credibile; non est contradictoria huic: Mysterium est evidenter incredibile: cum utraque sit affirmativa, & in simili forma in varijs materijs utraque possit esse simul falsa: contradictoriarum autem scitissima apud dialecticos lex est; lippis, ut aiant, &*

tonforibus nota, quòd una sit affirmativa, altera negativa; & nequeant simul esse falsæ. Nihil ergo mirum, quòd ex illa propositione non contradictoriè oppositâ consequenti non iteratur oppositum antecedentis. Regula teneret in ijs ritè dispositis: *Est evidenter impossibile; ergo est evidenter incredibile: unde legitime valeret: non est evidenter incredibile: en oppositum contradictoriè consequentis: ergo non est evidenter impossibile: en legitime illatum oppositum contradictorium antecedentis.* Vnde nihil contra nos.

6 Obijcitur tertio. Assensus Fidei est valdè difficilis, & meritorius apud Deum. At credere quod est evidenter credibile, eâ nimirum credibilitate, quæ facit, non posse id nisi stultè, ac temerè dubitari, non esset valde difficile, valdeque meritorium, utpote debitissimum divinæ authoritati: ergo non sunt evidenter credibilia nostræ Fidei Mysteria. Similis obiectio deprimere posset excellentiam, magnumque meritum dilectionis Dei, utpote debitissimæ summæ Dei bonitati, ac diligibilitati. Quòd si summa Dei diligibilitas non tollit, quominus actus dilectionis Dei sit maxime præ cæteris meritorius; sic nec maxima mysteriorum à Deo revelatorum credibilitas tollet, quominus actus Fidei sit apud Deum valde obsequiosus, & meritorius. Responsio, & ratio pro utroque sit: quia sicut dilectio Dei superare debet dilectiones rerum aliarum potentissimarum ad avertendam à Deo creatam voluntatem; sic Fides divina Mysteriorum superare debet rationes multas naturales secundum se potentissimas ad avertendum intellectum creatum à difficultatibus Mysteriorum. Vnde est, quòd quamvis facile sit, utpote evidens, iudicare esse credibilia, adhuc tamè manet multum difficultatis ad assentiendum esse vera, & ad amplectendam doctrinam Evangelicam carnî contrariam: cui credens captivat intellectum cum suis ratiocinationibus, seque subijcit repugnantè appetitu, in obsequium Fidei. Et sic stat ratio libertatis, ac meriti, & maximi meriti in credendo, non obstante evidente credibilitate mysteriorum: evidentià namque credibilitatis ex signis extrinsecis, relinquit nobis obscuram veritatem mysterij, aut revelationis, & ad summum non plusquam moraliter evidentem: ideoque libertatem non credendi, aut discre-

dendi, adhuc stante iudicio plusquam moraliter evidente de prudenti ipsorum credibilitate. Hinc ad obiectioem negatur assumptum minoris.

7 Obijcitur quartò. Non est evidenter credibile à prudenti id, de quo probabile est, non esse prudenter credibile: sed probabile est, Mysterium v. gr. Trinitatis non esse prudenter credibile: ergo non est evidenter credibile à prudenti. Minor probatur: quia quod nititur magno, & gravi fundamento, probabile saltem est: sed Mysterium Trinitatis non esse prudenter credibile, nititur magno, & gravi fundamento impossibilitatis illius ex illo principio: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt idem inter se:* ergo probabile, saltem est, non esse prudenter credibile, præsertim evidenter. Similiter contra possibilitatem, atque adeo contra credibilitatem Incarnationis militant rationes, & quidem urgentiores, quàm soleant communiter adduci pro multis opinionibus probabilibus. Nec minores occurrunt contra possibilitatem, & credibilitatem Mysterij Eucharistiæ, & contra veritatem peccati originalis: scilicet non posse puniri iustè, & in pœnam illius privari suo sine infantem, qui nihil mali fecit personaliter voluntate propriâ. Confirmatur: quia quod est evidens, negari potest à nemine benè penetrante motiva talis evidentiæ: sed multi homines ingeniosi, & acuti, alioquin docti, ac diligentes scrutatores rerum, quales sunt plures ex Gentilibus, & Hæreticis, & ex Apostatis, negant, & impugnant Mysteria, & argumenta credibilitatis Fidei nostræ ipsis sufficienter proposita, satisque intellecta, ea motiva iudicantes insufficientia ad prudentem credibilitatem: ergo quia hæc credibilitas evidens non est.

8 Responderetur, concessâ maiori, negando minorem. Ad probationem distinguenda est maior: quod nititur magno, & gravi fundamento, quod sit magnum secundum se, & comparativè etiam ad fundamenta contraria, probabile est, concedo: quod, quamvis esset magnum, grave, ac difficile secundum se, comparativè tamen ad opposita est exiguum, ac levè, ideoque non retinens apud verè prudentes vim movendi ad prudentem assensum, nego maiorem. Et admittâ minori in hoc dumtaxat posteriori sensu distinctæ maioris, nego consequentiam. Quamvis enim argumen-

ta, & difficultates, quæ contra Myſteria proponuntur, ſint ſecundùm ſe magna, & ardua, comparativè tamen ad momenta motivorum credibilitatis Fidei noſtræ levifcula ſunt. Et eò maximè, quia rationes difficiles contra Myſteria reſpectu intellectus noſtri ſumuntur præſertim à ſublimitate Myſteriorum prætervolantiū captus noſtros tenuiſſimos: ſcilicet ab infinitate Dei, & ab ijs, quæ omnipotens operatur ſupra ordinem rerum naturalium: ad quæ noſter intellectus, ut ait S. Thom. *eſt inſtar nocturnæ ad Solem.* Quibus omnibus penſatis argumenta, quantumcumque nobis difficilia, contra Myſteria Fidei comparativè ad argumenta credibilitatis ipſorum exigui ponderis ſunt, nec movere poſſunt niſi ſponte, ac ſuperbè, aut ſtultè volentem cæcutire, & exerrare.

9 Ad confirmationem negamus maiorem: ſæpè namque res evidentiſſimæ negantur temerè, ac perſuaciter ab hominibus nolentibus, aut neſcientibus attentè, & ingenuè eas conſiderare, & ſtudioſius applicantibus animum malè præoccupatum, vitij, & erroribus obtenebratum, ac depravatum ad earum impugnationem. Sic faciunt, qui credibilitatem, quantumvis evidentem, Myſteriorum noſtræ Fidei negant: quippe animum avertunt à motivis credibilitatis, & à conſideratione operum Dei ſuperantium captus noſtros, affectantes hærete rationibus purè naturalibus: ideoquè voluntariè, & culpabiliter ſe impediunt, quominus aſſequantur Myſteriorum divinorum credibilitatem, quantumvis evidentem. Quapropter nihil obefit, quòd ſic eam negantes ſint ingeniōſi, acuti, & alioquin docti, ac ſtudioſi: ſtudium enim & acumen impendunt avidè, non in elucidandam, ſed in obtenebrandam potiùs veritatem: aut propter difficultates occurrentes in ſublimitate Myſteriorum; aut propter arduam evangelicæ perfectionis adverſantis carni, & mundo, quibus ipſi malant indulgere. Vnde ſic conceſſa minori, negatur conſequentia.

## SECTIO II.

Quinta obiectio. *Pbi: quanam Fide credibilia ſint evidenter Myſteria Fidei: & an evidentiſſima, quàm vera?*

10 **O** Bijeitur tandem: Si Myſteria Fidei ſunt evidenter credibilia,

aut Fide divinâ; aut fide humanâ. Si Fide divinâ; ergo ſunt evidenter vera: quia evidens eſt, non poſſe credi Fide divinâ, niſi verum: ſicque Trinitatis veritas eiſque revelatio eſſet nobis æquè evidenter vera, ac eſt nobis evidenter credibilis: quòd videtur eſſe contra eſſentialem Fidei obſcuritatem, & contra libertatem, ac meritum credendi, quòd non evidenter videmus. Si fide humanâ; ergo iudicium credibilitatis præcedens piam affectionem, & voluntatem credendi, non inſervit ad credenda myſteria Fidei divinâ; ſicque inutiliter ad aſſenſum Fidei divinæ, vereque Theologicæ prærequireretur, ac præſupponeretur. Neutro igitur, ac proinde nullo modo ſunt evidenter credibilia.

11 Sunt qui dicere aggrediuntur, eſſe evidenter credibilia Fide omnimodè divinâ: & concedunt eſſe nobis evidenter vera non minus, ac ſunt evidenter credibilia. Negant tamen, hanc evidentiam obefſe obſcuritati Fidei, aut libertati, ac merito credendi. Quia, inquiunt, aliud eſt, eſſe nobis evidentem veritatem alicuius dicti; aliud eſt, eſſe nobis evidentem rem dictam. Vnde ſtante nobis evidentia veritatis divinæ locutionis de Myſterio Trinitatis, ſtat nobis inevidentia Myſterij, quantum opus eſt ad Fidei obſcuritatem, libertatem, & meritum. Explicant ſe exemplo demonstrationum Euclidis: nobis enim evidens eſt, conſtare Demonſtrationes Euclidis, taliter, ut ignari quoque Matheſeos habeamus evidentiam de veritate earum demonſtrationum; quin tamen habeamus evidentiam rerum demonſtratarum: alioquin eo ipſo eſſemus mathematici. Sic ergo, ſtante nobis evidentia de veritate, ſicut de credibilitate exiſtentia, & veritatis divinæ revelationis, & Myſterij, ſtat inevidentia, & obſcuritas Myſterij. Sic prædoctus Eliza de *quaſt. 19. præſertim num. 341. & ex illo nonnulli alij.*

12 Vellem in claro ſcire ab ijs Authoribus, quid intendant. Vel enim intendunt dumtaxat, quòd ex ſignis, & argumentis credibilitatis reſultat evidentia moralis Myſterij: talis nimirum, ut non niſi temere, & imprudenter poſſit myſterium negari, aut de ipſius veritate dubitari, aut formidari: & hoc non negamus: & hoc cõrentus eſſe videtur Eliza de, dum *num. 339. poſt enixè ſulcitam eam Myſteriorum*

riorum evidentiam concludit contra adverſarium, quem ſibi conſtituit: *Dedit nobis, tam eſſe compertum, quam ſit in mundo vera Religio, atque eſt compertum, exiſtiſſe Romæ Cæſares: & ſalva ſunt omnia.* At certè id qui dederit, evidentiam ſolummodo moralem daret. Nos tamen de credibilitate Myſteriorum, & veritatis Religionis noſtræ, non contenti ſumus hæc evidentia; ſed maiorem aſſerimus: ſicut abs dubio evidentiſſe eſt, exiſtentiam Cæſarum eſſe à quocumque prudente absque formidine aſſirmabilem, quanti ſit, Cæſares exiſtiſſe, aut, quòd perinde eſt, eam aſſirmationem eſſe reipſâ veram.

13 Vel intendunt, evidentiam, quæ ex ſignis, & motivis credibilitatis reſultat nobis de veritate Myſterij, v. gr. Trinitatis, eſſe parem evidentia, quam habemus de prudenti ipſius credibilitate. Et hoc nec probant, nec probare poſſunt, niſi perperam confundentes credibilitatem cum veritate rerum: & incidentes in abſurdum evidentia de Myſterio oppoſitæ obſcuritati eſſentialem Fidei noſtræ. Evidens enim metaphyſicè cum ſit, quòd Deus dicit, ita eſſe, ſi pari evidentia verum nobis eſſet, Deum dicere, ſe eſſe Trinũ, evidentiſſimũ nobis fieret, Deum eſſe trinũ: non ſolum, ſicut Cæſares fuiſſe Romæ, ſed certè multò altius. Dicere autem, quòd hæc evidentia non obſtat obſcuritati Fidei: quia cum hac evidentia ſtat, quòd non penetremus intrinſecam veritatem Myſterij, ſicut nec veritatè demonſtrationum Euclidis quas tamen evidentes fatemur, eſt, ne iudice, Fidem cum non Fide velle confundere per exemplum à longè petitum. Aliud enim eſt quòd Fide credimus de Trinitate; aliud eſt quòd præterea intrinſecus latet, & nondum eſt revelatum; ſed ex revelatione diſputatur à Theologis; & multa latent intimius, quæ nec diſputantur. De ijs certè non eſt Fides: & quoad hæc manerè poſſet obſcuritas, adhuc ſtante evidentia veritatum, quas Fide credimus de Trinitate, quamvis aſſeratur in eo evidentia gradu, quo nobis eſt evidens, totum eſſe maius ſua parte. At hæc obſcuritas non eſt de negotio veritatum, quas Fide credimus de Trinitate. Ecce igitur ex horum Authorum ſententia Fidem noſtram de exiſtentia Trinitatis evidentiſſimam: eo ſcilicet dumtaxat modo nobis obſcuram, qui nec ad præſentes Dei revelatio-

nes de Trinitate, nec ad noſtram de Trinitate Fidem liberam, ac meritoriam pertinet. Quo ſane modo notitia exiſtentia Solis pomeridiani dici poſſet nobis obſcura, quia multa circa Solis motum, conſtitutionem, naturam, & virtutem ignoramus. Nec certè foret, cur ab ſtatu beatico Fides Trinitatis tanto ſtudio exterminaretur, ut expendimus *diſp. 1. præſertim num. 17.* cum multa divina Trinitatis, quam intuentur, arcana multos Beatorum lateant.

14 Specioſum exemplum Euclidianum nimis petitur à longè. Damus, quòd eſſemus ſtulti, non mathematici, ſi celeberrimas celeberrimi Euclidis evidencias negaremus; quippe rationales ſumus; quavis eas non penetremus, quia mathematici nõ ſumus. In verbo celeberrimi Euclidis, qui Matheſeos peritiſſimus multa alia nobis ignota novit abs dubio, circa materias ſuarum demonſtrationum, nos Matheſeos imperiti tria diverſiſſima cognoviſſimus, & ſponte, ac ſine formidine fate-mur: ſcilicet, eſſe credibiles, eſſe veras, & eſſe evidentes: quia eorum veritatem, & evidentiam atteſtatur Euclides, & quoad totum id receptæ ſunt in mundo eo ipſo nomine demonſtrationum, quo veritas & evidentia ſignificantur. Vnde nihil mirum, quòd ex eodem fundamento prudentis credibilitatis ſit nobis evidenter credibile, eſſe veras, & fiat nobis evidens, eſſe veras, quamvis intimiora evidentia alijum veritatum non calleamus. Adhuc tamen hoc toto poſito, prudentum conſiderationi & iudicio relinquo, an idem ſit nobis gradus evidentia earum veritatum, & evidentiarum, ac evidentia credibilitatis earumdem. Mihi certum videtur, quòd non: unde potiùs roboratur doctrina, contra quam adhibetur prædictum exemplum. Vtut tamen de hoc ab alijs iudicetur, non poteſt non cognõſci à quocumque prudente & ſapiente patentiſſima diſparitas inter exemplum iſtud Euclidianum, & rem noſtram Fidei divinæ. Quòd nempe fundamenta credibilitatis, quæ nobis faciunt innegabiliter veras demonſtrationes Euclidis, eadem, eodemque modo faciunt eas nobis evidentes; in verbo ſcilicet Euclidis, à quo ſunt traditæ, & ab alijs acceptæ ut veræ, & ut evidentes, ut pote veritates demonſtratæ. At certè Myſteria noſtræ Fidei à Scripturis, à Concilijs, ab Ecclē-

*ſupra diſp. 1. ſect. 2.*

Ecclesia, SS. Patribus, & Doctoribus proponuntur quidem nobis ut vera; non ut evidentiā, imò ut obſcura, imò ut abſtruſa, imò ut arcana, imò ut elevatiſſima ſupra evidentiā captus noſtri; & uno verbo, ut Myſteria. Vndenam ergo niſi repugnanter ad ipſa motiva credendi, & credibilitatis, & ad ipſam Fidei eſſentiam, inferri poteſt evidentiā veritatis ipſorum patentiā credibilitatis ipſorum?

15 Quapropter hoc novo modo reſpondendi cum ijs, & alijs abſurditatibus relicto, reſpondendum aliſter eſt cum Suarez diſp. 4. ſect. 5. & cum communi ſententiā, advertendo, quod claritatis gratiā diſtinguit ipſe Suarez num. 3. Fidem in duplici ſenſu appellari poſſe *divinam*. Vno modo appellatur *divina* ſolum obiectivè: cuius ſcilicet Deus obiectum eſt, quatenus nititur Dei teſtimonio: & hæc poteſt eſſe non Theologica, utpote non ſupernaturalis; cum actus etiam naturalis, imò & falſus habere poſſit pro obiecto formali authoritatem Dei: ut quando quis falſo putans, Deum aliquid revelaffe, aſſentitur ex motivo divinæ revelationis, ſibi repræſentatæ, ut vidimus diſp. 2. ſect. 5. Alio modo appellatur *divina*, non ſolum obiectivè, cuius nempe Deus obiectum eſt; ſed ſpecialiùs etiam cauſaliter effectivè, cuius nempe Deus non ſolum obiectum eſt; ſed etiam Author, & cauſa ſpecialis. Et hæc eſt Fides Theologica, utpote ſupernaturalis, ſalutaris, eſſentialiter vera, ac metaphyſicè certa, qua de loquimur: ad quam, cum non ſufficiant naturæ vires, requiritur comprincipium ſupernaturale ordinis divini. Similiſ appellatiōis diverſitate aſſenſus, quo homo fidem adhiberët Angelo atteſtanti, appellari poſſet *fides angelica*: ſcilicet obiectivè, quia innixa motivo teſtimonij Angeli; & aliunde, *fides humana*; ſcilicet exercitivè, & elicitivè, quia ab homine exercita.

16 Iam igitur in forma diſco ad obiectiōnem, Myſteria eſſe nobis evidenter credibilia Fide obiectivè divinā; hoc eſt ex motivo authoritatis divinæ; non verò eſſe nobis evidenter credibilia Fide Theologicā, cauſaliter, & effectivè divinā, ſupernaturali ſcilicet, & ordinis divini: quia, ut bene arguit obiectio, ſi totum hoc eſſet nobis pluſquam moraliter evidens, eadem evidentiā eſſet nobis evidens pluſquam moraliter veritas Myſteriorum: quod eſſet

contra eſſentialem obſcuritatem, & contra libertatem, & meritum inſigne captivantium intellectum in obſequium Fidei. Sic igitur admiſſā primā parte dilemmatis de Fide obiectivè divinā, & non de obiectivè, & effectivè divinā, ſupernaturali, ac metaphyſicè inſallibili, negamus primam conſequentiam. Quia quamvis evidens ſit, non niſi verum poſſe credi Fide divinā, ut roque prædicto modo ſic dictā, ſcilicet obiectivè, & cauſaliter, ac ſupernaturaliter divinā; at non eſt evidens, ſed falſum, non poſſe niſi verum credi Fide obiectivè tantum divinā, hoc eſt, habente utcumque pro motivo Dei teſtimonium: nam, ut ſapè diximus, propoſito falſo homini articulo falſo, aut non revelato, tanquam vero, & revelato, aſſentiretur ex animo Fide obiectivè divinā, ex motivo nempe ſibi propoſito divinæ revelationis, & tamen non verā Fide Theologicā, ſupernaturali, cuius Deus Author eſſet, aſſentiretur.

17 Itaque, propoſitā credituro evidenti credibilitate Myſterij per motiva ita præſeferentia veritatem, ut non niſi imprudenter, ſtultè, ac temere repellere poſſint, fit intellectui moraliter evidens, Myſterium eſſe verum, verèque à Deo revelatum, ſitque pluſquam moraliter evidens ſic poſſe, ac debere à quocumque prudente ex illis motivis indicari, niſi ſtultè velit deſipere. Et hoc eſt iudicium, quod vocamus credibilitatis, antecedens piam affectionem credendi. Ad huiusmodi iudicium ſequitur affectio, id eſt, voluntas credendi, & deinde creditio ipſa, ſive aſſenſus Articuli, quia à Deo revelati: & hic aſſenſus eſt actualis, & exercita Fides. At qualis Fides? Dico, Theologica, ſupernaturalis, effectivè, & obiectivè divinā, utpote à Deo, ut obiecto, & à Deo ut Authore, ſi reipſa articulus verus eſt, verèque à Deo revelatus: alterutro enim horum deficiente non exercetur Fides reipſa Theologica, quantumvis talis exiſtimitur. Si verò, ut evenire poſſe vidimus diſp. præc. ſect. 10. ſub iſdem ſignis, ac motivis evidentiſ credibilitatis proponatur interdum credituro articulus falſus pro vero, aut non revelatus pro revelato, fides tunc exhibitā non erit Theologica, & effectivè divinā, cuius ſcilicet Deus Author ſit; ſed obiectivè tantum divinā, cuius Deus obiectum eſt; non tamen Author, nec

ſupra diſp. 5.

nec cauſa ſpecialis; cum Author eſſe nequeat erroris, aut falſitatis. Porò prævium credibilitatis iudicium ab ijs modis credendi abſtrahit ſecundum ſe: utpote ſolum dictans, & quidem evidentiſſimè, talem articulum ſic propoſitum ita apparere verum, ut nequeat prudenter dubitari in talibus circumſtantijs de eius veritate. Sic ſi centum viri graves teſtarentur pariter de viſu tuum homicidium, quod verè patraſti, & furtum, quod non patraſti; apud iudicem, & apud quemlibet prudentem diceretis reus utriuſque delicti, ita ut de neutro poſſet prudenter dubitari, cum utrumque pariter faciant credibile, & iudicabile: unum tamen iudicio verò; aliud non niſi falſo; quia unum, & non aliud verè perpetrati: ab hoc tamen rerum diſcrimine abſtrahit iudicium evidens credibilitatis.

18 Atque hinc patet ad ultimū obiectiōnem, quomodo iudicium credibilitatis inſerviat utiliſſimè ad Myſteria credenda Fide divinā, verèque Theologicā. Inſervit enim, ut voluntas imperet aſſenſum Myſterij propoſiti, ut à Deo revelari, quod eſt exercere Fidem obiectivè ſaltem divinam; an verò aſſenſus ſit præterea Fides Theologica ſupernaturalis, & effectivè, Authore etiam Deo, divina ex multis etiā alijs capitibus pender, de quibus iudicium evidens credibilitatis minimè curat, inſerviens ad affectionem credendi ſuper omnia, & ſine formidine Deo atteſtanti, eo videlicet modo credendi, cuius ſubiecta materia reipſa capax eſt, aut quo intellectus re ipſa poteſt; ſive Theologicè poſſit per auxilia tantum actualia, ut ſit in ijs, qui nondum habent habitum inſuſum; ſive per habitum inſuſum Fidei, ut ſit in iam Fidelibus, ſemelque iuſtificatis, ſive intenſè, ſive remiſſè, ſive condignè meritoriè, ſive non condignè meritoriè: & ad hunc modum ſive Fide reipſa obiectivè, ac Theologicè divinā, ut quando articulus eſt reipſa verus, verèque revelatus; ſive Fide dumtaxat obiectivè divinā, & ſolum exiſtimativè Theologicā, & ſupernaturali; ut quando ſub eodem ſignis, & motivis credibilitatis proponeretur credituro articulus falſus pro vero, aut non revelatus pro revelato. Hæc enim differentias exercitè credendi non diſcernit, nec curat iudicium evidens credibilitatis; ſed aliunde ſumuntur ex rebus, prout ſunt, aut non ſunt.

19 Opponunt huic communi doctri-næ hunc paralogiſmum. Per motiva credibilitatis Myſteriorum noſtræ Fidei, ſunt Myſteria evidenter credibilia ſuper omnia, qua fide credi poſſunt: ſed poſſunt credi Fide omnimodè divinā, & Theologicā; cum vera ſint; verèque à Deo revelata: ergo ſunt evidenter credibilia Fide omnimodè divinā, & Theologicā: ac proinde evidenter nobis vera, eadem evidentiā, qua ſunt nobis evidenter credibilia. Sed ecce ſimile ſophiſma à nemine non agnoſcendum. Myſteria ſunt mihi evidenter credibilia ea Fide, qua poſſunt: ſed poſſunt à me credi Fide condignè meritoriā: ergo evidens eſt, eſſe à me credibilia Fide condignè meritoriā. Maior eſt vera, ſicut in ſylogiſmo nobis oppoſito. Minor eſt etiam vera de me, qui reipſa, ut opinor, iuſtus ſum. Conſequentia tamen falſa, cum nemini conſtet evidenter, nec certò, ſe eſſe in ſtatu condignè merendi, ſicut nec in ſtatu Gratia. Defectus huius ſophiſmatis ſtat in eo quòd minor eſt propoſitio ſimplex, & non modalis; quia deficit in ea modus evidentiæ, qui ſi adhiberetur, falſa eſſet: cum falſum ſit, evidens eſſe, myſteria poſſe à me credi in ſtatu præſenti Fide condignè meritoriā; quamvis verum ſimpliciter ſit, poſſe à me credi in ſtatu præſenti Fide condignè meritoriā; ſicut eſt verum, non tamen evidens, me eſſe in ſtatu gratia. Similiter ergo peccat Paralogiſmus nobis oppoſitus; quia non rite formatus. Addat in ſua minori modum evidentiæ, & falſam faciet. Quia tamen illo caret, manet ſimplex, & vera: nam, quamvis verum ſit, nec evidens; nec certum eſt, me poſſe myſteria ſic propoſita credere Fide Theologicā, & omnimodè divinā. Illegitima igitur eſt conſequentia defectu formæ; & omnino neganda.

20 Opponunt ſecundò ſingularem Fidei noſtræ credibilitatem. Eius enim Myſteria non ſunt nobis utcumque evidenter credibilia; ſed *credibilia facta ſunt nimis*: id eſt: *Valde*: Fide ſcilicet ſuper omnia, ſimiliſſimè citra dubium, & formidinem, & uſque ad ſanguinem. Quamvis ergo ex quacumque evidenti rei credibilitate, non rectè arguatur evidens rei veritas; ex tali tamen evidenti credibilitate Myſteriorum Fidei noſtræ per hæc ingentia ſigna, & motiva nobis propoſita, debet poſſe ar-

Mmm

gui

Psalm. 92

qui evidens Myſteriorum veritas, non minus quam credibilitas: alioquin imprudenter, ac temerè tanta firmitate crederemus: ſicut nulli humana authoritati ita firmiter crederemus, quamvis ipſius testimonium paribus indicijs, ſignisque proponeretur. Reſpondetur, conſeſſio antecedente, negando conſequentiam. Nam credibilitas ex genere ſuo, ut benè ſupponitur in antecedente, & vidimus *num. 3.* ſumitur ex capitibus valde diverſis, ac veritas rei: unde eſt, quod rei credibilitas ſuſcipiat magis, & minus; & non rei veritas; quòdque ſæpiùs multa falſa ſiant nobis credibilia, quam alia vera; & quòd verum, ac verifimile valde differant. Specialitas autem illa evidentiſſimæ credibilitatis Myſteriorum noſtræ Fidei, non ſolum ſumitur à motivis credibilitatis, verumetiam, illis ſuppoſitis, à dignitate ſummæ divinæ authoritatis infinite excedentiſſimæ creatas; cui utique, ſi ſemel ſatis propoſita eius atteſtatione, creditur, dignè debet credi; non autem ei dignè crederetur, ſi non firmiter ſuper omnia ei ut infallibili crederetur: & quidem ſine formidine; cum ſigna credibilitatis talia ſint, ut non poſſit, ſicut in materijs opinativis, prudenter iudicari, nec dubitari, quòd reſ aliter ſit, ac per ipſa indicatur. Sic mihi propoſitis verbis Auguſtini, pro una doctrina, & pro alia verbis Alberti Magni, aut Almaini, per ſigna ita æquè perſuadentia eſſe ipſorum verba, ut nemo prudens dubitare poſſet; maiori certè reverentiâ, cum pari illa credibilitate, exciperem verba Auguſtini, & firmiùs aſſentirem rei dictæ: ſumprâ ſcilicet diſparitate ex maiori pondere authoritatis Auguſtini, quamvis non credibiliùs propoſita, quam alicrum. Pende nunc, quantum præponderet authoritas infinitiſſima Dei, & quali fide ſit digna, taliter nobis propoſita per ſigna credibilitatis eius atteſtatione, ut nemo niſi imprudenter, ac ſulte poſſit illam negare, aut de illa dubitare: & videbis diſparitatem infinitam authoritatis divinæ, & humanæ, ad ſic firmiter, & ſuper omnia illi potiùs, quam iſti credendum: non temerè; ſed prudentiſſimè.

21 Opponunt tertio obligationem credendi. Datus enim videtur ſermo, hominem obligari in conſcientia credere Myſteria, dum per ſigna credibilitatis non ſunt illi evidenter vera, eo ipſo evidentiâ

gradu, quo ſunt evidenter credibilia. Sed huic difficultati fecimus ſatis, ſuperque *diſp. 5. ſect. 13.* ubi multa circa hæc obligationem. Nec dura nobis videri poteſt obligatio credendi Deo rem nobis non evidenter veram, taliter nobis propoſito Dei testimonio, ut prudenter non poſſimus de eo dubitare: quippe non durum exiſtimamus, obligari nos, in rebus etiam graviſſimis, obedire Principi, eo ipſo quòd taliter proponatur nobis eius præceptum, ut de eo non poſſimus prudenter dubitare.

22 Opponat tandem aliquis, quòd inter ſigna, & motiva credibilitatis numerantur miracula patrata in confirmationem noſtrorum Myſteriorum. Diximus autem *ſect. 7.* miracula non poſſe à Deo patrari in confirmationem doctrinæ non veræ. Ergo ex hoc ſaltem miraculorum motivo ſunt nobis Myſteria Fidei, non ſolum evidenter credibilia, quin etiam æquè evidenter vera. Reſpondetur: aliud eſſe patratiorem miraculorum in re, & de hoc loquuti ſumus, dedimusque rationes *ſect. 7.* & veriſſimum eſt, non poſſe patrari à Deo in confirmationem doctrinæ non veræ. Aliud eſt vis perſuaſiva miraculorum pro doctrina, cui applicantur à creaturis: & ſic certum eſt, quòd miracula à Deo patrata in confirmationem veri applicantur à creaturis illa proponentibus iam pro vero, iam pro falſo: ut, permittente Deo, faciunt Hæretici prædicantes idemtidem, miracula Chriſti, quæ narrantur in Evangelio, eſſe pro dogmatibus ſuarum ſectarum: è diverſo conantibus Catholicis Expoſitoribus, Doctõribus, & Historicis, eſſe pro Religione Catholica, eiusque doctrinis. Et hoc eſt, quòd pertinet ad præſens punctum credibilitatis.

23 Sic ergo ad argumentum, conſeſſa maiori: & in ſuo ſenſu minori; negatur conſequentia. Quamvis enim miracula patrari à Deo nequeant, niſi pro vero: poſſunt à creatura, aut ex pravitate, aut ex incitia applicari ad falſum. Applicamus Catholici ad noſtra Myſteria, & veriſſimè quidem in re: & evidenter credibiliter quoad nos, ex motivis potentiſſimis perſuaſentibus verè ſic applicari taliter, ut non niſi temere dubitari poſſit de veritate huius applicationis perſuaſentis, miracula eſſe à Deo patrata pro noſtra Religione, & doctrina. Quoniam verò

non

non eſt pariter evidens, quamvis credatur omnino certum, fuiſſe in re à Deo patrata in confirmationem noſtræ doctrinæ, ideo non faciunt pariter nobis evidentem huius doctrinæ veritatem, ac faciunt evidentem eius credibilitatem.

## SECTIO III.

An evidens iſtud iudicium credibilitatis prærequiratur ad omnes, & ſingulos aſſenſus Fidei Theologicæ

Ripalda.

Suprà diſp. 3. ſect. 9.

24 Scripſit doctiſſimus Ripalda ante Decretum Innocentianum, in quo aliquæ Propoſitiones huc concernentes meritiſſimè prohibentur. Docuitque, ut retulimus, & reiecit *diſp. 3. num. 114.* ſufficere notitiâ opinativam, ſeu probabilem continentiam ſingularis, ſub univerſali revelato, ad hoc ut ſingulare poſſit Fidei credi. Sic habet *diſp. 8. ſect. 5.* conſequenter ad id, quòd habet *diſp. 6. ſect. 5.* quòd ſcilicet, quamvis abſolute, & ſecundum ſe myſteria Fidei ſint abs dubio evidenter credibilia, formarique ut plurimum poſſit iudicium evidens talis credibilitatis; non tamen requiri hoc iudicium evidens credibilitatis in omnibus ad omnes, & ſingulos aſſenſus Fidei; ſed ſufficere probabile, & opinativum ad aliquos aſſenſus Fidei, quos vocat imperfectos, & non ita firmos: quales reperiri iudicat neceſſe, præſertim in rudioribus; ne ſine exercitio Fidei Theologicæ ad ſalutem requiſito maneat, cum vix iudicium evidens credibilitatis, ſibi efformare capaces ſint. Movetur autem multipliciter.

25 Primò. Quia iudicium evidens credibilitatis nititur pluribus motivis, quæ Pueri, & rudes non dignè penetrant. Iſti ergo comuniſſimè, aut non poſſent credere, prout oportet ad ſalutem; aut certè ad credendum ſalutariter, non prærequiritur pro ſingulis prædictum iudicium evidens credibilitatis ipſis regulariter impoſſibile: alioquin vix, aut nè vix quidem ſalvari poſſent. Id quòd urget Ripalda ex Auguſtino epif. 102. ad Evodium ſcribente: *ſi propter eos ſolos Chriſtus mortuus eſt, qui certâ intelligentiâ poſſunt iſta diſcernere, penè fruſtra in Eccleſia laboramus.* Confirmatur: quia tempore Chriſti, & Apoſtolorum multi ſalutariter credide-

runt, & iuſtificabantur, ex auditu prædicationis Evangelicæ, ſine multis miraculis, Martyrijs, alijsque ſignis credibilitatis, quæ poſtea acciderunt, & nunc adæquant motiva credibilitatis: tunc ergo ſalutariter credebant abſque iudicio evidentiſſimæ credibilitatis, quòd nunc exigimus.

26 Secundò. Quia infideles præſertim idiotæ audientes evangelicam Catholicorum prædicationem, opinati ſectas ſuas eſſe prudenter credibiles, ſæpe noſtunt Catholicam Fidem credere, & amplecti: atqui poſſunt, ſi velint, nè dicamus eos inculpabiliter non credere, quamvis depone non poſſint iudicium de credibilitate ſuæ ſectæ; ac proinde nec habere evidentiam credibilitatis Fidei noſtræ ipſis oppoſita, utpote incompatibilem cum iudicio opinativo credibilitatis ſuæ; aut quia obligationem ulterius inquirendi ignorant; aut quia ſibi perſuadent, non adepturos evidentiam noſtræ credibilitatis, quamvis ulterius inquirent: ergo ſine iudicio evidentiſſimæ credibilitatis credere poſſunt: ſicque neceſſarium non eſt ad quolibet aſſenſus Fidei.

27 Tertio. Quia multis infidelibus per ſuos Prædicatores, Parentes, & Magiſtros proponuntur interdum dogmata ſuarum ſectarum veræ Fidei oppoſita, eodem modo, quo nobis Catholicæ veritates, adhibitiſſimè etiam Sanctorum testimonijs apparenter, quamvis falſò allegatiſſimè, & adiectis miraculorum narrationibus: ſed eiſmodi ſuorum dogmatum propoſitio, non facit illis indoctis ea dogmata evidenter credibilia: ergo nec iuſticis Catholicis noſtra; atque aded ſæpe credant ſalutariter neceſſe eſt abſque iudicio evidentiſſimæ credibilitatis. Confirmatur. Si eiſdem proponerentur à Miniſtro Catholico veritates noſtræ Catholicæ, cum iſſidem motivis credibilitatis, cum quibus à Miniſtro hæretico proponuntur errores ſuæ ſectæ, poſſent eas credere Fidei divinæ: vel ergo abſque iudicio evidentiſſimæ credibilitatis; vel adeſt illis pariter evidentiæ iudicium pro ſectis ſuis. Rurſus. Accedant ad Indos rudes duo Miniſtri; alter Catholicus, alter Calvinianus; oppoſita prædicantes, externè æquè ſapientes, eloquentes, & boni; ſuam quiſque religionem commendant, ut à Deo revelatam, & ut miraculis, Martyrijs, Doctõrumque testimonijs confirmatam: poſſent certè Auditores ad Ca-

Mmm 2

tho.

tholicam utiliter converti, eiusque veritates Fide Theologica credere: atqui non illis proponitur in eo casu credibilior, quam opposita non evidenter credibilis: cum utraque paribus motivis adstruatur: ergo possunt utiliter credere sine iudicio evidenti credibilitatis.

28 Quarto. Quia Deus ex bonitate sua dignus amore exclusivo omnis peccati, potest ex motivo Charitatis Theologica diligere amore minus perfecto, scilicet exclusivo mortalium, & non venialium: Sic igitur Deus ex veritate sua dignus fide firmissima super omnia, poterit etiam honeste honorari, alio etiam assensu Fidei minus firmo, ac perfecto. Ad huiusmodi autem assensus imperfectos, & minus firmos, non est cur requiratur, sicut ad alios perfectiores iudicium evidens credibilitatis; & cur non sufficiat probabile: praesertim dum credenti, aut ex inconsideratione, aut ex insufficienti penetratione motivorum tantae credibilitatis, non occurrit tota dignitas autoritatis divinae, totaque obligatio perfectius credendi.

29 Quinto. Quia habens probabiles rationes suadentes, se posse, ac debere credere, & nullas in contrarium, prudenter honesteque potest, imò tenetur credere: ergo exerceri quandoque valet Theologica Fides cum iudicio dumtaxat probabili credibilitatis. Antecedens firmatur: cum ex eo, quod cum solo iudicio probabili honestatis assentiendi exhiberi tunc posset prudenter, & honeste assensus Fidei naturalis: cur ergo non & supernaturalis: non enim videntur quoad hoc discriminari. Tum ex eo quod obligatio assentiendi obiecto revelato potius, quam naturaliter scito, non sumitur ab evidenti credibilitatis, sed à praesentia motivi divinae attestationis dignissimae, cui intellectus per Fidem obsequatur, & captivetur: ergo ex iudicio tantum probabili credibilitatis exerceri potest assensus Fidei Theologicae innixus motivo divinae attestationis. Tum denique ex eo quod honeste adoramus super omnia hanc Hostiam, & in ea Christum ex iudicio tantum probabili praesentiae Christi, sub hac numero Hostia, & alios plerumque virtutum moralium actus exercemus ex sola probabili propositione obiecti honesti. Similiter ergo ex notitia tantum probabili per motiva non sufficientia ad iudicium evidens,

sed tantum probabile credibilitatis, possumus credere super omnia veritatem reipsa à Deo revelatam v. gr. ipsam Christi praesentiam in hac numero Hostia ex motivo divinae attestationis.

30 Sexto. Quia intra genus Fidei divinae distinguunt interdum PP. & DD. Fidem perfectam expulsiivam omnis formidinis; & imperfectam compatibilem cum aliqua formidine leviter peccaminosâ. Cum autem ea distinctio sumi nequeat à minori certitudine assensus Fidei, utpote semper metaphysicè certissimi necesse est ab inferioritate iudicij credibilitatis: quod nempe ad Fidem perfectam praecedat evidens; ad imperfectam verò sufficiat probabile.

31 His tamen nequaquam obstantibus, omnino tenenda est communis Theologorum sententia cum Suarez disp. 4. sect. 5. Amico disp. 3. sect. 2. & Elparza quæst. 16. praesertim post Decretum Innocentianum expendendum sect. seq. quo stante non audeam ab ea declinare: quidquid prohibitionem subterfugere quodammodo studeant nonnulli, contra quos videri potest Fuente Hurt. in sua Theolog. Reform. disert. 11. cap. 3. de quo nos sect. 4.

32 Ratio mihi firma semper fuit, & est. Quia Fidei nostrae veritates sufficienter respectivè propositas, non solum possumus, quin etiam tenemur, sub mortali credere; ita firmiter, & absque formidine, ut ab earum assensu nec dissentiendo, nec dubitando, nec pro vita liceat unquam dimoveri: & hoc quidem omnino inexcusabiliter. Ad sic autem fortiter credendum, necesse est, unumquemque respectivè pro captu suo habere notitiam evidentem tam gravis obligationis; atque adeo prudentis credibilitatis earum veritatum: sine qua evidenti notitia expellente prudentem formidinem, nec posset esse obligatorium, nec prudens, nec honestum taliter credere; quamvis credi aliquantulum, & formidolosè posset. Ergo ad taliter credendum, prout exigit, & obligat nostra Fides, requiritur omnino iudicium evidens credibilitatis: tale videlicet, ut nec dubitari, nec formidari prudenter possit de credibilitate earum veritatum. Probatur assumptum: nam qui non haberet evidentiam, sed solam probabilitatem talis credibilitatis, & honestatis, tantaeque obli-

obligationis, posset rationabiliter, prudenterque formidare de opposito, ut accidit in opinativis; imò & fortè oppositum prudenter opinari; sicque facile ab obligatione excusari: sicut in simili ab obligatione restituendi, per opinionem, qua iudicatur se non teneri, quamvis probabile sit teneri. Cui tamen excusationi praeculit aditum Christus dicens ad incredulos Ioann. 15. *Excusationem non habent de peccato suo.*

33 Praeterea. Fidei assensus firmissimus est, pro tota hominis vita, exclusivus formidinis, & praetivus sui obiecti, & motivi super omnia, sive in oppositum occurrat, quacunque humanae auctoritates, sive naturales evidentiæ, sive Angelus evangelizet de Cælo, ut scribebat Apostolus ad Galatas 1. Ad praestandum autem prudentem huiusmodi assensum non sufficit sola probabilitas credibilitatis: sola namque probabilitas non generaret assensum, nisi formidolosum, compatibilem cum prudenti formidine de opposito. Requiritur ergo evidentiæ prudentis credibilitatis, ad sic assentiendum, & credendum, prout oportet. Cerrè enim sic firmiter sine formidine, & usque ad sanguinem credere, cum sola probabilitate, absque iudicio evidenti credibilitatis, prudentia non esset, sed animi levitas, taxata Eccl. 9. *Qui cito credit, levis est corde.* Credibilitas itaque obiecti eò debet esse maior, & respectivè ad credentem magis nota, quo firmiter assentitur obiecto, nè leviter, imprudenter, ac temerè procedatur. Unde sicut non nisi imprudenter imperaretur assensus opinativus, probabilis, ideoque formidolosus, sine probabili fundamento credibilitatis; esset enim temere iudicare; similiter non nisi imprudenter imperari posset assensus firmissimus, non patiens prudentem formidinem, qualis esse debet assensus Fidei, sine evidenti fundamento, & iudicio credibilitatis.

34 Nec quoad hoc locum habet distinctio illa Fidei perfectæ, vel imperfectæ, rudium, vel sapientum. Non negamus, actus Fidei alios alijs perfectiores. Caterùm ut verè Fidei Theologicae sint, ad eum perfectionis gradum pertingere necesse est, intra quem iam non stat ratio Fidei divinae, ac Theologicae, quin in hoc fas sit pro rudibus dispensari. Non autem stat ratio Theologicae Fidei sine assensu firmo incompatibili cum formidine; ne-

que in sapientibus, neque in rudibus: ac proinde singulis respectivè ad uniuscuiusque captum fieri debet evidens credibilitas, ut prudenter sic credant. Et fortè rudes plerumque tertius, ac perfectius credunt: quia respectivè ad illos, qui Magistros, Parochos, & Parentes, quasi Sanctos Ecclesiae Patres, venerantur, & auscultant, simplicitatis, & facilius ingeneratur evidentiæ credibilitatis. Et uno verbo. Aut assensus ille imperfectus Fidei, qui dicitur esse posse sine evidentiæ credibilitatis, est salutaris, prout requiritur ad iustificationem; aut non? Si non est salutaris, frustra pro eo laboratur. Si salutaris est, prout ad iustificationem requiritur, firmus debet esse, & constans usque ad sanguinem, & cum voluntaria formidine incompatibilis in sapientibus, & insipientibus. Ergo in utrisque, nè insipienter, & imprudenter velint sic firmiter credere, necessarium omnino est respectivè ad eorum captum iudicium evidens credibilitatis Mysteriorum; quin sufficiat probabile dumtaxat, & opinativum capax formidinis.

35 Insuper. Credibilitas est apparentia, & sufficientia fundamenti ad iudicandum, rem posse, aut debere credi: & circa Mysteria Fidei proposita, ut à Deo revelata, est sufficientia ad iudicandum, posse credi Fide firmâ saltem obiectivè divina, hoc est, ex motivo divinae attestationis: atque adeo posse credi sine formidine: nam alius modus credendi Deo indignus, & inutilis est. Ergo iudicium talis credibilitatis debet esse evidens respectu credituræ: si enim esset tantum probabile capax prudentis formidinis circa credibilitatem, maneret etiam locus formidini circa conditionem, quæ est ipsa Fides; ex insufficientia scilicet fundamenti ad prudenter iudicandum, rem esse prudenter credibilem sine formidine, seu Fide non formidolosa. Nam prudenter credens adaptat suum modum credendi fundamento credibilitatis, ut à se cognito, ne credendo transgrediatur imprudenter metas credibilitatis praecognitæ, sicque Fides ipsa divina imprudenter adhibeatur: quod implicat. Ergo quia praerequit omnino iudicium talis credibilitatis evidens, quin sufficiat opinativum, & probabile, quale sufficeret ad fidem humanam infirmam, subiectamque formidini.

36 Per hæc convincitur, requiri iudicium

Ioann. 15.

Galatas 1.

Eccl. 9.

Suarez.  
Amicus.  
Elparza.  
Innocent.

Hurtado.



cium evidens credibilitatis ad singulos etiam assensus Fidei Theologicae, subsequuntos post semel acceptatam Fidem ex iudicio evidenti credibilitatis ad praecedentes. Quod autem ait P. Oxea, non requiri ad singulos deinceps, post semel receptam Fidem; sic intelligerem, ut non requiratur ad singulos novum iudicium credibilitatis, dum virtualiter perseverat iudicium evidens prius efformatum: nullatenus verò, quia sufficiat probabile.

37 Ad primam ex rationibus oppositis à num. 25. respondetur; quod quamvis Pueri, & Rudes non dignè penerent motiva cuncta credibilitatis, eà dignitate, & perspicacià, quã homines literati, ea percipere valent sufficientissimè ad efformandum suum iudicium evidens respectivè ad ipsorum captum, & modum iudicandi de rebus: illis enim tam evidenter, & indubitanter fit credibile, quod Catechista, Parochus, Magister, aut Parentes, nemine quod sciant contradicente, proponunt, tanquam à Deo dictum; quàm fiat evidenter credibile literatis, quod taliter proponitur à Doctoribus Ecclesiae. Nec illis incumbit obligatio ulterius inquirendi; sicut interdum homini studioso: nec est, cur excusentur, si mysteria sic illis proposita, non credant pro animae salute; cum in quocumque negotio occurrente accipiant regulariter, ut oracula, consilia, & attestaciones similibus Personarum. Unde negatur consequentia: quia eiusmodi iudicium sibi evidens, & indubitatum facile efformant: & fortè facilius, quàm respectivè plures literati, & studiosiores, ut experientia monstrat. Nec contra faciunt Augustini verba: solum enim voluit, non omnibus inesse certam motivorum intelligentiam, qualem assequuntur Doctores. Ad confirmationem dico; non necessaria semper esse, nec fuisse ad evidens iudicium cuncta credibilitatis motiva, & signa, quae sunt ad superabundantiam: & tempore Christi, & Apostolorum aderant recentia miracula, aliaque motiva, quae sufficiebant abs dubio ad iudicium evidens credibilitatis, prout oportuit. Unde negatur consequentia.

38 Ad secundam, concessã maiori, negamus minorem, ut iacet, & consequentiam. Nam eos posse Fide Theologica credere Mysteria Doctrinae Evangelicae, qui non possunt evidenter pro captu suo

iudicare, esse credibilia, contradictorium est: cum repugnet assensus Fidei Theologicae non firmus, prudens, & honestus: qualis esset ille, qui sine iudicio evidenti credibilitatis praestaretur: esset enim eo ipso capax voluntariae formidinis de opposito. Prædicti ergo increduli eatenus peccant, quatenus possunt credere, & non credunt: eatenus autem possunt credere, prout oportet, & converti, quatenus Spiritui Sancto resistentes, voluntariè, & obstinatè nolunt deponere iudicium illud erroneum credibilitatis suarum sectarum; seseque sincero veritatis, & virtutis amore applicare, ac disponere ad efformandum iudicium evidens credibilitatis Catholicae Doctrinae sibi propositae.

39 Ad tertiam, concessã maiori ex dictis latè *disp. praec. à sect. 9.* dico ad minorem, illam dogmatum suorum propositionem in re falsam, neutiquam posse illis facere re ipsa evidentem, & prudentem credibilitatem sectae suae; cum in re deficiat fundamentum veritatis; sed apparenter dumtaxat, & existimativè apud illos, sic falsò iudicantes evidentem, & prudentem. Huiusmodi autem iudicium, quamvis, dum per errorem invincibilem habetur, sufficiat ad excusandos illos à peccato infidelitatis; non sufficit, ut ea dogmata sint re ipsa evidenter, prudenter, & honestè credibilia: re namque ipsa falsa sunt, & à nulla verã virtute approbabilia. Hinc negatur consequentia ob realem disparitatem veri à falso: verum enim, ut sunt articuli nostrae Fidei, amant veras virtutes voluntatis, & intendunt veras virtutes intellectus, & inspirationibus gratiae: ad falsum autem nihil istorum iuvat; nullaque apparentiae facere possunt, ut in re sit evidens, aut evidenter, & prudenter credibile; sed existimativè, & imaginariè apud homines etiam alioquin in re verè prudentes circa alia; sed quoad hoc existimativè dumtaxat prudentes: & cum isto discrimine iudicium illud suae credibilitatis erit prudentum, non tamen prudens, nec prudentiae: sicut quandoque malus syllogismus in magno Dialectico, dialectici quidem est; sed dialecticae non est. Ad confirmationem, dato casu vix credibili, quod nec ex ipsa puritate doctrinae Catholicae, nec ex discrepantia haereticae, nec ex illustratione gratiae internè

assul-

affulgeret credibilioritas verae doctrinae, concedo antecedens, & nego consequentiam. In eo namque casu dantur ex parte rerum duo magna discrimina inter doctrinam haeticam, & Catholicam. Vnum est veritas unius, & falsitas alterius: quo fit, quòd iudicium illud pro Catholica sit in re evidens; iudicium autem apparenter simile pro haeretica non nisi tantum apparenter: nam de falsis dari nequit evidentiã, quae in re talis sit, quamvis talis videatur. Aliud discrimen valde attendendum, est, quòd pro Catholica doctrina statutus Gratia Spiritus Sancti illustrans, quae stare nequit pro haeretica, imò illi advertatur, ac resistit, & specialius in casu praedicto, ac similibus, ut sentire est de divina providentia: & ex S. Thom. & Suarez observant Coninc *disp. 13. dub. 2.* & Amicus *disp. 3. num. 29.* Ad illud, quod rursus additur, dico, quòd in eo casu sic confecto, non posset prudenter, atque adeò nec utiliter amplecti nostram Fidem talis auditor, donec aliquo ex capite, aut exteriùs, aut interiùs affulgeret lux praestantior pro veritate, aut Deo illum specialiter illuminante, aut inspirante novas rationes Ministro suo, ut oppositi falsitatem ostenderet: prout saepe contigit erga auditores praesertim sincero animo desiderantes veritatem. Unde concessã pro eo casu, & statu minori: negatur consequentia. Sic Oxea *num. 44.* & Ant. Perez *disp. 2. cap. 3.*

S. Thom.  
Suarez.  
Coninc.  
Amicus.

Suprà  
disp. 5.

Oxea.  
Perez.

40 Ad quartam, concessã antecedente, negatur consequentia ex aperta disparitate. Quia cum Dei amicitia, aliter vix dabilis ad Deum in nostra fragilitate, non dissolvatur ex veniali, non est unde repugnet actus, qui sit amor amicalis honestus, non exclusivus venialium. Summa verò Dei autoritas offenditur graviter, ex quocumque motivo revocetur in dubium, quod creditur propter ipsam: unde est quòd fides Deo attestanti dignè exhibita postulet affectum, & assensum ita firmum, & praelativum, ut praeferat in animi dispositione propositum sic credendi contra quaelibet opposita. Huiusmodi autem assensus, nec imperaretur, nec exhiberetur prudenter sine evidentiã credibilitatis. Quod si aut ex inconsideratione, aut alio ex capite desineret assensus esse talis, eo ipso desineret esse assensus Fidei Theologicae, prout oportet: quam-

vis salvã istã essentiali perfectione dentur de ceterò inter actus Fidei alij alijs perfectiores, & minus perfecti.

41 Ad quintam negatur antecedens de credere, seu de fide firmã, prout oportet. Ad primam probationem dico, quòd nec assensu naturali firmo super omnia posset quis prudenter credere, ac proinde nec honestè, sed imprudenter, ac temere cum eiusmodi iudicio dumtaxat probabili, quamvis posset credere cum prudenti formidine. Vnde consequentia falsa est; nihilque inferatur, nisi pro nobis. Ad secundam dico, quòd quamvis obligatio illa radicetur in excellentia motivi divinae attestacionis; ut hic & nunc actu obliget ad assensum ita firmum, & non prudenter formidolosum, praerequirat evidens illud credibilitatis iudicium; sine quo non nisi imprudenter sic crederet. Ad tertiam, dedimus disparitatem inter adorationem huius Hostiae, & assensum Fidei *disp. 3. num. 141.* Addimus, disparitatem esse rationem inter actum adorationis, aliarumque virtutum moralium, & actum Fidei Theologicae: quòd illae virtutes ductae cognitione probabili honestatis sui obiecti, in illud tendunt ut repraesentatum ab intellectu; quin tamen ad illas pertineat certificatio de veritate obiecti: ideoque non taliter amant honestates suas, ut non relinquunt locum prudenti formidini, aut dubio circa veritatem obiecti, quod amant; nec requirunt animum paratum potius mori, quàm recedere ab existimatione, quòd obiectum sic se habeat: ideoque ut suos actus prudenter exercent, sufficit illis, quòd obiectum re ipsa suam habeat honestatem, & talis quoquo modo representetur. At Fides ita firmiter, & sine formidine debet adherere veritati obiecti cui assentitur, ut requirat ex conceptu suo speciali animum paratum potius mori, quàm à tali assensu recedere: ad assentiendum autem prudenter hoc modo, requiritur specialiter iudicium evidens credibilitatis, & non sufficit opinativum obnoxium formidini.

42 Ad sextam, fateor occurrere in SS. Patribus vocabula illa Fidei perfectae, & imperfectae: non tamen in sensu exposito *num. ...* Quandoque vocant Fidem perfectam Fidem charitate formatam; & imperfectam non formatam charitate. Quandoque inter ipsos actus Fidei firmos, & iudi-

Suprà  
disp. 3.  
sect. 11.

iudicio evidenti credibilitatis rectè conceptos, agnoscunt alios perfectiores, & alios non ita perfectos, intensos, ac fervidos; quos comparativè ad alios vocant fidem imperfectam: nullum tamen, si verè actus Fidei Theologicæ, & salutaris sit, qui non sit ex iudicio evidenti credibilitatis: nam alioquin non nisi imprudenter conciperetur.

## SECTIO IV.

*Expenditur, & conciliatur in id recens Decretum Innocentij XI. contra duas propositiones in eo damnatas.*

43 **V**igesimalima inter ibi prohibitas Propositio sic erat: *Assensus Fidei supernaturæ, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imò cum formidine, qua quis formidet, nè non sit loquutus Deus.* Hanc propositionem prohibuit, & damnavit meritissimè Pontifex. Quo videtur, certam, ac indubitandam manere doctrinam conclusionis nostræ; & oppositam, quam impugnavimus, non posse iam tutò defendi: quòd nempe sufficiat iudicium opinativum dumtaxat, & probabile credibilitatis ad assensum Fidei salutarem.

Innoc. XI.

44 Etenim, cum certum ex Fide sit, Dei revelationem non posse esse falsam, stante notitiâ plusquam probabili existentie revelationis de Mysterio, adesse necesse est notitiâ plusquam probabilem credibilitatis Mysterij. Cum ergo prohibeatur dici, sufficere ad Fidem notitiâ solum probabilem revelationis, iubemur dicere, requiri notitiâ plusquam probabilem revelationis: atque adeò notitiâ, seu iudicium plusquam probabile credibilitatis Mysterij. Hæc autem fuit nostra conclusio de evidentia iudicij credibilitatis adversus eos, qui ante Decretum Innocentianum existimaverunt, sufficere quandoque posse solum probabile, & opinativum.

45 Præterea prohibetur, & damnatur in eadem Propositione doctrina componens assensum Fidei salutarem cum formidine, qua quis formidet, nè non sit loquutus Deus. Cum autem cum iudicio tantum probabili credibilitatis compati possit eiusmodi prudens formido, videtur iterum damnati eadem doctrina de iudi-

cio tantum probabili. Sunt qui discurrant, per hæc nondum esse clarè damnatum eam doctrinam: quia damnatio cadit contra propositionem illam complexè enunciandam, quòd *assensus Fidei fiat cum notitia solum probabili revelationis; imò & cum formidine, &c.* hoc autem complexè non diceret, qui assereret, stare cum iudicio solum probabili; non verò cum formidine illâ actuali: quam utique non necessariò importat iudicium probabile, quamvis illius sit capax.

46 Sed non mihi arridet ista subtilitas, eludere potiùs volens, quam sincerè tenere prohibitionem, & mentem Pontificis. Bene video corticem verborum salvari quoquo modo sic posse: nemo quoque non videat, eadem verba sufficientia quoque esse ad damnandam seorsum utramque partem propositionis prohibita. Et mihi hanc fuisse mentem Innocentij maximè persuadet communis Catholicorum intelligentia, & observantia, quæ vera legum interpret est: nullus enim Author Catholicus, quem ipse viderim, post prohibitionem Innocentianam ausus est, aut totam illam propositionem complexè, aut alterutram eius partem divisim pronunciare. Profectò, si per hos apices distrahi liceret verba legum à mente sincera legislatorum, vix esset lex, quæ aliquatenus eludi non posset. Sic eludent & irrident Heterodoxi præceptum annuæ confessionis obligans omnes utriusque sexus: cavillando, hos esse solos herimaphodritas: quasi sensus hic, cadere potens sub cortice verborum, verosimiliter indicari possit cecidisse in mente Legislatoris. Rem hanc in simili illustrat egregiè R. P. N. G. Thyrsus in Fund. Theol. moralis Disert. 10. Thyrsus. à num. 67.

47 Negotium facessit alia Propositio, ordine quarta, prohibita in eodem Decreto Innocentiano, huius tenoris: *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.* Dicat enim aliquis: Ponamus adultum negativè infidelem, & ingeniosum, qui audire incipiat motiva credibilitatis Mysteriorum nostræ Fidei; sufficientia quidem ad iudicandum opinativè, & cum formidine, esse credibilia; sed nondum sufficientia ad id iudicandum evidenter, & sine formidine: imò adhuc opinans, quamvis minus quoque se probabiliter, opposi-

tum:

tum id quod evenire posse vidimus n. 38. & 39. quia non omnia motiva simul proponuntur; nec quælibet sufficiunt ad efformandum iudicium evidens credibilitatis. Hic certè dum est in eo statu constitutus, aut excusatur nondum credendo, à peccato positiva infidelitatis; aut non excusatur? Si excusatur; ergo excusatur ductus opinione minus sibi probabili: quod est damnatum in prædicta quarta Propositione. Si non excusatur; ergo tenetur credere nondum habens iudicium evidens, sed tantum probabile credibilitatis: quod est damnatum in vigesimalima, & impugnat doctrinam nostræ conclusionis.

48 Difficultatem istam cuique obviâ proposui Magistro meo Lumbier, dum incumberet editioni suarum observationum super Decretum Innocentij; & multa doctè, ac ingeniosè respondit observ. 6. à num. 146. quibus tamen nec tunc satis acquievi, nec modò acquiescere satis possum. Alia postmodum responderunt alij apud Cardenas disp. 5. aliter respondentem cap. 2. sed meo videri insufficienter: quod aliorum etiam iudicio relinquo.

Lumbier.

Carden.

49 Existimo respondendum, conciliando, ut par est, sanctissimas Sanctissimæ prohibitiones prædictarum duarum Propositionum, nostramque doctrinam ab unius prohibitione certò stabilitam, optimè quoque stare cum prohibitione alterius. Admitto casum ex adverso propositum: & ad dilemma dico, eiusmodi hominem in eo casu sic constitutum excusari pro tunc à peccato positiva infidelitatis: nam ut iam respondimus num. 32. nondum obligatur credere. Nego tamen consequentiam inde deductam. Non enim dicimus, excusari per opinionem existimativè sibi aut minus, aut magis probabilem, quam adhuc retinet de incredibilitate nostrorum Mysteriorum: hoc enim esset dicere, quòd *excusatur ductus opinione minus probabili*; essetque accedere ad propositionem damnatam. Sed dicimus, excusari, quia nondum habet iudicium evidens credibilitatis requisitum ad prudenter, & honestè sic credendum, prout oportet: & aut invincibiliter adhuc ignorat, aut actu non advertit obligationem ulterius inquirendi.

50 Ea autem duo esse per se diversissima, patet: aliud enim est, habere iudicium existimativè probabile, modò ma-

gis, modò minus probabile, de non credibilitate nostrorum Mysteriorum, aut de divina eorum revelatione; aliud, valdeque diversum est, non habere iudicium evidens de eorum credibilitate, certumque de divina eorum revelatione. Qui enim esset in puro dubio, aut in omnimoda ignorantia de ijs, nec haberet iudicium existimativè probabile de non credibilitate, nec evidens de credibilitate: unde discernibilia facillè sunt inevidentia de illa, & probabilitas de ista: cum sine ulla probabilitate, imò cum puro dubio, seu ignorantia de uno extremo possit esse inevidens intellectui extremum oppositum.

51 Itaque in casu posito rectè dicimus, excusari hominem illum à peccato infidelitatis positivæ: & non excusari propter opinionem sibi existimativè probabilem, aut minus probabilem de non credibilitate; sed propter inevidentiam de credibilitate: non quia suspendit fidem ductus opinione minus probabili: quod prohibetur contra quartam propositionem; sed quia suspendit fidem, nondum ductus iudicio evidenti credibilitatis; cum assensus Fidei Theologicus, & salutaris stare nequeat cum notitiâ solum probabili revelationis capaci formidine: quod optimè quoque prohibetur contra vigesimalimam primam. Sicque utriusque prohibitiones aptissimè conciliantur.

52 Dices. Ideò vir ille nondum habet iudicium evidens credibilitatis, quia adhuc habet opinioem sibi probabilem incredibilitatis. Si igitur illum excusamus, quia nondum habet iudicium evidens, devolvitur ratio excusationis in opinionem, quam adhuc retinet sibi probabilem; aut minus probabilem de opposito: quod est recidere in propositionem damnatam excusantem eum, qui non credit, ductus opinione minus probabili. Respondetur; distinguendo antecedens: ideò sufficienter, concedo; ideò necessariò, nego: est dicere, opinionem illam meam de opposito esse rationem sufficientem ad hoc, ut nondum habeatur iudicium evidens credibilitatis, utpote cum illa inconiungibile; non tamen esse rationem necessariò requisitam, nec dandam pro eo quòd nondum habeatur iudicium evidens credibilitatis; cum hoc aliunde posset etiam non haberi, quin adesset, arque adeò quin obstaret opinio illa ex adverso, ut patefecimus.

Nun

cimus

simus *num* 50. Vnde negamus consequentiam: quia ratio exultationis, quam nos damus, nempe defectus evidentis iudicij credibilitatis, non eget ad sui veritatem, & subsistentiam, ratione illa opinionis probabilis, quam adhibet propositio damnata; cum per se verum sit defectum illum pro tunc inculpabilem iudicij evidentis excusare, & dabilem per se esse, nullā datā ex adverso opinione. Addo: opinionem aliorum extrinsecē, & existimativē probabilem ex opposito, quam scilicet alij tenerent de non credibilitate, non tollere eo ipso iudicium meum evidens credibilitatis: quo stante possem, & deberem credere: nam, ut alibi dixi, hoc meum iudicium est mea conscientia; non verò illud aliorum.

## SECTIO V.

*Recollectio signorum credibilitatis Catholicae Fidei: seu motivorum, quibus nititur supradictum iudicium evidens credibilitatis.*

*Augustin.* 53 **P**OST Magnum Augustinum *lib. 22. de Civit.* & multis alijs in locis. Hieronymum *adversus Luciferianos*; Tertullianum *in Apolog. adversus Gentes*; Eusebium *in Preparat.* Evangelica; Iustinum *in Triphone*; Lactantium *lib. 4. cap. 10.* insudarunt præclare huic argumento *S. Thom. in Libris contra Gentes*; Scotus *in Prologo.* Cardin. Bellarminus *in Controv. de Ecclesia Militante*; Suarez *disp. 4. de Fide, & in Libris contra Reg. Angl.* Lessius *in Consult. de Relig. capeffenda*; Valentia *in Analisi, & 2. 2. disp. 1.* Campianus *in lib. decem rationum contra Academicos*; noviusquē doctissimus Elizalde *in Forma veræ Religionis*; & R. P. N. G. Thyrsus *ad fin. Tom. 2. Select. disp. 43.* & uberius postmodum *in Manuductione ad conversion. Mahumetanorum.* Ex quibus, & alijs plura in id utilissimè conferentibus, recolligam summam præcipua capita motivorum, quæ faciunt evidens iudicium credibilitatis Fidei, ac Religionis Catholicæ, quam ad sanguinem usque profitemur.

54 Primum caput est Sanctitas, & puritas Catholicæ Doctrinæ bonis moribus, rectæque rationi conformissimæ, ut *Psalms. 18.* legem Dei decet, iuxta Davidem: *Lex Domini immaculata, convertens animas.* Nec

obest, quòd multa doceat, & credat supra rationem naturalem. At evidens est, plura & maiora posse à Deo infinito fieri, quàm à nobis discurri. Nihilque docet, aut credit contra rationem, nihil Deo indignum, nihil contradictorium, sicut Gentilium, aliorumque infidelium sectæ: nihil docet turpe, aut bonis moribus dissonum. Quid enim rationabilius; quàm Deum, & proximos diligere? Hinc autem *tota lex pendet, & Propheta*: cum ab ijs duobus principijs omnis morum rationalium honestas derivetur.

54 Secundum est, eius Author Christus Iesus: quem non solum Evangelia, quin etiam & multæ Historiæ prophanæ celebrant Sanctissimum, miraculosissimum, magnumque Prophetam, id in Alcorano farente ipso Mahumeto. Quò spectat etiam Sanctitas Apostolorum, aliorumque plurium Ministrorum Evangelij, qui contemptis mundi vitijs, ac divitijs hanc doctrinam tenuerunt, & ad sanguinem usque propagarunt. Hos utique, si cum hominibus, ut plurimum spurcissimis oppositarum sectarum inventoribus, cum Mahumeto, cum Ario, cum Luthero, Calvino, alijsque huius furfuris comparare licet, sit evidentissima, & innegabilis inde præponderantia ad sectas oppositas.

56 Tertium est ex Vaticinijs diversorum Prophetarum: quos ipsius adventum, divinitatem, & doctrinam prædicentes Christus ipse scrutandos exhortabatur *Ioan. 5.* Vnde validum format argumentum Augustinus *lib. 12. de Civit. cap. 10. & lib. 18. cap. 23.* adnectit, præsertim pro Gentilibus, Vaticinium Sybillæ Eritrææ magnæ apud ipsos autoritatis: *Iesus Christus Dei Filius Salvator.* Quò faciunt plures insignes Prophetiæ comprobatissimæ à solo Deo inspirabiles multorum Sanctorum, quos non solum Ecclesia Catholica, quin etiam & infideles ipsi venerantur.

57 Quartum est multitudo miraculorum per omnes Ecclesiæ ætates: quorum se vinculis in Ecclesia teneri fatebatur Augustinus: cum per ea testificatur Deus veritatem, pro qua patrantur. Nec obest, quòd pro alijs etiam Sectis narrentur à suis Ministris varia miracula. Narrantur enim; sed non probantur, ut probat Ecclesia diligentissimo examine: & pauca alia talia sunt, ut artes hominum, aut demonum

num non excedant; deprehensā quandoque eorum falsitate: cum pro catholica Fide sint innumera, & indubitabilia non nisi temerè neganda: nisi cæcutire quis velit in Historijs fidedignis. Dices: nec nobis satis constare nostra miracula esse vera, & pro verâ doctrinâ, & religione patrata: cum etiam constet, Antichristum pro se patraturum esse miracula. Dicimus tamen, quòd quamvis id non omnibus constet omnino evidenter, ne veritas mysteriorum fiat omnino evidens, constat evidentiâ morali per Historias indubitatæ fidei, per multorum Sapientum contestationes, & per auctoritatem saltem humanam Ecclesiæ ex tot viris probis, & doctis compositæ: quæ faciunt evidentissimam prudentem credibilitatem: aut certè negari posset prudenter humana fides cunctis Historijs: quod non nisi temerè diceretur. Miracula Antichristi erunt falsa per Dæmonis artes: & nec erunt tot, nec tam diu continuata, ac habemus pro Catholica doctrina.

58 Quintum est multitudo Martyrum, qui tormenta sævissima pro hac Fide mirabili patientia, & constantiâ sustinuerunt. Quos inter numerare gloriamur myriades sceminarum, puellarum, & puerorum in ætate, & sexu fragili; ne soli virili robori tribui possit adeò heroica tolerantia. Vnde præclare arguit Valentia, incredibile profus esse, Deum, qui creavit homines, ut creatorem suum verâ religione colentes salvii fierent, finire aut potuisse, aut voluisse, innumerabiles ferè per atrociam tormèta, & volutariam mortem, nõ divitias, non honores, non delicias mundi, sed Dei cultum & gloriam quærentes, æternamque salutem sincerissimè adamantes, in negotio, & arduo negotio fuisse unanimiter deceptos. At, inquis, aliæ etiam Sectæ suos quandoque Martyres habuerunt. Fateor. Cæterum ipsos sui Sectatores testes volo, quàm sint nostri incomparabiliter plures, & illustriores. Pro uno viro robusto dabimus chiliadem non modò virorum, quin etiam sceminarum, tenerorumque puerorum.

59 Sextum est propagatio Catholicæ religionis per efficaciam evangelicæ prædicationis à pauperrimis, & inermibus hominibus, sæculi contemptoribus in tot, tamque varias Gentes disseminatæ, contra Principum, & Imperatorum potentias,

contra carnis illecebras, & appetitus, & contra Dæmonum obsistentium astutias, in quos Evangelici Ministri mirum exercent dominium; homines frequenter convertendo à peccatoribus in iustos; à turpissimis vitijs in amatores virtutum. Accedit zelus, & ardor evangelizantium non terrena, sed cœlestia quærentium. Profecò nulla ex oppositis Sectis tot Ministros, & quidem Sanctissimos, & sapientissimos ita Dei, & proximorum amore accendere visa est, qui causâ dumtaxat disseminandæ veritatis, & divinæ gloriæ propagandæ tam dissitas nationes per tot labores, & ærumnas peragrate aggressi sint.

60 Septimum est antiquitas, & perpetuitas doctrinæ. Religio, cultusque verus veri Dei incœpit cum ipso mundo. Lex verò Evangelica, quam tenemus Catholici, incœpit cum Christo: per tot sæcula rerum inter & imperiorum vicissitudines constanter una. Cui rationi deferebat usque adeo Ingeniorum apex Augustinus, ut post novennium Manicheismi sese ad Fidem Romanam recipiens dixerit: *Tene me ab ipsa Sede Petri usque ad presentem Episcopatum successio Sacerdotum.* Porro si quatuor sæculorum successio constans argumentum erat, quo teneretur ingenium Augustini inter Manicheos versatus, & educatus; quantò fortius persuadet continuata deinceps per sæcula multò plura eadem successio in tot Pontificibus Summis, tot Prælatibus, tot Doctoribus, probitate, & doctrinâ præstantibus; tot viris religiosissimis, tot Principibus, tot variarum gentium Nationibus, alioquin moribus, ac legibus diversissimis. Hæreses variaz interea pullularunt, & disperierunt, dum Catholica Religio perstitit, & perstat: verè gaudens promisso Christi, quòd

*Portæ inferi non prævalent adversus eam.* Inter Doctores autem, & Scriptores Catholicos quantam videmus ingeniorum in opinando diversitatem quoad multa; tantam miramur consensionem quoad ea, quæ Fidei sunt, tamque concordem subiectionem uni Ecclesiæ: ut nemo condatus non convincatur, & dicat: *Digitus Dei est hic.* *Matth. 16.*

61 Octavum est ex Providentiâ digna Deo summo. Ad quem utique spectare certum est curam, ut à creaturis suis rationalibus per viam alicuius veræ Religionis queratur, inveniat, & colatur in mundo.

Elizald.

do. Id quod tanquam principium evidens, & in hac materia fundamentale commonstrat multis Sapientissimus Elizalde per totum ferè præclarum Opus de forma vera Religionis: ex principio arguitur sic. Atqui nulla inter nobis notas est via tam digna Deo, tot testimonijs, miraculis, martyrijs munita; tam puris legibus, moribus, & doctrinis rectæ rationi consonis consignata, ac nostra Catholica Religio: ergo hæc est, quæ continet veram Fidem, veram doctrinam, verumque cultum veri Dei. Assumptum est probatu perfacile discurrendo per alias Sectas nostræ Religionis contrarias. Vnde incredibile prorsus fit, quod Deus permiserit, tot signis credibilitatis communiri Religionem, ac Fidem, quæ vera non esset, planèque divina. Atque hinc est, quod communiter alij Sectarij quoquo modo defendentes suam Sectam esse veram, inter se alioquin dissidentes, in eo conveniant, quod post suam nostræ tribuant primum locum.

62 Per hæc, quæ fusiùs prosequuntur Authores citati, fit patentissima veritas, & Dignitas Ecclesiæ nostræ Catholicæ visibilis: origine, veritate, & perpetuitate, & duratione admirabilis: ad tot Provincias inbellium Ministrorum prædicatione, & sanguine contra terrestres Potentias verè non ferro, sed ligno propagatæ doctrinis, legibusque purissimis, ac prudentissimis instructæ, ac gubernatæ: Martyrum omnis ætatis, & sexus myriadibus conspicuæ: Doctorum pijsimorum, ac prudentissimorum multitudine præstantissimæ: miraculorum numero, varietate, & magnitudine insignis: Ordinibus religiosis ab eximijs Fundatoribus mirificè institutis ordinatissimæ: tot Prælatibus gravissimis, tot Principibus, tot Academijs publicis, tot Scripioribus Romanam Fidem profitentibus celeberrimæ. Quæ incomparabili auctoritate, & dignitate Ecclesiæ Catholicæ, ex prædictis notis, & signis adhuc humanitus dumtaxat consideratis, & tot contestibus omnibus exceptione maioribus inægabiler præsupposita, cætera, quæ de Scripturis Canonicis, de Concilijs, de Papa, de assistentiâ Spiritus Sancti, & de alijs Fidei veritatibus, quantumvis difficilibus, tenemus, facile fiunt evidenter credibilia ex ipsa auctoritate Ecclesiæ etiam humanitus consideratæ: atque adeo prorsus incredibilia dogmata aliarum Sectarum nostris opposita.

63 Hinc Anton. Perez disp. 2. cap. 3. Perez adstructâ veritate Religionis Catholicæ, præscribit normam convincendi sigillatim oppositas Sectas ut omninò falsas, & incredibiles, disputativè agendo cum quolibet homine ratione prædico, & intentione purâ agnoscendæ veræ Religionis ducto: nam contra ingenia indisciplinata, & passionibus potius, quàm puro desiderio agnoscendæ veritatis ducta, nisi priùs emolliantur, rationibus luce clarioribus per effugia, & diverticula pervicaciter obfistent, ut rectè monet Elizalde in Præfat. ad Lectorem. Quapropter studendum in primis est, ut infidelis animum induat sincerum agnoscendæ veritatis. Deinde distinctè cum illo agendum est. Vel enim est ex Atheistis, vel ex Politheistis, vel ex Monotheistis, vel ex Hæreticis, vel ex Iudæis, vel ex Mahumetanis, seu Paganis.

64 Cum Atheistis agendum est rationibus demonstrantibus existentiam Dei, & immortalitatem animæ capaci præmij, & supplicij, maioris quidem, quàm ut in singulis huius vitæ decursu distribuatur: quod præstitimus disp. 1. de Attrib. sect. 3. Quas rationes si, ut solent, pervicaciter respuant, urgendi sunt asseverando, nos omnes Catholicos esse certissimos, eos damnandos in æternum, nisi credant Deum esse: sicque præter Catholicos omnes, sentire multò maiorem, & prudentiorem partem mundi. Impossibile autem est, quod hac asseveratione concussi, non animadvertant, se male acturos, si saltem non adhibeant diligentiam pro examine veritatis tanti momenti. Quamvis enim inveniunt verum esse, quod ipsi dicunt, Deum non esse, nec animam esse immortalem, non nocebit prædictam diligentiam adhibuisse, quæ tamen maximè proderit, si agnoverint, Deum esse, animas suas esse immortales, seque in æternum perituros, nisi id credant, & fateantur; & ex adverso id ommittere quàm maximè nocebit: ergo evidens imprudentia est eam diligentiam non adhibere: nec illâ omisâ in re tantæ ponderis possunt satisfacere conscientiæ suæ. Haud quidem secus, ac si multis fidedignis seriò contestantibus cibum esse venenatum, & facile esse scire hanc veritatem, illum ultrò manducaret homo, nullo saltem facto examine. Quod si ab illis obtineatur sincerum hoc examen, quod non nisi stultissimè recusare possunt, experientia

Elizald.

To. de Deo disp. 1.

tia docet, quod facilè deinceps cedent veritati.

Ibidem.

65 Cum Politheistis agendum est demonstrationibus probantibus unicitatem Dei, quas ibidem exhibuimus sic. 6. Quas si respuant, adhibendi sunt evidentissimè contestes ferè innumeri, gravissimi, & sapientissimi, tam Catholici, quàm non Catholici, ipsorum superstitiones, falsorumque Numinum multitudinem ratione naturali damnantes: asseverantes etiam unanimiter, se certissimos esse, Politheistas aberrare, & in æternum perituros, si perseverent in suis superstitionibus. Quæ notitiâ certè patentissimâ præeunte, stultissimè delinquent, si saltem pro rei gravitate non applicent sinceros animos ad ferium examen. Quemadmodum stultum abs dubio esset, oculos nolle aperire, sed illis clavis progredi per viam, quam multi contestes fidedigni conclamant, se certos esse, periculis esse plenam, & ducere ad horrendum præcipitium.

66 Cõtra Monotheistas, unicū nobiscum Deum confitentes, eumque summè colendum, & adorandum ratione, ac lege naturali agnoscetes; & de cætero exerantes, nec Fidem, nec aliam legem amplectentes, agendum est, severè protestando, nos omnes certissimos esse, sine Fide neminem posse placere Deo, & Christi legem esse prorsus necessariam ad salutem æternam; quam nisi amplectantur, certissimè præcipites ire in damnationem æternam. Ex quo certissima illis suboritur obligatio examinandi seriò, ac sincerè veritatem sic propositam; essetque manifesta temeritas id ommittere, & velle culpabiliter, nullâ factâ diligentia, in cæcitate persistere. Si dicant, satis se iam facere tali obligationi, ductos opinione sibi probabili, quod sufficiat ipsis via solius rationis, legisque naturalis; urgendi sunt: quia nulla opinio probabilitas excusare illos potest à prædicto examine. Opinio namque procedit cum periculo errandi: error autem in hoc summo negotio inferret damnum irreparabile: at imminente tali damno ex eo errore, stultum est, acquiescere: soli probabilitati, dum adhiberi potest examen, quo reddantur tutiores. Quemadmodum stultum esset, & à quocunque cordato dampnabile, velle incedere clavis oculis per viam probabiliter ductentem in præceps, in eo, qui tutus fieri posset, oculos aperiendo.

67 Cum Iudæis agendum est testimonijs veteris Testamenti, & ex lege Moylis, ubi promittitur Melsias. Quippe veram credunt eam legem, eo quod legitimis testibus ipsis cõstet traditam esse à Deo: quod & nos fatemur. At testibus pluribus, nec minùs legitimis constat, Melsiam iam venisse: eosque hoc debere credere, si nolint salutem æternam amittere: ergo tenentur diligentiam saltem adhibere pro sincero examine huius utilissimæ veritatis; alioquin certò perituri. Nec excusandi veniunt causâ Religionis suæ à Deo traditæ. Nullibi enim habetur in Testamento veteri, hoc nostro tempore nondum advenisse Melsiam: nec habent quidquam evidenter contrarium eius adventui à nobis credito: ipsique ex eadem lege sua obligantur credere, aliquando fore verum, Melsiam advenisse, & non semper fore futurum. Dicant igitur, quando iam veniret, quibus signis, & argumentis credent advenisse, nisi per miracula, & testimonia, per quæ credunt, venturum esse. Nequeunt autem prudenter sperare plura, aut maiora. Debent ergo credere, iam advenisse, per eadem motiva, per quæ credunt venturum esse. Aut saltem debent id suspicari, & animo sincero diligentiam adhibere ad id indagandum: eam autem diligentiam nolle adhibere, sed cæce persistere in expectatione Melsiæ in præsentibus circumstantijs, est abs dubio evidentissimum peccatum.

68 Cum Hæreticis admittentibus novum Testamentum agendum est, conando, ut Christi Evangelia rectè examinent, & quo modo illa crediderint. Et clarè perspiciant, se in eam notitiam venisse per testimonia. Si enim ab alijs non essent edocti de origine, ac sensu Scripturarum, nunquam proprio Marte pervenissent ad veritates Evangelicas. Nec officit, quod Lutherus dicat, esse sibi à Deo revelatas: non præterquam quod ipse dignus fide non est, id certè Lutherani ab ipso didicerunt: ipsique Hæretici prædicantes supponunt ipso facto, non omnes auditores assequi rationes disputationum, aut discernere inter Scripturas canonicas, & non canonicas passim: apud Hæreticos corruptissimas, ut ex ipsarum varietate ostendere est. Srat igitur apud ipsos, per testimonia innoscere, utrum certa aliqua doctrina sit verè tradita à Deo, verèque divina, & credenda.

denda. Quo supposito cæcitas est miseranda, non videre, standum esse maiori, & graviori numero testimoniorum: at evidenter constat, pro Catholicis esse plura, longèquè graviora, ut ex initio sectionis fit manifestum. Aut certè, si nondum illis constat, plura, & maiora pro nobis stare, tenentur strictissimè in conscientia id examinare, cum res sit periculi damnationis æternæ: quò si animum sincerum non applicant, rei sunt manifestissimi peccati.

69 Cum Mahumetanis falsum suum Prophetam venerantibus, & cum alijs sequentibus fortè doctrinam aliquam antiquam à Maioribus suis acceptam, agentiam est, illis opponendo doctrinam nostram perantiquam, quam esse Dei, & requiri ad æternam salutem, certi sumus per firmiora motiva credibilitatis: itemque ostendendo spurcitas, nugas, & contradictiones suæ doctrinæ, ideo indignæ Deo. Quo audito, cum de sua secta nequeant habere certitudinem, nisi crassissimè despiciant, sentient, ut minimùm, obligationem naturalem examinandi sincerè veritatem: quod si non faciant, certissimè peccabunt; si faciant, aderit Deus, experientia teste, ut ad veritatem Fidei nostræ perveniant. Hoc argumentum præcipuè contra Mahumetanos dignè, nervosè, ac doctè explevit R. P. N. G. Thyrsus tom. 3. sect. ult. disp. ult. & deinceps in Manud. Etone bipartita in eundem scopum. Nobis hæc summam sufficiant, dicitur cum Richardo 1. de Trin. 2. 2. genus esse dementiæ, in his vel aliquantulum dubitare.

R. P. N. G. Thyrsus.

Richard.

SECTIO VI.

An evidens iudicium credibilitatis sit supernaturalis: & à quo principio?

70 EX parte sui motivi obiectivi satis constat ex dictis hoc, iudicium partim redolere naturalitatem, partim supernaturalitatem. Movetur enim signis credibilitatis: quorum alia naturalia sunt, ut testimonia hominum; alia supernaturalia, ut miracula. Suppono deinde, quòd ex prædictis signis naturali etiam ratione ponderatis posset ex natura rei formari iudicium naturale credibilitatis, & obligationis credendi; præsertim iuxta nostram doctrinam, quam tetigimus disp. 2. sect. 5. quòd circa idem obiectum etiam

Sup. disp. 2.

formale, sive naturale, sive supernaturale, veritari possint actus naturalis, & supernaturalis.

71 Difficultas est pro de facto. Eiusmodi iudicium esse entitativè supernaturale, docent Ripalda, Oxea, & Ant. Perez disp. 4. cap. 1. Esse entitativè naturale, & in modo dumtaxat supernaturale, docent Gasp. Hurt. disp. 4. diff. 8. Coninc disp. 13. dub. 3. & 5. Amic. disp. 3. sect. 5. & disp. 10. sect. 6. & videtur de mente Patris Suarez disp. 4. sect. 6. & disp. 6. sect. 7. & 8. Sto pro supernaturalitate entitativà talis iudicij.

Ripald. Oxea. Perez. Hurtad. Coninc. Amicus. Suarez.

72 Et ratio mihi est. Quia, ut rectè supponit ibi Suarez ipse, ante piam affectionem voluntatis ad credendum præcedere debet in intellectu illustratio aliqua supernaturalis: sicut enim actus supernaturalis liber intellectus imperatur per actum supernaturalem voluntatis; sic actus liber voluntatis procedit ex præilluminatione supernaturali intellectus, ut saltem iuxta præsentem Dei providentiam firmavimus disp. 6. de Grat. sect. 8. & colligitur ex Arausiano 2. Canon. 7. ibi: Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertineat, cogitare, ut expedit, aut diligere, sive prædicationi consentire posse contendat absque illuminatione, & inspiratione Spiritus Sancti: Hæretico fallitur spiritu, non intelligens illud Apostoli: Non sumus idonei cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis. En quomodo ad consentiendum prædicationi, quod est pius velle credere, sive affectio pia deliberata credendi, prærequiritur illuminatio Spiritus Sancti: hæc autem est aliquis actus intellectus impotens fieri naturæ vigore; atque adeò supernaturalis.

To. de Gratia disp. 6. Arausic.

73 Atqui, quamvis hæc doctrina salvari possit admittens alià præilluminationem, videlicet apprehensivà, distinctà à iudicio credibilitatis; non tamen est ratio, cur iudicium etiam istud non veniat nomine præilluminationis, & cogitationis sanctæ supernaturalis, proximius, & fortius movens ad volendum credere: ergo non est ratio negandi eiusmodi iudicium esse entitativè supernaturale, & de ordine gratiæ actualis illustrantis ad piè volendum credere. Præsertim iuxta id, quod tenuimus ibidem disp. 7. sect. 3. & sæpe alibi, quòd iuxta præsentem Dei legem omnes bonæ cogitationes sunt supernaturales.

Ibidem disp. 7.

Obij.

74 Obijcies. Si iudicium credibilitatis antecedens assensum Fidei esset supernaturale, haberetur ante Fidem initium salutis, & iustificationis; quia nempe haberetur illud iudicium iam de ordine supernaturali: cum tamen ex Concilijs, Sanctisque PP. Fides dicatur initium iustificationis. Respondetur ex explicatione, quam dedimus disp. 2. sect. 7. huic dicto Conciliorum & Patrum, distinguendo antecedens: haberetur initium ante Fidem arctè acceptam pro solo intellectu assensu Fidei, concedo: ante Fidem completentem totum negotium Fidei, nego. At iudicium illud credibilitatis iam est de negotio Fidei, & non præcedit totum negotium Fidei, quamvis præcedat ad assensum intellectualem credendi. Id quod in simili dicitur de pia affectione.

Sup. disp. 2.

75 Obijcitur secundò. Nullum datur in nobis iudicium evidens, nisi vel ab habitu scientiæ per se infusæ, vel ab speciali dono Spiritus Sancti. Atqui iudicium evidens credibilitatis non est in nobis ab habitu scientiæ per se infusæ, cum per varios discursus acquiratur: nec item est ex speciali dono actuali Spiritus Sancti: huiusmodi enim dona sunt extraordinaria; cum tamen iudicium credibilitatis sit ordinariissimum, sicut & credere. Non est ergo principium supernaturale, à quo cõpetenter sit tale iudicium; atque adeò supernaturale non est.

76 Exigit à nobis obiectio, ut assignemus habitum, sive principium supernaturale, à quo efficiatur iudicium credibilitatis; cum à natura sola effici non possit, si supernaturale defenditur. Multi, quos bene rejicit Ripalda, volunt, effici ab habitu infuso Fidei. Sed obstat in primis, quòd tale iudicium non est ex obiecto formali Fidei: & quòd est dispositio ad

infusionem habitus Fidei: quæ dispositio effici nequaquam potest ab habitu, ad quem dispositio ut latè vidimus disp. 20. de Grat. sect. 6. & 7. Alij cum Valentia, Coninc, & Hurtado volunt, effici ab habitu generali Prudentiæ infusæ. At quid, quando habitus iste, deficiente Gratiâ habituali, deficit? P. Amicus vult, effici ab habitu scientiæ naturalis. At hoc est supponere, quòd negamus, eiusmodi iudicium non esse supernaturale.


To. de Gratia disp. 20. Valent. Coninc. Hurtad. Amicus.

77 Exitimo cum P. Granada, & Cardin. Delugo, iudicium credibilitatis effici regulariter ab habitu speciali ad id muneris per se infuso: qui habitus infunditur cum habitu Fidei, manetque cum ipso in peccatore fideli, ex eadem ratione, quæ manet habitus Fidei. Antecedenter autem ad infusionem talis habitus, qui nõ infunditur, nisi infuso habitu Fidei, iudicia credibilitatis efficiuntur ab auxilijs actualibus gratiæ: quibus similiter tribuimus efficientiam actuum Fidei præcedentium infusionem habitus Fidei: & efficientiam contritionis præcedentis dispositivè ad infusionem Charitatis, & Gratiæ, ut ibidem latè vidimus. Per hæc non nego, quòd ubi adest cum Gratiâ habitus prudentiæ per se infusæ, hic quoque habitus simul cum illo speciali coëfficiat iudicium supernaturale credibilitatis.

Granada. Lugo.

78 Ex ijs ad obiectioem dico, eiusmodi iudicium supernaturale effici ab auxilijs actualibus, dum non adest prædictus habitus per se infusus; deinde à prædicto habitu speciali per se infuso scientifico: cui habitui non obstat, quòd illud iudicium per discursus etiam habeatur: sicut nec quòd eiusmodi iudicia repetita generent deinceps habitum acquisitum, ut de habitu, & actibus repetitis Fidei dicemus disp. 10.

Infrà disp. 10.



DISPUTATIO VII. DE PIA AFFECTIONE FIDEI.

AD iudicium credibilitatis sequitur pia affectio voluntatis: quæ est volitio deliberata credendi meritorie imperans assensum Fidei. De ea diximus aliqua in superioribus, præsertim disp. 2. sect. 6. & 7. Ab alijs, quæ supersunt, breviter nos expediemus.

Sup. disp. 2.

SE-

## SECTIO I.

An, & quatenus Pia voluntatis affectio  
prærequiratur ad assensum Fidei

*Augustin.* 2 **N**emo potest credere, si volens, ait  
sapienter Augustinus. Vnde di-  
cendum venit, quod post iudicium credi-  
bilitatis Mysteriorum, & utilitatis, ac obli-  
gationis credendi, debet præcedere ad as-  
sensum Fidei pium velie, seu pia affectio  
voluntatis imperans formalem Fidei assen-  
sum. Patet ab experientia ex humanis:  
nam pro libito præstamus, vel suspendi-  
mus assensum homini quidquam attestan-  
ti. Et ratio est: quia, cum Fides sit obscu-  
ra, non necessitatur ad illam ab eviden-  
tia veritatis, ut solet necessitari intelle-  
ctus in rebus omnino evidentibus: ideo-  
que proposito etiam motivo sufficienti ad  
assentiendum eget alio determinativo: ra-  
tione scilicet obscuritatis; ut dicimus in  
probabilibus, ratione incertitudinis. Atque  
hinc est, quod non ex necessitate; sed li-  
berè, ac meritoriè credimus: & non cre-  
dentes peccant, iuxta illud Christi, *Marc.*  
*ult.* Qui verò non crediderit, condemnabi-  
tur. Pendet ergo assensus Fidei, ut à suo  
determinativo, ab affectu libero volunta-  
tis, à quo denominatur voluntarius, liber,  
& meritorius, ut explicuimus *disp. 2. sect. 6.*  
Eiusmodi autem affectus liber est Pia  
affectio credendi. De qua *Cardin. Delu-*  
*go disp. 10.*

*Lugo.* 3 Pia igitur affectio non sonat purum  
imperium voluntatis quomodocumque,  
Sæpe enim imperamus nobis multa ex af-  
fectu non pio. Addit ergo, bonam animi  
dispositionem ad Fidei veritates, & ad ob-  
sequendum Deo volendo credere Deo, &  
Ecclesiæ super omnia, & usque ad sangui-  
nem. Necessitatem piæ affectionis ad Fi-  
dem ita certam censet *Cardenas disert.*  
*13. ad Propositionem 19. damnatam ab*  
*Innoc. 1. cap. 1. ut oppositum censet sal-*  
*tem improbabile.*

*Carden.* 4 Obijeat aliquis nobis, qui Fidem  
discursivam admittimus *disp. 2. sect. 2.* con-  
clusionem formalem, quæ simul sit Fides,  
cum iuxta communiorum Philosophiam  
inferatur necessariò ex præmissis ritè dis-  
positis, non egere piâ affectione: ergo non  
ad omnem Fidei assensum prærequiritur  
dicta pia affectio. Multa super hoc *P.*  
*Oxea disp. 1. sect. 1. bene notans num. 1.*

huic obiectioni respondere quoque debe-  
re obijcetes, & negantes Fidem discursi-  
vam. Sive enim sit, sive non sit discursiva  
assentimur esse verum, quod Deus revelat.  
Deumque revelare Trinitatem; simulque  
assentimur veritati Trinitatis. Quemad-  
modum ergo ad hunc Trinitatis assensum  
sive fiat per discursum formalem, sive non  
locum habet affectio pia, quamvis assen-  
tiatur veritati innegabili in consortio alia-  
rum duarum veritatum; sic suum etiam  
habet locum ad assensum Trinitatis habi-  
tum per discursum. Quid enim ad hoc of-  
ficat discursus?

5 Respondetur ergo, exinde solum  
probari, quod ad assensum illum ex præ-  
missis non requiritur nova pia affectio,  
sed sufficit pia affectio erga præmissas:  
quod tamen adhuc negat *Delugo*. Itaque  
non fit assensus ille conclusionis absque  
pia affectione præviâ imperante assensum  
præmissarum, & in illo liberrimè assen-  
sum conclusionis. Hinc negatur conse-  
quentia. Tunc enim, quamvis non sit li-  
bertas ad dissentendum conclusioni, con-  
iungendo hunc dissensum cum assensu  
præmissarum; est tamen ad dissentendum  
conclusioni, suspendendo assensum præmis-  
sarum: ad id autem non sic faciendum  
prodest affectio pia libera voluntatis  
utrumque id volens sive in se, sive unum  
in alio.

6 Obijeat secundò ex *Scoto* apud  
*Lumbier quest. 10. art. 1.* Dum intellectus,  
qui est potentia necessaria, habet habitum,  
aliaque comprincipia; & ex parte obiecti  
motivum sufficiens assentiendi, nihil aliud  
requirit, ut assentiatur: ergo non requiri-  
tur præterea pia affectio, seu volitio posi-  
tiva voluntatis; sed ad summum, quod vo-  
luntas non velit positivè suspendere as-  
sensum. Respondetur, antecedens non esse  
verum, quando motiva non sunt ita evi-  
dencia, ut per se non determinent intelle-  
ctum, & alia comprincipia ad assentiendum.  
Tunc enim, quamvis ex parte prin-  
cipiorum adsit virtus, & ex parte obiecti ad-  
sit motivum sufficiens ad assentiendum;  
non verò ad necessitandum, & per se de-  
terminandum intellectum; ideoque opus  
est determinativo libero voluntatis; &  
quidem positivo, ut rectè *Suarez disp. 6.*  
*sect. 6.* & fortius *Cardenas cap. 3.* Id denuò  
inferens ex damnatione *Innocentianæ Pro-*  
*positionis. 19.* Vnde negatur consequentia.

Cum

*Ripald.* Cum enim tunc intellectus potens sit etiã  
dissentire, aut saltem non assentire coram  
illis motivis non omnino facientibus evi-  
denciam, & ipse non sit formaliter liber,  
non feretur in assensum præ dissensu, seu  
non assensu, nisi per exercitium, & libitum  
voluntatis: nisi fortè, ut monet *Ripalda*  
*disp. 16. sect. 1.* aliunde fieret à Deo impo-  
tens dissentire, & non assentiri. Itaque du-  
plex habet munus evidentia obiecti erga  
intellectum: unum, præsentare clarè veri-  
tatem; aliud determinare intellectum ad  
assensum. Hoc autem secundum munus  
supplet affectio voluntatis, quando deest  
evidentia obiecti: ut evenit in probabili-  
bus defectu certitudinis, & in obiectis Fi-  
dei ratione obscuritatis.

7 Obijeat tertio. Ut credamus exi-  
stentiam Romæ; non requiritur pia affe-  
ctio; quamvis non sit, nisi moraliter evi-  
dens: at moralis evidentia non deest My-  
sterijs Fidei. Item: nec requiritur pia vo-  
luntatis affectio ad assensum credibilitatis  
Mysteriorum: ergo neque ad assensum ver-  
itatis. Nam per signa, seu motiva credi-  
bilitatis etiam fit moraliter evidens, Deum  
revelasse Mysteria; atque adeò esse vera.  
Respondetur, inter morales evidencias da-  
ri magis, & minus ex varijs circumstan-  
tijijs moralibus. Dato enim quod sit mora-  
liter evidens, quod contestantur centum  
testes oculati; est magis evidens morali-  
ter, cæteris paribus, quod contestarentur  
mille. Itaque concedi potest id, quod di-  
citur de existentia Romæ; & negatur con-  
sequentia in Mysterijs Fidei. Quavis enim  
utrumque sit moraliter evidens, contra  
existentiam Romæ nullæ occurrunt diffi-  
cultates retrahentes ab assensu; sicut oc-  
currunt multæ, & arduæ circa Mysteria Fi-  
dei: ideoque ad hæc credenda super omnia  
opus est affectione pia voluntatis: sicut  
opus etiam esset ad credendam existen-  
tiam Romæ, si circa illam similes difficul-  
tates occurrerent: præsertim si credenda  
esset super omnia. Quoad alteram obie-  
ctionis partem concedimus id, quod dici-  
tur de iudicio credibilitatis; & negamus  
consequentiam. Nam, ut vidimus *disp.*  
*præc.* credibilitas Mysteriorum est plus-  
quam moraliter evidens, sicut etiam cre-  
dibilitas existentia Romæ. Sicque non  
valet consequentia ab evidentia credibili-  
tatis ad evidentiam veritatis Mysteriorum.  
Vnde est, quod ad iudiciū credibilitatis non

requiratur affectio pia, sicut ad assensum  
veritatis Mysteriorum.

8 Obijeat tandem. Posito iudicio  
de credibilitate Mysteriorum, & de obli-  
gatione credendi tenemur credere, nec  
possumus discredere Mysteria: ergo eo  
ipso determinamur, & necessitatur ad  
credendum, non ulterius requisita pro de-  
terminativo piâ affectione voluntatis. Res-  
pondetur, fieri transitum immanem à ne-  
cessitate, & determinatione iuris ad ne-  
cessitatem, & determinationem facti, de  
qua loquimur. Facto possumus quod iure  
non possumus, scilicet mentiri, & peiera-  
re. De iuris necessitate, & determinatio-  
ne intelligendum est antecedens: in eo  
enim sensu id possumus, quod iure possumus:  
& non possumus in eo casu discredere,  
quia id licitè non possumus: absolutissimè  
tamen possumus, sicut & peccare contra  
ius, & fas. Vnde consequentia nulla est.

## SECTIO II.

An Pia Fidei affectio debeat esse entitati-  
vè supernaturalis: & à quo prin-  
cipio efficiatur?

9 **Q**uid posset in hoc puncto dici, lo-  
quendo ex nativis rerum, vidimus  
in genere *disp. 6. de Grat. sect. 6.* & 7: *To. de Gra-*  
ubi diximus quod posset actus supernatu- *tia disp. 6.*  
ralis fieri ex imperio naturali: præsen-  
tibus alioquin alijs comprincipijs superna-  
turalibus ad illum. Verumtamen si sic im-  
peraretur assensus Fidei, non esset Theo-  
logicè meritorius, ut animadvertimus ibi-  
dem *num. 10.* quia dicitur meritorius ab  
imperio meritorio voluntatis, & in eo ca-  
su tale imperium, utpotè naturale, non  
posset esse Theologicè meritorium.

10 Loquimur autem iuxta præsen-  
tem Dei legem: & dicimus, Piam Fidei  
affectioem debere esse entitativè super-  
naturalem. Sic Authores cit. *disp. præc.* *Supr. disp.*  
*sect. 6.* pro supernaturalitate iudicij credi- *6. sect. 6.*  
bilitatis: quibus ex ibi negantibus addo  
*Coninc.* & Amicum cum *Suarez.* Ratio  
pro hac conclusione procedit à fortiori ex  
ibi dictis pro supernaturalitate iudicij  
credibilitatis. Præsertim cum Pia Fidei  
affectio sit formaliter meritoria, ideoque  
denominet assensum Fidei Theologicè  
meritorium. Non autem esset Theologi-  
cè meritoria, atque adeò nec apta deno-

Ooo

mi-

minare assensum Fidei meritorium, si non esset entitativè supernaturalis ex dictis

To. de Gratia. disp. 24. Arausic.

11 Accedit auctoritas Arausicani 2. Can. 5. definentis: Si quis, sicut augmen- tum, ita etiam initium Fidei ipsum credu- litatis affectum non per gratia donum, id est per inspirationem Spiritus Sancti, volun- tatem nostram ab infidelitate ad Fidem, ab impietate ad pietatem, & naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus contrarius approbatur. Vnde Tridentinum Sess. 6. cap. 6. ubi ait: Disponuntur ad ipsam institiam, dum excitati divina gratia libe- re moventur in Deum: credentes, &c. En quomodo Pia Fidei affectio, quam credu- litatis affectum vocat Arausicannum; & Tridentinum Liberum motum ad creden- dum, non fit viribus naturæ; sed per gra- tiæ donum, & ex inspiratione Spiritus San- cti: & ut loquitur Tridentinum, ex divina gratia excitante. Porro si ex prædictis mo- dis loquendi non satis arguitur superna- turalitas entitativa piæ affectionis Fidei; nullum superest ex Concilijs, ac SS. Pa- tribus argumentum ad ullius actus nostri supernaturalitatem.

Trident.

12 Hinc vide, quàm immeritò dixe- rit Gasp. Hurtadus, nullum apparere fun- damentum dictæ supernaturalitatis: cum sanè ex Concilijs, & ex principijs Theo- logicis, unde inferimus actuum superna- turalitatem, videndis apud Ripaldam disp. 14. taliter id deducatur pro Pia Fidei af- fectione, ut iure dixerit Ripalda num. 69. nemini iam esse fas, recedere à nostra sententia. Id quod ex S. Thom. ex Decre- to Innocentiano in damnatione proposi- tionis 19. firmat Carden. cap. 1. videndus etiam cap. 2.

Hurtad.

Ripald.

Carden.

13 Dices. Voluntas potest se ipsam movere affectu aliquo prævio naturali ad eliciendum actum suum contritionis su- pernaturalis: ergo & affectione piâ natu- rali potest movere intellectum ad elicien- dum actum supernaturalem Fidei. Om- ninò negat antecedens P. Oxea disp. 11. sect. 5. Nos ex dictis contra ipsum disp. 6. de Grat. à sect. 5. illud concedimus loquen- do ex natura rei, dummodò aliàs voluntas sit instructa comprincipio supernaturali ad actum contritionis: & negamus iuxta præsentem Dei legem. Eodemque modo distinguimus, & concedimus, aut nega- mus consequentiam, ut iam præmonuimus num. 9.

To. de Gra- tia disp. 6.

14 Quod posset objici ex eo quòd Fi- des dicatur initium salutis, & iustifica- tionis: cum tamen si affectio pia est super- naturalis ab ipsa prius sumendum esset initium; repulsum iam est pro supernatu- ralitate iudicij credibilitatis disp. præc. sect. 6.

14 Quod posset objici ex eo quòd Fi- des dicatur initium salutis, & iustifica- tionis: cum tamen si affectio pia est super- naturalis ab ipsa prius sumendum esset initium; repulsum iam est pro supernatu- ralitate iudicij credibilitatis disp. præc. sect. 6.

Supr. disp. 6. sect. 6.

SECTIO III.

A quo principio efficiatur Pia Fidei affe- ctio: & per quid destruaturs habi- tus infusus ipsius?

15 C Onsequenter ad dicta loc. nuper cit. circa iudicium credibilita- tis, dicendum nobis est, actus piæ affectio- nis ad credendum factos antecedenter ad infusionem habitus Fidei effici per actua- lia gratiæ auxilia. Postmodum verò actus piæ affectionis facti deinceps ab homine iam fideli subsequenter ad infusionem ha- bitus Fidei efficiuntur etiam ab habitu per se infuso speciali, destinato ad eliciendos eiusmodi affectus pios credendi: habentes scilicet pro suo obiecto honestatem, quæ relucet in obsequio auctoritati divinæ ex- hibito per assensus Fidei, quos, vult, & im- perat affectio pia credendi. Quòd si actus piæ affectionis repetantur, generatur etiam habitus acquisitus eiusdem virtutis: qui in alios subsequutos etiã infuat, ut de alijs virtutibus in genere diximus disp. de Grat.

To. de Gra- tia.

16 Cum hoc stat, quod rectè notat Oxea num. 16. eundem piæ affectionis actum posse quandoque moveri ab hone- state motivorum aliarum virtutum. v. gr. Charitatis, Religionis, obedientiæ, & si- milium: quarum utique habitus in eo ca- su coefferunt etiam actum piæ affectio- nis. Plura Ripalda disp. 16.

Oxea.

Ripald.

17 Circa destructionem habitus per se infusi piæ affectionis, nihil est quòd ad- dam ad ea, quæ dixi cum sententia com- muniore disp. de Grat. scilicet non destrui, sicut destruantur alij habitus per se infusi aliarum virtutum, demptis Fide, ac Spe, per quodlibet peccatum, quo ex- pellitur Gratia habitualis; sed manere in peccatore, donec per peccatum infidelita- tis expellitur habitus Fidei.

To. de Gra- tia.

18 Dixi: Per se infusi. Nam habitus acquisitus, si forte aderat, qui, ut reor, su- pernaturalis non est, manere potest de- stru-

tracto per se infuso: ut vidimus ibi- dem.

SECTIO IV.

An pia Fidei affectio possit extrinsecè vi- tiari ab imperio vitioso; vel à Dei prohibitione?

Oxea. Aranda.

Lumbier.

Lugo. Ripald.

To. de Gra- tia disp. 24.


19 N egant P. Oxea latè disp. 11. sect. 7. Latissimè P. Aranda nuper in 1. 2. lib. 9. à num. 12. & cum limitatio- ne ad præsentem Dei legem Mag. Lum- bier, quest. 10. art. 6. Affirmant absolutè Card. Delugo disp. 10. sect. 5. & Ripalda disp. 50. de Ent. supern.

20 Nos cõsequenter ad dicta disp. 24. de Grat. in genere de quolibet actu meritorio, persistimus in sententia negan-

te, quæ communior, longèquè solidior est cum Suarez, Vazquez, Ant. Perez, & alijs ibi citatis. Quia, quamvis affectio hæc pia posset haberi, ex fine extrinsecò vitio- so, & malo per imperium pravum, non proinde ipsa vitiat, nec est mala, sed malè imperata; sicut Deus non fit malus, sed malè amatus, si quis eum amore pra- vo diligeret. Et quamvis prohiberi posset à Deo, nullatenus tamen vitari, ut ibi ap- tètè distinximus ex Ant. Perez.

Suarez. Vazquez. Perez.

21 Sic enervantur argumenta Ripal- dæ: quæ tamen impensius proponit, ac diluit Oxea cit. Nihil occurrit specialiter pro invitiabilitate piæ affectionis, quod pro invitiabilitate cuiuscumque actus su- pernaturalis, non sit satis, superque attra- ctum in genere loc. cit.



DISPUTATIO VIII.

DE RESOLUTIONE FIDEI.

TANTÆ molis est punctum de Resolutione Fidei, ut ne- cesse nobis fuerit, multas Disputationes præmittere, ad resolutionem nostram super illud capeffendam. Est enim negotium magni momenti in præsentem Tractatu, & viro Theologo valdè dignum pro Controversijs cum Infidelibus circa veritatem Catholicæ nostræ Religionis.

SECTIO I.

Difficultatis pondus & status cum ratione dubitandi?

2 C VM auctoritas Dei attestantis, seu revelantis sit motivum, & obie- ctum formale Fidei, ut multis explicui- mus disp. 4. rogatus Fidelis, cur credat difficillimum Trinitatis, aut Incarnationis. Mysterium; respondet illicò: quia Deus summè verax revelavit. Cum autem non sit per se notum, sed aliqua ratione fundan- dum; Deum summè veracem id revelasse; rogatus deinde, cur assentiatur, Deum esse summè veracem, & id revelasse: quid res- pondebit, aut in quo tandem rationabili-

Sup. disp. 4

ter resolvet suum dictum, & suam Fidem, rationemque credendi?

3 Si enim respondeat, se veracitatem Dei evidenter nosse, revelationem verò opinari probabilissimè ex multis conie- cturis; est resolvere Fidem in coniecturas probabiles, illamque relinquere exposi- tam formidini: atque adeò relinquere in- credulis excusationem de peccato suæ in- credulitatis. Quod vidimus disp. 6. sect. 1. & 4. non posse dici: præsertim post Decretum Innocentianum contra Propo- sitionem 21. de quo Cardenas dissert. 14.

Sup. disp. 6

Innoc. XI.

4 Si respondeat, se utrumque id evi- denter scire, Fides erit evidens, & non obscura, ut arguebamus disp. 6. sect. 2. Nam supposita notitia evidenti de eo quòd Deus est summè verax, si accedit per evi-

dentia de eo quòd revelavit Trinitatem, evidens fieret omnino, Trinitatem esse veram: cum qua evidèntia in attestante non staret obsecratur requisita in nobis ad Fidem, ut vidimus *disp. 1. sect. 2. & 3.*

*Sup. disp. 1*

5 Si respondeat, se utrumque id credere per ipsam Fidem, iterum debet dare pro ratione huius Fidei, quòd Deus summè verax utrumque id revelavit: iterumque redibit interrogatio eadem, iterumque responsio circulariter in infinitum non sine risu infidelium exprobrantium Catholicorum credulitatem, & religionem Fidei suæ rationem non reddentem.

6 Si respondeat, se naturali evidèntia scire. Deum esse summè veracem: quòd autem revelaverit Trinitatem, credere ex Scripturis; hoc est resolvere rationem suæ Fidei, partim in notitiam naturalem divinæ veracitatis, minùs certam formaliter, ac dicitur nostra Fides, utpote metaphysicè certa, & certior omni evidèntia naturali, ut vidimus *disp. 1. sect. 5.* partim verò in auctoritatem Sacræ Scripturæ. Hanc autem esse verbum Dei, negabit Paganus; & nos non aliunde eius auctoritatem credimus, nisi ex ipsa Fide. Sicque iterum rogatur Catholicus de ratione huius suæ Fidei: cur sic credat has Scripturas esse verbum Dei, & à Deo revelatum, quidquid in illis continetur: & redit circulus, dum alia sufficiens ratio non exhibetur infideli.

7 Si respondeat, se summam Dei veracitatem, Mysterij Trinitatis revelationem, & infallibilem Sacræ Scripturæ tanquam verbi Dei auctoritatem, nosse ex auctoritate Ecclesiæ Catholicæ veritatis Magistræ, & columnæ id docentis, & attestantis; urget infidelis. Vel enim id novimus ex auctoritate humana Ecclesiæ, prout exterius est congregatio gravissima multorum hominum sapientium, & prudentium; vel ex auctoritate divina Ecclesiæ, prout in eiusmodi attestazione habet interiùs assistentiam Spiritus Sancti; Si primum: est resolvere rationem Fidei, quam infallibilem prædicamus, in auctoritatem creatam humanam secundum se fallibilem: fitque Fides potiùs humana, quam divina, & Theologica: cui similem auctoritatem multorum, etiam pro suis doctrinis, se etiam habere iactabit infidelis. Si secundum, urget nos: unde nobis persuadeamus assistentiam illam invisibi-

lem Spiritus Sancti pro divina auctoritate Ecclesiæ, Magistræ, & columnæ veritatis? Si dicimus, ex auctoritate Dei id revelantis, redit ipsissima difficultas præcedentium interrogationum, idemque responsionum circulus, insultante infideli, quòd in id tandem resolvamus rationem Fidei nostræ, quòd Ecclesia ipsa de se testimonium perhibet sibi arrogans magisterium infallibilis veritatis ex assistentia interiori Spiritus Sancti: idque nobis proponit credendum, quia Deus dicit, & Deum id dicere, quia dicit, Deum dicere. At unde constat, hoc ipsum dici verè ab Ecclesia? Certè tam inevidens nobis est, Ecclesiam in hoc ipso quod dicit, dici à Deo, dicere verum, & ex assistentia Spiritus Sancti, ac est inevidens tale Mysterium dici à Deo, & esse verum. Quòd si id nobis aliunde persuadeamus, quam ex auctoritate, & revelatione Dei; ergo resolvimus Fidem nostram in motivum ali-quod infra auctoritatem, & revelationem Dei; ac proinde in motivum minùs firmum, quam debeat esse Fides nostra divina, & Theologica: reditque difficultas intricata, quòdnam istud motivum sit?

8 Si respondeat, confugiens ad miracula patrata à Deo in confirmationem veritatum Ecclesiæ revelatarum; per quæ tam de Mysterijs, quam de ipsorum revelatione dicimur certificari; quid, quæso, respondebunt de sua Fide multi è populo, multique neophiti apud Indos, qui nullam, aut vix ullam miraculorum notitiam habuerunt? Erunt ne excusandi à credendo multi alioquin satis instructi, donec ipsis miracula proponantur? Aut fortè corrigenda praxis Catechistarum, qui de miraculis non instruunt catechumenos? Et ut ad alios communiùs veniamus, plerique miracula non viderunt, sed ex auditu didicerunt. Vel ergo ea credunt propter auctoritatem hominum contestantium; vel propter divinam in Scripturis Sacris expressam? Si primum, est resolvere iterum Fidem in auctoritatem humanam minime infallibilem. Si secundum, redeunt in interrogationes supra factæ circa Scripturas, & circa Dei auctoritatem, ac revelationem huc illuc circumeundo, & respondendo idem per idem, aut per æquè, & fortè magis difficile. Præterea, miracula vel sumuntur entitativè secundum se, vel prout sunt attestaciones, seu quasi subscriptiones.

tionem divinæ in confirmationem Catholicæ veritatis. Si primam, nihil per se attestatur: sicque nequeunt esse motivum, & ratio credendi. Si secundam, hæc ipsa institutio miraculorum à Deo in attestacionem suarum veritatum, cum non sit per se nota, debet aliqua ratione persuaderi. Unde ergo? Si dicatur, ex Scripturis, aut ex alijs Dei revelationibus, reditur ad interrogationes supra factas circa has ipsas Scripturas, & revelationes, & circa earum infallibilitatem. Si dicatur aliunde, est resolvere rationem Fidei nostræ in motivum infra Dei Auctoritatem, & revelationem: & queritur, quòdnam istud sit. Similiterque urgebimur, si confugiamus ad Martyria. Quid ergo dicendum pro ultima, & indeclinabili resolutione nostræ Fidei?

## SECTIO II.

### Aliquorum tentatæ Solutiones.

9 Compulit aliquos hæc vis, ut fortè propterea dixerint, Fidem nostram assentiri revelatis à Deo, absque ullo motivo obiectivo credendi: atque adeò frustra queri pro Fidei resolutione rationem obiectivam credendi; cum ratio credendi aliunde petenda sit, scilicet quia Deus præcipit, ut credamus. Hanc verò sententiam, cuicumque tribuatur, retulimus, & repulimus *disp. 4. sect. 1.* Eam fufius impugnat Ripalda *disp. 2. sect. 1. 3. & 4.* censens *num. 22.* ijs temporibus sine temeritate defendi non posse. Quia Fidem nostram, undecumque venerandam, contemptui exponit, quasi rationibus careat, quæ dignissimè possint exhiberi: sicut propterea contemnitur Mahometismus superstitionis suæ rationem non reddens. Nihilominus prædictam sententiam benigniùs excipit Ant. Perez *disp. 2. num. 18.* Et fortè reduci posset ad modum aliquem resolvendi Fidem affectivè, prout exponemus *sect. seq.* Ad solutionem tamen propositæ difficultatis non sufficere, certum apud me est.

*Sup. disp. 4  
Ripald.*

*Perez.*

10 Compulit alios, ut dixerint, ultimam Fidei nostræ resolutionem sistere in lumine interno, & motione speciali Spiritus Sancti: taliter, ut interrogatus Fidelis, cur credat, Ecclesiæ attestacionem esse infallibilem ex assistentia Spiritus Sancti,

respondere debeat, se id credere, quia movetur interiùs lumine speciali divini Spiritus assensuum suum operantis. Sic ex Aragonio refert Oxea *disp. 3. num. 47.* & ferè ex Granado Perez *cap. 3. num. 17.*

*Aragon.  
Oxea.  
Perez.*

11 Hoc quidem, si diceretur specialissimè de Prophetis, & de paucis alijs, qui immediatè acceperunt, & senserunt divinas revelationes, cum extraordinarijs illustrationibus de earum divinitate, & veritate, satisfacere posset. Dicitum tamen generaliter de omnibus credentibus pro ratione suæ Fidei, cui acquiescant Adversarij, est insufficient. Est illis obrudere Mysterium aliud difficilius. Est illis ansam dare, ut simile quid nobis obrudant, se scilicet lumine interno duci contra nostram Fidem. Est, ut minimum, confugere ad discernicula vix, ut ego mihi existimare videor, verosimilia, quæ explicuimus, & reiecit *disp. 5. sect. 9.* ubi iam notavimus, cavendum nobis esse, pro resolutione Catholicæ nostræ Fidei assumere Doctrinam derelictam à maiori parte Theologorum Catholicorum. Estque tandem adversus experientiam, & rationem.

*Sup. disp. 5*

12 Etenim, ut resumam, quæ latius dicta sunt *disp. 5. sect. 9.* contra varia variorum discernicula recens adinventata; si rudium, & puerorum Parochus sive ex inficitia, sive ex dolo inter veritates à Deo revelatas æquè proponat Incarnationem Spiritus Sancti, Verbum esse animam Christi; profectò puer, & idiota æquè sibi persuaderent, has doctrinas sicut alias de Trinitate Personarum, & de Verbi Incarnatione esse à Deo revelatas, neutras, aut utrasque existimans esse veras. Dicere namque, quòd Puer, & idiota statim, interno lumine discerneret apud se, quænam illarum sint reipsa revelata, ut possit rationem reddere Fidei suæ, cur alias illarum Fide divinam credat, & alias non sic, est mihi difficillimum, nec satis mihi videtur recedens à doctrina Spiritus privati, quo se duci iactant Hæretici in dogmatibus falsæ suæ religionis: ergo in prædictum lumen internum nequit aptè resolvì ratio nostræ Fidei solidissimæ.

13 Similiterque reijcitur, qui hoc resolveret in affectum internum, qui sit inspiratio, & motus Spiritus Sancti. Quavis enim fatendum nobis sit, ad sic credenda vera, verequè revelata adesse intus

int.



inspirationem Spiritus Sancti, quæ adesse nequit ad sic credenda falsa, aut nondum revelata, sicut credi tunc vera, verequæ revelata Theologicâ Fide; non verò alia; hoc tamen non est apta ratio ad respondendum Pagano urgenti, & cum risu expecturo internum istud discrimen: quod, quamvis illud reipsa habeat, idiota vel puer in eo casu, discernere satis nequit, an Spiritus Sancti sit; ut videtur plusquâ certum, nisi idiotis, ac pueris etiam velimus tribuere gratiam discretionis Spirituum, & revelationum verarum ab apparentibus. Ergo nequit in id resolvi ratio nostræ Fidei, nè oppugnationum contemptui, & ludibrio exponatur. Placeret eiusmodi commenta Barono Scoto, & alijs huius furfuris, ut Pontificios liberius exagitarerent apud Elizalde *quæst.* 43.

Elizald.  
Perez.

Sup. disp. 5

14 Ant. Perez *cap.* 2. iuxta ea quæ ex ipso retulimus pro discerniculo experimentalis suo *disp.* 5. *sect.* 9. resolvit Fidem in hæc duo principia. Vnum, quod Author loquutionis moraliter divinæ est Deus: & hoc vocat *primum creditum*: eo quod ante omnia credi debeat divinitas loquentis, quæ est ratio credendi reliqua. Alterum est quod loquutio, quâ cuilibet credituro ante assensum Fidei manifestantur mysteria; est loquutio moraliter divina: & hoc vocat, *primum scitum*, & inducivum credendi: quatenus scilicet ex circumstantijs talis loquutionis, sive immediatè factæ ad Prophetas, sive mediatè nobis ministerio Ecclesiæ, sibi persuadet intellectus plusquam probabiliter, auctorem talis loquutionis esse Deum, id alicui attestatum: unde resultat obligatio credendi.

15 Atque hinc, ait, interrogatus Fidelis, cur credat Trinitatem, respondebit, propter Dei loquentis auctoritatem: quæ est ratio formalis credendi: Interrogatus, unde credat Deum loquutum esse Trinitatem; respondebit, quia Author loquutionis, prout sibi propositæ, & à se audiræ de Trinitate, non potest esse nisi Deus. Interrogatus, quare hoc sic credat; respondebit, quia loquutio de Trinitate à se audita est moraliter divina, & ex circumstantijs præferens, eius Authorem esse Deum obligantem id credere sine formidine. Interrogatus: cur credat, auctorem talis loquutionis moraliter divinæ esse non posse nisi Deum; respondebit se id sic cre-

dere, quia vult. At, cur sic velit? Quia, inquit, sentit se obligatum ad id volendum. At unde sentit eiusmodi obligationem? Et quare illam credit? Et doctrinam denique de Trinitate esse moraliter divinam? Respondebit, se neutrum horum credere, sed evidenter cognoscere ante Fidei assensum. Huc reducit ultimam Fidei resolutionem: & re ipsa ad discerniculum, quod ex Haunoldo rejecimus *loc. cit. à num.* 113. ex cuius discerniculi impugnatione corrumpitur modus iste resolvendi Fidem novis, ac plane incredibilibus mysterijs plenus.

16 Eum multis insequuntur Comptonus, & Arriaga *disp.* 1. *sect.* 3. ex eo præsertim capite, quod aut multum habet falsi; aut quod habet fortè veri conforme in re sententiæ communiore, novarum vocum caligine obtenebrat. Eum etiam deserit Mag. Lumbier *quæst.* 11. *num.* 646. & in Appendice de Resolutione Fidei *q.* 19. *art.* 2. ex eo præsertim quod retigimus *num.* 12. & alibi sæpè. Quia, Parocho pariter proponente rudibus, uti à Deo æquè revelatam, Mariæ Virginitatem, & immunitatem ab Originali, non est unde rudes auditores dignoscere apud se valeant, aut debeant, eam Parochi loquutionem de Virginitate esse moraliter divinam, potiusquam de immunitate, nisi mysteria mysterijs, obvolvendo recurratur ad lumen, seu motum internum clarè reiectum *num.* 12. & 13. vel ad discerniculum experimentale Antonij Perez fusius à nobis impugnatum *disp.* 5. *sect.* 9. ubi idem iudicandum vidimus de alijs aliorum discerniculis: propterea minus aptis ad rationem resolutionis Fidei.

Compton.  
Arriaga.

Lumb.

17 Ex illis duobus principijs Antonij Perez, secundum, quod nempe Dei loquentis auctoritas sit *primum creditum*, admittimus, prout id ex Suarez exposuimus *disp.* 3. *sect.* 3. est tamen insufficientis ratio resolvendæ Fidei, nisi aliquid accedat pro eo quod Deus iste tantæ auctoritatis nobis attestetur quod credimus. Primum autem, quod loquutio, quâ cuilibet credituro manifestantur Mysteria ante assensum Fidei, est loquutio moraliter divina, indiget explicatione, quæ non recurat ad discerniculum illud internum indiscernibile à maiori numero credentium, & nobis ex supradictis inverisimile.

Suarez.

Emi.

### SECTIO III.

*Solutio difficultatis, & resolutio Fidei, triplici conclusione distinctim exposita.*

21 **T**Ria maximè distinguenda sunt in negotio Fidei. Primum est iudicium credibilitatis, quo crediturus, antequam velit credere, sibi persuadet, id quod sibi Fide credendum super omnia proponitur ut à Deo revelatum, esse sic evidenter credibile, & obligatorium, taliter ut de hoc in talibus circumstantijs nequeat prudenter dabitari: de quo iudicio differuimus *disp.* 6. Secundum est, pia affectio voluntatis, quæ, ut vidi nus *disp.* 7. 6. & 7. est volitio libera credendi, & captivandi intrepidè intellectum in obsequium Primæ Veritatis, propter cuius summam auctoritatem, & infallibilem attestationem, id credendum proponitur. Tertium est, actus ipse credendi, sive assensus intellectualis Fidei, à pia affectione per iudicium credibilitatis regulatâ imperatus, & motivo divinæ auctoritatis attestantis subnixus.

22 Primum illud est actus intellectus prævius ad assensum Fidei; nondum tamen est actus Fidei; sed vel prudentiæ, vel alterius virtutis intellectualis; habetque suum obiectum materiale, quod iudicat esse credibile, hoc est, prudenter posse, ac debere credi; habetque suum obiectum formale, quod est motivum, & ratio formalis id sic iudicandi, coalescens ex multis signis, & circumstantijs sufficientibus, & moventibus ad sic iudicandum. Secundum est, actus voluntatis, habens etiam obiectum suum materiale, quod est assensus Fidei per illum volitus; suumque formale, quod est motivum id sic volendi: scilicet vel honestas relucens in tali assensu captivante intellectum in obsequium Dei loquentis; vel honestas obedientiæ Deo præcipienti talem assensum; vel honestas alterius virtutis, quæ potest occurrere, & movere ad id piè volendum. Tertium est, actus intellectus, nempe actualis creditio, & assensus Fidei, habens pro obiecto suo materiali Mysterium creditum, & pro formali motivo, & pro ratione sic assentiendi, summam Dei auctoritatem, & revelationem. Ob oculos id omne habendum est, ne in Quæstione de Resolutione Fidei hæc tria, eorumque obiecta confundantur; neque, facto sensum transitu

ab

ab uno ad aliud pro resolutione assensus formalis Fidei, laboremus in resolutione, motivo, & ratione formali iudicij creditibilitatis, aut piæ affectionis.

23 Distingnendum etiam præmaximè venit, aliud esse, querere resolutionem Fidei pro munere credendi communi omni credituro; aliud pro munere Scholastico competente Theologo disputaturo in controversijs, cum infidelibus præsertim literatis, certatim disquirentibus rationem ulteriorem nostræ Fidei, & Religionis. Ad hoc posterius porius quam ad illud prius spectare videntur molestæ illæ, & undecumque subortæ interrogationes sectionis primæ, quibus nos in circulum vitiosum conijcere student infideles arguti, ut Catholicos confundant. Ijs respondere, sicut nec de Fide disputare, non pertinet ad omnes credentes: quibus utique exprobrandum non est, imò consulendum, quòd hæreant in credendo Mysteria, quia Deus ea Ecclesiæ suæ revelavit, sicque resolvant Fidem, quin procedant ad ulteriora maioris indaginis. Pertinet tamen ad Theologos, qui Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ Doctorum exemplo in controversijs Fidei, ac Religionis nostræ, ne quasi destituti rationibus, & non nisi temerè credentes, improperemur, huic studio laudabiliter incumbunt: ut Ecclesia Dei, Doctrinâ, & Sanguine Christi fundata supra firmam Petram, non solum Martyrum Sanguine, sed sapientum etiam Doctorum sudore, scripto, verbo fulcita triumphet, & adversus portas inferi prævalere pergat. Aliud insuper est, querere resolutionem Fidei pro munere affectivo, per rationem scilicet volendi credere: quod est querere motivum piæ affectionis, quæ actus liber voluntatis est. His sic distinctim animadversis triplici conclusione rem conficio.

24 Prima conclusio. Fides nostra exercitè creditivè resolvitur ultimò intrinsecè, & formaliter in summam Dei attestantis, seu revelantis autoritatem. In hoc sensu intelligo communem iam sententiam ex P. Suarez apud Oxæam *disp. 7. num. 104.* & apud Lumbier *num. 100. & in Append. quest. 19.* Ratio est. Nam actus sive intellectus, sive voluntatis, cum præ simplicitate sua expertes sint compositionis essentialis, resolvitur in sua obiecta, & ultimò, ac formaliter in forma-

lia, per quamdam analogiam ad res compositas, quæ resolvuntur in partes, ex quibus constituantur. Cum autem obiectum formale, & ratio motiva Fidei Theologicæ, sint Dei autoritas, & revelatio, ut latè vidimus *disp. 4.* in id formaliter, & ultimò resolvitur Fidem creditivè dicendum est: utpote credens à Deo revelata; quia à Deo revelata, & hic sistens, nec ultra credendo progrediens: quamvis Fidelis alioquin ulterius ratiocinando progrediatur.

25 Præterea. Quidquid est infra Dei autoritatem, & revelationem, sicut est insufficientis ad motivum, & obiectum formale Fidei; ita & ad Fidei resolutionem creditivè procedendo: esset enim resoluti Fidem Theologicam in motivum iam non Theologicum, & divinum; & intellectum captivare non tam Deo attestanti, quam alicui testificativo, seu propositivo infra Deum. Eadem ergo ratione, quæ Dei autoritas, & revelatio sunt motivum, & obiectum formale Fidei, utpote credentis, quia Deus revelavit, sunt etiam ultima Fidei resolutio exercitè, & creditivè. Sic enim sistit ibi ultimatè Fides, ut credendo non ulterius progrediatur: quavis Fidelis alioquin doctus, & ingeniosus procedat ulterius disputando, & ratiocinando super ijs.

26 Nec contra conclusionem istam, eiusque rationem est, quòd hæc eadem Dei autoritas, & revelatio debeat præviè proponi intellectui credituro, ut propter illas veritati Mysteriorum, ipsarumque existentia assentiat. Hoc enim non est resoluti Fidem exercitè creditivè in illas prævias propositiones; sicut neque in imperium, piæ affectionem voluntatis, nec in auxilia ad illam, quamvis hæc etiam præviè requirantur: quia nempe Fides Mysterij non se exercet circa eiusmodi imperium, & auxilia: cum nec id credat tunc assensus Mysterij, nec id attingat ex parte sui obiecti, quamvis id requirat ex parte sui principij effectivi. Sic, quamvis poliantur ab Artifice, & alia materialia varijs medijs præparentur ad ædificium; hoc quidem dicitur resolvitur in lapides, ligna, & alia materialia, ex quibus constituitur; non verò in illas alias præparationes materialium, quæ, quamvis prærequirantur, non ingrediuntur compositionem ædificij. Sic etiam, quamvis, ut obediamus præcepto Superioris, debeat præ-

Sup. disp. 4

Sup. disp. 7

præceptum nobis notificari per litteras, sigillum, tabellariū, aliosve Ministros in id subordinatos, & per longam seriem aliorum mediatorum, per quæ nobis persuademus, id præcipi à Superiore; certè tamen taliter obedimus propter autoritatem præceptivam Superioris, ut obsequium obedientiæ nostræ in eam resolvatur, ibique sistat, nec obeditivè ulterius procedat; quamvis examinativè, & disputativè possimus ultra, & ultra procedere, & inquirere circa seriem illam mediatorum, per quæ novimus Superioris præceptum, & motivum obedientiæ nostræ: in illud propterea, & non in alia prærequiritæ exercitè obeditivè resolvendæ. Sic ergo discurrere liceat circa Fidem.

27 Secunda conclusio. Fides affectivè sumpta, prout dicit piæ affectionem liberam credendi, resolvitur in motivum ipsius affectionis, seu honestæ volitionis credendi. Hoc motivum, ut iam notavi *disp. præced. sect. 3.* potest esse, vel honestas, quæ relucet in ipso actu sic assentiendi attestanti divinæ sufficienter propositæ; vel quæ relucet in obediendo Deo præcipienti talem assensum; vel quæ relucet in alijs motivis honestis, quæ habere potest homo liberè volens credere. Iuxta secundam istam nostram conclusionem intelligo, & partim approbo id, quod in expositione suæ resolutionis respondet Anton. Perez ad interrogationem: *Cur sic velis?* Quoad hoc etiam verum fortè tenere posset resolutio aliorum exposita *num. 9.*

28 Sic enim interroganti rationem, cur credimus, rectè responderemus, quia volumus credere: & nos id velle, quia honestum est, credere Deo attestanti, & obedire Deo præcipienti, ut credamus in ijs circumstantijs; in quibus non nisi temere dubitarem de divina Mysterij attestazione. Nam, cum illa piæ affectionis volitio sit actus honestus voluntatis, resolvitur in rationem rectè volendi, quæ est honestas obiectiva rei volitæ; & non in propositionem intellectivam talis honestatis, utpote non volitam, quantumvis prærequiritam ad volendum: sicut actus perfectæ dilectionis Dei in bonitatem Dei, & non in eius præognitionem: quam utique non attingit affectivè dilectio Dei.

29 Tertia conclusio. Fides disputativè, & examinativè procedendo pro reddenda in controversijs ratione ultimâ Ca-

tholicæ nostræ Religionis in hac Fide sumpta, resolvitur in motiva, & signa creditibilitatis exposita summam *disp. 6. sect. 5.* *Sup. disp. 8* quibus utique aut omnibus, aut eorum aliquibus respectivè ad captum credentiam innititur iudicium prudens, ac evidens creditibilitatis, quomodocumque esformandum à quolibet credente ante assensum Fidei; ut vidimus ibidem *sect. 3.* In hoc enim sensu disputativo inquirere resolutionem Fidei, est, inquirere signa, & motiva, quibus nobis prudenter, & indubitanter persuademus, Deum revelasse id quod credimus; atque aded est resolvere Fidem pro controversijs cum infidelibus; non à quolibet credente, sed à sapientibus Catholicis, ineundis, & sustinendis, in motiva prædicti iudicij prudentis, & evidentis, per quæ sunt nobis prudenter, indubitanter, & evidenter credibilia, ut ibidem diximus *sect. 1.* Ex eo maxime quòd per eiusmodi signa ibi perperla *sect. 5.* convincitur evidenter in Ecclesia Catholica visibili præ alijs Sectis, quæ fuerunt & sunt ipsi contrariæ, retineri tunc, & residere veram Religionem: à quo puncto cetera de Mysterijs facile deducuntur.

30 Conclusio ista sic exposita ipso mihi videtur experimento constare ex Autoribus Controversiarum cum Hæreticis, & Paganis. Quippe, ut illos convincant, dum Scripturas Sacras, aut nesciunt, aut negant, aut pervertunt, aut negligunt, ad signa tandem prudentis, & evidentis creditibilitatis veniunt, per quæ Ecclesiæ nostræ visibilis veritas, & soliditas præ Sectis oppositis demonstratur. Quo iacto fundamento sequitur facile, Scripturas istas examinatisimas, quas approbat Ecclesia, quibus nititur, & quibus utitur, esse verbum Dei, Concilia, quæ venerantur, esse legitima, ipsamque Ecclesiam visibilem regi invisibiliter ab Spiritu Sancto; & reliqua huiusmodi. Ad ea igitur signa creditibilitatis veniendum est, agendo disputativè, ut ratione humanitus etiam ducta Fidei nostræ resolutio statuat.

31 Certè siamque in huiusmodi controversijs, quæ sæpius instituantur cum Heterodoxis literatis, non est resolvenda nudè Orthodoxorum Fides in ipsam Fidem, cum de illa inquiretur à nobis ratio: nec præcisè in obiectum formale Fidei, nam inquirentes rationem Fidei, rationem etiam obiecti formalis Fidei in-

quirimus, nec in aliquid ex sola Fide notum remittendi sunt: quandoquidem negantibus Fidem otiosum esset obtrudere id, quod sola Fide cognovissimus: esset enim, aut idem per idem respondere, aut ignotum per æque ignotum declarare, aut inaniter circumeundo nos ipsos, Fidemque nostrâ contemptu exponere. Oportet ergo recurrere ad aliquid, quod seorsim etiam à lumine Fidei sit oppugnantibus persuasibile, & à nobis humanitus etiam propugnabile: quo semel exhibitio, cætera, quæ Fide credimus, veniunt in liquidam consequentiâ. Hoc autem est prudens, innegabilis, indubitabilis, & evidens credibilitas veritatum nostræ Fidei, petita ex signis, ac motivis, seu argumentis credibilitatis, quibus nititur iudicium evidens credibilitatis: per quæ fit etiam ratione naturali evidens, esse prudenter credibile id, quod Catholici de Deo, de Ecclesia, de Christo, de Sacris Scripturis, de Sacramentis, de alijs Mysterijs credimus, ut doctrinam à Deo revelatam, præ doctrinis cunctarum Sectarum oppositis: ut sigillatim expendimus loc. cit.

32 Quoniam verò inter varia credibilitatis motiva, ne ab uno ad aliud eiusdem rationis, & difficultatis eamus, & redeamus, oportet in aliquo præ cæteris conspicuo pedem figere. At nullum apparet sensibilius, & opportunius, quam Ecclesiæ Catholicæ gravissima Autoritas, cunctis adversariis Sectis clarissimè excellentior, ex eius antiquitate, origine, uniformitate, perpetuitate, legum, doctrinæque puritate, contestium sapientum, proborumque multitudine, Martyrum omnium sexus, & ætatis, constantiâ, & numero innumeraibili. Ex ijs profectò capitibus Catholicus doctus, & eruditus magnam abs dubio vim faciet cuicumque sincero, ac studioso veritatis amatori, ut intelligat, nisi ultro velit omnino cæcutire, apud Catholicam Ecclesiam unicè residere veram Dei Religionem, & doctrinam ad animæ salutem necessariam.

33 Hoc primum obtento, reliqua, quæ visibilis hæc Ecclesia credit, & universaliter docet de Scripturis, Traditionibus, Concilijs, Pontificibus, Sacramentis, & Mysterijs, sunt dubio procul in proclivi. De primo igitur ad ultimum fit rationale, disputativè, & examinativè loquendo, Fidem nostram resolvendam esse in prædicta

signa credibilitatis, præsertim circa veritatem, & auctoritatem Ecclesiæ nostræ visibilis, cui maxime competit specialis assistentia Spiritus Sancti, ut verus Deus in mundo à creaturis suis rationalibus aliquâ verâ Religione colatur.

34 Id quod ita persuasibile, conspicuum, & cuilibet non cæco patens visum fuit Augustino, ut super illud Davidis: *in Sole posuit tabernaculum suum*; exposuerit: *in manifestatione posuit Ecclesiam suâ; non in occulto.* Et epist. 166. ad Donatistas: *Ipsa est Ecclesia in Sole posita; id est, in manifestatione omnibus nota.* Et cap. 16. de Vnit. Eccl. *Non est operata Ecclesia, quia non est sub modio; sed super Candeliabrum: & de illa dictum est: non potest Civitas abscondi supra montem posita.* Et lib. 2. contra Cresconium cap. 33. iure optimo scripserit: *Extat Ecclesia cuncta clara, atque conspicua, quippe Civitas, quæ abscondi non potest, supra montem constituta.* Et tract. 1. in Epist. 1. Ioan. progreditur ita: *Numquid digito ostendimus istum montem? Numquid sic ostendimus Ecclesiam? Nonne aperta est nonne manifestata? Quid tam manifestum, quam mons?* Et inferius loquens de Hæreticis huius Ecclesiæ Montis claritatem, & stabilitatem non videntibus, ait: *Montem non vident; nolo, mireris: oculos non habent; quasi solus cæcus non videat hanc evidentiam iuxta Augustinum: cui similia habent Hieronym. & Chrysostom. apud Suarez citandum.*

35 Tota substantia huius doctrinæ traditur à Card. Bellarm. tom. 2. lib. 4. de Notis Ecclesiæ, à Suarez lib. 1. contra Reg. Angl. à cap. 5. à P. Elizalde de Religionis, ac moribus optimè merito per totum Opus nunquam satis laudatum de Forma veræ Religionis, præsertim q. 42. & à R. P. N. G. Thyrsus 1. p. Manuductionis utilissimæ, non minus experienciâ, quam studio elaboratæ: præsertim lib. 3. cap. 7. Nec quoad punctum præsens de ultima Resolutione Fidei dissentire possunt in re Delugo, Ripalda, & Anton. Perez, ut animadvertimus *sect. preced.* Eorum enim dissidia tam inter se, quam à nobis, non tam pertinent ad tertiam istam conclusionem, quam ad primam: in qua diximus Fidem creditivè sumptam resolvi in suum motivum, & obiectum formale: quomodocumque sibi benè constituent obiectum formale Fidei: de quo nos satis *disp. 4.*

Augustin.

Hieronym. Chrysost.

Bellarm. Suarez. Elizald.

R. P. N. G. Thyrsus.

Lugo. Ripald. Perez.

Sup. disp. 4.

SE-

SECTIO III.

Fit satis rationi dubitandi, & alijs Obiectionibus.

36 **E**X ijs ad rationem dubitandi positam *sect. 1.* dicimus, interroganti, cur credamus Trinitatem, dandam esse pro responsione rationem formalem credendi, quæ est obiectum formale Fidei creditivè sumptæ: scilicet, quia Deus summè verax revelavit. Interroganti deinde, cur credamus, Deum id revelasse, respondendum est; quia hoc ipsum Deus summè verax revelavit. Cum enim credentes Trinitatem, quia Deus summè verax revelavit, eo ipso credamus, Deum summè veracem id revelasse, ut ex Suarez diximus *disp. 3. sect. 3.* hoc ipsam, nempe, Deum summè veracem id revelasse, credimus ex eodem motivo Fidei, quod est revelatio Dei summè veracis: ideoque diximus, hoc esse obiectum etiam materiale Fidei; sed non purè materiale, sed simul formale; esse creditum, & rationem credendi; verum in esse, & in dicere. Atque hinc sistit Fides creditivè, & exercitè apud omnes ritè credentes: sicut obedientia sistit in præcepto Superioris obedientivè, quamvis notitia præcepti per varia media pervenerit ad Subditos, ut dictum est *num. 26.* Cui enim obediendum, nisi Superiori præcipienti? & cui super omnia credendum, nisi Deo attestanti? ut pridem notaverat Caietanus apud Elizalde *num. 854.* ulteriorem rationem de hoc quærere, ni mirum creditivè procedendo, quod spectat ad singulos credentes: res enim agitur de Fide; non de Scientia.

37 Quodsi urgeamur: unde, & per quæ media nobis alioquin persuadeamus, utrumque id Deum revelasse, ut prudenter liberè velimus sic credere adeò difficilia? respondemus, in hoc iam fieri trãsitum ingentem à ratione formali credendi, ad rationem volendi credere, quæ spectat potiùs ad resolutionem piæ affectionis, quam Fidei creditivè sumptæ; & ad rationem approximativam, seu applicativam rationis formalis credendi, spectantem potiùs ad resolutionem iudicij credibilitatis, quam assensus Fidei. Quapropter pro volitione credendi respondemus, nos sic velle, quia in ijs circumstantijs æquum, & iustum est, imò & obligatorium, taliter obsequi divi-

Suarez. Sup. disp. 3.

Caietan. Elizald.

næ attestationsi satis, superque propositæ. Pro iudicio autem credibilitatis, eiusque motivis prudentissimis respondemus, seorsim etiam à revelatione, persuasum esse nobis, Mysterium esse verum, & à Deo revelatum, & hinc & nunc prudenter, ac evidentet credibile ex signis manifestissimis credibilitatis, quæ tetigimus *disp. 6. sect. 6.* clarissimè probantibus, Ecclesiam Catholicam veram Dei tenere Religionem, & doctrinam præ omnibus alijs Sectis, prout ibidem sigillatim expendimus: unde copiosa offertur Catholico non indocto disputandi seges contra quoscumque falsos Dogmatistas. Sicque sine vitio circuli resolvitur disputativè Fides per signa credibilitatis in auctoritatem Ecclesiæ visibilis patentissimam.

38 Quò pertinent Magni Augustini testimonia adducta *num. 34.* Quibus addo, quæ summam scripsit *lib. 1. de Civitate Dei fundam. cap. 4.* ubi suprahumanum illud ingenium, postquam abetraverat per invia, signa expressit, quibus se devinctum Fidei, & Ecclesiæ confitetur, ibi: *Multa sunt quæ iustissimè me tenent in Ecclesiæ gremio. Tenet consensio Populorum, & Gentium: tenet auctoritas miraculis imboata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli usque ad presentem Episcopatum successio Sacerdotum.* Reliqua apud doctissimos, & eruditissimos Elizaldè, & Thyrsam citatos.

39 Obijcies deinde contra primam nostram conclusionem. Deo revelanti Trinitatem credimus, quia summè verax est: sed est summè verax, quia Deus est: ergo de primo ad ultimum resolvitur Fides creditivè, non tam in Dei veracitatem, quam in essentiam Deitatis, quomodolibet constituatur. Confirmatur. Sicut se habent res in esse, sic in cognosci verè ut sunt: sed Deitas, quomodolibet constituatur, est ratio primaria, & à priori, cur Deus sit summè verax, & intallibiler revelans; sicut quælibet essentia est ratio, & radix proprietatum: ergo Deitas quomodolibet constituta est primaria ratio, & resolutivè ultima, propter quam credimus; non verò seorsim à Deitate, quæ est veritas in essendo, veracitas, & Sapientia Dei, quæ sunt veritas in cognoscendo, & in dicendo. Sic Aureolus à nobis citatus *disp. 4. sect. 4.* propterea opinatus obiectum formale, & ultimam resolutionem Fidei esse unicè

Augustin.

Elizald. R. P. N. G. Thyrsus.

Aureol. Sup. disp. 4.

Ppp 2

essentia.

essentiam Dei: quamvis excludentem à sui constitutivo veracitatem & Sapientiam: quod pro nunc ei permittemus, contra quod docuimus *disp. 5. de Attrib.*

To. de Deo  
disp. 5.

40 Respondetur, concessis præmissis, negando consequentiam. Silogismus enim transit vitiosè à ratione assentiendi, prout in maiori, ad rationem essendi, prout in minori: quæ rationes diversissimæ sunt. Patet in eo, qui obediret, aut crederet Superiori, quia præcipit, aut attestatur: & ipse præciperet, aut testaretur ex pravo fine: non enim propterea nos obediremus, aut crederemus ex pravo fine. Quo in casu do similem syllogismum: Subditus credit, aut obedit, quia superior præcipit, aut testatur: sed præcipit, aut testatur propter pravam finem: ergo subditus obedit, aut credit propter malum finem. En falsissimam consequentiam ex veris præmissis ob similem defectum formæ.

41 Ad confirmationem distinguenda est sedulo maior: sicut se habent res in esse, sic in cognosci verè, sic, inquam, scilicet, eo modo obiectivo cognito, concedimus: sic, scilicet, eo modo formali, quo se habet cognitio in cognoscendo, negamus. Sæpè namque alius est ordo, & modus rerum in esse, & alius diversissimus in cognosci verè. Res finitæ cognoscuntur à Deo verè modo infinito, quamvis non cognoscantur esse modo infinito. Effectus solent verè cognosci ante causam, non tamen esse ante causam. Hinc, datâ minori, negatur consequentia. Per hæc non nego resolvi quoque Fidem nostram creditivè in essentiam Deitatis; simul tamen cum revelatione, eâ ratione, qua *disp. 4. sect. 4.* diximus, pertinere posse ad obiectum formale Fidei.

Sup. disp. 4.

42 Obijcies secundò contra eandem primam conclusionem. Si Fides creditivè, & exercitè resolveretur in revelationem, & auctoritatem Dei, aut resolveretur in illas, ut per se notas; aut in illas ut notas per ipsam Fidem; aut in illas ut aliunde notas per alia media? Primum, quod videtur insinuare P. Oxea *num. 105.* dici nequit, nisi alienando vocabula à suo significato Theologico, & Philosophico: cum nec Deum esse, sit per se notum, ut ex communi loquutione diximus *disp. 1. de Attrib. sect. 4.* quomodo ergo erit nobis per se notum, Deum esse summè veracem, & revelasse Trinitatem? Si verò dicatur

To. de Deo  
disp. 1.

secundum; incurritur vitium circuli in ratione credendi, & in resolutione Fidei. Quod sic probat Ripalda: nam credere-  
mus, Deum revelantem esse summæ auctoritatis, quia ipse id revelat infallibiliter; & Deum id revelare infallibiliter, quia summæ auctoritatis est. Delugo probat sic: nam si credimus Trinitatem, quia Deus summè verax revelat; & Deum id revelantem esse summè veracem, quia ipse de se id quoque revelat, interroganti ulterius, cur credimus Deo revelanti, se esse summè veracem, & id revelasse, non est quid respondeamus, nisi, quia summè verax est, & id revelat: unde Deo revelanti suam veracitatem credimus, quia verax est; & hoc ipsum credimus, quia ipse revelat, se esse veracem: quod est ludere verbis. Necessè igitur est, dicere tertium; quòd nempe Fides resolvitur in Dei auctoritatem, & revelationem, ut aliunde notas per alia media infra Fidem. Hoc autem est, resolvi Fidem, non tam in auctoritatè, & revelationem Dei, ut est nostra conclusio; quam in notitiam earum habitam ut plurimum per Parochum, aut Catechistam, quorum auctoritas infallibilis non est, sicut debet esse infallibilis Fides nostra.

Ripald.

Lug.

43 Respondetur iuxta duos Theologizandi modos, ut, non obstante eorum varietate, obstare nullatenus possit aptæ Resolutioni Fidei obiectio posita. Iuxta doctrinam, quam tenuimus cum P. Suarez, quòd Fide credens Mysterium, quia Deus summè auctoritatis revelat, eo ipso eadem Fide credit Dei auctoritatem, & revelationem; admittimus secundam partem trilemnatis: quòd nempe Fides creditivè resolvitur in Dei auctoritatem, & revelationem, ut notas per ipsam Fidem. Quin proinde negemus, quòd aliunde per alia etiam media præhabeatur notitia auctoritatis Dei ex lumine naturali, & revelationis ex humanis testimonijs applicantibus intellectui credentis motivum credendi, ipsam nempe revelationem, & auctoritatem Dei: extrinsecè tamen, & præviè se habentibus ad creditionem Theologicam, quæ est assensus Fidei. Dices: Casu etiam possibili; quo non revelarentur nobis auctoritas, & revelatio Dei de Mysterio, revelato Mysterio possemus, & deberemus credere Mysterium propter auctoritatem, & revelationem Dei de Mysterio

Suarez.

sterio nobis notas: tunc autem ipsa non Fide crederentur; cum revelata non essent: ergo non est opus, resolvi Fidem in Dei auctoritatem, & revelationem ut Fide creditas; sed ut aliunde notas. Respondetur, casum repugnare. Quamvis enim Dei auctoritas, & revelatio non revelarentur speciali alia revelatione, revelantur satis per revelationem ipsam Mysterij: sicque implicat, revelari à Deo Mysterium ali-quod, quin eo ipso illæ revelentur. Revelatio quidem; quia qui aliquid loquitur, eo ipso exercitè dixit, se loqui: Auctoritas autem; quia Deus loquens ad creaturas, loquitur, ut credant propter eius dictum infallibile, idque ipsis intimat eadem certitudine, quâ ipsam loquutionem: quod intelligi nequit, quin eo ipso revelet summam suam auctoritatem, prout sufficit, ut credatur Mysterium ob auctoritatem Dei revelantis, & eadem Fide credantur etiam Dei Auctoritas, & Revelatio: ut optimè discurret Anton. Perez *disp. 2. cap. 1.* in hoc relicto ab Elizalde *num. 857.*

Perez.  
Elizald.

44 Hinc nego, incurri à nobis circulum vitiosum. Ad probationem Ripaldæ dico, non dici à nobis circulariter, nos credere Dei auctoritatem propter revelationem, & revelationem propter auctoritatem; sed credere auctoritatem, & revelationem propter ipsas auctoritatem, & revelationem, scilicet, quia Deus summè verax revelans Mysterium utramque revelavit, ut rationem credendi Mysterium, & illas ipsas. Et hæc sistit resoluta Fides exercitè creditivè. Ad probationem Cardinalis, fatemur, nos interrogatos, cur credimus Deo revelanti, se esse summè veracem, idque revelasse, responsuros illicò, quia summè verax est, & utrumque id revelat. Negamus tamen, id esse ludere verbis: non enim est, nisi perventum esse ad rationem formalem credendi, in qua sistit exercitè Fides, & in quam creditivè resolvitur. De hac autem ratione credendi, nec damus, nec tenemur dare aliam rationem credendi, quia non est alia; ideoque dicimus, in hanc resolvi Fidem creditivè, superiores enim rationes, per quas nobis innouit summa Dei auctoritas, & revelatio Trinitatis, non sunt rationes formales credendi, sed applicandi intellectui nostro prædictam rationem formalem credendi; sicut cognitio, quæ non est ratio formalis amandi, est ratio formalis

præsentandi intellectui rationem formalem amandi. Ad hunc modum, nec scientiæ dant ulteriorem rationem priorum principiorum; sed alijs & alijs verbis in suis principijs insistant; ibique sistunt respiciendâ, ne in infinitum procedant, neve inaniter incassum inquirent aliquid notius, cum ad notiora ventum sit: quin tamen id in illis veri possit vitio circulationis, aut verborum lusui; quamvis, dum ventum est ad prima scita, hæreant cum necessariâ, ideoque minime vitiosâ responsione eiusdem per idem: vitium certè tunc erit in obtrudendis importunis interrogationibus. Porro sicut in scientijs sunt prima scita, aut per se nota; sic in Fide sunt prima credita, & per se credita: quæ sunt summa Dei auctoritas, & revelatio, eâ ratione, qua ex P. Suarez explicuimus huiusmodi primatum *disp. 3. sect. 3.*

Suarez.  
Sup. disp. 3.

45 Per hæc præoccupata manet aliorum inculcatio. Quippe dicunt, quòd, quamvis modus hic noster respondendi evitet utrumque vitium circulationis; nullatenus verò vitium credendi, & respondendi idem per idem. Dicimus enim, credi à nobis Deum esse summè veracem, quia summè verax est, & id de se testatur. At unde, inquirunt, novimus, esse summè veracem, ut certi simus, quòd in hac ipsa de se attestatio non fallit; & quòd eius de se testimonium verum est, quando de se testatur esse veracem?

46 Cavendum iam in ijs est, nè in Fidei defensione à ratione Fidei deviemus ad rationem scientiæ; cum oculos habendum sit, sermonem nobis esse de Fide; non de scientia. Porro, si omnimodâ evidentia constaret nobis, Deum esse summè veracem, & revelasse de se, esse summè veracem, assensus noster de eius veracitate, & revelatione, iam non esset Fides; sed scientia, per evidentiam in attestante; sicut assensus de quolibet alio Mysterio, cuius revelatio à Deo summè veraci pateret nobis evidenter, quemadmodum patet Beatis, & patuit fortè aliquibus Prophetis, ut diximus *disp. 1. sect. 2. & disp. 6. sect. 2.* Si, inquam, has evidentiâs quærunt arguentes pro resolutione Fidei, non tam est, quærere veram Fidei resolutionem, quam veram Fidei rationem oblivisci, nullum relinquendo locum essentialissimæ obscuritati, unde libertas, & meritum Fidei maxime desumitur.

Supr. disp.  
1. & 6.

47 Itaque respondendum est, quoad munus credendi, totum id exercitè peragi rectissime: credimus enim, quidquid Theologicè credimus, quia Deus summè verax revelat; revelatione scilicet non intuitivè, & per evidentiam physicam nobis notà; sed sufficienter per signa evidentis credibilitatis cuique pro captu sufficienter proposità. Atque hinc sinit assensus, & ratio Fidei quoad exercitium credendi: quod non est vitiosè credere idem per idem; sed laudabiliter credere mysteria propter testimonium Dei summè veracis; Dei autem veracitatem, & testimonium, propter se, supposità sufficienti propositione: quia hæc duo simul sunt materia credenda; & ratio formalis credendi, & primum creditum: à differentia aliorum Mysteriorum, quæ sunt obiectum Fidei putè materiale, ut bene notavit Elizalde num. 858. non bene reiectus in hoc ab Haunoldo à num. 101. Sic quando in scientijs venit ad prima principia, non est vitiosè scire idem per idem, in illis hære propter eorandem veritatem, & non per alia principia in infinitum. Ab hoc modo respondendi, quem olim tenuerat, discessit postea Elizalde conversus, ut ait num. 857: ad realia. Sed certè modus iste noster mihi realissimus est. Quoad munus verò determinandi intellectum ad credendum; ratio nobis est, quia piè volumus id obsequij præstare primæ veritati, quamvis obscurè revelanti, & post sufficientem ad nos propositionem obliganti. Atque hinc sinit impulsus piè affectivus credendi, iuxta secundam nostram conclusionem: in quo certè non redditur vitiosè idem per idem. Et tandem quoad munus applicandi, & præsentandi prædicta motiva ad sic volendum, & credendum, habemus, & damus pro ratione ingens pondus signorum, & motivorum prudentis, ac evidentis credibilitatis, quod expendimus disp. 6. iuxta tertiam nostram conclusionem: in quo non reddimus idem per idem; sed disputativè procedimus per congruentissimas, & notissimas rationes præferendi Fidem, ac Religionem nostram quibuscumque Sectis oppositis, & sentienti nos obligatos ad illam amplectendam. Profectò prudenter, honestè, & laudabiliter obedimus Principibus præcipientibus, & sentimus nos obligatos ad subiiciendas illis nostras voluntates, per aliqua signa nobis persuaden-

Elizald.  
Haunold.

tia, ipsos esse legitimos Principes, & id præcipere, multo inferiora signis potentissimis; quibus proponitur nobis Dei summè veracis revelatio, & argumentis credibilitatis Mysteriorum Fidei, ut subiiciamus, & captivemus intellectum Deo loquenti: ut dignè contra Politicos Ecclesiæ hostes ponderat Anton. Perez in simili citatus à nobis disp. 3. num. 121.

48 Iuxta doctrinam autem aliorum, qui nobis negant autoritatem summam Dei, & revelationem credi per ipsam assensum aliorum Mysteriorum, respondetur ad rationem dubitandi, & ad interrogationes postas sect. 1. Respondendum est, quòd interroganti, cur credamus Trinitatem, dicimus, quia Deus summè verax revelat: & hinc sinit exercitè, & creditivè Fides, quamvis non sinit disputatio circa Fidem pro doctioribus. Interroganti deinde, cur credamus, Deum id revelasse dicimus, id iam non interrogari pro ratione formali Fidei creditivè; sed pro ratione applicativà ad singulos rationis formalis credendi, pertinente ad motivum iudicij credibilitatis prævij ad assensum Fidei: quod totum fit sine vitiosa circulatione. Unde ad secundam objectionem positam num. 42. admittenda est tertia trilemmatis pars, quòd nempe Fides Mysteriorum resolvitur in summam Dei autoritatem, & revelationem, ut notas per alia media: autoritatem nempe Dei per evidentiam naturalem; revelationem verò per signa; & motiva credibilitatis potentissima, & patentissima, quibus sine prudenti formidandi ratione nobis persuademus existentiam talis revelationis, & obligationem nostram credendi Mysteria. Quo etiam modo, quamvis à nobis reiecto disp. 3. sect. 3. evitatur in præsentì circulatio vitiosa, & responsio eiusdem per idem. Sic Elizalde quest. 43.

49 Vrgent tamen, & obijciunt tertid contra utrumlibet modum respondendi, & contra tertiam nostram conclusionem. Dum enim iudicium credibilitatis, & veritatem nostræ Religionis, ac Fidei disputativè resolvimus in autoritatem Ecclesiæ per signa, & motiva, quibus nobis persuademus in ea retineri, & doceri veram Dei doctrinam, & Religionem, aut sermo nobis est de autoritate divinâ Ecclesiæ, prout invisibiliter regitur ab Spiritu Sancto; aut de autoritate humanâ Ecclesiæ, pro-

Perez.  
Supr. disp.  
3. sect. 10.

Supr. disp.  
4. sect. 6.

Supr. disp. 3

Elizald.

prout visibiliter componitur ex quamplurimis Viris Sapientissimis, prudentissimis, & Sanctissimis per tot sæcula, magnæ humanitus etiam autoritatis. Si dicatur primum, in ea ipsa speciali assistentia Spiritus Sancti ad regimen huius Ecclesiæ, cum invisibilis sit, & non nisi ex revelatione nobis infallibiliter nota, occurrunt eadem difficultates, & obscuritates, quæ in quolibet alio Mysterio similiter revelato: sicque nihil progredimur. Si verò dicatur secundum, est tandem resolvere Theologicam Fidem in autoritatem creatam, illamque deprimere infra Dei testimonium, & redigere ad testimonia hominum, ut urgebatur num. 42.


50 Responderetur, duas illas Ecclesiæ autoritates notatas iam distinctim à nobis fuisse disp. 4. num. 79. Nunc autem dico, in præsentì, pro motivo scilicet iudicij credibilitatis prævij ad assensum Fidei Theologicæ, sermonem nobis esse de autoritate humanâ Ecclesiæ visibilis. Iam enim non agimus de exercitio formali Fidei pro munere credendi, qui est assensus Theologicus de veritate Mysteriorum innixus autoritati divinæ revelanti: quòd, ut ibidem diximus, pertinere quoque potest autoritas Ecclesiæ definitis per specialem assistentiam Spiritus Sancti: sed agimus de iudicio prudentissimo credibilitatis patentissimæ Mysteriorum, qui non est assensus Theologicus, innixus motivo Fidei; sed alterius virtutis infra Fidem innixus signis, & motivis persuadentibus, etiam humanitus, talem propositionem esse coniunctam cum vera Dei revelatione, ideoque Mysteria sic proposita taliter esse prudenter credibilia, ut non nisi stultè,

imprudenter, ac temerè dubitari possit de eorum veritate: respectivè nimirum ad captum credentium: nam doctis doctè, pueris pueriliter, populis populariter proponuntur, & fiunt sine prudenti formidine credibilia.

51 Neque hoc est, resolvere Fidem nostram divinam in autoritatem humanam. Iam enim resoluta manet creditivè in autoritatem Dei revelantis, cui innititur assensus Theologicus Fidei. Sed est, dare rationem, unde nobis, quibus immediatè non est facta revelatio, proponantur factis Mysteria, ut prudenter credibilia, quasi à Deo revelata: quod pertinet exercitè ad iudicium prævij credibilitatis, qui non est assensus Fidei; & disputativè ad controversias de Fide, & Religione, in quibus de signis credibilitatis, & de Notis Ecclesiæ Catholicæ, verbo, ac scripto, Sanctorum PP. exemplo, laudabiliter disceptatur. Eiusmodi autem iudicium exercitè, easque controversias disputativè resolvit in gravissimam autoritatem humanam visibilem Ecclesiæ Catholicæ toti mundo notissimam, & patentissimam, non est inconveniens, sed rationabilissimum: nec est deprimere Fidem; sed astruere, & dum oportet, rationibus etiam propugnare; sicque illam cuique intellectui ratione utenti, & ingenuè, ac sincerè auscultanti, divinâ gratiâ intus opitulante, persuadere per ea media, quæ summam præstrinximus disp. 6. sect. 5.

52 Alia, quæ possunt obijci doctrinæ trium nostrarum conclusionum, aut minoris momenti sunt, aut in Superioribus facta, & soluta, præsertim disp. 3. 4. 5. & 6. aut ex hinc, & ibi dictis facile solvenda.

Supr. disp. 6



## DISPUTATIO IX.

### DE REGVLIS FIDEI.

**R**EGVLA Fidei universalior, essentialior, præcipua, & nobis invisibilis est Dei Authoritas, & Revelatio: de quâ satis in Superioribus. Agimus in præsentì de alijs Regvulis universalibus, sensibilibus, infallibiliter propositivis

tivis rerum credendarum, ut à Deo revelatarum. Cùm enim Deus non loquatur immediatè singulis privatim, necesse fuit, ne hoc, ut volunt Hæretici, præstrikti ab Elizalde *quest. 10.* uniuscuiusque Spiritui, & iudicio privato relinqueretur, dari medium aliquod infallibile, quo universaliter proponerentur res credendæ, quas Deus loquutus est. Quamvis autem Parochus, Concionator, seu Catechista sit proximè proponens, nec est, nec dicitur Regula Fidei, ut animadvertimus *disp. 5. num. 133.* sed applicat ministerialiter Regulas Fidei: cùm non habeat ex speciali illa assistentia Spiritûs Sancti infallibilem auctoritatem proponendi, quam habent ipsæ Regulæ Fidei, ut exponit rectè Suarez *disp. 5. sect. 1.* Huiusmodi Regulæ numerantur quinque. Scriptura, Traditio, Ecclesia, Concilium, & Papa: de quibus seorsim eruditissimè Reverendissimus P. Magister Generalis Benedictinus Antonius Perez in *Pentateucho Fidei*: sic cognominans libros de ijs quinque Regulis Fidei. Scriptura, & Traditio dicuntur Regulæ emortuæ: quia nihil de novo loquuntur circa dubia, quæ in ipsarum intelligentia moventur. Tres aliæ sunt Regulæ vivæ: quæ interdum apud aliquos uno Ecclesiæ nomine significantur, ut monet Suarez *sect. 2. num. 5.*

Supr. disp. 5. sect. 10.

Suarez.

Perez.

SECTIO I.

Scriptura Sacra.

2 **D**escribitur sic: *Scriptura instinctu scripta Spiritûs Sancti, dictantis non solum sensum, sed etiam singula verba.* Per hoc postremum differt Scriptura Sacra à Definitionibus Pontificum, & Conciliorum: in quibus, quamvis Spiritus Sanctus specialiter assistens, ne errent, dicet sensus; non tamen singula verba sicut Scriptoribus Sacris.

3 Scriptura Sacra multos, & varios Libros Canonicos comprehendit: alios Veteris; alios Novi Testamenti: alios, qui semper; alios qui non semper habiti fuerunt in Ecclesia pro Canonicis. Extat iam de ijs speciale Decretum in Tridentino *Sess. 4.* ad repellendos Hæreticorum incursus.

4 Dupliciter quaritur, an, & quomodo Scriptura Sacra sit Regula Fidei? Primò: an taliter, ut nihil sit Fidei credendum, nisi quod in illa expressè continetur? Et sic negandum est contra Hæreti-

Trident.

eos ex dicendis *sect. seq. & 5.* & ex dictis *disp. 3. sect. 5.* Secundò: an taliter, ut quid in ea continetur, sit Fidei credendum? Et sic affirmandum est de Fide: Ex *Ioan. 10.* *Non potest solvi Scriptura:* id est, fallaci inveniri. *1. Timoth. 3. Sacras Litteras non sibi, quæ te possunt instruere ad salutem persequi.* Sicque definitur in Trident. *Sess. 4.* & habet commune vocabulum, quo Scripturas Sacras vocamus, *Canonicas;* à græco *Canon,* quod est Latinis, *Regula.*

5 Dices. Regula debet esse nota, & certa: alioquin quomodo applicanda, ut mensura credendorum? At Scriptura Sacra non est nota & certa, cùm plures eius partes in dubium à multis vocatæ sint. Nec pater via, qua satis innotescat, quamnam genuinè sit Sacra Scriptura. Respondetur, huic difficultati iam occurrissè Tridentinum definiens post exactissimum examen, & eâ diligentia, quæ pro nullo coram Orbis libro adhibita est, Libros Canonicos ex antiquissimis veterum Patrum traditionibus, et deinceps nemo prudens valeat de illis dubitare; data hac via, quæ nobis satis innotescit, quamnam genuinè sit Sacra Scrip-

Sup. disp. 5.

Ioan. 10. 1. Tim. 3

Trident.

Elizald. Pallavic.

Supr. disp. 5. sect. 4.

Suarez. Bellarm.

Scriptura. Aut dicant Hæretici, pro quibus terrarum orbis libris stet tanta auctoritas, vel humanitè dumtaxat considerata?

6 Dices iterum. Regula debet esse uniformis, & semper eadem, ut dicunt Philosophi de mensura. At Scriptura talis non est: nam ipsa originalis littera iam non extat; ideoque ad nos devenit per varia transumpta, variisque versionibus, in quibus est ingens diversitas, aut lectionum in eadem lingua, aut translationum in diversis. Respondetur, huic etiam difficultati occurrissè providentissimè Tridentinum, definiens ibidem, inter varias Bibliorum editiones retinendam esse, ut authenticam, Vulgarè Latinam. Quidquid contra hoc garrierit post multos Hæreticos Petrus Suave meritò exagitatè ab Elizalde *q. 16.* & à Cardin. Pallavi. ino super Tridentinum.

7 Dices tandem. Regula debet esse perspicua, & clara. At Scriptura obscurissima, atque indaginis est. & sub una littera plures abscondit sensus, modò mysticos, modò litterales, tam ambiguos, ut difficile sæpè sit, sensum intentum ab Spiritu Sancto dignoscere: præsertim cùm interdum necesse sit, tenere proprietatem litteræ; interdum verò littera occidat. Ergo nequit esse apta, nec utilis Regula Fidei. Respondetur fatendo, Scripturam Sacram esse quidem obscuram, & difficilem ob abstrusissimos ipsius sensus: de quo congruas rationes dedimus *disp. 5. num. 44.* Ea tamen obscuritas obstat, quominus intellecta Scriptura ex privato, ut volunt Hæretici, idiotarum spiritu, & ex cuiuscumque cerebro, valeat esse apta Regula Fidei: at non obstat, quominus talis sit intellecta ex Authoritate Ecclesiæ, & ex SS. Patrum, & Sapientum Expositorum consensu. Hæc, & alia Suarez *sect. 2. plura* Cardin. Bellarm. *tom. 1. Controv. 1. de Verbo Dei.*

SECTIO II.

Traditio Ecclesiastica.

8 **T**raditio vocabulum est commune ad noticiam, quæ sive scripto, sive verbo tantum ab antecessoribus successivè ad posteros derivatur. Ex usu tamen, quia ad significandas Scripturas habemus proprium, ac specificum vocabulum; per

genericum, *Traditio,* absolute iam significamus specialiter noticiam, non scriptam, verbo derivatam à Maioribus ad Posterios. Describitur Traditio: *Notitia veritatum, quas Deus loquutus est, & in Ecclesia continuâ successione universaliter conservantur, præter eas, quæ in Sacris Biblijs continentur.*

9 Huiusmodi Traditionem esse Regulam Fidei, definitur à Tridentino *Sess. Tridentin. 4.* contra Hæreticos obloquutos, nihil nisi scriptum in Sacris Biblijs esse de Fide; atque adeò Traditionem non esse Regulam Fidei. Eos latè confutat Cardin. Bellarm. *cit. lib. 4.* Primò ex Scripturis ipsis. *Bellarmin. Psalm. 77. Quanta mandavit Patribus nostris, nota facere ea Filijs suis. 2. Thessalon. 2. Num retinetis, quòd, cùm adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis. Et iterum: Tenete Traditiones, quas didicistis, sive per Sermonem, sive per Epistolam nostram. Secundò ex Concilijs, præsertim Trident. *cit. id expressè definiente, veritates Catholicas contineri in Libris scriptis, & sine scripto Traditionibus. Tertiò ex Sanctis PP. Basilii lib. de Spirit. s. cap. 7. distinguens dogmata scripta, & quæ ex Apostolorum Traditione retinentur, ait: Viraque parem vim habent ad pietatem: Et cap. 29. Apostolicum esse, etiam Traditionibus non scriptis inherere. Augustinus Epist. 3. & 86. & lib. 2. contra Julian. de Patribus antiquioribus: Quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt; & quod à suis Patribus didicerunt, nobis tradiderunt.**

10 Firmatur à ratione. Primò ex sufficientia, & usu huius Regulæ, antiquioris utique Scripturis. Hæ enim inceperunt à Moyse: ab initio autem mundi ad Moysen usque Fides ut plurimum per Traditiones stetit. Quinimò, & Evangelica Fides post Christum per annos aliquot ante conscripta Evangelia stetit per Traditionem. Secundò: quia motivum, & ratio credendi est Dei testimonium: quòd autem sit scriptum, aut non scriptum, valde de per accidens est ad auctoritatem testimonij, dummodo sufficienter proponatur: at sufficienter illud etiam non scriptum proponit auctoritas Ecclesiæ. Sic plura Fidei credimus non scripta, ut numerum evangeliorum, perpetuam Deiparæ Virginitatem, & preservationem à venialibus ex speciali privilegio, Baptismum Infantium, Imaginum usum, & alia huiusmodi in Scripturis

ris non expressa. Quin & ipsi quoque hæretici hoc ipsum, quod ajunt, nullum esse in Ecclesia verbum Dei nisi scriptum, ostendant ubi scriptum sit, aut unde credunt?

11 Obijciunt. Sic enim Scriptura aliquid omisisset credendum, suppleendum per traditiones, contra quod ait Paulus eam sufficere ad instructionem nostram, ex *Ioan. 1. Scripta sunt, ut credatis, & ut credentes vitam habeatis. Effetque aliquid addere Scripturis contra severissimam Dei prohibitionem Deuteron. 4. & Apoc. ultimo. Vnde est, ut sæpè traditiones contendantur in ipsa Scriptura Isai. 29. Matth. 15. ad Galat. 1. & 1. Petri 1. Respondetur, nec esse contra Scripturam, nec contra Paulum, quod in ea non omnia contineantur expressè. Iam continet substantialia fundamenta Ecclesiæ circa media necessaria ad salutem, & per hoc fit satis ad verba Ioannis. Quod autem alia relinquat supplenda per traditiones, nihil obstat: ideo vocatur à SS. Patribus, *Verbum abbreviatum*: dicentibus præsertim Dionysio, & Ireneo, noluisse Deum cuncta explicitè exscribi, ut Mystera venerabiliora manerent. Nec in Deuteronomio, & Apocalypsi prohibentur, aut reprehenduntur additiones non scriptæ adstruentes Scripturam; sed eam detorquentes, & corruptentes; aut quæ ei adscribantur, tanquam partes scriptæ ipsius. Traditiones autem, quas tuemur, non adduntur Scripturæ, ut partes scriptæ ipsius; sed ultra quod scriptum est: nec Scripturas detorquent, nec corrumpunt: ut sunt illæ, quæ in varijs Scripturæ locis reprehenduntur, & prohibentur.*

12 Obijciunt secundo: quod Traditio non scripta exposita esset oblivioni, varietati, alijsque casibus repugnantibus necessitati, & certitudini Fidei: quibus occurrat Scriptura permanentior: nulla ergo pars doctrinæ credendæ committi potest soli Traditioni. Respondetur ex Ecclesiasticis Historijs satis constare, quot etiam casibus expositæ fuerint Scripturæ. Adest in Ecclesia regimen Spiritus Sancti, ut occurratur huiusmodi malis, tam pro Traditionibus, quam pro Scripturis, sine quorum tam illæ, quam istæ millies aut everte, aut perverte fuisent. Vnde negatur consequentia.

13 Vrgent, quod multa sunt tradita etiam ab Apostolis, quæ non faciunt cer-

tam Fidem. Respondetur, opus esse discernere varias species traditionum, ut discernatur, qualis Traditio sit Regula Fidei. Quocirca

14 Aliæ sunt Traditiones universales totius Ecclesiæ: aliæ particulares aliquarum Ecclesiarum, ut iam monuit August. *Epist. 86.* Hæ non sunt, per se loquendo, Regula Fidei; cum particularis aliqua Ecclesia, utpote non infallibilis, errare possit. Dixi, *per se loquendo*: id est, nisi superveniat Ecclesiæ universalis approbatio, & definitio. Vnde est, quod Traditiones Ecclesiæ Romanæ, etiam prout est specialis Episcopatus, sæpius factæ sunt Regula Fidei: quia sæpius approbatæ sunt à Pontifice Summo pro Ecclesia universali.

15 Aliæ sunt perpetuæ ab initio Ecclesiæ Christi: de quibus constat, cum ipsa Ecclesia incepisse. Aliæ non ita: aut quia constat, deinceps certò tempore incepisse; aut quia non constat, quo tempore inceperint, quamvis constet, non incepisse cum ipsa Ecclesia, nec viguisse tempore Apostolorum. Traditio, quæ est Regula Fidei, debet esse universalis etiam tempore, hoc est, perpetua, per totum tempus trahens originem sine interruptione à Christo, vel ab Apostolis.

16 Hinc Traditio ista universalis, & perpetua, quæ est Regula Fidei alia, dicitur Divina; alia Apostolica. Et quamvis Divina dici etiam quodammodo possit Apostolica, quatenus per Apostolos derivata est à Christo; & Apostolica quodam etiam modo dici possit Divina, quia ex speciali assistentia Spiritus Sancti incepit in Apostolis; differunt tamen, strictius loquendo, penes id, quod divina dicitur, quæ ab ipso Deo, vel Christo per se, ut authore proximo, originem habuit, cuius Apostoli fuerunt dumtaxat promulgatores: Apostolica verò, quæ ipsos Apostolos habuit authores, quamvis in hoc eos Deus specialiter direxerit. Discrimen istud melius intelligitur in Traditionibus, quæ per modum legis spectant ad mores, quam in ijs, quæ præcisè ad doctrinam: eà scilicet ratione, qua leges divinas ab humanis, etiam Ecclesiasticis, distinguimus.

17 Præter Traditiones Divinas à Christo, & Apostolicas ab Apostolis, possent dici aliæ Ecclesiasticæ, ab Ecclesia post Apostolos incepitæ, & receptæ. Istæ tamen iam non sunt tempore universales.

Tra-

Traditio itaque, quæ communiter dicitur Regula Fidei, est Traditio universalis, & perpetua successu temporum continuata ab initio Ecclesiæ Divina, vel Apostolica: hoc est, ab ipso Christo, vel ab Apostolis originem habens, ut Verbum Dei. Et de hoc genere traditionum negatur antecedens nobis oppositum *num. 13.*

### SECTIO III.

#### Ecclesia Universalis.

18 Præter Scripturam, & Traditionem dari aliquam Fidei Regulam in mundo vivam, & animatam, est de Fide contra multos Sectarios: quorum aliqua argumenta solvimus *disp. 3. sect. 10.* quippe dicunt, ut Ecclesiæ, & Papæ necessitatem evertant, sufficere cuique Scripturas privato uniuscuiusque spiritu intellectas. Ratio contra illos est. Quia, cum Scriptura obscura sit, & veræ Traditiones non facilè à falsis sæpè discernantur, multæ circa has duas Regulas mortuas suboriri possunt difficultates, ut monstrat experientia, quæ nisi pro rerum occurrentiâ resolvantur per aliam vivam, & visibilem Fidei Regulam, indecisæ manerent; nec satis à Deo provisum esset Ecclesiæ suæ.

19 Sic pro lege veteri dicebatur Deuteron. 17. *Si quid ambiguum, atque difficile occurrerit, ascendet ad locum, &c. & ad Sacerdotes.* Et Malach. 2. *Labia Sacerdotis custodient scientiam: & legem requirent ex ore eius.* Quis autem credat, in lege Gratia reliquisse Christum Ecclesiæ suæ regimen sine hoc genere Providentiæ?

Sic *Act. 15.* ortâ quæstione circa legem, eam ex spiritu privato resolvere ausus est nemo; sed convenerunt Apostoli, & humano, ac sensibili modo veritatem definiunt illis verbis: *Visum Spiritui Sancto, & nobis.* Sic etiam Paulus organum Dei adivit Hierosolymam, Evangelium suum cum Petro, & alijs collaturus, ut scripsit ipse ad Galatas 2. non quia de veritate dubitaret; sed ut toti Ecclesiæ sensibilibus constaret, conformari publicæ, communique Regulæ vivæ, ac visibili, ut notavit Hieronymus. Sensus ergo semper fuit Apostolorum, & Ecclesiæ, necessariam esse in Ecclesia Militante Regulam Fidei vivam, & sensibilem.

20 Hæc Regula est Ecclesia ipsa. Et quamvis alioquin nomine Ecclesiæ veniunt etiam Concilia, & Papa; commodè tamen discerni quoque solent tres istæ Regulæ vivæ: ideoque acturi postmodum seorsim de Concilio, & Papa, agimus nunc seorsim de Ecclesia: quæ scilicet manet interdum, Sede vacante, sine Papa, & sine Concilio ritè congregato. Et sermo est non de Ecclesia Triumphante, nec de Purgante; sed de Militante viva, & sensibili. Quam dari in mundo, credimus in Articulo Symboli: *Credo Sanctam Ecclesiam.*

Symbol.

21 Est autem Ecclesia sic sumpta: *Congregatio Fidelium omnium mortaliter viventium in unam Fidem.* Est itaque complexum quoddam hominum morale, seu politicum, unum unitate legis, ordinis, ac Fidei. *Omnium*, inquam, quia non est Ecclesia aliqua particularis unius Provinciæ, seu Nationis; sed Universalis, Catholica, Romana, prout omnes comprehendens.

22 Hanc dicimus esse Regulam Fidei infallibiliter ex assistentia Spiritus Sancti proponentè universaliter res Fide credendas cunctis Fidelibus, & alijs etiam, ut fiant Fideles; impotentè in hoc fallere, & falli: ideo illam vocat Apostolus 1. Timoth. 3. *Columnam, & firmamentum veritatis: iuxta Christi promissum Matth. 16. Porta inferi non prevalebunt adversus eam: & cap. ult. Ego autem vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Vnde de Fide est, totam Ecclesiam nunquam à verâ Fide defecturam, nec posse deficere: seorsim etiam à Concilio, & Papa, ut tempore Sedis vacantis, & non coacti Concilij: iuxta illud Chrysostomi, in cuius sacro die hæc scribo, ad cap. 6. *Isaiæ: Facilius est, Solem extinguere, quam Ecclesiam obscurari.* Infert Suarez *sect. 6. num. 8.* quod quamvis certum non sit, verum esse, quod universalis Ecclesia habet, ut probabile, & piuni; certum tamen est, id esse piuni, & probabile.

1. Tim. 3.

Matth. 16.

& ultim.

Chrysost.

Suarez.

23 Dubitatur: quanam sit forma constituens Ecclesiam unam, & hominem in membrum huius Ecclesiæ? Fuerunt Hæretici, qui dixerint, esse Prædestinationem, vel Sanctitatem, quasi non nisi Sancti, & Prædestinati sint membra Ecclesiæ. Errant; cum certum sit, in ea esse multos etiam peccatores, & reprobos; paleas cum critico, ut ex Scripturis explicat Augustinus.

Augustin.

nus. Dices. Ecclesia vocatur Sancta, & immaculata: ergo quia eius forma est Sanctitas. Negatur tamen consequentia. Non enim dicitur Sancta, quia omnes sint Sancti; sed quia Sancta, & immaculata est eius Fides, Religio, & Doctrina; & quia multos etiam continet Sanctos.

24 Alij volunt, eiusmodi formam esse Characterem Baptismi. Contra tamen est: quia præterquamquod character non est sensibilis, manet in Hæreticis, Apostatis, imò & in Damnatibus: qui membra Ecclesie non sunt. Dices. Ecclesia punit Hæreticos; non sic alios infideles non baptizatos: ergo quia membra Ecclesie sunt à caractere Baptismi. Negatur consequentia: sed quia retinet iurisdictionem in illos, eo quod cum ipsius iniuria ab ea discesserint, desinentes esse eius membra. Sic etiam & in Paganos interdum animadvertit, si Ecclesie iniuriam inferant. Dices secundò. Hæretici in aliquibus casibus exercent actus ordinis, & iurisdictionis Ecclesiasticæ: ergo quia sunt Ecclesie membra. Negatur itidem consequentia: sed quia id illis non membris permittit Ecclesia dispensatorie pro bono animarum. Dices tertio. Baptismus dicitur Ianua Ecclesie: ergo quia per se constituit membrum Ecclesie. Negatur tertio consequentia: sed quia per Baptismum intrat in alia Sacramenta, quæ spectant ad integralia membrorum Ecclesie. Nam quoad essentialia Fidei iam Catechumeni sunt Ecclesie membra ex Augustin. *tract. 4. in Ioan. & lib. 4. de Baptismo.*

25 Alij eiusmodi formam esse volunt unionem cum Papa, ut cum Capite, per obedientiam. Sed contra est, quod inobedientia ad Papam, imò & ad Christum stat sæpe sine infidelitate; atque adeò non constituit infidelem; sic nec obedientia formaliter fidelem. Ille autem inobediens fidelis, quantumvis alioquin peccator, adhuc esset Ecclesie membrum, utpote retinens Fidem; sine unione tamen cum Papa per obedientiam.

26 Dicendum est, quod forma constituens essentialiter membrum Ecclesie, est Fides interna cum externa. Nam, ut vidimus, Ecclesia est *Congregatio Fidelium*: ergo à Fide: tam ab interna; nam cum sola externa posset quis esse hæreticus: quam ab externa; ut Ecclesie sensibili formam sensibilem assignemus. Quando autem di-

cuntur ab Augustino, esse in Ecclesia hæreticos occultos, non intelligitur, quod sint membra Ecclesie, quasi sufficiat ad hoc externa professio Fidei sine Fide interna; sed quia materialiter versantur in Ecclesia quoad apparentiam, & subiectionem.

27 Incepit Ecclesia ab Adamo, & Eva: quia cum illis incepit Congregatio Fidelium: & numquam deinceps in omnibus defecit. Quod si legitur alicubi apud Sanctos PP. incepisse in Abele, intelligendum est quoad fructum; quatenus fuit primus Fidelis, qui moriens reddidit certam suam salutem per Fidem. Ecclesia verò Sancta Christiana, & perfecta integraliter, ut nunc est, & erit ad usque consummationem sæculi, cum lege Baptismi, incepit à Christo. Plura Suarez *ubi supra, & Suarez disp. 9.*

#### SECTIO IV.

##### Concilium Generale.

28 Quamquam Ecclesia universalissimè sumpta, ut in *sect. præced.* sit Regula infallibilis in credendo; sufficiens tamen non est in docendo pro regimine Fidelium, ut bene notat cum alijs Suarez *disp. 5. sect. 7.* Tum propter difficultatem congregandi undique cuncta Ecclesie membra. Tum quia componitur ex multis Laicis, & Idioris, qui regulariter non sunt apta instrumenta ad docendum. Quapropter alia præterea Regula Fidei conveniens, & necessaria fuit, Deo sic providente dignissima. Ea est Synodus, seu Concilium, non ex omnibus omninò membris; sed ex Principibus Ecclesiasticis, doctrinâ, & Dignitate fulgentibus, qui totam Ecclesiam repræsentent, compositum. Quemadmodum Comitum generalia Regni totum Regnum repræsentant, quamvis ex solis Principalioribus componantur: ut explicat Suarez *cit. & deinceps disp. 11. Suarez.*

29 Triplex distinguitur Concilium. Vnum *particularissimum*; quod est Synodus Diocesana ex Episcopo, & Parochis. Aliud *particulare*, quod est Provinciale ex Archiepiscopo, & Episcopis suffraganeis: vel Nationale, ex Archiepiscopis, & Episcopis totius Nationis sub uno Patriarcha, seu Primatè. Quod si hoc quoad appellationem Generale, ut in Toletano IV. aut uni-

ver-

versale, ut in Toletano 3. & in Carthaginensi 4. intelligitur non omnino absolute, sed respectivè ad Provincialia, & Diocesana, quæ non sunt generalia, adhuc unius Nationis. Aliud est *Generale, Plenarium, Æcumenicum, Universale*: quod ex cunctis mundi Catholici Nationibus, sub uno Capite Pontifice Summo, congregatur. Per se loquendo ex omnibus Episcopis: quos nempe *Spiritus Sanctus posuit: Episcopos regere Ecclesiam Dei*: nisi legitime impediatur; aut nisi iurisdictione non gaudeant, ut purè Annulares: quamvis possint convocari: itemque iam nunc ex Cardinalibus: & per specialia privilegia, & consuetudinem ex Generalibus Religionum: non verò ex omnibus Abbatibus. Legati Principum Sæcularium convocantur; sed non ad ferendum suffragium.

30 Concilia Particularia, sive Diocesana, sive Provincialia, sive Nationalia non sunt Regula Fidei. Nisi fortè ritè confirmantur per Papam, ut confirmata fuerunt Araucanum, Milevitanum, Carthaginense, Lateranense, & aliqua Toletana. Tunc enim habebunt infallibilitatem, non per se; sed ex autoritate Papæ, qui, ut videbimus, est per se Regula Fidei. Hinc non mirum, quod sibi relicta Concilia particularia interdum erraverint, ut tempore Sancti Cypriani. Non enim repræsentant universam Ecclesiam: nec invenitur promissio illis facta de speciali quoad hoc assistentiâ Spiritus Sancti. Nihilominus tamen minus magnam habent auctoritatem, præsertim Nationalia; & non nisi temerè illis contradiceretur, dum non constat, aliqua in illis haberi contra sensum totius Ecclesie. Habent etiam auctoritatem iurisdictionis respectivè ad coercendos suos subditos Censuris Ecclesiasticis, ut credant, & profiteantur, quæ alioquin declarata sunt de Fide, aut expressè in Sacris Scripturis, aut per Concilia Generalia, aut definitivè per Papam. De quibus, præsertim Hispanicis, uberem offert notitiam Dignitate, doctrinâ, & eruditione Eminentissimus Cardinalis de Aguirre *ad finem Tomi tertij Theologia Anselmiane.*

31 Restat ergo, quod ex Concilij Generalia dumtaxat legitime congregata sint per se loquendo Regula Fidei. Legitimè, inquam, congregata auctoritate Papæ, aut per se, aut per ipsius Legatos Præsidentis. Unde Concilium non congrega-

tum auctoritate Papæ non est Regula Fidei. & errare potest, ut accidit in Ariminensi: imò, quamvis initio congregatum sit auctoritate Papæ, si deinde sine illa continuetur, discedens ab obedientia, & unionem ad Papam, ut accidit in Basileensi. Cum enim Papa sit Fidelium omnium, & Universalis Ecclesie Caput, & Princeps, cum iurisdictione in Episcopos, illius est convocare membra ad regimen Ecclesie, & res Fidei tractandas, ac decernendas, quando necesse fuerit, maxime propter Hæreses pro varietate temporum insurgentes.

32 Sic fuit Nicænum adversus Arium; Constantinopolitanum primum adversus Macedonium; Ephesinum adversus Nestorium; Chalcedonense adversus Eudochium; Constantinopolitanum secundum adversus Petrum Antiochenum & reliquias Nestorianismi; Constantinopolitanum tertium adversus Monothelitas; Nicænum secundum adversus Iconomachos; Octava Synodus, quæ est etiam Constantinopolitana, adversus Photium Iconomachum; Lateranense sub Innoc. III. pro reformanda Ecclesia; Lugdunense sub Greg. X. pro Unionem Græcorum, & Reformationem universali; Lugdunense aliud sub Innoc. IV. adversus Federicum Imperatorem Schismaticum; Constantiense pro Schismate trium qui se Pontifices appellabant; Basileense pro restituenda Ecclesie disciplina; Florentinum pro Unionem Orientalium; & Tridentinum adversus Lutherum. Plura de ijs Authores Annalium Ecclesiasticorum, & noviter Cabasutius collectim in *Notitia Conciliorum, & sparsim in Notitia Ecclesiastica.*

33 Quando Concilio præsidet ipse Pontifex, Fide certum est, esse Regulam Fidei in ijs, in quibus Concilium, & Papa conveniunt. Nam pro tunc saltem creditur promissio assistentiâ Spiritus Sancti, iuxta perpetuum Ecclesie sensum, ex verbis Apostoli Petri Act. 15. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis.* Et verbis Christi Ioan. 16. *Cum venerit ille Spiritus Veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Et Matth. 18. *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum:* ut exponunt Maldonatus, & alij.

34 Idem est dicendum, quando præsidet Pontifex per Legatos suos, accedente postea ipsius confirmatione. Hoc est etiam certum de Fide apud Suarez *disp. 5. sect. 7.*

Arimin.

Basileen.

Cabasut.

Act. 15.

Ioan. 16.

Matth. 18

Maldon.

Suarez.

num.

Act. 20.

Suarez.

Suarez.

Suarez.

Aguirre.

Augustin.



num.9. Imò ex eodem Suarez, antequam subsequatur formalis confirmatio Pontificis, si processerunt Legati ex ipsius instructione particulari circa punctum aliquod. Sic enim iam adest assensus Pontificis, & est anticipata quasi confirmatio.

35 Difficultas est, quando Legati procedunt ex generali dumtaxat Commissione Pontificis. Qui falsò putant, Concilium sic Congregatum esse supra Papam, aiunt, etiam in hoc casu esse Regulam Fidei ante confirmationem Papæ: quia tales definitiones iam sunt à Suprema Potestate representante totam Ecclesiam. Qui verò verissimè, certissimè, ac communissimè docent, Concilium non esse supra Papam, de quo nos in sequentibus, docent, Concilium in eo casu non esse Regulam Fidei ante assensum confirmativum Papæ, qui est Suprema Ecclesiæ Potestas.

36 Videtur dicendum, in eo casu Concilium, quamvis non sit supra Papam, esse tamen Regulam Fidei, dummodo Papa non dissentiat, & Legati nomine Papæ consentiant Definitioni: iam enim præfertur in genere assensus Pontificium. Nec obest, quòd expectari soleat confirmatio specialis Papæ. Fit enim ad superabundantiam: sicut quando definita ab uno Papa, & Concilio, confirmantur ab alijs. Et ut omnis tollatur dubitandi ratio è diverso sententibus, Et tandem, ut clarius constet toti Ecclesiæ, Concilium non solum inchoatum, verumetiam absolutum fuisse auctoritate Papæ: de quo iterum *sect. 9.*

37 Concilium non esse supra Papam, intelligimus supra Papam certò verum, ac legitimum. Nam quando in schismate multi contendunt, se esse verum Papam, & res dubia est; supra illos est Concilium, ut accidit in Constantiensi: cuius historiam refert dilucidè Cabalutius *ad 15. Ecclesiæ seculum.*

## SECTIO V.

### Pontifex Summus.

38 Quoniam verò Concilium Generale non semper est congregatum, nec nisi tardè, ac difficillimè congregari potest, necessaria prorsus fuit in Ecclesia alia viva Fidei Regula, ad quam facilius semper sit aditus pro dubijs occurrentibus circa doctrinam Fidei, & morum.

39 Hæc Regula est Romanus Pontifex, Vniversalis Monarchiæ Ecclesiasticæ Caput visibile, & in Christi Vicariatu Successor Petri. Cuius Supremam in Ecclesia Potestatem, tanquam de Fide, supponimus ex Suarez *disp. 5. & 10.* Dubium hæc occurrens: an sit etiam de Fide, hunc scilicet præsentem Innocentium XII. esse verum Papam, proposuimus iam, & affirmativè resolvimus pro dignitate *disp. 3. sect. 10.*

40 Dubitarunt nonnulli: an Papa per se solù taliter sit Regula Fidei, ut quidquid ex Cathedra ut Pötifex ritè definit, habendum sit pro de Fide, non expectatâ confirmatione futuri Concilij. Huic tamen iniustæ quorundam dubitationi respondebunt operosius Sectiones sequentes.

41 Nunc referre oportet, circa quæ præsertim non possit errare Pontifex ut talis. Primò. Definitio Papæ facit res esse de Fide, etiam si vera foret opinio, quòd non sit de Fide, hunc esse legitimum Papam, ut tetigimus *disp. 3. num. 127.* Secundò. Nec errare potest circa mores in suis legibus, præcipiendo universaliter quidquam turpe. Quod est etiam de Fide cum limitationibus videndis apud Palaum *tom. 1. tract. 4. disp. 1. punct. 5. §. 3.* Tertio, neque in Canonizatione Sanctorum. Quartò nec in Beatificatione: quod tamen ait Diana, multa circa hoc resolvens *part. 12. Tract. ult. nondum esse de Fide, esse tamen ita certum, ut oppositum sit saltem temerarium, & errori proximum.* Palaus verò, & alij id etiam censent esse de Fide. Quintò. Neque in approbatione Religionum. Quod esse de Fide censet Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 2. cap. 17.* contra Canum, & alios: atque adeo hæresim esse dicere, Papam errasse in approbatione alicuius Religionis: quod saltem temerarium, scandalosum, & errori proximum censuit Ioannes à Sancto Thomâ.

42 Obijciunt contra hæc. Primò: quòd Ioan. XXII. sensit, Animas non visuras Deum ante diem iudicij: quod aperte falsum. Secundò: quòd aliqui Pontifices approbarunt Libros, in quibus multa non vera continentur. Tertio: quòd Cælestinus III. definitivè videtur, dissolvi Matrimonium per hæresim: quod sustineri nequit. Quartò: quòd Alexander III. ait, Prædecessores suos iudicare, primum Matrimonium ratum irritari per secundum con-

Suarez.

Sup. disp. 3

Supr. disp. 3. sect. 10.

Palaus.

Diana.

Suarez. Can.

Ioan. à S. Thomâ.

firmatum: ipseque statuit, testamenta testibus pluraquam tribus munita esse invalida. Quintò: quòd Innocent. I. vocat præceptum divinum divinâ lege subnixum, maritos viduarum esse irregulares ad Sacerdotium: quòd tamen non est, nisi lex Ecclesiastica humana. Sextò: quòd Cælestinus V. approbavit Religionem Fratricellorum: quam tamen Ioan. XXII. reprobavit. Respondetur sub brevibus ex ijs, quæ latè legi possunt in Historijs Ecclesiasticis.

43 Ad primum: quòd Ioan. XXII. id sensit, ut Doctor particularis: morte tamen præventus id non definit, ut Pontifex. Ad secundum, quòd eiusmodi approbationes non sunt ut plurimum assertivæ de veritate omnium contentorum in Libris; sed de bono zelo, & laudabili studio Scriptoris. Ad tertium, quòd ex cap. Quando de Divortijs, solum colligitur, Cælestinum id privatim sensit; non tamen ex Cathedra definitivè. Ad quartum: similiter dicendum est de Prædecessoribus Alexandri. Addit Palaus, nomine Prædecessorum fortè non intelligi Pontifices; sed privatos Theologos antiquiores se. Quod autem statuit de nullitate testamenti testium pluraquam trium, ait Diana, id fuisse statutum municipale, pro suis dumtaxat Dominijs temporalibus: & fortè ob iustas causas occurrentes. Ad quintum: quòd Innocentius ibi vocat, id præceptum divina lege subnixum: non quia in rigore vocis fuerit præceptum divinum contrapositè ad humanum Ecclesiasticum; sed quia congruentissimè ad divinas leges, seu Scripturas, figuras, & ceremonias veteris Testamenti, statutum fuit ab Ecclesia. Ad sextum: quòd non est contra rectitudinem infallibilem in Religionibus approbandis, sicut neque in legibus ferendis, unum Pontificem abrogare statuta alterius. Nam pro diversitate temporum expediunt, aut non expediunt, distinguendo tempora ad concordanda iura. Addit Diana, non satis constare, Cælestinum approbasse Fratricellos; sed quòd illi prætendebant, se fuisse à Cælestino approbatos.

44 Quid si Papa sine debito examine, & inconsultò procederet ad aliquid Fidei definitivè? Casum aliqui, quos citat, sequiturque Cardenas *dispert. 1. cap. 5.* ad propositiones damnatas per Innoc. XI. iudicant impossibilem; quia eo ipso non

procederet ut Pontifex. Casu tamen admissio, dicunt alij, tunc non fore Regulam Fidei, nec per eiusmodi definitionem fore doctrinam de Fide. Alij verò cum Valentia, & Palao melius dicunt, in eo casu peccaturum Pontificem, sic procedentem ad definiendum; fore tamen infallibilem Fidei Regulam, & rem fore de Fide. Alioquin pateret perniciosum effugium ad eludendas identidem Definitiones Pontificias, prætextu non adhibiti sufficientis examinis, & Consilij Cardinalium, & Theologorum.

45 Quid si Papa incideret in Hæresim? Hunc etiam casum iudicant plures impossibilem, quos refert, & sequitur Diana cit. Diana. ex illa Christi promissione ad Petrum *Luc. 22. Ego rogavi pro te, ut non deficiat.* Luc. 22. Fides tua: quam non personalem tantum ad Petrum; sed communem etiam ad legitimos Petri Successores existimant; ut non solum docere non possint errorem ex Cathedra, quòd supponimus; quin etiam ut nec privatim possint hæreticè deficere. Econtra Canus, Palaus, & alij casum iudicant non impossibilem. Nunquam tamen evenisse comprobant multis Gravina *tom. 4. part. 2. art. 5.* & noviter, ac eruditè Excellentissimus Archiepiscopus Valentinus Fr. D. Ioan. de Rocaberti *tom. 1. lib. 2. post Eminentissimum Bellarminum tom. 1. Controv. 3.* & Eximium Suarez *contra Regem Angliæ*: quidquid, præter Hæreticos, dixerint alij apud Palaum, aliquos Pontifices errasse privatim in Fide.

46 Obijciunt nobis Honorium, Victorem, Liberium, & Marcellinum. Sed numquam satis probant eorum, sicut nec aliorum, hæreses saltem formales: à quibus eos verosimilius defendunt Authores citati. Illud minùs placet in Excellentissimo Rocaberti, quòd ad defendendum à nota Apostasiæ, & Idololatriæ Marcellinum Papam, negat omnino factum. Quod, me iudice, non tam est, satisfacere Hæreticis, Ecclesiam increpantibus; quam illis dare denuò ansam, ut insultent, eo quòd ipsis negemus, quòd in Officio Romano Ecclesiastico, non dudum accuratissimè reformato, recitamus. Certè, qualis qualis sit autoritas historicè contradicendum, tanta mihi non est, ut prævalere debeat apud nos autoritati Officij Ecclesiastici examinatisimi: pro quo stat dilucidè Cabalutius in *Notijs Ecclesiasticis ad ann.* Cabalutius

303. Præterquamquod defensio Marcellini ab hæresi, & errore in prædicto facto concessio, facilis & solida est: dicendo, quod est verisimillimum, non internè defecisse in Fide, sed minis perterritum contra eternam Fidei professionem peccavisse. Id quod de S. Petro Christum negante, postquam audierat à Christo: *Ut non deficiat Fides tua*: similiter exponunt Interpretes apud Cornelium, & Maldonatum.

Alapid.  
Maldon.

47 Ad casum autem positum, sive suppositum num. 43. tria, eo permisso, dicenda sunt Primum: adhuc in eo casu suæ hæresis privatæ errare non posse, proponendo Ecclesiæ ex Cathedra errorem. Secundum: non eo ipso amittere Pontificatum. Tertium: posse tunc per sententiam Ecclesiæ deponi à Pontificatu: non authoritativè auferendo Potestatem Pontificiam; cum Pontifex sit supra Ecclesiam, & non habeat in terris Superiorem; sed indirectè retractando electionem: quæ Ecclesiæ retractatione ritè positâ, Christus auferret Potestatem, qui eam contulit, positâ legitimâ Ecclesiæ electione. Vnde est illud Concilij Sinuessani ad Marcellinum Papam, postea Martyrem inclytum, quando cõparuit convictus de Idololatria externa: *Tuo Te iudicio condemna: quia Prima Sedes à nemine iudicatur.* Plura Bellarm. Suarez cit.

Sinuessan.

SECTIO VI.

*Pontifex Summus viva Fidei Regula in suis Definitionibus infallibilis, seorsim etiam à Concilio, & non expectato consensu Ecclesiæ.*

48 **R**eus essem violatæ in Sedem Apostolicam observantiæ, cui me ex speciali Voto devinctum ad sanguinem usque libenter profiteor, si in hoc tempore, & loco opportunissimo, ubi silentium verti mihi posset in probrum, Thesi præfixæ, cui hac tempestate provocati graviores, ac digniores Theologi in obsequium Sanctæ Sedis pro viribus adlaborant, obolum meum conferre ulla de causa erubescerem.

49 Verisimilissima, & prorsus indubitanda nostra Thesis viguit in Ecclesia sine contradicatore Catholico per sæcula quatuordecim ad tempus usque Concilij Cõstantiensis; quando post Gersonem, Almainum,

Gerson.  
Almain.

& Maior, quibus alij Sorbonici deinceps, & tandem Cœtus Cleri Gallicani Parisijs utcumque coactus an. 1682. adhæserunt, docere aggressi sunt, Papam in definiendo fallibilem esse, eiusque iudicium definitivum reformabile à Concilio futuro. Ut iure scripserit Raynaudus, Author Gallus, in Opusculo *Aphos Epha*, pro veritate nostræ Thesisi stare *Theologos omnes, quæ quot ante Cõcilium Cõstantiense floruerunt: nam non nisi à tempore Concilij Cõstantiensis, & Basileensis, vocata est in controversiam hæc veritas apud Catholicos; sed omnes anteriores unanimiter docuerunt, Definitiones Põtificias absque Concilio Generali editas facere rem de Fide.* Authores, Sanctosque Patres, & Concilia sigillatim congerit Excellentissimus Rocaberti *toto serè lib. 1.*

Maior.

Raynaud.

Rocabert.

50 Nec putandum est, totam Galliã, aut totam Sorbonam contradicere; imò hæc nostra Thesis, ut Gallus etiam Gibalinus scribit lib. 5. de Iur. Can. cap. 3. §. 15. *fuit semper Scholæ Theologicæ Parisiensis, tam in definitionibus, & censuris editis ab ipsa in unum congregatâ, quàm in Scriptis singulorum istius Universitatis Doctorum.* Usque adeò, ut Illustrissimus de Marcâ Archiepiscopus Parisien. an. 1662. in observ. ad Theses Claromont. cum de hac nostra dixisset: *Pars maior non solum Theologiæ, sed etiam iuris Doctorum communi opinioni adheret, ut potè fundamentis nixæ solutu difficillimis: adiungit propter oppositam: Ridetque antiquæ sorbonæ opiniones.* Quoad declarationem autem conventus Parisiensis anni 1682. ne auctoritatem sibi arroget Cleri Gallicani, comprobatur eruditè præclarus Scriptor Libri, quem lustrare potui Romæ, de *Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ in Præf. num. 6.* quod *Episcopi tantum congregati hanc declarationem emisserunt, alijs non mandantibus, nec sua sponte probaturis. Contrariam mentem frequentibus, & liberioribus Comitibus alijs idè Clerus aperuit.* Quid quod ex Episcopis in eodem conventu Parisiensis congregatis fuere postmodum, qui ad Innoc. XI. scripserint *graves suos metus*, ut consentirent: quo quamvis non satis purgentur, ut offensus Pontifex rescripsit; satis tamen indicatur, se non satis liberè libertatibus illis subscripsisse. Ideoque Pontifices Innoc. XI. & Alexander VIII. illius conventus Acta irrita, & nulla postmodum declararunt.

Gibalin.

Marcâ.

Qua.

51 Quapropter, hac aliquorum contradictione non satis obstante, Theologi gravissimi Thesim nostram ad Fidem revocant, & oppositum severè censurant. P. Suarez disp. 5. sect. 8. eam censet esse de Fide: & disp. 20. sect. 3. responsionem cuiusdam negantis, id esse de Fide, vocat *nimis temerariam, & erroneam.* Diana multos citans part. 12. tract. ult. censet, esse de Fide, & *oppositum esse hæresim.* Card. Bellarm. tom. 1. à se correcto, lib. 4. ait *oppositum sibi videri erroneum, & hæresi proximum, ut merito possit in iudicio Ecclesiæ hæreticum declarari.* Idemque sentit Excellentissimus Rocaberti *lib. 1. cap. 1. num. 31.* Idemque saltem P. Valentia 2. 2. quæst. 1. punct. 3. Cardin. Toletus: *errorem manifestum in Fide.* Canus lib. 6. de Loc. cap. 6. se non dubitatur, si Concilio proponeretur, quod daretur, ut *Hæresis.* Idemque Bañez 2. 2. quæst. 1. art. 2. dub. 2. Card. Turrecremata *lib. 2. de Ecclesiæ cap. 11.* ait, esse *perniciosissimum errorem.*

Suarez.

Diana.

Bellarm.

Rocabert.

Valent.

Tolet.

Can.

Bañez.

Turrecr.

Sup. disp. 3.

Lug.

Card. Delugo.

52 Ecce, relictis paucis, qui Thesim nostram negarunt, ex illis, qui eam, ut veram tenemus, sunt qui dicant, esse veram, & iam esse de Fide; sunt qui quamvis dicant, esse veram, dicunt tamen, nondum esse de Fide. Et similiter evenit in aliquibus alijs doctrinis, ut de Papatu huius numero Pontificis vidimus disp. 3. sect. 10. Atque hinc quæstio: an alijs probabiliter negantibus, alijs probabiliter affirmantibus, talem veritatem esse de Fide, debeat, aut reipsâ possit Fidei credi.

53 Cardin. Delugo disp. 1. sect. 13. §. 4. distinguit inter obiectum esse abstractè, ac secundum se de Fide, quod est esse reipsa dictum, seu revelatum à Deo; & inter esse nobis de Fide, ac debere, aut posse fidei credi. Qui docent opinativè, aliquam veritatem esse de Fide, solum docent, illud prius: cum enim revelatum à Deo sit obiectum materiale Fidei, eo ipso quod probabile sit veritatem esse revelatam à Deo, est quoque probabile, eam esse de Fide. Quoniam verò, ut veritas debeat, aut possit à nobis hic & nunc Fidei divinæ credi, non sufficit, esse reipsa revelatam à Deo, sed requiritur, quod taliter nobis constet de revelatione, ut de illa non possimus prudenter formidare, prout possumus, dum est probabile, id non esse à Deo revelatum; propterea qui in prædictis casibus opinantur, aliquid esse Fidei, non pro-

inde dicunt, debere, aut posse hic & nunc Fidei credi: quia per accidens propter opinionem contrariam manet locus prudenti formidini de non revelatione, cum qua formidine stare nequit exercita Fides, ut ex prohibitione Innocentianâ vidimus supra.

Innoc. XI.

54 P. Cardenas *Disert. 14. cap. 5.* non acquiescit quinimò docet, Theologos iudicantes, veritatem aliquam esse de Fide, posse, ac debere eam Fidei credere sine formidine: quod si sine formidine non possint, iudicare non possunt, nec asserere, talem veritatem esse de Fide; atque adeò nec oppositam esse hæreticam. Quippe eo ipso quod iudicent, eam veritatem esse de Fide, iudicant à principijs intrinsicis, iudicium suum de ea veritate esse certum, & oppositum non esse probabile, quantumvis ab extrinseca aliquorum auctoritate probabilis dicatur: implicat enim, id, quod improbabile, certòque falsum iudicatur ab intrinsicis, posse ab ullo extrinseco esse absolute probabile; ut supponit ex Cris. 1. p. disp. 11. cap. 9. cum intellectus nequeat prudenter assentiri obiecto sibi certè falso, quamvis multi dicant esse verum. Illi igitur Theologi sine formidine iudicant, veritatem illam esse de Fide; atque adeò nihil est, quod obstet, quominus illam Fidei credant, ut à Deo revelatam: nam cum omnimoda certitudine stare nequit prudens formido.

55 Antecedens autè huius ratiocinijs probat hoc dilemmate. Vel enim ij Theologi habent, vel non habent formidinem de non revelatione talis veritatis, ac proinde de eo quod talis veritas non sit de Fide: Si habent, ergo nequeunt iudicare, talem veritatem esse de Fide; nam hoc est iudicare esse certam; implicat autem iudicare esse non solum veram, quin etiam certam, & habere de illa formidinem. Si non habent, ergo id iudicant, & asserunt tanquam certum, ut potè sine formidine; atque adeò non cum sola probabilitate, quæ scilicet non excludit formidinem. Vnde eo ipso quod iudicent, & dicant, id esse de Fide, iudicant, à principijs saltem intrinsicis, id tanquam certum, & oppositum improbabile, & certò falsum.

56 Dices: Quando iudicant, & dicunt, talem veritatem esse de Fide, contra alios, qui, quamvis veram iudicent, opinantur, non esse de Fide, distingui debere animum

Rrr iu.

iudicium directum ab alio reflexo : illud enim iudicium : *Hæc veritas est de Fide, hoc est, à Deo revelata* : est directum : hoc autem aliud est reflexum : *Opinor, hanc veritatem esse à Deo revelatam, ideoque de Fide.* Cum autem diversissima iudicia sint; nihil obstat, quòd formido se teneat ex parte istius reflexi; & non ex parte illius directi. En, inquit Cardenas, verba sine re. Quid enim prodest ore me dicere: *Evidens est, solem esse in hoc Hemispherio*; si mente dico : *Incertus sum, an id sit evidens?* Aut qualis est isthæc certitudo, de qua certus non sum? Quemadmodum ergo formido istius actûs reflexi derogat evidentiæ actûs directi; simillimè formido illius actûs reflexi derogat certitudini actûs directi: qui propterea non posset esse actus Fidei, utpotè exclusivus formidinis, non minùs quàm actus evidens.

57 Præterea si Theologi, docentes contra alios, talem veritatem esse revelatam, & de Fide, dicant, se solùm probabiliter id iudicare; esset dicere, se incertos esse, an sit de Fide. Quid ergo prodesset dicere, eam esse certam de Fide, ipsos tamen esse incertos de ea certitudine? Aut quò pacto possent cum ea incertitudine exercere actum reverà Fidei? Quod autem dicebat Cardin. Delugo, esse de Fide in abstracto, & secundùm se; quamvis non possit hîc & nunc Fidei credi; non facile intelligitur, nisi ad eum modum, quo quando sensus probabilis Scripturæ nobis occurrit. Tunc eniam dicimus, eum esse probabiliter revelatum, quin proinde dicamus, esse de Fide. Et ratio est, quia ut sit, & iudicetur absolutè esse de Fide, requiritur plusquam probabilitas revelationis: ne dicamus contra prohibitionem Innocentianam, stare posse assensum Fidei cum formidine; nè non sit loquutus Deus. Nec verum est, quod cit. Cardinalis ait, esse probabile, talem veritatem esse de Fide, sicut est probabile, esse revelatam. Nam ad Fidem non sufficit probabiliter revelatum; sed requiritur certò revelatum, ut non pateat locus formidini.

58 Rursus: Assensus Fidei importat duas certitudines, quas explicuimus *disp. 1. sect. 5.* Vnam formalem connexionis essentialis cum veritate objecti: aliam adhæsivam intellectûs ad objectum. Theologi autem, qui solùm probabiliter, & opinativè iudicant, aliquam veritatem esse

de Fide, nequeunt habere certitudinem adhæsionis: cum enim formido de certitudine sit formido de revelatione, iudicantes solùm probabiliter certitudinem revelationis, illam iudicant cum formidine de non revelatione, atque adeò cum incertitudine de veritate objecti: ergo sine certitudine adhæsionis requisitâ ad assensum Fidei exclusivum formidinis. Quod à fortiori procedit in nostra sententia assensuum cum Suarez, assensum Fidei æquè firmiter, ac proinde æquè sine formidine credere veritatem objecti revelati, & existentiam revelationis. Nec dicas, eos Theologos solùm opinari, talem veritatem habere certitudinem connexionis, quin tamen ipsi habeant certitudinem adhæsionis. Cæterùm sine ista, quem actum Fidei exercere poterunt circa veritatem talis objecti? Certè nullum; nisi illum componere velint cum formidine contra prohibitionem Innocentianam. Si ergo nullus actus Fidei divinæ exerceri potest hîc & nunc circa talem veritatem; quomodo absolutè dicitur talis veritas esse de Fide divina? Cum certum esse debeat, posse Fidei credi, quidquid de Fide est.

59 Tria super ijs utrinque consideratis mihi dicenda videntur pro utili resolutione in præsentia materia, & in alijs similibus frequenter occurrentibus. Primum: ut veritas aliqua censeatur, & dicatur, adhuc probabiliter, esse de Fide, non sufficere, quòd probabiliter sit revelata. Hoc, ni fallor, probant satis rationes Patris Cardenas: quæ, ut vidimus, solidè innituntur prohibitioni Innocentianæ propositionis 21. de qua sæpè meminimus, & habere oportet præ oculis. Addo, nec aliud posse dici iuxta communem, & iam certam sententiam, cum qua diximus *disp. 3. num. 114.* ad hoc ut aliqua veritas particularis sit, & dicatur de Fide, non sufficere, quòd probabiliter contineatur sub universali revelato. Et confirmari potest: quia qui evidenter iudicat, aliquam veritatem esse de Fide, evidenter iudicat, esse certam, & oppositum esse saltem improbabile: ergo qui probabiliter iudicat, eam esse de Fide, probabiliter etiam iudicat esse certam, & oppositum esse saltem improbabile. Atqui prædicti Theologi, qui veritatem solùm probabiliter revelatam dicunt esse de Fide contra alios probabiliter opinantes, nec esse de Fide, nec

Suarez.

Supr. disp. 3. sect. 3.

esse

esse veram, non iudicant, adhuc probabiliter, oppositum esse improbabile, ne contraveniant Decreto Innocentiano, nulla censurâ, aut notâ inuri permittenti opiniones alioquin probabiles: ergo nec probabiliter iudicare possunt, nec nisi temerè dicere, talem veritatem esse de Fide, nec posse Fidei credi, quibuscumque adhibitis reflexionibus.

60 Dicendum secundò, Theologos iudicantes, & absolutè affirmantes, aliquam veritatem esse de Fide, & consequenter oppositum censentes hæreticum, eo ipso debere id affirmare non utcumque probabiliter, quin etiam certò certitudine formali, & adhæsivâ excludente formidinem: ex principijs scilicet intrinsecis sibi satis propositis, non obstante extrinsecâ auctoritate aliquorum opinantium, id non esse de Fide. Nam, ut bene probat Cardenas, stare nequit, ipsos iudicare adhuc probabiliter, rem esse de Fide, simulque iudicare, sibi esse probabile, quòd dicunt alij, id non esse à Deo revelatum: sic enim darent in se locum prudenti formidini de eo quòd non sit loquutus Deus: quòd stare nequit cum Fide ex Decr. Innoc.

61 Dicendum tertio: alios, qui è diverso, dum id permittit Ecclesia, opinantur, eandem illam veritatem non esse de Fide, ex eo excusandos ab Hæresi, veritatem illam negantes: non quia id non est revelatum, cum re ipsa revelatum sit, ut alij supponimus; sed quia non est ipsis sufficienter propositum, id esse revelatum, donec per Ecclesiam definiatur. Non enim diversa hominum ingenia æquè penetrant motiva extantis revelationis.

62 Hoc prodesse potest ad multos casus decidendos, multasque censuras cohibendas, seu temperandas: ne facile hæretici habeantur, qui negant aliquid, quòd nos esse de Fide iudicamus. Monuerim tamen, quòd interdum quamvis sic possint ab hæresi excusari; non ita ab alia censura infra Hæresim, quando negant, quòd multò maior, multòque potior Theologorum pars ex gravissimis fundamentis iudicat, esse de Fide. Et sic saltem res habet in præsentia materia infallibilitatis Pontificiæ, ut Regulæ Fidei, & morum, in discernendo, ac definiendo ex Cathedra: ideoque id negans abs dubio censurâ Theologicâ dignus absolutissimè censendus est: ut clarum fiet ex probationibus

nostræ Thesis. Ex quibus ego, qui certò iudico, infallibilitatem Papæ ex Cathedra loquentis seorsim etiam à Concilio esse certò revelatam, & improbabiler loquutos hoc negantes, absolutè censeo, esse de Fide, & oppositum hæresim esse.

63 Scire iam si cupis, quando Pontifex intelligendus sit loqui, aut definire ex Cathedra, & ut Pontifex, & ut Regula Fidei; disce ex P. Suarez *disp. 5. sect. 8.* tunc esse, & intelligi debere, quando aliquid authenticè univèrse Ecclesiæ proponit, tanquàm Fidei divinæ credendum: aut ex P. Valentia tom. 3. column. 250. *Quoties de rebus Fidei controversis alterutram sententiam ita determinat, ut ad illam recipiendam obligare velit totam Ecclesiam.* In hoc ergo modo res definiendi constanter, & ad sanguinem usque defendimus, Papam seorsim etiam à Concilio esse Regulam infallibilem Fidei.

Suarez.

Valent.

## SECTIO VII.

## Probationes.

64 Prima ducitur ex certa Fide, quòd Christus, alioquin futurus improvidens erga Ecclesiam, quam fundavit sanguine suo, reliquit in ea infallibilem auctoritatem ad res Fidei, & Morum. Hæc autem Auctoritas, accidens cum sit pro Ecclesia visibili, residere necesse est primariò in aliquo subiecto visibili, à quo in alia derivetur. Atqui hoc subiectum nec est unusquisque Fidelium per spiritum suum privatum infallibiliter discernens verum à falso, ut fingunt hæretici: nec est primariò, ac doctrinaliter congregatio omnium omninò Fidelium: cum ob impossibilitatem cõveniendi è toto mundo in unum locum ad decernendum: tum ob ignorantiam, & rusticitatem plurimorum, quorum suffragia attendi in dubijs difficillimis, esset evidèter ridiculum, sicut regimen activum oculis committi pariter Pastoribus, & ovibus: nec est primariò, & unice congregatio Episcoporum in Concilio Generali: quòd rarissimè, ac difficillimè congregatur: sic enim non satis providisset Christus Ecclesiæ suæ pro dubijs quotidie occurrentibus in materia Fidei, & morum, & pro dissidijs inter Principes, & Nationes, promptam expeditionem requirentibus, nè inter moras Concilij convocandi exitalia mala serperent,

rent, & cuncta pessum irent. Necessè igitur est, quòd eiusmodi auctoritas infallibilis resideat post Christum, tanquam in subiecto primario, in Vicario Christi, Ecclesie visibilis visibili Capite, Pontifice Summo, seorsim etiam à Concilio.

**S. Thom.** 65 Hinc S. Thom. 2. 2. quæst. 11. art. 2. ait: *Auctoritas Ecclesie principaliter residet in Summo Pontifice: scilicet, tanquam in subiecto primario.* Et probat

**Iur. Can.** ex iure Canonico 2. 4. quæst. 1. ibi: *Quoties Fidei ratio ventilatur, arbitror, omnes Fratres nostros, & Coepiscopos non nisi ad Petrum, id est, ad sui nominis Auctoritatem, referri debere.* Quid ad hæc, qui non acquiescentes Definitionibus Pontificijs, illas, ut infallibiles habeantur, referre affectant ad futurum Concilium? Audiant Hieronymum ibi à iure citatum, scribentem ad Damasum: *Hæc est Fides, Papa*

**Hieronim.** *Beatissimè, quam in Catholica didicimus Ecclesia: in qua si minus peritè, aut parum cautè fortè aliquid positum est, emendari cupimus à Te, qui Petri Fidem, & Sedem tenes. Si autem hæc nostra Confessio Apostolatus tui iudicio comprobatur, quicumque me culpæ voluerit, se imperitum, vel malevolum, vel etiam non Catholicum, non me hæreticum comprobabit.*

**S. Thom.** 66 Idem S. Thom. quæst. 1. art. 1. statuens, Pontificis esse, ordinare Symbolum, dat rationem: *Siquidem nova editio Symboli necessaria est ad evitandum insurgentes errores: nè videlicet plus nimio, irreparabiliter grassarentur inter moras cogendi, & celebrandi Concilij. Et mox: Ad illius ergo auctoritatè pertinet editio Symboli, ad cuius auctoritatè pertinet finaliter determinare ea quæ sunt Fidei, ut ab omnibus inconcussa Fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, &c.* Datque paulò post ulteriorem rationem: *Quia una Fides debet esse totius Ecclesie secundum illud 1. ad Corinth. 1. id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis Schismata. Quod servari non posset, nisi quæstio Fidei de Fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesie præest: ut sic eius sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur. Et ideo ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio Symboli: sicut & omnia alia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam, ut congregare Synodum generalem, & alia eiusmodi.*

67 Secunda probatio ducitur ex su-

premitate Auctoritatis Pontificiæ supra Concilium, & Ecclesiam. Ea enim auctoritas infallibilis ad definiendas Fidei, ac morum controversias, pertinet ad supremam, quam Christus in Ecclesia reliquit, potestatem. Hanc autem residere in Papa, definitum est in Concilio Constantiensi legitimo. Nam Martinus V. ann. 1418. Constit. *Inter cunctas*, qua Concilio iam pleno damnavit errores Viclephi, & Hus, dans robur infallibile eorum damnationi factæ à Concilio nondum sic pleno sess. 3. pro exploratione suspectorum de hæresi præscripsit hunc formulæ articulum 25: *Utrum credat, quòd Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, eius nomine propria expresso, est Successor Divi Petri, habens supremam potestatem in Ecclesia Dei.* Certum igitur omnibus esse debet ex Fide, eum hominem, qui pro tempore fuerit ritè electus in Papam, ut feliciter nunc est SS. D. N. Innocentius XII. habere potestatem Supremam in Ecclesia Dei: atque adeò non eam per se habere Concilium, ut à Papa distinctum: monstrum enim esset in eadè Ecclesia duplex potestas, utraque suprema: ut per se est evidens. Ergo unice residet hæc, tanquam in subiecto primario, in Papa.

68 Atque hinc P. Valentia tom. 3. q. 1. de Fide convincit Parisienses, qui auctoritatem Concilij aggressi sunt statuere supra Papam: non solum tempore Schismatis supra Papas incertos, quod verum est; quin etiam supra certum, & indubitatè legitimum: quod est apertissimè falsum, ut probat hoc discursus: *Eius tantum est, controversias Fidei cum infallibili auctoritate determinare, cuius est in Ecclesia suprema post Christum potestas spiritualis: sed suprema hæc potestas dumtaxat Romani Pontificis est: ergo, &c.* Et postquam has præmissas probavit, subdit: *Atque hinc profectò illorum Authorum sententia manifestè revincitur, qui Concilium universale Pontifice superius faciunt. Pugnans enim illi reverà, licet non advertentes, cum certissima Fide de Divi Petri, ac Romani Pontificis Primatum. Consonat Card. Bellarm. lib. 1. de Rom. Pontifi. cap. 16. nomine Catholicorum omnium scribens: Nobis certum, exploratumque est, omnes omnino Christianos, etiam Apostolos, Petro tanquam oviculas commendari, cum ei dicitur: Pasce oves meas.* Sic hæc Christi verba exponit Maldonatus,

Constant.  
Mart. V.

Valent.

Bellarmin.

Maldon.

&

Bernard.  
Christost.  
Cyprian.

& apud ipsum S. Bernardus, Christostomus, & Cyprianus contra Lutheranos, & Calvinistas. Sed hoc pertinet ad seq. probationem.

69 Tertia probatio ducitur ex Primatu Romani Pontificis. Certum enim inter Catholicos est, Papam succedere Petro non solum in Episcopatu Romano, quin etiam in Pontificatu, & Primatu totius Ecclesie ex iure divino, ut monstrat Bellarm. lib. 2. à cap. 12. Quod Eximius Suarez disp. 5. sect. 8. expressit sic: *Ex communi sensu, ac Traditione Ecclesie, & Patrum omnium constat, Christum instituisse Primatum Ecclesie in Persona Petri, ut in Successoribus eius perpetuò duraret. Et ita hic est Articulus tenendus, non solum tanquam de Fide, sed tanquam unum ex præcipuis fundamentis Fidei, & maxime necessarium ad tollendas hæreses, & Schismata.* Id quod post multos alios comprobabat Excellentissimus Rocaberti ex Concilij præsertim Niceno, Constantinopolitano 1. & Chalcedonen: quibus accessit Florentinum sess. 25. in Decr. Fidei, ibi: *Definimus, Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in Universum Orbem tenere Primatum.* Et Lateranen. ultimum damnans hanc Lutheri propositionem: *Romanus Pontifex Petri successor nõ est Christi Vicarius super omnes totius mundi Ecclesias ab ipso Christo in B. Petro institutus.* Sequitur liquidò, Papam habere Primatum supra congregationem reliquorum omnium Episcoporum. Pulchrè Bernardus: *Habent illi sibi designatos greges, singuli singulos; Tibi universi crediti: unius unus: nec modò ovium, sed & Pastorum: Tu unus omnium Pastor.* Infero. Ergo Primatus iste potestatis spiritualis, & iurisdictionis necessariò dicit supremam auctoritatem in Ecclesia: à qua nequeat appellari ad aliam superiorem potestatem iudicium Papæ reformare: sicque Concilium ut distinctum à Papa non illam habet, ut primarium subiectum.

Bellarmin.  
Suarez.

Rocabert.  
Nicen.  
Constantin.  
Chalced.  
Florent.

Lateran.  
Luther.

Bernard.

70 Atqui Suprema in Ecclesia potestas consistere nequit sine infallibilitate: in definiendo per nullam aliam Ecclesie potestatem reformabili: eam ergo infallibilitatem irreformabilem à Concilio habere Papam in definiendo necesse est. Probarur assumptum: nam eo ipso quòd non esset infallibilis in definiendo, posset falli, corrigi & reformari ab alia potestate,

nempe Concilij. Vel igitur hæc alia potestas est in Ecclesia Suprema, vel non? Si dicas esse supremam, componis contradictionè duas potestates supremas in Ecclesia Dei. Si dicas non esse supremam, ecce absurdum evidentissimum, & immane: quòd nempe casu illo adversariorum, quo Papæ iudicium in definiendo falleretur Papa obliuente, ac retinente potestatem supremam in Ecclesia, quæ non pariter inest Concilio, ut à Papa distincto, in qua potestate cogeretur à Concilio deponere iudicium suum? Imo Papa auctoritate suâ unice supremam cogeret Fideles ad assentiendum iudicio suo. Et ecce perturbatio Ecclesie præ confusione: cui certe non satis esset provisum, nisi per infallibilitatem in definiendo irreformabiliter per Concilium.

71 Rursus. Si Christus eam infallibilitatem reliquisset, non in Papa seorsim, sed in Congregatione Episcoporum, tanquam in subiecto primario; ergo non in uno potius Episcopo, quam in alio, sed in ipsorum communitate quâ tali. Iam ergo ante congregatam eam communitatem, ad quem spectaret convocatio, cum nullus supra alium habeat potestatem? Ecce nodum alium indissolubilem. At detrusus, congregari industria Principum, aut ex ipsorum conventionem per Epistolas; & iam esse in puncto ferendi iudicium definitivum: cutrant suffragia, & cum suo etiam suffragio concurrat Papa, sicut unus de cæteris: persistat Papa cum minori parte suffragiorum pro sua pristina definitione non reformandâ: prævaleat numero pars altera pro reformandâ. Certè, si penes communitatem, ut talem, reliquisset Christus supremam auctoritatem, & infallibilitatem, penes istam maiorem partem staret infallibilitas, quantumvis renitente Papâ. Ecce ergo potestatem definiendi controversias Fidei in communitate Concilij sine confirmatione, & consensu Papæ habentis supremam in Ecclesia: contra quòd *Fide Catholicâ certum est, ut loquitur doctissimus Salazar cap. ult. Salazar de Conceptione, nec plures Concilij Patres, nec omnes efficere posse doctrinam aliquam de Fide, nisi accedat eorum suffragijs approbatio Summi Pontificis.* Quocirca Palchalis 1. allegatus in Cap. Significasti de Electione dixerat: *Omnia Concilia per Ecclesie Romanæ auctoritatem, & facta sunt;*

Paschal. 1.

&

*Nicol. 1.* & robur acceperunt. Et Nicolaus 1. epist. 7. ad Orientales: In Universalibus Synodis quid ratum, quid prorsus acceptum, nisi quod Sedes Petri probavit, ut ipsi scitis, habetur? Et punctum Conc. Tridentinum Sess. 7. Can. 3. de Baptismo clarè docet, quòd Ecclesia Romana est omnium Ecclesiarum Mater: & quidem non nisi propter Magisterium Summi Pontificis.

72 Quarta probatio ducitur ex Regimine Ecclesiæ perfectè Monarchico. Christus reliquit Ecclesiæ regimen absolute Monarchicum, in quo autoritas suprema sit penes unum, ad quem maiores causæ referantur: quamvis aliquid Aristocratiae immisceatur. Quod est ita certum, ut Card. Bellarm. lib. 1. cap. 5. Et Duvalius Sorbonicus part. 1. quest. 2. de suprema potest. Papæ, testentur in hoc convenire Catholicos omnes: & Suarez disp. 9. sect. 6. censet, id esse de Fide: & Gerson ipse Considerat. 1. de Statib. Ecclesiæ censet Schismaticum, & hæreticum negare, Statum Papalem institutum esse à Deo supernaturaliter, & immediatè, tanquam habentem Primatum Monarchicum, & Regalem in Ecclesiastica Hierarchia. Vnde censuit Duvalius, à nemine citra Fidei iacturam posse negari: & Universitas Parisien. censuravit, ut hæreticam, doctrinam Marci Ant. de Dominis asserentis, Christum non instituisse in Ecclesia sua gubernationem Monarchicam; sed per multos Ministros sine uno Monarcha mortali regere perfectè, & gubernare Ecclesiam. Quam veritatem solidè comprobant Prius II. in Bulla Retractationum, & S. Thom. 4. contra Gent. cap. 76.

73 Ergo Papa ratione sui Primatus, & Monarchiæ Spirituales est supremus controversiarum Fidei Index, à cuius sententia non sit appellatio ad Tribunal Fidei superius in Terra. Evidens enim est, aut in Ecclesia non esse iudicem Fidei supremum, à quo nequeat appellari; aut hunc esse supremum Ecclesiæ Monarcham: atque dari supremum Fidei iudicem, à quo nequeat appellari, est certum: ergo & hunc esse Ecclesiæ Monarcham, nempe Papam. Minoris rationem dat S. Thom. cit. Nam de Fide est, Ecclesiam esse unam ex Symbolo: Unam Sanctam Ecclesiam. Jam ad unitatem Ecclesiæ requiritur, quòd omnes Fideles in Fide conveniant. Circa ea verò, quæ Fidei sunt, contingit, quæstiones moveri. Per diversitatem autem sententiarum

divideretur Ecclesia, nisi in unitate per unius sententiam conservaretur. Exigitur ergo ad unitatem Ecclesiæ conservandam, quòd sit unus, qui toti Ecclesiæ præsit. Manifestum est autem, quòd Christus Ecclesiæ in necessarijs non deficit, quam dilexit, & pro ea sanguinem suum fudit. Præest igitur Index hic, & Pontifex Summus cum autoritate infallibili. Si enim hanc non haberet, non posset unitatem Fidei conservare: impotius causa foret, quòd erraret Ecclesia.

74 Quinta probatio est extensio doctrinæ ad independentiam infallibilitatis Pontificiæ à consensu Ecclesiæ citra Concilium diffusæ, contra audaciam Episcopi Tornacensis, qui conventui Parisiensi interfuit ann. 1682. & postea scripsit, esse conditionem indispensabilem, ut definitio Papalis sit infallibilis, quòd ab omnibus singulatim Ecclesijs recipiatur: quæ conditione positâ, & non aliter, ait, quòd inconcussa, ac perpetua Autoritatis maneat, ac si in Universalis Concilio esset confirmata. Profecto cum Pontifex sit in controversijs supremus, & Monarchicus Index, in illo, ut in Capite, residere debuit potestas infallibiliter definiendi, quin ad id sit expectandus alius Ecclesiæ consensus, sicut, ut diximus, nec Concilij. Absurdum namque foret prorsus irrationabile, firmitatem sententiæ Magistri Universalis à Christo instituti pro tota Ecclesia pendere à consensu Discipulorum: Summum omnium Pastorem pro delectu doctrinæ, qua pascuntur Oves, pendere à iudicio Ovium: & Papam immediatè habentem à Christo potestatem definiendi, sicut quilibet Sacerdos consecrandi, non eam absolute infallibiliter exercere posse sine consensu Populorum, sicut quilibet Sacerdos potestatem consecrandi sine consensu adstantium.

75 Certum deinde est, Christum illa verba: Tibi dabo claves Regni Cælorum: per quæ significatur Suprema Potestas, non dixisse ad Communitatem Ecclesiæ; sed immediatè ad Petrum, eiusque Successores: sicut potestas consecrandi committitur immediatè singulis Sacerdotibus non expectato Populi consensu. Vnde sicut diximus, potestatem Papæ infallibiliter definiendi esse supra Concilium; sic etiam eadem certitudine supra omnem omnino Ecclesiam: atque adeo ad infallibilitatem suarum definitionum non expectandum esse

Matth. 16

esse consensum Ecclesiæ, sicut nec Concilij. Quis, precor, Fidelium ad Fide credendum, quod Pontifex definit esse de Fide, curet unquam, quid alij faciant, dummodo certificetur de Pontificia definitione? Aut quis dubitet, Cardinales assistentes Pontifici definiendi non posse statim Fide credere veritatem de Fide definitam? Aut quis sanè mentis dixerit, nec primum, nec secundum, nec tertium, qui assentitur tali veritati ut à Deo revelatæ, exercere posse actum Fidei Theologicæ, donec videlicet sciret creditam per Ecclesias Orbe toto diffusas, ut exinde definitio hauriat infallibilitatem? Hæc quidem paradoxa sunt.

76 Præterea. Infallibilitas Definitionis Pontificiæ eatenus pendere posset à consensu Ecclesiæ, quatenus hæc est incapax errandi in Fide: nam à capaci errandi nequit Definitioni advenire infallibilitas. Atqui Ecclesia est capax errandi secundum aliquam sui partem; imò & secundum magnam, ut erravit tempore Ariatorum, quando in Conc. Ariminen. damnatio Nicenæ Fidei conclamata fuit, & ingemiscens Orbis terrarum, se Arianum esse miratus est: solumque est omnino certum, Ecclesiam totam errare in Fide non posse. Si igitur infallibilitas definitionis penderet ex consensu Ecclesiæ, penderet quidem ex consensu totius Ecclesiæ. Vnde non posses Fide credere rem de Fide definitam à Papa, donec certus esses, totam Ecclesiæ communitatem consensisse: quod est nobis impossibile: ideoque ridendum potius, quam impugnandum. Certum ergo maneat, expectandum non esse consensum Ecclesiæ, ut definitio Pontificiæ infallibilis, & inconcussa sit.

77 Insuper: quia sic definitio Pontificiæ solum esset infallibilis conditionatè: si nempe accedat consensus totius Ecclesiæ. At huiusmodi infallibilitatem habet quoque definitio cuiusvis Episcopi, imò & privati Doctoris, ut est per se non minus clarum, quam absurdum. Sicut etiam, quòd esset in potestate cuiuslibet Ecclesiæ facere non consentiendo, ne definitio infallibilis esset: & ut Ecclesiam Gallicanam ij Parisienses arbitram faciant infallibilitatis definitionem Papaliam, quamlibet mundi Ecclesiam similiter arbitram facere: quo quid monstruosius?

78 Denique. Principium est apud om-

nes Catholicos certum, apud Bellarm. lib. Bellarm. 4. cap. 2. & Valentiam tom. 3. column. 241. Valent. Papam in dubio controverso inter Catholicos, sibi ad resolutionem delato, decidentem pro una parte, alteram hæreticam declarando, omnes obligare, ut ei obediant, eiatque se iudicio submittant, ut ex iure vidimus num. 63. ibidem: Maiores causas, Iur. Can. præsertim circa articulos Fidei contingentes, ad Sedem Petri referendas intelligit, qui novit, pro eo Dominum orasse, ne discerneret Fides eius. Sic Africana Concilia in dubijs Fidei circa Pelagium, & Cælestium consuluerunt Innocentium I. & Zosimum, qui eos damnarunt, auctore Augustino 2. Augustin. Retract. 50 Sic anno 1653. plusquam octoginta Episcopi Gallicani circa Iansenium consuluerunt Innocentium X. sic præfantes: Maiores causas ad Sedem Apostolicam referri, solemnis mos est: sicque precantes: Precamur, Sanctitas tua, quid hæc in re tenendum sit, clarè; & si nullo modo definiat: ad quorum preces mandavit omnibus Christi Fidelibus sub poenis iuris contra hæreticos: Ne de quinque Propositionibus Iansenij aliter sentiant, quam in Bulla continentur: qua definitione positâ omnes Christi Fideles illas, ut hæreticas, habere abs dubio tenemur, iuxta S. Thom. 2. 2. quest. 1. art. 2. ibi: Papæ determinante iudicialiter, & definitivè, aliquid esse hæreticum, & ab Ecclesia pro hæresi habendum, constat, quòd omnes tenentur acceptare: Et hære. eius censetur, quicumque de cætero teneret oppositum pertinaciter.

79 Modò sic. Si Papa tunc errare posset, & erraret, omnes Christi Fideles posset, imò & obligarentur errare in materia Fidei; cū in re dubiâ inter Catholicos teneantur se conformare, ac submittere iudicio Summi Doctoris definiendi ex Cathedra: cui nempe ratione sui Primatus hæc saltem obedientia debetur, ut sapienter P. Valentia tom. 3. Colum. 199. nomine eius Primatus intelligens, talem auctoritatem, cui omnes Fideles in utroque foro, interno, & externo, parere debent in ijs, quæ spectant, vel ad mores, vel ad cultum, vel ad Fidem: id est, in salvis negotio. Vnde si Papa in definiendo erraret, omnes obedientes errarent in credendo, quòd ille credi præciperet: quod est horrendum præcipitium. Cū igitur impossibile sit, totam Ecclesiam errare in credendo, impossibile certo est, errare Papam in definiendo,

niendo , ac determinando ex Cathedra controversias Fidei, & morum. Vnde tallium definitionum infallibilitas clarissimè convincitur.

SECTIO VIII.

Evasiones.

80 Hanc vim ineluctabilem evadere aggressi sunt aliqui, limitando doctrinam nostram ad controversias iuris, fatentes definitiones Pontificias esse quidem infallibiles in controversijs de iure; non tamen in controversijs de facto: nam in facto, inquit, errare potest Papa, & corrigi à Concilio. Et in id adducunt Bellarminum lib.4. de Pont. cap.2. dicentem, Pontificem, etiam ut Pontificem, errare posse in controversijs de facto. Sed adducunt malè: nam addit: particularibus: ut in causis forensibus inter privatas Personas per testimonia particularia. Sicque non loquitur de ijs, quæ definit pro tota Ecclesia. Nec obest illa reduplicatio, ut Pontificem: nam etiam addit: cum Concilio generali: non ut extrahat subiectam materiam à controversijs, seu causis particularibus, quæ interdum agitantur etiam in Concilijs; sed ut significet, supremam iurisdictionem ad illas decidendas spectare ad Pontificem, ut iudicem Supremum in terris, etiam circa particularia. Sic etià, & non aliter intelligendi sunt Baronius, & Spondanus.

81 Itaque tenendum omnino est, Pontificem ex Cathedra universaliter pro tota Ecclesia definientem esse Regulam æquè infallibilem, tam in controversijs Facti, quam Iuris. Certum enim est, Ecclesiam universam, cuius Caput est Papa, non posse in credendo errare. Atqui si posset in doctrina Facti, posset ex Cathedra errare Papa: ergo æquè nequit errare Papa ex Cathedra in doctrina Facti, ac Iuris. Minor pater: nam Papa summâ potestate aliquid universaliter definiens in facto, districtè iubet sub anathemate, id teneri à tota Ecclesia: sicque tota Ecclesia cum ipso induceretur in errorem.

82 Atque hinc est, quòd multa in Facto definiunt Pontifices, sive cum, sive sine Concilio, ut in Eucharistia non manere substantiam panis: Christum in Cœnâ aquam vino miscuisse: in Baptismo, &

Confirmatione imprimi caracterem: Ecclesiam antiquitus agnovisse Indulgentias: Deiparam mansisse semper Virginem: Hanc per totam vitam evitasse cuncta mortalia, & venialia personaliter. Hæ quidem doctrinæ in Facto sunt. Quis autem dubitet, eas mansisse de Fide post definitiones Pontificum? Alioquin facile cuique foret, eludere definitionem Pontificis, si definirer, B. Virginem non contraxisse originale, aut Lutherum non fuisse à Deo missum ad reformandam Ecclesiam.

83 Aliam evasionem meditati sunt alij Parisienses apud Navarrum in Cap. Novit de Iudicijs, Notabili 3. dicentes, contra tertiam præsertim probationem nostram de Vicariatu Successorum Petri, verum esse, quòd Christus reliquit Ecclesie suæ potestatem Supremam, & infallibilem definiendi; at eam, contulisse Communitati Episcoporum; ut exercendam tamen per unum, nempe per Pontificem Romanum, dum Episcopi non sunt conciliariter congregati: qui non nisi tanquam Minister Ecclesie, seu Vicarius Concilij, dum hoc nõ est congregatum, damnare possit hæreses emergentes, sanamque doctrinam Fidelibus vice Concilij proponere, & ad illam omnes obligare.

84 Cæterum iuxta turpem istam evasionem Papa non erit absolutè Vicarius Christi, sed Vicarius Vicarij, nempe Concilij. Absolutè namque Vicarius Christi ille est, cui Christus Supremam auctoritatem communicavit in Ecclesia sua. Si igitur illam primariò, & principaliter communicavit Concilio; Papæ verò solum secundariò, & ut Ministro Concilij suppleti eius vicis, Concilium erit absolutè Vicarius Christi; & Papa non Christi, sed Concilij. Quemadmodum enim Vicarius Episcopi absolutè non est Episcopus, nec Vicarius Regis est simpliciter Rex, nec Vicarius Papæ est Papa; sic Vicarius Vicarij Christi non erit absolutè Vicarius Christi. Quod est erroneum, & hæreticum, definiente Florétino Sess. 25. in Lit. Union. Romanum Pontificem esse verum Christi Vicarium, & totius Ecclesie Caput: postquam id ipsum definierat Innocentius IV. cap. Ad Apostolicam de Re iudicata. in 6. approbante Concilio Lugdunensi. Et in Constantinensi contra articulum 37. Viclephi definitur, Papam esse proximum, & immediatum Vicarium Christi.

Navarr.

Florent.

Innoc. IV.

Lugdunen.

Constant.

Præ-

85 Præterea. Si Papa non esset immediatè Vicarius Christi, sed Concilij, aut Ecclesie à Concilio representata; ergo congregato Concilio, Papa fuisset iam defunctus munere suo gubernandi Ecclesiam vice Concilij non extantis: sicque extante Concilio volente per se condere decreta, & Ecclesiam gubernare, deberet Papa abstinere ab usu iurisdictionis sui Vicariatus: cum certum sit, præsentè proprietario, & volente per se gubernare, eius Vicarium cessare ab exercitio. Videmus tamen, hoc nunquam fuisse sic intellectum in Ecclesia Christi; quandoquidem tempore Concilij non cessat Papa à Vicariatu, nec potest per Concilium impediri à gubernatione Ecclesie.

86 Sequeretur deinde, quòd frustra exigeretur à Concilijs confirmatio Pontificis ad Fidei decreta; cum posset Concilium, contradicente etiam Papâ, definitionem facere infallibilem, illam intimare toti Ecclesie, sub obligatione acceptandi, & credendi. Quoties enim Proprietarius vult per se immediatè iudicare, non eget subscriptione Vicarij; ut eius decreta robur habeant. Sic Papa pro Roma non eget consensu, confirmatione, aut subscriptione sui Vicarij, quando vult aliquid decernere; nec Rex sui Proregis, quando per se regere vult. Decreta autem Conciliorum non habere vim obligandi Ecclesiam, nisi confirmante Papâ, certum est ex Synodo septima Gener. Actione. 6. ubi: Non est legitimum Decretum Generalis Concilij, quod sine Romano Pontifice, aut eius Legato fit. in Episc. ad Episc. Dardania, & tom. de vinculo anathematis, ut extat in eius Epistolis decretalibus, latè probat Concilia sine approbatione Papæ infallibili auctoritate carere.

Synod. 7.

Gelas. 1.

S. Thom.

Florent.

87 Rationem dat S. Thom. 2. 2. q. 17. art. 10. Quia questio Fidei exorta debet determinari per eum, qui toti Ecclesie præest, ut sic eius sententia à tota Ecclesia teneatur. Sed Concilium, ut seorsim à Papâ indubitato, non toti Ecclesie præest: ergo, Papâ renuente, nequit quæstionem Fidei determinare, ut sic à tota Ecclesia teneatur. Minor constat ex Florentino, ubi nuper definiente Summo Pontifice in uni versum Orbem tenere Primatum, esse Successorem B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesie

Caput, & omnium Christianorum Patrem, atque Doctorem. Sicut ergo Papa non definit esse Papa, tempore Concilij, ita nec definit habere Primatum in Orbem, nec definit esse Pater, & Doctor omnium Christianorum: ergo ille semper est, qui præest Ecclesie, à quo debet determinari quæstio Fidei.

88 Manifestus igitur est error, quòd sine consensu, imò & cum dissensu Papæ indubitati valeat Concilium quæstiones Fidei determinare, totique Ecclesie proponere, ut eius sententiam sub obligatione teneat. Siquidem, ut seorsim à Papâ non est totius Ecclesie Caput, nec Christianorum omnium Pater, & Doctor; sed representat corpus, cuius Caput est Papa: nec est universalis Pastor; sed representat ovile Christi, cuius Pastor universalis est: Papa: nec est summus Magister; sed representat Ecclesie Scholam, cuius Magister summus est Papa. Vnde concludit optimè S. Thom. ex eo: quòd quæstiones Fidei debeant determinari ab eo, qui toti præest Ecclesie, hoc pertinere ad Papam.

89 Idcirco Concilia in omnibus Ecclesie sæculis, ut longâ inductione comprobant Card. Turrecremata lib. 3. cap. 6. 8. 34. 35. 36. & 38. Et Excellentissimus Rocaberti lib. 1. cap. 9. Pontificiam confirmationem petierunt, ut firma, certa, & manerent eorum decreta. Ut extradubium sit, auctoritatem infallibilem definiendi res Fidei, ac morum, & ad obligandam potestativè totam Ecclesiam, relictam esse à Christo, tanquam in subiecto per se primatio in Romano Pontifice, ut Vicario absolutè suo, & non Concilij. In quo quidem, quamvis detur auctoritas ad definiendas res Fidei, cum in Concilio Episcopi sint etiam Iudices, & non solum Consiliarij; non tamen est primaria subordinans sibi totam omnino Ecclesiam, sed subordinata Papæ, ut Capiti Ecclesie vice Christi, & indigens Papæ confirmatione, ut definitionem faciat infallibilem, aut saltem, ut infallibilitas innotecat Ecclesie cum obligatione sub anathemate tenendi doctrinam definitam. Ad hunc modum in Regijs Senatibus Senatores quidem Iudices sunt, subordinati tamen iudicio Monarchæ, à quo nisi confirmetur sententia, executionem non habet.

Turrecre.

Rocabert.

## SECTIO IX.

## Difficultates.

90 **O**bjicitur prima contra hoc ultimum. Nam, ut diximus *sect. 4.* Concilium generale est Regula Fidei, atque adeo infallibilis autoritatis, etiam seorsim; & antecedenter ad confirmationem Papæ subsequutam, ut ibi diximus ex Suarez *disp. 5. sect. 2.* quem sequuntur Illustrius Salazar *cap. 43. de Concept.* Amicus. *Amic. disp. 6.* Martinon. *disp. 9.* Perez Benedictinus in *Pentatheuco Fidei tract. de Concilio dist. 7. cap. 6.* & Duvalius *part. 4. quest. 6.* Non autem esset per se Regula Fidei, si ad infallibilitatem in definiendo indigeret confirmatione Papæ. Si igitur eâ non indiget, ut eius definitiones infallibiles sint: ergo supra Papam est, potensque aut reformare, aut infallibilizare definitiones Papæ.

91 Respondemus, stando doctrinæ, quam expressimus *sect. 4.* & iuxta illam concedendo maiorem: intellectam, ut ibi, de Concilio celebrato cum autoritate Papæ legitimi, dum certus, & indubitatus sedet in Cathedra Petri, & de confirmatione subsequuta; cum iam in assensu legatorum nomine Papæ præsentium præferat consensum, & approbationem Papæ, quantum sufficit ad infallibilitatem definitionum. Negamus tamen minorem. Nam ut sit Regula Fidei directiva sufficit, quod eius definitiones Conciliares infallibiles sint: quod non tollit necessitatem approbationis, & confirmationis Pontificiæ ad hoc, ut non solum infallibiles sint; sed ut iuridicè intimentur toti Ecclesiæ per vim sub pœnis coactivam, & cum obligatione universaliter credendi; ut bene distinguit Duvalius Sorbonicus. Ex quo dat rationem Salazar citatus: quia quamvis approbatio Papæ non requiratur ut dans infallibilitatem legitimæ definitioni Concilij, requiritur ad declarandum, & intimum Concilium legitime, riteque processisse. *Episcoporum, inquit, suffragia non aliter ad definitiones dogmatum ad fidem spectantium præstare possunt, nisi rite, ac legitime procedant, & directionem à Summo Pontifice acceptam tenentes, sub obedientia illius in omnibus, & singulis maneant. Nam si aliter se gerant, non possunt loqui nomine totius Eccle-*

*sia, qua nunquam non Capiti suo subiecta admissa est. Quapropter, postquam omnes Episcopi, aut maior ipsorum pars in aliquo dogmate concordēs sententias dixerunt, antequam id, quod ita suffragijs suis proferendum putarunt, pro certo, ac infallibili habeatur, de legitimo procedendi modo, & eorum obedientia constare debet. Huius autem rei iudicium ex natura rei ad solum Pontificem spectat: nam in causa eius subiectionis, quam omnes Fideles ipsi debent, ipse solus sententiam dicere potest.* Sic etiam in re sensisse in Tridentino Cardinem Lotharingum, legi potest in eius verbis apud Cardin. Pallavicinum *lib. 21. Hist. Pallavic. Trid. cap. 6.*

92 Ex ijs illatio, & subillatio objectionis falsa est, & omnino nulla. Præmissis namque quod aiunt aliqui, Concilium legitime congregatum, ut seorsim à Papa, errare posse in decreto Fidei, ut contigisse fertur in Ephesino II. eo quod ut Concilium dicatur errare, seorsim à Papa, satis est errare maiorem partem, cui Christus non promissit infallibilitatem; sed saniori, cui Christi Vicarius adhæreat, ut tenent Bellarm. *lib. 2. de Concil. cap. 11.* & Valentia *tom. 3. quest. 1. punct. 7.* damus decreta Fidei in Concilio esse infallibilia pro priori ad confirmationem Papæ, & obligare totam Ecclesiam, & Papam ipsum ad assensum. Negamus tamen, adhuc exinde inferri, Concilium esse supra Papam in controversijs Fidei, posseque publicum Papæ iudicium definitivum Fidei à Concilio reformari, declarando falsam fuisse definitionem Papalem.

93 Primò: quia ut fatebatur ad Legatos Pontificios in Tridentino Cardin. ipse Lotharingus, Pontifex est supremus Ecclesiæ Iudex: implicat autem in terminis supremum iudicium reformari posse ab alio eiusdem Communitatis. Secundò: quia ex eo quod Pontifex teneatur, etiam decretis Concilij fidem habere, non inferitur edita esse à Concilio, ut à Superiori Pontifice; sed ut afflato ab Spiritu Sancto: sicut Petrus debebat habere fidem Epistolis Pauli, & Christus Scriptis Prophetarum, & Papa definitionibus suorum Prædecessorum; sine inferioritate ad illos. Effet ergo in Pontifice obligatio illa in conscientia non erga Concilium, ut sibi superioris, & ut sibi præcipiens; sed erga Deum, ut sibi loquutum per Concilium: sicut potest

test Deus loqui Prælato mediâ revelatione factâ subdito.

94 Itaque ex eo quod Concilium legitime congregatum, manensque in obedientia Papæ, sic infallibilis Regula Fidei, pro priori etiam ad confirmationem specialem, & expressam Papæ, non sequitur esse supra Papam, nec esse Supremum Iudicem Fidei: sed solum sequitur esse duas infallibilitates, & Regulas Fidei: unam Papæ ex Cathedra definiens, ut Vicarij Christi, & Supremi Iudicis in terris: aliam Concilij legitimi: cum discrimine, quod illa utpote à Supremo Ecclesiæ Iudice visibili, obligat totam Ecclesiam seorsim à consensu Concilij; ista verò saltem coactivè, utpote à iudice subordinato, non nisi consentiente, & approbante Papâ, per quem notificatur Ecclesiæ, Concilium rite processisse, & accipit vim cogendi omnes ad obedientiam suæ Definitionis: accedente nimirum præcepto Papæ habetis suprematam, quam non habet Concilium, ut distinctum à Papa.

95 Iuxta Sententiam ergo concedentem Concilio infallibilitatem pro priori ad confirmationem Papæ; definitiones Conciliorum Generalium à Papa deinde confirmatæ habent infallibilitatem duplici titulo: quia nempe sunt à Concilio, & quia sunt à Papa confirmatæ. Sicque earum infallibilitas est maior extensivè, & numeraliter, quam infallibilitas definitionis solius Papæ extra Concilium; non verò intensivè. Ex quo nec per umbram sequitur, Concilium esse supra Papam, nec posse reformare Definitiones Papales.

96 Objicitur secunda difficultas contra quartam nostram probationem ductam à Regimine Monarchico. Ex eo namque quod regimen Ecclesiæ sit Monarchicum, cuius Monarcha sit Pontifex, non inferitur, Concilium non esse supra Pontificem, atque adeo non posse eius definitiones reformare: ergo non bene arguitur exinde pro infallibilitate Papæ in definiendo. Antecedens probatur: nam ex eo solum inferitur, Papam esse supra singulos Fideles, singulosque alios Episcopos divisivè; non verò supra omnes collectim in Concilio; cum quo bene stat, quod Concilium sit supra Papam. Patet, inquit, in Regimine Iesuitarum: quod, ut probat Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 10.* Monarchicum est, ex Const. Greg. XIV. *Eccle-*

*sia Catholica:* ubi dicitur: *Totus Ordo ad Monarchicam gubernationem compositus.* Ex quo non sequitur, Monarchiam, Præpositum scilicet Generalem esse supra Congregationem Generalem, quamvis sit supra singulos alios. Imò supra ipsam est Congregatio potens utique illum, ut sibi subiectum, dirigere, & punire, ut constat *ex part. 10. Constit. §. 8.*

97 Responderetur ex ipso Suarez, Regimen absolute Monarchicum non consistere in indivisibili; sed suscipere magis, & minus in ipsa ratione Monarchiæ secundum varias Monarchiarum leges, ut videre est in Regibus, & Monarchis temporalibus. Hinc concedo in antecedenti, intantum nostrum non inferri ex regimine utcumque Monarchico; sed ex perfectissimè Monarchico, instituto altiùs à Christo pro Ecclesia sua. Sic autem negatur antecedens, & consequentia: & antecedentis probatio. Quod assertur de Regimine Societatis, verum est. At est quoque verum, quod, quamvis Regimen Societatis, & Regimen Ecclesiæ conveniant in esse Monarchico; non tamen eodem modo sunt Monarchica; sed aliter & aliter cum ingenti disparitate: unde est, quod Monarchia Societatis admittat subiectionem sui Monarchæ non solum ad Papam, sed & ad Congregationem Generalem: Ecclesiæ verò Monarchia non sic; cum perfectius à Christo fuerit instituta: taliter, ut sicut Pontifex Monarcha spiritualis supra singulos, & supra omnes alios Fideles divisivè, & collectivè, nullum particularem habet in terris supra se; ita & nullam Communitatem: quia hoc esset contra perfectissimam rationem Monarchiæ, prout à Christo institutæ.

98 Sic autem eam instituisse didicerunt Ecclesiæ Patres, & Catholici credimus ex Christi verbis ad Petrum *Matt. 16. Tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam: & Tibi dabo claves Regni Cælorum.* *Ioan. 21. Pase Oves meas: & Luc. 22. Confirma Fratres tuos.* Ecce Monarchiam Petri: quin sit Textus in Scriptura, ex quo vel leviter probari possit, Concilium esse supra Successorem legitimum, & indubitatum Petri. Generalis verò Societatis est per se subiectus Papæ, & per Constitutiones ipsas, ut diximus, ipso approbante Papâ, subiecitur Congregationi Generali.

Suarez.  
Salaz.  
Amicus.  
Martinon.  
Perez.  
Duval.

Lotharing.  
Pallavic.

Bellarmin.  
Valent.

Duval.  
Salaz.

Constit.  
Societat.

Matt. 16.

Ioan. 21.  
Luc. 22.

Suarez.  
Greg. XIV.

99 Vltior autem huius notissima disparitatis ratio est, quod Pontifex potestate Papalem habet à Christo, non ab Ecclesia, ut est de Fide apud Suarez *disp. 10. sect. 3.* cum de Fide sit, Christum in Petro instituisse Dignitatem Vicarij sui; & non eam instituisse finiendam in Petro, sed transituram ad legitimos in Sede Petri Successores, eo ipso quod ritè eligatur talis Persona in Episcopum Romanum, ut firmat egregiè Bellarm. *lib. 2. de Pontif. cap. 12.* Vnde sicut Christus non dedit Collegio Apostolico potestatem constituendi sibi Pontificem, sed ipse per se constituit Petrum, ut vice ipsius post Ascensionem, cum suprema potestate visibiliter gubernaret Ecclesiam; sic non reliquit Ecclesie suæ facultatem constituendi Papam, sed eligendi Personam, cui ipse per se potestatem Papalem conferret, ut explicat Suarez ipse *lib. 3. contra Reg. Angl. cap. 2.* ideoque nequit Ecclesia limitare Pontifici potestatem, nec duos simul designare Pontifices, unum Orientalem, alium Occidentalem, quia esset contra institutionem Christi, unius Ovilis, & unius Pastoris Supremi: & quia constituere Vicarium, illius est, cuius Vicarius geritur: & Papa non est Vicarius Ecclesie; sed Christi.

100 At è diverso Generalis Societatis habet suam potestatem à Congregatione Generali, iuxta Constitutiones à Summis Pontificibus confirmatas. Vnde nihil mirum, quod Congregatio sit supra Generalem: & quod Decreta Congregationum, non indigeant confirmatione, nec consensu Generalis; sicut vidimus egere Concilia consensu, & confirmatione Pontificis,

utpote modo multò sublimiori Monarchæ Ecclesie, quam sit Præpositus Generalis Monarcha Societatis. Nec opus fuit, quòd Christus subijceret Papa Concilio, sicut subijcitur Generalis Societatis Congregationi: nam ut rectè Suarez, Pontifex, sicut singulari, & excellentiori modo habet à Deo potestatem, habet peculiarem spiritus Sancti assistentiam, qua potest suppletur cuiuscumque Superioris directionem, vel coactionem. Accedit à congruenti, quòd incommoda, quæ possunt sequi ex subiectione Generalis ad Congregationem, habent in terris promptum remedium in supremo iudicio Papæ; quæ verò, ut vidimus, multa, & maxima ex subiectione Papæ Vicarij Christi ad Concilium, remedio ita facili carerent in terris.

101 Obijcitur tertia difficultas ex eo quòd aliqui Papæ errarunt in definiendo; alij in infidelitatem lapsi sunt. Quomodo ergo sunt extra Concilium Regula infallibilis Fidei? Sed huic obiectioni summam respondimus *sect. 5.* negando utramque partem antecedentis: de quibus consuli possunt Historiæ Ecclesiasticæ: per quas discurrunt eruditè Cardin. Bellarm. *lib. 4. à cap. 8. ad 15.* & Card. de Aguirre *in defensione Cathedra S. Petri.*

102 Ex ijs, & alijs, pro meo in Sedem Apostolicam studio, & obsequio, hæc pauca collegi, ne in his disputationibus de Fide omninò desiderarentur, contra Recententes oppugnatores: imitatus ferè per omnia R. P. N. G. Thyrsus, de Doctrinis Fidei pariter, ac Morum in hac tempestate optimè meritum, in perutili, ac perdoctâ *Manuductione ad conversionem Hæreticorum cap. 6. à §. 11.*


Suarez. Ripald. Vienent. Trident.

Caietan. Haunold. Ripald. Sup. disp. 2

To. de Deo disp. 18.

Bellarmin.

R. P. N. G. Thyrsus.



# DISPUTATIO X.

## DE HABITU FIDEI.

**O**CCASIONE connexionis Habituum infusorum cum Gratia Habituali, necesse fuit multa dicere de Habitibus Virtutum, atque adeo de Habitu Fidei in *Disputationibus nostris de Gratia*; ibi facile revidenda, præsertim *disp. 17.* Quapropter hoc in loco resumemus multa remissivè. Reliqua breviter exolvemus.

SE-

### SECTIO I.

*Qua ratione Habitus infusus Virtutis Theologicæ Fidei sit supernaturalis: & quid de Acquisitione & Quantitate eius perfectio?*

**H**abitum Fidei per se infusum esse in entitate supernaturalem, est Catholica sententia iuxta Suarez *lib. 6. de Grat. cap. 4.* certa de Fide iuxta Ripaldam *disp. 11.* ex Concilij præsertim Vienent. & Trident. desumpta. Eam probat theologice Suarez ex eo quòd actus Fidei, quorum connaturale principium effectivum est Habitus, sunt supernaturales: non solum quoad modum, ut nonnulli veteres voluerunt, quos sequutus videtur Caietanus apud Haunoldum *lib. 3. cap. 7. contr. 1.* & graviter censurans magni Theologi apud Ripaldam *cit. & disp. 44. de Ent. Sup. num. 4.* quin etiam quoad entitatem, ut pro certo diximus *disp. 2. sect. 5.* Cum autem principium connaturaliter effectivum effectus entitativè supernaturalis, eo ipso nequeat esse nisi entitativè supernaturale, ut per excessum, quo Supernaturalia debent superare Naturam, vidimus *disp. 18. de Attrib. sect. 10.* sequitur liquidò, Habitum Fidei debere esse entitativè supernaturalem.

Perez. Ripald. Haunold. Sup. disp. 2.

To. de Gra. disp. 17.

5 Habitum hunc acquisitum virtutum esse quoque entitativè supernaturalem ostendunt cum Vazquez uterque Hurtadus, & Arriaga. Oppositum tamen in genere tenuimus ibi *sect. 4.* cum Suarez, Molina, & Ripalda. Propter rationes, quas ibi dedimus in genere, dico nunc, necesse non esse, quòd prædictus habitus acquisitus Fidei sit supernaturalis: sed esse naturalem. Ad rationes contrarias respondimus satis ibidem.

6 Circa perfectionem Fidei, Fidem esse minùs perfectam Charitate, constat ex *1. Cor. 13.* ibi: *Nunc manent tria hæc, Fides, spes, Charitas: maior autem horum est Charitas.* Esse verò perfectiorem Virtutibus moralibus, ex ratione virtutis Theologicæ supponit Suarez *disp. 7. sect. 1.* An autem sit perfectior Spe, disputat Suarez *disp. 1. de spe sect. 6.* Et ait, quòd, quamvis ex genere suo, scilicet intellectivo, Fides sit perfectior Spe, quæ non est generis intellectivi, sed volitivivi; ex alijs tamen capitibus Spem esse simpliciter perfectiorem Fide. Res mihi est proflus inexplorata: de qua S. Thom. *quest. 4. art. 7.*

### SECTIO II.

*An præter Habitum Fidei supernaturalem, Species quoque impressæ subservientes actibus Fidei debeant esse supernaturales?*

**H**abitum Fidei indifferens est ex se ad varia Fidei objecta: applicatio autem ad exercendum se circa unum, aut aliud, ex parte objectorum pendet ab excitatione specierum iam huius, iam illius objecti: quæ species concurrunt vice objecti, cum Habitu, ad hunc actum Fidei eliciendum. Quæritur: an eiusmodi species impressæ debeant esse entitativè etiam supernaturales ad actum Fidei; an sufficiant eadem naturales, quæ concurrunt vice eiusdem objecti ad alios actus, circa idem objectum, qui non sunt Fidei?

8 Debere esse entitativè supernaturales, & infusas, & non beneficio sensuum comparatas, docent Granadus, & Hurtadus. Primò: quia causa supernaturalis producit semper effectum supernaturalem: ergo loquutio Dei, quæ est causa supernaturalis producit speciem supernaturalem sui, & objecti, aut exigit, quòd Deus illam pro-

Hurtad. Arriaga. Suarez. Molin. Ripald.

1. Cor. 13.

S. Thom.

Granad. Hurtado.



producat, concursuram vice obiecti ad actus Fidei. Secundò: quia ad actum Fidei concurrat cum habitu vice obiecti species impressa: sicut ergo intellectus requirit elevationem per habitum, vel auxilium, supernaturale; sic obiectum elevationem per speciem, ut concurrat ad actum supernaturalem. Tertio: quia species, & habitus, cum ex utroque coalescat principium actus, debent esse eiusdem ordinis: si ergo habitus est ordinis supernaturalis, species quoque debet esse supernaturalis. Quarto: quia quando conclusio est supernaturalis, utraque præmissa debet esse supernaturalis: ergo quando fit actus Fidei supernaturalis, utrumque eius principium, nempe habitus, & species, debet esse supernaturale. Quintò: quia scientia infusa Christi exigit species supernaturales: ergo & assensus, & habitus Fidei.

9 Oppositum nihilominus tenent, & meritò, Suarez, Vazquez, Coninc, Delugo, & Ripalda, apud Haunoldum eos sequentem *Contrav. 2.* quibus novissimè accedit P. Aranda. Quia sine necessitate, aut sine magno fundamento multiplicanda non sunt entia supernaturalia: ad asserendas autem eiusmodi species impressas entitativè supernaturales, nec est ulla necessitas, nec urgens fundamentum, ut constabit ex facili responsione ad rationes contrarias.

10 Accedit difficultas assignandi causam proportionatam effectivam earum specierum supernaturalium. Non enim immediatè producuntur ab obiecto: sic enim essent species propriæ, & causarient actum intuitivum obiecti, qualis non est actus Fidei. Nec quidem mediatè, medijs scilicet sensationibus, aut primis apprehensionibus obiectorum: sic enim proxima earum causa esset entitativè naturalis, quod opponitur rationibus ipsis Adversariorum. Non à Deo, ut aiunt, ad exigentiam obiectorum. Si namque Deus per se solum producit eas species, non esset, cur tam arctè requireretur ministerium evangelicum, dicente Paulo: *Quomodo credent ei, quem non audierunt?* Eatenus enim hoc dicitur necessarium, quatenus necesse est, ingenerari audientium mentibus species, aut iam ingenitas excitari ad rectè apprehendenda Mystèria, rectèque formandum iudicium credibilitatis. Si ergo hæ species, quæ naturales sunt

per sensus, nihil concurrunt ad actus Fidei, sed aliæ occultius infusa, prædicatio esset apparentia dumtaxat, quasi phantastica, ad hoc solum, ut tegatur operatio Dei infundentis alias species utiles, non pendentes à prædicatione.

11 Nec satis benè dixisset de se Paulus: *Ego plantavi: Per Evangelium ego vos genui*: sicut non bene quis diceret, se arborem plantasse, si arbor non crevisset ex semine à se iacto, sed quod alius ibidem occultè supposuisset. Species autem sunt semen obiecti: qua ergo ratione Fidem plantasset Apostolus, si species ab ipsius prædicatione genitæ, nihil concurrerent ad actus Fidei auditorum; sed aliæ loco ipsarum à Deo suppositæ? Dices, dici plantasse, quia medijs speciebus naturalibus produxit apprehensiones naturales, quibus positæ, determinabatur Deus ad infundendas species supernaturales. Contra tamen: quia si species deberent esse supernaturales, potius deberent esse supernaturales apprehensiones præviæ ad iudicium credibilitatis: aut cur non ita? Quinimo ipsi negantes species supernaturales, volunt prædictas apprehensiones supernaturales: nec ijs deesset causa supernaturalis: si quidem eadem species supernaturales deservientes ad iudicium, deservire possent ad apprehensiones, productæ scilicet à Deo ad præsentiam specierum naturalium, sicut ait responsio, produci ad præsentiam apprehensionum naturalium. Præterquamquod apprehensiones naturales ad nullas species determinant præter eas, quas post se relinquunt: hæ autem deberent esse naturales.

12 Haud levior est Adversarijs difficultas in assignando tempore, vel signo, quo species illæ supernaturales infundantur. Ex discursu Patris Granad. venit dicendum, infundi parvulis, simul cum habitu Fidei; adultis verò, quando primà vice actu credunt. Contra tamen: quia sic adultis infidelibus, qui nunquam crediderunt, nunquam infunderentur. Vnde sequeretur, has species deperdi, sicut habitus Fidei, per peccatum infidelitatis; quod nescio, an concederet Granadus, talem imponens ultro connexionem inter species, & habitum. Hurtadus vult pro signo posteriori ad elicentiam actus præ affectionis. Sed contra est etiam. In primis enim infundi parvulis species om-

1. Cor. 3.  
& 4.

Granad.

Hurtad.

nium credibilium, est, quasi tribuere illis notitiam infusam omnium Mysteriorum. Quodsi parvulus fiat adultus, possit cuncta Mystèria credere sine ulla propositione externâ: nam cum intellectus habet aliunde rerum species, possunt excitari independentè à sensibus externis, ut patet in somno, quamvis ad eas adquirendas opus sit sensibus. Fieret insuper, parvulum factum adultum pari claritate assensurum cunctis Mystèrijs: quia species haberet pares pro singulis. Deinde in adulto, cui dum primò credenti infunduntur species, aut infunduntur pro priori, aut pro posteriori ad actum. Si pro posteriori; ergo non concurrunt ad primū actum Fidei. Si pro priori, infunderentur etiam si re ipsa non fieret actus ille credendi, cum pertineant ad potentiam credendi potentem esse sine actu credendi: & deberent esse ante priam etiam affectionem: nam ante hanc experitur iam adultus potentiam credendi, habetque iudicium practicam credibilitatis.

13 Satius igitur est, dicere, non requiri præter habitum species infusas supernaturales ad actum Fidei, quamvis in aliquibus casibus extraordinarijs infundantur à Deo, quoad modum saltem supernaturales; sed sufficere naturales per sensus adquisitas. Tum ad evadenda supradicta incommoda. Tum quia habitus elevans potentiam naturalem, est quoque sufficiens ad elevandas species naturales ad efficiendum actum supernaturalem Fidei: consequenter ad ea, quæ diximus de cogitationibus, & affectionibus naturalibus, loquendo ex natura rei *disp. 6. de Grat. sect. 6.* Lex autem Dei stans pro supernaturalitate cogitationum, & affectionum prout de facto, non stat pro supernaturalitate specierum: aut dicatur, unde constet. Restat respondere ad rationes contrarias positas *num. 7.*

14 Ad primam: falsum est in primis antecedens: nam ut remissivè diximus *sect. præc.* actus supernaturales repetiti generant habitum adquisitionem naturalem. Nec deinde verum est, quod loquutio Dei penes id totum, quod dicit, ut nobis proposita ministerio sensuum, & ex auditu, sit adæquatè supernaturalis; cum multa involvat entitativè naturalissima. Penes ad autem, in quo supernaturalis est, non producit speciem sui; nec est cur Deus il-

lam producat; cum à credente non cognoscatur intuitivè, sed abstractivè per species alienas. Vnde consequentia nulla est.

15 Ad secundam, concessio antecedente, negatur consequentia. Nam ex eo quod species concurrat cum intellectu, & habitu ad actum Fidei supernaturalem; nullatenus inferitur, obiectum elevari debere ad emittendam speciem supernaturalem; sed speciem naturalem, sicut & intellectum naturalem elevari debere per aliquod comprincipium supernaturale, qualis iam est habitus, ad elicendum actum Fidei supernaturalem.

16 Ad tertiam, negatur antecedens: quod, si verum esset, eodem modo probaret, intellectum etiam debere esse supernaturalem; cum ex illo, & ex habitu, & alijs coalescat adæquatam principium actuum Fidei.

17 Ad quartam, negatur etiam antecedens. Nam, ut alibi vidimus, ex una præmissa Fidei, & ex alia naturali evidenti elicitur sæpe conclusio supernaturalis, sive Fidei, sive Theologiae. Elevatur enim præmissa illa naturalis, sicut & intellectus naturalis, per comprincipium aliud supernaturale ad efficiendam conclusionem supernaturalem.

18 Ad quintam, verum mihi non est suppositum antecedentis: quippe *disp. 13. de Incarn. sect. 8.* sensu cum Vazquez, Valentia, & Bernal, habitus scientiæ infusa Christi esse ipsas species infusas rerum. Addit Ripalda *disp. 44.* eas circa obiecta naturalia non esse in entitate supernaturales: sicque quoad hanc partem esset quoque falsum antecedens. Sed eo permisso, negatur consequentia ob claram disparitatem. Quod Christus per scientiam infusam cognoscit quidditativè obiecta etiam non existentia, quæ nondum producantur species sui, ideoque debuerunt aliunde infundi Christo. At modus cognoscendi Fidei est abstractivus, ad quem nõ requiruntur species propriæ obiecti; sed inserviunt aliæ aliorum obiectorum: quæ non est, cur non esse possint eadem naturales. Atque hinc est, quod doctiores eliciant distinctius, & quodammodo clarius ipsos actus Fidei: quia plures, & elaboratores habent rerum species.

19 Infero, quod, loquendo ex naturis rerum, apprehensiones etiam præviæ ad iudicium credibilitatis, & ad actum Fi-

Vazquez.  
Valent.  
Bernal.  
Ripalda.

Suarez.  
Vazquez.  
Coninc.  
Lugo.  
Ripald.  
Haunold.  
Aranda.

Rom. 10.

dei possent esse in entitate naturales, dummodo adesset comprincipium aliud supernaturale ad illum efficiendum, ut habent Salas, & Delugo apud Haunoldum *Controv. 3.* Ceterum de facto ex lege Dei esse supernaturales, omnino dicendum est. Sunt enim cogitationes sanctæ, divinæque illustrationes de genere auxiliorum gratiæ actualis, ut in nostris Disputationibus de Gratia legere est ex Suárez, Granad. & Ripalda apud eundem Haunoldum *num. 376.*

SECTIO III.

*Quanam sint causa effectiva Habitus Fidei? Quanam effectus? Et an ipse influere possit in actum præceptum pro instanti determinatè Remissivè.*

**20** DE Causis meritorijs, nihil est quod addam ad ea, quæ de merito Gratia, & augmenti Gratia diximus *disp. 21. de Grat. num. 2. & disp. 28.* Cum enim per easdem dispositiones meritorias infundantur Adultis Gratia habitualis, & Habitus virtutum, quod dictum est ibi de Causis meritorijs Gratia, applicandum venit Habitu per se infuso Fidei: qui, ut videbimus *sect. seq.* nunquam infunditur ante Gratiam habitualem: Causa finalis Fidei est consequutio salutis æternæ. Causam materialem, seu subiectivam videbimus *sect. 6.*

**21** Loquendo autem de Causis physice efficientibus, communis fertur sententia, causam physice effectivam Habitus infusi Fidei, sicut & aliarum virtutum, esse solum Deum. Dixi tamen cum bonis Theologis ibidem *disp. 17. sect. 6.* verosimilius mihi videri, Gratiam habitualemente ut radicem virtutum simul tempore cum ipsa infusam, influere efficienter in earum habitus, ac proinde in Habitu per se infusum Fidei. Non enim video, cur huiusmodi influxus physicus denegetur Gratia in suas proprietates. Dixi: *Per se infusum*: quia in habitum adquisitum influente physice actus repetiti, per quos acquiritur, & augetur, ut nemini est dubium.

**22** Circa effectus Habitus Fidei, certum est, esse actus ipsos Fidei: Qui ubi adest Habitus, procedunt ab ipso efficienter, & non solum in genere causæ formalis disponētis intellectum, ut voluerunt

aliqui veteres. Vbi verò non adest Habitus, ut in Cathecumeno, & Hæretico revertenti ad Fidem, procedunt ab auxilijs gratiæ actualis. Alios duos effectus Fidei ponit S. Thom. *quæst. 7. art. 2.* nempe timorem Dei, & purificationem mentis. Timorem; quia, cum Fides repræsentet nobis Dei Maiestatem, ut summè bonam, generat timorem filialem: cùmque illam etiam repræsentet, ut summum iudicem, generat timorem servilem. Purificationem mentis; quia mover ad opera virtutum dispositiva ad iustificationem, qua delentur sordes peccati.

**23** Gravior difficultas est circa postremum: quam tamen pro dignitate discussi in illa *disp. 18. à sect. 2.* ubi latè affirmavi, non solum Habitus infusus virtutum; quin etiam Gratiam habitualemente essentialiter oppositam cuilibet peccato mortali, quale esset in eo casu omisso actus præcepti, posse, salvâ prorsus libertate, physice influere in actum præceptum. Idemque venit consequenter dicendum de Habitu Fidei in actum Fidei dicto modo præceptum, quantumvis opposito cum peccato infidelitatis, quod esset eius omisso.

**24** Pro qua verissima, ac mihi gratissima doctrina legi denuò libenter P. Haunoldum *lib. 3. Select. tract. 1. cap. 9. Controv. 2.* vocantem oppositam sententiam *sibi durissimam*: tametsi benignius excipiat a doctissimis Recentioribus. Eoque libentius legi, quod propius accedit ad modum meum intelligendi, & solidè defendendi libertatem actus præcepti in eo casu.

**25** Rectèque ponderat specialius pro Habitu Fidei, quod sapissimè exercerentur de facto actus Fidei, præsentè, & non concurrentè, sed otiantè habitu; quoties scilicet credimus ex obligatione credendi. Hoc tamen incòmodum mihi est magis ni ponderis in oppugnatione prædicti influxus in actus præceptos.

SECTIO IV.

*Quando infundatur, augetur, & amittatur Habitus per se infusus Fidei?*

**26** DIXI per se infusus: Nam adquisitus, cum non p̄t̄ sit Gratia habitualis, comes, & proprietates, sed generatur

S. Thom.

Haunold.

Suarez. Vazquez.

To. de Gra. disp. 17. Lug. Ripald. Haunold.

Trident.

retur per actus repetitos credendi, & minuat per habitum oppositum generatum per actus discredendi, incipit cum primis actibus Fidei, augetur per similes actus subsequutos, minuitur per actus discredendi, & amittitur omnino non per amissionem Gratia, nec habituum infusorum; sed per intensiorem magnam habitus vitiosi contrarij.

**27** Loquendo igitur de per se infuso, est difficultas non levis: an aliquando infundatur ante infusionem Gratia habitualis? Affirmant Suarez, Vazquez, & satis communiter alij: in casu scilicet satis obvio, quo peccator adultus satis credens, sed non satis dolens, suscipit validè Baptismum. Tunc enim, aiunt, infunditur homini habitus Fidei; quia ad illum est satis dispositus per actus Fidei; quin tamen ipsi infundatur Gratia habitualis; quia ad hanc non est satis dispositus defectu doloris.

**28** Negativam tamen partem tenui, & firmavi *disp. 17. de Grat. sect. 1.* cum Delugo, & Ripalda, & alijs, quibus addo nunc Haunoldum *cap. 9. contro. 1.* Rationes Theologicas ibi dedi, & responsiones solidas ad motiva contraria: nec est cur actum agamus, illas repetendo. Vnde manet; Habitu Fidei per se infusum nunquam primò infundi ante infusionem Gratia habitualis; sed tam in adultis, quam in parvulis semper simul tempore cum illa. Relegantur ibi disputata.

**29** Nec obstat Tridentinum *Sess. 6. cap. 7.* dicens, quòd Fides, nisi ad eam spes accedat, & Charitas neque unit perfectè cum Christo, &c. quæ loquutio videtur indicare, habitum Fidei præcedere, & postea accedere ad illum Spem, & Charitatem, ac proinde & Gratiam. Non, inquam, obstat: res enim erat Concilio cum Hæreticis dogmatizantibus, Fidem solam iustificare. Hoc improbat Concilium; quia Fides manet sapius in peccatore; atque adeo ut iustificetur, debere accedere Fidei Spem, & Charitatem, id est, simul tempore tria hæc esse, quando homo iustificatur. Qua phrasi dicimus; Sapientiam in homine non esse plenè laudabilem, nisi accedat pietas; & observantiam unius præcepti non sufficere, nisi accedat observantia aliorum: quin proinde significetur præcedentia unius ad aliam.

**30** Circa augmentum Habitus Fidei

dicimus consequenter, habitum Fidei augetur, quando augetur Gratia habitualis, & non aliter: de quo *disp. illa 17. sect. 3.* Quia in peccatore fideli quamvis maneat Habitus Fidei, non augetur per actus Fidei, aut per alios aliarum virtutum, quos exercet: quia condigni non sunt defectu Gratia; at in iusto per quemlibet actum meritorium augmenti Fidei, augetur simul Gratia: ergo pariter, & simul augetur semper Habitus per se infusus Fidei, & Gratia habitualis.

**31** Superest de amissione, seu destructione Habitus Fidei: de qua ibidem *sect. 2.* Ex ibi dictis, & quod caput est, ex Trident. *Sess. 6. cap. 15.* constat, amissa Gratia habituali, non amitti in peccatore fideli habitum Fidei. Quocirca *Can. 28.* anathematizatur, si quis dixerit, amissa per peccatum Gratia, simul Fidem semper amitti, aut Fidem, quæ remanet, non esse veram Fidem. Rationem congruentiæ dedimus ibidem: quia nempe Deus expectans peccatores ad pœnitentiam, voluit misericorditer, nisi infideles fiant, relinquere illis habitum Fidei, sicut & Spei, nisi desperaverint, ut congruentius per actus istarum virtutum disponantur ad resipiscentiam. Obiectiones aliquas contra istam rationem solvimus ibidem.

**32** Volunt aliqui, hoc fieri à Deo non utcumque misericorditer, quin etiam miraculosè, existimantes ex natura rerum physice destruendum fore Habitu Fidei, destructâ Gratia, nisi divinitus conservetur. Sic Cardinales Delugo, & Pallavicinus, itemque Ripalda. Verùm hoc ibi reieci cum Suarez, Hurtado, & alijs ex gravi fundamento. Itaque, quamvis peccatorum amissione Gratia, & habitus etiam Fidei; misericorditer Deus illi relinquit Habitu Fidei: quin ad id sit opus miraculo; cùm nulla ratione vincatur, ex naturis physicis rerum fore eo ipso destruendum ob physicam connexionem Habitus Fidei cum Gratia.

SECTIO V.

*An Habitus infusus Fidei amittatur per actum infidelitatis ex natura physica rerum; an solùm demeritoriè ex oppositione morali?*

**33** Ex eodè Tridentino capite illo 15. Trident.

Suarez. Granad. Ripald. Haunold.

To. de Gra. disp. 21. & 28.

Ibidem disp. 17.

Trident.

Lug. Pallavic. Ripald. Suarez. Hurtad.

constat , per peccatum infidelitatis positiva , per quam & ipsa Fides amittitur, destrui in homine habitum infusum Fidei. Quod post Tridentinum est ita certum, ut oppositum , sine temeritate iuxta aliquos; imò & sine errore in Fide , iuxta Ripaldam, dici non possit: quidquid olim dixerit Durandus. Dixi: *positiva*: quia per negativam non amittitur ; sed desinit primò infundi.

Ripald.

Durand.

34 Dubium est: an per eiusmodi peccatum infidelitatis amittatur, & expellatur Habitus Fidei propter oppositionem physicam talis peccati cum Habitu Fidei , ut vult cum Vazquez Card. Delugo *disp. 17.* an solum demeritoriè , & moraliter ex præsentis Lege Dei spoliantis hominem habitu Fidei in pœnam infidelitatis?

Vazquez. Lug.

35 Placet hoc ultimum , quod tenent Suarez *disp. 7. sect. 4. & tom. 3. lib. 11. de Grat. cap. 7.* Hurtad. Coninc. & alij apud Ripaldam *disp. 13. de Ente Sup. sect. 7.* quibus merito adhæret Oxea *disp. 9. sect. ult.* Itaque , quamvis per quodlibet peccatum mortale amittatur Gratia , & per peccatum infidelitatis amittatur Fides ; non tamen eodem modo : nam per illud amittitur Gratia , non solum in pœnam ; sed ex essentiali etiam oppositione illius cum Gratia: quæ , cum ex prædicato sanctitatis sit puritas à peccato, essentialiter excludit peccatum: per istud verò solum demeritoriè , & in pœnam amittitur Habitus Fidei: sicut etiam Habitus infusus piæ affectionis, & iudicij credibilitatis.

Suarez. Hurtad. Coninc. Ripald. Oxea.

36 Ratio autem est : quia in Habitu Fidei nullum relucet prædicatum per se essentialiter exclusivum peccati infidelitatis , sicut relucet in Gratia prædicatum Sanctitatis, seu puritatis ab omni peccato mortali, eo ipso exclusivum omnis peccati mortalis : ergo non est fundamentum ad oppositionem physicam , & essentialem: atque adeò restat, quòd demeritoriè, & in pœnam amittatur Habitus Fidei per peccatum infidelitatis. Antecedens probatur. Habitus enim infusus Fidei solum est supernaturalis potestas ad eliciendos actus Fidei : quæ potestas opponitur quidem cum impotentia ad eos actus ; non verò cum volitione illos eliciendi , nec cum volitione dissentiendi Fidei : cum bene stet ex rerum naturis, hominem posse credere, & velle discredere.

37 Dices. Peccatum odij Dei gravius

est peccato infidelitatis, utpote oppositum nobiliori virtuti: ergo si solum demeritoriè, & in pœnam amitteretur Habitus Fidei per peccatum infidelitatis , amitteretur etiam in pœnam per peccatum odij Dei. Sed non amittitur per peccatum odij Dei: ergo quia non solum amittitur per peccatum infidelitatis demeritoriè & in pœnâ; quin etiam ob specialem oppositionem ex naturis rerum repertam inter peccatum infidelitatis, & Habitus Fidei, & non inter hæc , & odium Dei. Respondetur, concessio antecedente, negando consequentiam. Ex eo enim quòd odium Dei sit maius peccatum, sequitur quidem puniendum à Deo maiori pœna ; non vero istâ pœnâ; sed aliâ, quam Deus apud se destinavit, ut rectè S. Thom. apud Card. Delugo. Vnde , concessâ minori subiunctâ, negatur subillatio.

S. Thom. Lug.

38 Hæc dixerim de Habitu per se infuso Fidei. Nam acquisitus minuitur per intensiorem habitus vitiosi contrarij generati ex actibus discredendi : & omninò destruitur per magnam intensiorem contrarij : quinimò & per desuetudinem credendi : ut evenit in alijs habitibus acquisitis, qui minuuntur per consuetudinem actuum repetitorum.

39 Antiquiorum fuit existimatio apud Suarez *cap. 8.* Gratiam, & charitatem, quæ amittuntur per peccatum mortale , non quidem amitti, sed remitti & diminui per venialia. Vnde posset aliquis idem subdubitare de Habitu infuso Fidei: an per peccata infidelitatis ex defectu forsitan plenæ advertentiæ, seu libertatis venialia, si minus amittatur, saltem remittatur, & imminuatur Habitus Fidei? Hoc tamen non probabile iudicat Suarez *num. 7.* & merito : quia tam de Habitu Fidei , quàm de charitate , & de Gratia habituali dicitur sine congruo fundamento , ut agens specialiter de charitate docet S. Thomas 2. 2. *quest. 14. art. 10.* Nec enim eiusmodi diminutio procedit ex natura physica rerum, ut à fortiori constat ex dictis ; nec constat de Lege Dei. Quod autem dici solet, per venialia, imò & per desuetudinem operandi minui charitatem, intelligitur quoad fervorem , & facilitatem operandi, quod magis pertinet ad habitus acquisitos; non verò quoad intensiorem entitativam habitus infusi.

Suarez.

S. Thom.

SECTIO VI.

Quenam sint subiecta Quo, & Quod Habitus Fidei

40 Dixi: Quo, & Quod. Nam aliud est quærere : in qua animæ potentia recipiatur Fides? Et hoc est quærere subiectum Quo. Aliud est quærere in quibus Personis reperitur? Et hoc est quærere subiectum Quod.

41 Circa primum , qui opinantur Potentias intellectûs , & voluntatis distingui realiter inter se, & à substantia animæ, dicunt, Habitus Fidei, cum sit virtus intellectûs , immediatè subiectari in intellectu, sicut Habitus Charitatis in voluntate, quia virtus voluntatis est. Nos verò , qui ex Animasticis opinamur, eas potentias realiter identificari inter se, & cum substantia animæ , consequenter dicimus, Habitus Fidei, sicut & Charitatis & Gratiaè immediatè subiectari in ipsa substantia animæ.

42 Circa secundum occurrit speciosiores difficultates. Supposito namque iam ex Tridentino , Fidem esse in hominibus Viatoribus iustis; imò & in peccatoribus fidelibus ; quæratur : an fuerit in Angelis viatoribus: an in Christo: an sit in Beatis: an in animabus Purgatorij: an in damnatis, & in Dæmonibus?

Coninc.

43 Dicendum primò , fuisse Fidem in Angelis viatoribus. Hoc putat certam Coninc *disp. 17. dub. 1.* contra Durandum. Cum enim Angeli pro eo brevi suo statu viæ nondum habuerint Visionem beatificam, nihil tunc in illis obstabat exercitio Fidei : nec dedeebat ipsorum nobilitatem, credere Deo loquenti; cum sibi adinvicem colloquentibus credant : & aliunde multarum rerum noticia per Fidem erat pro eo statu ipsis accommodatior : sicut etiam primis hominibus ante peccatum ob eandem rationem. Hoc intelligo tam de actibus, quàm de Habitu Fidei. Cum enim in eo statu habuerint Gratiam sanctificantem, cuius est exigere , tanquam proprietatem, Habitus Fidei, deficiente Visione beatificâ ; non est, cur illum non habuerint, donec Visione, & gloriæ lumine caruerunt. Aliqui cum S. Thoma id adstruant ex locis Pauli : *Accedentem ad Deum oportet credere: sine Fide impossibile est placere Deo :* & ex locis Tridentini requirentis Fidem ad susceptionem Gratiaè.

Trident.

Fortè tamen non loquuntur, nisi de hominibus.

44 Obijcies. Angeli viatores evidenter sciebant , Deum non revelare nisi verum: sed simili evidentiâ sciebant quoque, Deum sibi revelare Mysteria, quibus assentiébantur : ergo non poterant habere de illis Fidem ; imopotius evidentiâ in arrectante : quæ, ut diximus *disp. 1. sect. 2.* nec est Fides, nec ab Habitu Fidei: ac proinde nec est, cur habuerint actus, nec habitum Fidei de Mysterijs. Minor probatur: nam evidenter sciebant, eam loquutionem, quam experiebantur, non esse alterius creaturæ: hoc enim si esset, iam ipsi cognoscerent: ergo sciebant evidenter esse Dei. Respondetur, negando minorem, & probationem. Potuit enim Deus ita obscurè cum Angelis loqui, ut non satis penetrarent omnes respectus speciei, vel notitiæ supernaturalis, quam experiebantur: atque adeo quin evidenter nossent eam loquutionem esse Dei ; an alterius creaturæ sibi superioris & ignotæ; an etiam æqualis, aut inferioris ipsis à Deo occultatæ; an loquutio, seu cogitatio ipsis nullo loquente suborta? Ecce quot ex capitibus posset Angelis non esse omnino evidens, illam esse loquutionem Dei: relinquente tamen illos Deo ex circumstantijs, ut Fidem exercerent, in eo gradu certitudinis moralis, quem nos credentes habemus ex signis credibilitatis de eo quòd Deus sit loquutus ea, quæ sic nobis proponuntur credenda.

45 Dicendum secundò : nec actum, nec habitum strictæ Fidei esse in Beatis. Est etiam communis Sententiâ contra Ripaldam *disp. 19. sect. 4.* & Bonam-Spem apud Lumbier. Quia Beati nullum exercent actum Theologica Fidei: non est ergo cur in illis maneat habitus: esset enim omnino otiosus, & supervacaneus. Accessit Textus Apostoli : *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est :* iuxta communem expositionem de evacuatione, seu exterminatione Fidei, adveniente Visione Dei. Pro quo statu nec Gratia exigit Fidem ; cum loco Fidei habeat secum lumen Gloriæ, & visionem beatificam, comitantibus alijs Scientijs proprijs illius Status multo elevatioris. Quòd autem in eo statu non exercentur actus Fidei, patet: quia Beati cuncta, quæ cognoscunt, evidenter cognoscunt ratione sui status illuminatissimi; aut in essentia divina per visionem: aut

Sup. disp. 1.

Ripald. Bonesp. Lumbier.

1. Cor. 13.

per scientiā infusam rerum in se ipsis; aut per evidentiam in attestante, quando Deus loquens aliqua specialiter ipsis manifestat. Cum ijs autem evidentijs stare nequit exercitium Fidei, cui aliqua obscuritas essentialis est, ut explicuimus *disp. 1. sect. 2.* Aut, quamvis aliquo modo stare possit, ad quid actu staret; aut quid illi statui illuminatissimo importaret præter obscuritatem? Hæc intelligo de permanenti Beatis in Patria. Si enim Viatores nonnulli habuerunt ad tempus in hac vita mortali beatificam Visionem, non propterea exuebant habitum Fidei, quo in posterum indigerent.

45 Obijcies. Deus loquitur cum Beatis, sicut & cum Angelis, de multis contingentibus, quæ non vident, ut cum Gabriele de Annuntiatione B. Virginis. Tunc autem certissimè credunt Deo loquenti; ergo exercent actus Fidei; ideoque retinent in eo quoque statum Habitum Fidei. Respondetur, veram esse maiorem, quidquid in ea subdubitare videatur P. Oxea. Assumptum verò distinguendum est: credunt Deo obscure loquenti, nego: clarè per evidentiam in attestante, concedo. Negatur autem consequentia: quia hic modus assentiendi per evidentiam in attestante, nec est actus Fidei nostræ, nec est proprius habitus Fidei; sed scientiæ, ut vidimus *disp. 1. sect. 2. Vbi num. 17.* animadvertimus, quòd si eiusmodi assensus, cum evidentia in attestante essent proprii nostri Habitūs Fidei, non superesset ratio sufficiens ad negandum, fuisse in Christo, & manere in Beatis Habitum Fidei.

47 Insistes. Adhuc dato quòd essentialis sit exercitium Fidei aliqua obscuritas, certè non repugnat statui beatifico, Deum Beatis aliquid obscure revelare: ergo nec quòd Fidem exercent, ideoque habitum Fidei retineant. Confirmatur primo: quia retinent Gratiam, cuius proprietas est habitus Fidei; ergo & Habitum Fidei, ne sit Gratia in illis absque sua proprietate. Secundò: quia retinent actus, & habitum piæ affectionis ad Fidem: cur non ergo & habitum Fidei? Tertio: quia retinent potentiam nutritivam, quamvis illam ibi non exercent, & virtutem patientiæ, quamvis illam non exercent: ergo & habitum Fidei, quamvis illum ibi non exercent. Quarto: quia retinent habitum infusum Spei: ergo & Fidei.

48 Respondetur, fatendo quidem, id absolute non repugnare: ideoque nec dicam, omnino repugnare in Beatis Habitum Fidei. Quod dicimus, & colligimus ex verbis Apostoli, est, in illis non dari. Ad quid enim daretur, cum nihil cognoscant nisi evidenter, & scientificè ut congruit eorum statui? Ad primam confirmationem dico, habitum Fidei esse proprietatem Gratiæ in defectu luminis Gloriæ: accedente autem lumine non illum exigit Gratia, melius multò se habens cum lumine Gloriæ, quam cum habitu Fidei. Sic est proprium Gratiæ facere Filium adoptivum, dummodo non accedat Filiatio naturalis, ut in Christo. Ad secundam, concessio antecedente, negatur consequentia. Et est disparitas: quia Beati exercent multos actus piæ affectionis ad Fidem, ut gaudere de suis actibus Fidei antea actis; imò & de præsentibus aliorum Viatorum: & velle se exhibere promptos ad similiter credendum, casu quo Deus illis obscure revelaret. At actum Fidei exercent omnino nullum. Ad tertiam est etiam disparitas: quia virtus nutritiva est de integritate naturæ humanæ, aut fortè natura ipsa humana. Non sic habitus Fidei. Virtus patientiæ exercet ibi multos actus, ut gaudere de laboribus præteritis, & desiderare, quòd Viatores laborent, & patientur pro Deo. Fides verò nullos. Ad quartam, concessio similiter antecedente, negatur consequentia ob similem rationem: quia, quamvis in eo statu non exercent Spes omnes actus suos, exercet aliquos, ut gaudere de Deo possessio, ut ipsis Beatis bono. Fides verò nullum.

49 Dicendum tertio. Nec fuit Fides in Christo Viatore. Simul enim erat Comprehensor, & Beatus per Beatificam Visionem: ergo quoad hoc idem dicendum est de illo, quod diximus de Beatis: de quo nos *disp. 13. de Incarn. sect. 11.* & *Tom. de Christ. disp. 13. & 14.* Ad quid enim in eo Habitum Fidei? Sed inquires, ad quid in eo scientia naturalis de veritatibus, quas sciebat etiam Christus per scientiam supernaturalem infusam? Supponit retorsio, esse in Christo scientiam naturalem præter infusam supernaturalem: quod non omnes ita planè concedunt, ut ex Coninc retulimus, & expendimus ibidem *disp. 13. sect. 9.* Qui eam concedunt communiter, dicunt pertinere ad ornamentum naturæ intelle-

lectualis in ordine naturali. Fides verò, nec est de ordine naturali; nec in ordine supernaturali prodesset quidquam: nec adderet, nisi obscuritatem incompatible cum omnibus illis evidentijs. Dices: prodesset ad meritum Christi Viatoris, quo carent in Patria Beati. Cæterum in absque Fidei obscuritate salvamus alibi meritum Christi. Quinimò & Fidei meritum salvari potest in Christo sine ipsa Fide, sicut in nobis meritum Martyrij sine Martyrio; per affectum scilicet liberum credendi Mytheria, quæ videbat, etiam si per revelationem obscure tantum ipsi, sicut nobis, proponerentur.

50 Obijcies. Fides, & scientia de eodem objecto comparari possunt, ex dictis *disp. 1. sect. 6.* ergo scientia beatifica Christi non obstat exercitium Fidei: præsertim in Christo, ut per Fidem re ipsa exercitiam mereretur in via, & non solum per piam affectionem exercendi Fidem. Nam, ut exerceret meritum patientiæ, habuit virtutem patientiæ, non solum in affectu, quin etiam in exercitio: ergo & virtutem Fidei, non solum in affectione pia, quin etiam in exercitio meritorio ipsius Fidei. Respondetur, distinguendo antecedens: Fides & scientia tollens omnem obscuritatem comparari possunt, nego: relinquens aliquam obscuritatem essentialiter requisitam ad Fidem, ut ibidem diximus, concedo antecedens, & nego consequentiam. Christo namque nihil fuit obscurum, sed omnia evidentissima. Ad probationem consequentiam, concessio antecedente de patientia, negatur consequentia. Quoad factum si fieri posset pro ratione disparitatis voluntas Dei: sicut pro eo quòd Christus passus fuerit vulnera, & non febres. Verum alia nobis suppetit etiam ratio, ex impossibilitate exercitij Fidei, cum omnimoda evidentia notitiam, quæ habuit Christus etiam Viator.

51 Dicendum quarto. Est tamen Fides in Animabus Purgatorij. Quamvis enim sint iam extra statum merendi, nondum gaudent lumine Gloriæ: & exercent multos actus variarum virtutum: ergo & actus Fidei ad illos excitantis: non est ergo cur ad id non retineant Habitum Fidei, donec illis adveniat in Patria, quod perfectum est, id est, Visio beata iuxta phrasim Apostoli. Idem dixerim de Hennocho, & Elia in Paradiso: & de anima-

bus antiquorum Sanctorum in sinu Abrahamæ.

52 Dicendum quinto: non manere Fidem in Damnatis. Sic communiter Theologi contra Durandum. Fides enim supernaturalis inest intellectui in ordine ad exercendos actus supernaturales voluntatis. Cum autem dæmones, hominesque damnati nullum actum voluntatis supernaturalem exercent, frustra & indignissime exercerent Fidem supernaturalem: ad quid ergo in illis miseris habitus supernaturalis Fidei? Unde sapienter August. *Augustin. 9. de Civit. cap. 2.* dixit, Dæmones non cognoscere Christum lumine Fidei; sed efficaciam signorum bene penetratam.

53 Obstat videtur, quod dicitur Iacobi 2. ubi contra credentes, & existimantes id sufficere, quin bene agant, arguitur sic: *Ostende mihi Fidem tuam sine operibus; & ego ostendam ex operibus Fidem meam. Tu credis, quoniam unus est Deus: bene facis: & Dæmones credunt, & contremiscunt.* Credunt igitur Dæmones, & habent Fidem: & quidem supernaturalem: alioquin inefficax esset argumentum à paritate Fidei Dæmonum contra sufficientiam, quam dogmatizant Hæretici, Fidei supernaturalis, quamvis sine operibus, ad iustificationem, & salutem. Respondetur ex Coninc *disp. 17. dub. 2.* negando consequentiam. Sic enim arguebat tunc temporis Iacobus contra iactantes se iam credere, & quemcumque suum assensum firmum Mytheriorum iustificare: & quidem in ipsis, utpote iam hæreticis, & eo ipso quod sic sentirent, sufficere Fidem suam sine operibus, iam spoliatis habitu Fidei, non erat assensus ille certò supernaturalis, sed fortè quoque modo naturalis. Contra hos ergo fuit efficax Iacobi argumentum sumptum à dæmonibus quoquo modo credentibus, seu assentientibus veritatibus à Deo revelatis, quamvis non quia à Deo revelatis, ne hunc Deo deserant honorem; sed quia aliunde sibi innegabilibus ex signis, quæ videbant, ut intellexit August. cit.

54 Dices. Ex natura rei non pugnat Habitum Fidei cum statu Damnatorum. Præterea cruciantur verberatione conscientie de amissione culpabili Gloriæ, quam sibi paratam Fide crediderunt: creduntque fuisse ab ipsis consequibilem per penitentiam. Ad id ergo habeant oportet Habitum, & actus Fidei: sicut habent characterem Sa-

Sup. disp. 1

Oxea.

Sup. disp. 1

Durand.

Augustin.

Coninc.

Tom. de  
Christ. disp.  
13. & 14.Ibid. disp.  
13.

telle-

Sacramentalem supernaturalem, quem habuerunt in via. Responderetur, negando primam partem antecedentis. Cum enim Fides detur in ordine ad opera salutis iam impossibilis damnatis, ex ipsa natura rerum denegatur in eo statu. Ad secundam partem antecedentis dico, damnatos cruciari vehementer verum conscientiam: non ex notitia supernaturali, quã tunc habeant

illarum veritatũ; sed ex memoria naturali, & magna ex parte ex notitia experimentalis multorum veritatum, quas olim crediderunt. Nec valet paritas de caractere. Hic enim cum non detur ex fine principali operandi sibi salutariter; sed ad designandas indelebiter animas, non est cur in eo statu non salutariter operandi non permaneat ad æternam ignominiam.

## DISPUTATIO XI.

### DE NECESSITATE FIDEI.

**S**CILICET ad Iustificationem, salutem æternam, & ad actus salutares. Et loquendum est cum discrimine inter Habitum, & actum Fidei. Circa necessitatem Habitũs Fidei duo sunt certa. Vnum, quod *Habitus Fidei ex præsentis Dei lege* est omnino necessarius ad Iustificationem, & ad salutem consequendam. Est enim ad id necessaria Gratia habitualis, quæ non infunditur nobis sine Habitu Fidei. Aliud, quod *Habitus Fidei non est necessarius ad quodlibet opus salutare, & honestum.* Nam Cathecumeni, Hæretici, alijque infideles, non habentes Habitum Fidei, exercent interdum actus bonos aliarum virtutum conducentes, & disponentes ad Fidem, & iustificationem, ut latè vidimus *disp. 6. de Grat. sect. 2. & disp. 26. sect. 4.* præsertim ex novo decreto Alexandri VIII. damnantis Propositionem asserentem, infideles nullum actum bonum exercere, sed in omnibus peccare. Dixi: *ex præsentis Dei lege.* Non enim loquimur de potestate absoluta Dei. Quippe potuit abs dubio salvos nos facere per alia media sine Fide tam habituali, quàm actuali; de qua præsertim instituitur perutilis hæc disputatio. A qua longè facimus errorem Hæreticorum dogmatizantium, ad iustificationem esse necessariam Fidem actualem, qua certò credat homo, se esse iustificatum. De quo Coninc *disp. 14. dub. 15. & nos disp. 20. de Grat. sect. 2.*

To. de Gratia disp. 6. & 26.

Coninc. To. de Gratia disp. 20. sect. 2.

### SECTIO I.

*An Fides stricta sit, fueritque semper necessaria necessitate medijs ad Iustificationem Adulti peccatoris?*

**D**IXI, *stricta*, propter aliquos, qui ut aliquantulum lenirent difficultatem iustificationis in illis etiam, qui Fidem ex auditu non perceperunt, distinguere attentarunt duplicem Fidem: unam strictam, ex propria Dei revelatione perceptam: aliam latam, quæ dici potest quæcumque notitia supernaturalis undecumque habita de Deo ut existente, & ut Remuneratore, citra loquutionem ex auditu, ex creaturis, quæ quidem sunt latè quasi loquutiones, enarrationes, sive manifestationes Dei iuxta illud Davidis: *Cæli enarrant gloriam Dei.* Hanc, inquam, Fidem latam sufficere ad iustificationem, & salutem, promovete studuerunt nonnulli: quos impugnatos iam meritò à Cardin. Delugo *disp. 12.* & à Patre Oxea *disp. 13.* repræsentavit Innoc. II. damnans in suo Decreto hanc propositionem: *Fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad iustificationem sufficit.*

Psal. 18.

Delugo. Oxea. Innoc. II.

S. Thom.

Tom. de Christo disp. 20.

**3** Dixi: *Necessitate medijs.* Dupliciter dicitur aliquid in Scholis necessarium ad salutem: aut *necessitate medijs*, quod S. Thom. vocat, *necessitate finis*; aut *necessitate præcepti*: quæ diversitas facilis dictu, non est ita facilis explicatu, ut expendimus *disp. 1. de Euchar. sect. 5.* Ex ibi dictis resumamus, illud dici necessarium ad salutem necessitate tantum præcepti, quod eatenus tantum requiritur ad salutem, quatenus requiritur ad evitandum peccatum suæ omissionis peccaminosæ, quò peccato impediretur salus; & sic est necessaria restitutio: unde est, quod, si inculpabiliter omitteretur, non propterea salus impediretur. Illud verò dicitur necessarium *necessitate etiam medijs*, quod requiritur simpliciter ad salutem non præcisè, ne peccetur in eius omissione per se impeditivã salutis; verum etiam requiritur ut medium per se conducens, aut institutum ad tollenda alia quoque peccata per se etiam impeditiva salutis: & sic dicitur necessarius peccatori Baptismus, vel pœnitentia. Unde est, quod, si hæc omitteretur, quamvis omninò inadvertenter, & inculpabiliter, impediretur salus.

**4** Dixi: *Adulti peccatoris.* Nam parvuli iustificantur, & salvantur sine exercitio Fidei actualis; quamvis non sine habitu Fidei, sicut nec sine Gratia. Quod si quis baptizatus infans statim post usum rationis, nondum commisso lethali, moretetur, iustificatus quidem fuisset parvulus, salvus tamen esset adultus fortè nondum exercitã Fide: at non fuisset adultus peccator, de quo loquimur.

**5** Iam ad rem. Putarunt nonnulli, Fidem actualem non esse adultis omnibus necessariam necessitate medijs ad iustificationem. Quinimò adultos peccatores non paucos invincibiliter infcios rerum Fidei iustificari sine actu Fidei. Sic Vega *lib. 6. in Trident. cap. 20.* quod pro statu legis Naturæ docuerat etiam Dominicus Soto, ut ipse confitetur *lib. 2. de Natur. & Grat. cap. 11.* ubi consultius id retractavit. Canus, & Zumel id censent erroneum, de quo Coninc *disp. 14. dub. 8.* & prohibitum videtur in Decreto Innoc. II. nuper allegato: de quo latè, & doctè Cardenas super Decretum Innocentianum *dissert. 15. ad Proposit. damnatam 22.*

Vega.

Soto.

Canus. Zumel. Coninc. Innoc. II.

**6** Fundamentum erat. Quia, quantumvis infcij rerum Fidei facere possunt quod in se est, ut iustificentur, dolendo de commissis, & proponendo servare de cætero legem naturalem, in quantum sibi nota est: sic ergo facientes iustificarentur: alioquin esset ipsis impossibilis salus, sicut & Fides; cum penes ipsos non sit habere Prædicatores. Nec satis videtur, dicere, sic facientibus Deum providenter elargiturum Fidem strictam per Prædicatores, aut per aliam viam. Cum enim Fides stricta sit ex auditu, & ad multos illorum è lōginquo adire nequeant evangelizantes, nec ipsi possint ad eos advenire, non nisi miraculosè possent habere Fidem, aut notitiam Fidei. Satiùs autem videtur dicere, illos miraculosè iustificari sine Fide stricta per providentiam extraordinariam: ne contra suavem Dei providentiam talis esse dicatur præsens Dei lex, ut iuxta illam nequeant illi miserè iustificari, & salvari, nisi per miraculũ extraordinarium.

**7** Conclusio nihilominus certa sit, Fidem strictam actualem esse de necessitate medijs omni peccatori adulto ad iustificationem, & salutem consequendam. Huius veritatis cum potissima ratio sit Dei beneplacitum, probari debet ex Scripturis, &

- Hebr. 11.** & ex alijs Regulis Fidei, per quas manifestat nobis Deus arcana consilij sui. *Hebraeor. 11.* scripsit Apostolus de Henocho: *Fide Henoch translatus est, ne videret mortem: ante translationem enim testimonium habuit, placuisse Deo: sine Fide autem impossibile est placere Deo.* Non autem aptè probaret Paulus, Henochum habuisse Fidem ex eo quòd placuerit Deo factus iustus, si iustificari potuisset sine Fide. Et ibidem: *Accedentem ad Deum oportet credere, &c.* Saepèque adludit ad locum Habacuc 2. *Ecce qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso: Iustus autem in Fide sua vivet.* Vbi sermo est de vita Gratiae: non ut dicat, eum, qui iam iustus est, perseveraturum in Gratia per Fidem sine operibus, ut pervertunt Haeretici; sed omnem, qui vult esse iustus, & vivere vitam Gratiae, id habiturum ex Fide, & nulatenus sine illa. Vnde Trident. *Sess. 6. cap. 7.* ait, quòd sine Fide, *nulla unquam contigit iustificatio: ideoque cap. 8.* vocat Fidem initium salutis, Fundamentum, & Radicem iustificationis, ut explicuimus *disp. 2. sect. 7.* Idemque habent Milevitanum, & Arausicanum apud Valentiam *2. 2. disp. 1. quest. 2. punct. 1.* Et August. *Serm. 18. de Temp. inquit: sine Fide nemo ad Filiorum Dei consortium potest pervenire: quia sine ipsa neque in hoc saeculo, quisquam iustificationis consequitur Gratiam; neque in futuro vitam possidebit aeternam.* Consonat, præter alios Sanctos PP. Fulgentius *de Fide ad Petr.* scribens: *Sine Fide nulla potest prodesse, imò neque esse conversio.* Vt mirum non sit, dixisse P. Suarez *disp. 12. sect. 2.* id absque errore in Fide negari non posse.
- 8 Nec probationem Pauli ductam ex Henocho infirmat quòd meditantur aliqui, eum per Parentes fideles, ac pios descendisse à Seth: atque aded parvulum ante usum rationis fuisse iustificatum per remedium deletivum peccati originalis pro lege Naturae sine propria Fidei actualis dispositione: ergo ex Henochi iustificatione nõ aptè infertur necessitas Fidei actualis ad iustificationem adultorum. Respondent multa multi apud Oxeam *disp. 13. sect. 1.* Aliqui negant antecedens, contra dicentes, fuisse Filium infidelium. Alij, quia per incuriam Parentum, quamvis fidelium, omissa fuit applicatio remedij legis naturae in infantia. Alij, concessio an-

tecedente, negant consequentiam; quia postea adultus peccavit amittens Gratiam, & postea iterum ex Fide iustificatus est: ex qua iustificatione procedit probatio Pauli. Verosimilius tamen dicunt alij, quòd quamvis pius semper fuerit, & à pijs, sollicitisque Parentibus educatus, non nisi adultus per dispositionem propriae Fidei iustificatus fuit: quia remedium illud Originalis in ea lege, non applicabatur parvulis, nisi in casu necessitatis; sicut Ecclesia primitiva consuevit in Baptismo. Non ergo necesse fuit applicari Henocho parvulo: ideoque primò iustificatus fuit adultus ex propria dispositione Fidei actualis: & stat probatio Pauli in sua vi.

9 Ad fundamentum oppositum *num. 6.* concedimus infcios illos, sic cum auxilijs divinae Gratiae, illuminantis omnem hominem, ut latè vidimus *disp. 12. de Grat. To. de Gra. disp. 12.* facientes, ut possunt, quòd est in se, iustificandos quidem esse. Negamus tamen, iustificandos sine Fide. Ijs enim sic probè agentibus, & ut ipse ibi censui, non nisi supernaturaliter ex Dei lege per Christum, Deus provideret de Fide ex auditu, aut viâ aliquâ naturali ex multis sibi notis, aut aliâ etiam viâ, si esset opus, miris modis extraordinariè: quòd alienum à Deo non est pro eiusmodi casibus; quinimò sic factum legitur non semel in Historijs. Nec tenet quòd obijciunt, fatius fore, quòd interdum extraordinariè fieret à Deo aliorum iustificatio sine Fide. Quamvis enim & hoc quoque esset secundum se possibile Deo, ut præmonuimus *num. 1.* at non secundum præsentem Dei legem manifestatam in Scripturis iuxta intelligentiam Conciliorum, & Sanctorum PP. ex beneplacito scilicet Dei absolutissimi Domini suorum donorum, volentis pro de facto adultos non iustificare, nisi per proprias dispositiones liberatas factas ex gratia per Christum, quarum una sit Fides ex auditu; sicut parvulos in lege Gratiae, non nisi per Baptismum. Adest itaque Deus etiam Barbaris, stans ad ostium, & pulsans opportunis cogitationibus supernaturalibus, ut benè agant iuxta rationem, utque maiorem veri Dei postulent, & inquirent: quibus sanctis cogitationibus invitantibus, & conducentibus saltem remotè ad Fidem, & salutem, si ipsi ex adverso tentati resistant, iam non faciunt quòd est in se, sicque culpabiliter claudunt sibi viam ad Fidem,

- Fidem, & salutem assequendam; si verò benè morari annuat, ut ope praesentis gratiae per Christum possunt, & debent, Deus abs dabo medijs sibi notis adducet illos ad Fidem, & iustificationem: ad quam utique, benè tunc agendo, & quidem, ut iudico, supernaturaliter, se quamvis remotius disponerent, iuxta doctrinas à me adtractas *loc. cit. de Grat. & disp. 7. sect. 3. & 4.*
- 10 Dices. Ergo nullus illorum poterit invincibiliter, & inculpabiliter ignorare Fidem. Si enim benè agunt iuxta rationem, iam Deus illis providet de noticia Fidei: sin autem malè, iam culpabiliter illà carent. Negatur tamen consequentia. Quamvis enim benè agant, non statim Deus illos adducit ad notitiam Fidei; sed saepè post tempus: in illo autem temporis intervallo, quo Deus illis benè agentibus iuxta rationem, differt notitiam Fidei, illam ignorant invincibiliter, & inculpabiliter. Quinimò & multi, qui in alijs materijs malè agunt, quamvis iuste propterea neget illis Deus notitiam Fidei; non tamen ex speciali peccato contra Fidem; ideoque dici quodammodo possunt invincibiliter Fidem ignorare, hoc est, sine culpa contra Fidem, donec dubium, aut scrupulus illis suboritur de obligatione inquirendi maiorem notitiam veræ Religionis, & se ad illam disponendi bene agendo. Sic rectè Oxea *disp. 11. num. 11.*
- Oxea.**

## SECTIO II.

Quarum veritatum Fides explicita sit de necessitate medijs: an Dei, & Remuneratoris?

- Hebr. 11. II** **C**Redere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se Remunerator sit: scribit Apostolus ad Hebraeos 11. Vnde constans Theologorum vox est, Fidem strictam explicitam eorum duorum articulorum, quòd nempe Deus sit, & quòd Remunerator sit, esse, semperque fuisse de necessitate medijs ad iustificationem adulti. An hoc procedat ex natura rerum, an ex lege dumtaxat Dei? Tractant Gardin. Delugo *disp. 11. sect. 5.* Ripalda *disp. 17. sect. 14.* & ex utroque Oxea *disp. 13.* Videtur dicendum, non taliter procedere ex natura rerum, ut non poruerit Deus per alia media dispo-
- Lugo.**  
**Ripalda.**  
**Oxea.**

nere iustificationem: bene verò taliter, ut valde congruè ad naturam rerum sic de facto disposuerit. Cum enim homines facilius moveantur amore propriae felicitatis, & spe commodi sui, quòd conducit maximè notitia Remunerationis pro benefactis; congruum abs dubio fuit, positâ lege disponendi nostram iustificationem medijs dispositionibus nostris, taliter Deum voluisse nostram salutis negotium ordinare, ut incipiamus à Fide de Deo non solum ut existente, verumetiam ut Remuneratore ad excitandam spem retributionis aeternae, & eius amittendae timorem: quo avertamur à peccatis illam impredientibus, & resistamus incitamentis sensibilibus ad peccandum.

12 Fuere nihilominus, qui dixerint, Fidem de Deo semper fuisse, & esse de necessitate medijs; non tamen sic Fidem de Deo ut Remuneratore. Movebantur ex ijs casibus. Primò, Casu quo parvulus baptizatus deferatur in sylvis: veniat ibi ad usum rationis, & peccet, retinens tamen habitum Fidei susceptum in Baptismo: accedat tunc aliquis, qui illum satis instruat de supplicio, nihil de præmio; sicque timore petulsum eum moveat ad attritionem supernaturalem, cum qua accedat ad Sacramentum Pœnitentiae. Hic certè sic dispositus iustificabitur: & tamen sine Fide Dei, ut Remuneratoris. Hæc ergo non est de necessitate medijs in re, sed vel in re, vel in voto, implicito in proposito non peccandi, atque adeo credendi ea, ad quæ tenebitur. Secundò, Casu quo in lege veteri, concepto Deo ut summè bono, illum homo supernaturaliter diligeret propter se; cum nihil audierit de Deo Remuneratore: iustificaretur etenim per eiusmodi dilectionem charitatis; sine Fide tamen explicitâ remunerationis. Tertio, Casu etiam, quo Cathecumenus in lege Gratiae, cui successivè exponuntur articuli Fidei, credens iam Deum unum, & bonum, & nondum instructus de Deo ut Remuneratore, eliceret illicò actum charitatis, & contritionis: quo quidem posito, certissimè iustificaretur; nondum tamen habens Fidem Dei ut Remuneratoris. Et ratio esse poterat: quia virtus remunerativa explicitè cognita non requiritur ad excitandum præcisè affectum charitatis perfectæ respicientis Deum ut in se bonum præcisissimè à Deo Remuneratore, ut nobis bono-

ergo sine noticia, ac proinde sine Fide Dei Remuneratoris, ut nobis boni, ex sola noticia Dei, ut in se boni, excitari possit affectus charitatis : quo posito nemo non iustificatur. Sic discutebant Caramuel, Acatius March. & Leander apud Cardenas *disert.* 15. *cap.* 1. Arriaga, & Bonaspes apud Lumbier *quest.* 15. *art.* 1. quod & ipse probabile iudicaverat ante prohibitionem Innocentianam.

13 Iam verò non licet ita discurrere, sed ut certum omnino tenere, Fidem strictam explicitam de Deo tam ut essente, quam ut Remuneratore, esse de necessitate mediæ ad iustificationem & salutem. Hic fuit semper communis Theologorum sensus : quem iam certum reddidit Innocent. XI. prohibens hanc propositionem 22. *Non nisi Fides unius Dei necessaria videtur necessitate mediæ ; non autem explicita Remuneratoris.*

14 Et meritò quidem. Nam verbum : oportet : quod apud Paulum iuxta intelligentiam, & phrasim Conciliorum, & Patrum significat necessitatem, pariter cadit supra utrumque articulum, Dei scilicet, & Remuneratoris. Nulli ergo licuit verba Pauli restringere ad articulum de Deo, excluso ab eadem necessitate articulo de Remuneratore. Idcirco Lumbier in *Noitia* *proposit.* Prohibet retractat, quod dixerat de probabilitate sensus contrarij. Norans tamen, Fidem requisitam de Remuneratore non intelligi specificè de Remuneratore per æternam Dei intuitionem, ut insinuat Oxæa *sect.* 2. sed genericè de Remuneratore per aliquod præmium æternum : de quo late Hurtad. *disp.* 43. observans apud Oxæam *nu.* 16. ex verbis Apostoli argui quidem necessitatem Fidei de Remuneratore ; non verò sic necessitatem spei remunerationis. Ipse tamen Oxæa cum Delugo utriusque id argui arbitrat.

15 Ad motivum oppositum *num.* 12. respondetur, negando suppositionem illorum casuum iuxta præsentem Dei legem manifestatam in Scripturis allegatis. Quia Dei lege statutâ non iustificandi homines, nisi per prædictam Fidem Dei, & Remuneratoris, spectat ad Dei providentiâ sic res, prout facillè potest, disponere, ut nullus adultus habeat attritionem cum Sacramento, nec exerceat re ipsa actum perfectum charitatis, aut contritionis, cui pro-

missa est iustificatio, quin ex Dei providentiâ habeat prædictam Fidem. Quemadmodum omnes dicere tenemur, spectare ad Dei providentiâ, sic res disponere, ut nullus prædestinatus moriatur in peccato mortali, quamvis ex rerum naturis non illi repugnet mors. Sicque fit satis ad rationem subiunctam : cuius utique antecedens verum est inspectis præcisè naturis rerum ; falsum tamen, attentâ præsentem Dei lege. Et sic quoque falsa conclusio.

SECTIO III.

An præterea sit de necessitate mediæ ad iustificationem adulti Fides de Trinitate, & de Christo Reparatore?

16 DE Fide implicitâ affirmant id sine controversia Theologi pro semper, tam ante, quam post Christi tempus. Nam in Fide explicitâ de Deo perfectissimo iam involvitur implicitè Trinitas. Et in Fide explicitâ de Deo Remuneratore involvitur implicitè Fides quorumcumque mediæ, quibus Deo placuit uti ad remunerandos bene operantes : quorum mediæ post hominis lapsum præcipuum est Christus Mediator, & Reparator. In hunc modum se explicat ex Sancto Thomâ, Illustrissimus Tapia *quæst.* 2. *art.* 8. Difficultas est de Fide explicita.

17 Becanus, & Coninc censent, fuisse semper de necessitate mediæ ad iustificationem, etiam ante adventum Christi, Fidem explicitam de aliquo Mediatore post lapsum Adæ : quamvis non de eo, quod talis Mediator futurus esset Deus, nec homines reparaturus per mortem, adhuc in lege scripta : in qua tamen post Moysen volunt fuisse de necessitate præcepti Fidem de Mesiâ venturo, & redempturo : de quo Suarez *disp.* 12. *sect.* 3. Apud quem alij existimarunt, Fidem explicitam de Christo venturo fuisse de necessitate mediæ etiam ante Christi tempus.

18 Id tamen negat ipse Suarez cum S. Thomâ, & communi sententia : idem censens & meritò de Fide Trinitatis. Quia mediæ ita strictè necessaria ad salutem asserenda non sunt absque urgenti fundamento. Necessitas autem mediæ horum articulorum pro eo legis scriptæ tempore nec habet urgens fundamentum ex naturis

ris rerum ; cum sine Fide explicita de Christo, & de Trinitate, posset homo ex Fide de Deo, & de Remuneratore sperare, timere, conteri, & diligere, sicque Deo volente, iustificari : nec ex lege Dei ; cum ea lex nullibi exprimator ante Evangelium Christi, ut eruditè monstrat Oxæa *sect.* 4. respondens solidè ad varios Textus, qui opponi solent. Ergo saltem ante adventum Christi asserenda non est eiusmodi necessitas. Non exinde negamus, aliquos ante adventum Christi in legibus scriptâ, & naturali credidisse Incarnationem, & Trinitatem explicitè. Quod dicimus, est, non fuisse tunc id omnibus necessarium.

19 Notatum hic velim : aliud esse, quod salus à nemine haberi potuerit ullo tempore ex Dei lege, nisi per Christum, & in nomine, ac ex meritis Christi ; quod est verissimum, ut vidimus *disp.* de *Incarn.* aliud est, valdeque diversum, quod non potuerit haberi sine Fide explicitâ de Christo. Hoc est quod negamus pro tempore ante legem Evangelicam : quæ quoad effectum omnes obligandi incepisse dicitur ad annui circiter Christi quadragesimum, ut est apud Suarez *sect.* 4. Neque obstat Augustinus *lib.* 18. *de Civ. cap.* 47. dicens : *Nemini ante adventum Christi concessum, quod esset iustus ; nisi cui divinitus revelatus est unus mediator Dei, & hominum, Homo Christus.* Intelligi namque potest, ac debet de revelatione, & Fide implicitâ, quam supposuimus *num.* 16. sicut etiam cum alibi dixit : *Neminem potuisse antiquitus à peccatis mundari sine Fide incarnationis, Mortis, & Resurrectionis Christi.*

20 Potior difficultas est, & ad præsentem legis Gratiæ statum pertinens : an post Christi adventum, & promulgationem legis Evangelicæ sit de necessitate mediæ ad iustificationem adulti Fides explicita de Christo. Negant graves Theologi : Sotus, Vega, Azor, Palaus, Hurtad. & alij apud Cardenas *disert.* 41. *cap.* 1. Oxæa *sect.* *ult.* & Bonaspes. Quibus addi ex parte possunt : Canus, & Bañez, negantes, esse id de necessitate mediæ ad iustificationem, quamvis affirmant ad glorificationem.

21 Affirnant verò S. Thom. & Bonavent. Durandus, Gabriel, Molina, Valentia, Granad. Sanchez, & alij apud eundem Cardenas : quos sequitur Illustrissimus Tapia *tom.* 2. *lib.* 1. *quæst.* 2. *art.* 8. id

extendens cum Amico *disp.* 13. *num.* 41. ad Fidem explicitam de Morte, & Resurrectione Christi. Idemque docent ij Authores de Fide Trinitatis : sine qua nempe haberi nequit Fides explicita de Christo Filio Dei. Et quidem in *proposit.* 64. damnata ab Innocent. XI. par erat sermo de Fide Christi, & Trinitatis. Moventur autem multipliciter : & quidem gravissimè. 22 Primò ex Scripturis *Ioan.* 17. ubi Christus ipse, pariter de Fide Dei, & Christi loquens, ait : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem missisti Iesum Christum.* Marci *ult.* *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* Vbi pariter necesse ponitur Fides, ac Baptismus, qui quidem post Christum de necessitate mediæ est ad salutem. Fides autem, de qua ibi, est Fides Christi Evangelica, cuius Author est Christus : *Prædicare Evangelium, &c.* est expressa de Trinitate : *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Actor. 26. ubi Paulus : *Ut accipiant remissionem per Fidem, quæ est in me : in eo autem insigniter erat Fides de Christo, quem prædicabat.* Et ad Galat. 2. *Scientes, quod non iustificatur homo, nisi per Fidem Iesu Christi.* Quod si Hebr. 11. solum videtur requisivisse Fidem de Deo ; quod est, & quod Remunerator sit ; clarè loquitur ibi de lege communi tam ante, quam post Christum ; proinde non negans ; Christianis esse præterea de necessitate mediæ Fidem de Christo.

23 Secundo ex Tridentinò *sess.* 6. *cap.* 6. ubi inter dispositiones necessarias ad iustificationem ponit Fidem de Redemptore. Id autem intelligere de Fide solum implicita de Christo, incredibile videtur : Quis enim credat, quod in lege Christi non magis exigatur ut medium salutis Fides de ipso Christo Mediatore, & Reparatore per mortem, quam in lege Moysi ? Et incredibile est, id posse sufficienter intelligi de necessitate præcepti. Quis enim credat, non magis exigi à Christiano Fidem explicitam de Christo, quam de quolibet alio articulo minus principali, ut de descensu ad inferos, de creatione terræ, &c.

24 Tertio ex Sanctis PP. Virtus pro multis Augustinus *cap.* 2. *de Nat. & Gratiæ* ; ubi, postquam dixit, si fieri potuisset, ut qui nihil audierit de Christo, sine eius Fide, credendo in Deum creatorem, rectè,

Caram. Acatius. Leand. Carden. Arriaga. Bonasp. Lumb.

Innoc. XI.

Lumb.

Oxæa.

Hurtad.

Oxæa.

Lugo.

Oxæa.

Tom. de Christo.

Suarez. Augustin.

Sotus.

Vega.

Azor.

Palau.

Hurtad.

Oxæa.

Bonasp.

Canus.

Bañez.

S. Thom.

S. Bonav.

Durand.

Gabriel.

Molina.

Valentia.

Granad.

Sanchez.

Tapia.

Amic.

Ioan. 17.

Marc. ult.

Act. 16.

Galat. 2.

Hebr. 11.

Trident.

Augustin.

ac in se viveret, fieri etiam potuisse, ut sine Fide Christi salvaretur, subiungit Quod si fieri potuit, aut potest, hoc & ego dico, quod de lege dixit Apostolus: ergo Christus gratis mortuus est. Quod est disertissime dicere, in lege Evangelica post mortem Christi pariter esse de necessitate medij Fidem de Christo, ac de Creatore, ut impossibilis sit salus illius, cui impossibilis est Fides de Christo ex auditu. Pulchrè S. Bonavent. in 3. dist. 25. art. 1. asseverans, eandem esse necessitatem Fidei de Christo recreatore, ac de Deo creatore.

Suarez. 25 P. Suarez sect. 4. mediam indicat viam, quam sequuti sunt Card. Delugo Lugo. disp. 12. sect. 4. Anton. Perez disp. 3. cap. 12. Leander part. 6. tract. 2. disp. 2. quest. 8. Haunoldus controv. 4. citans Cardin. Pallavicin. & latè, doctèque P. Moya tom. 2 Select. tract. 6. disp. 5. q. 1. apud quem alij complures in Append. & Lumbier quest. 15. art. 4. dicendo, Fidem de Christo, & de Trinitate esse in lege Gratia de necessitate medij ad salutem: non tamen semper in re, sicut Fides de Deo, & de Remuneratore; sed vel in re, vel in voto, sicut Baptismus. Quod temperamentum probant ex verbis Christi Marci ult. ubi par est sermo de hac Fide, & de Baptismo: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c. Ea igitur Fides nõ est cur asseratur magis necessaria, quam Baptismus, qui necessarius est necessitate medij vel in re, vel in voto. Videtur enim nimis durum, quod baptizatus, mutus & surdus à nativitate, instructus vix utcumque de Deo bono, & Remuneratore; & nõ vix quidem potens ulterius instrui de Christo, & de Trinitate; & sic dolens, ac poenitens non salvaretur: & durius, quod nec posset sacramentaliter absolvi. Creditibilis ergo est de benignitate legis Gratia, quod salvaretur per Fidem de Christo, & de Trinitate in voto, involuto in voluntate de cætero non peccandi, atque adeo adimplendi obligationem credendi explicite in Christum, dum urgeret obligatio: sicut per baptismum in voto, qui in aliquo casu non potest in re baptizari. Nec deest congruentia rationis pro hoc discrimine Fidei Dei, & Remuneratoris, à Fide Dei Trini, & Redemptoris. Quia nempe Fides illorum duorum articulorum pertinet strictius ad excitandos affectus spei, charitatis, & contritionis, qui ex parte voluntatis necessarii sunt ad iustificationem.

Marc. ult.

26 Ego quidem nunquam auderem dicere, in lege Evangelica post Christum pro nobis natum, passum, & mortuum, non esse nobis necessariam ad salutem necessitate medij Fidem explicitam de Christo Authore Summo legis Evangelicæ: ob gravia fundamenta posita à num. 21. Vnde cum temperamento saltem Patris Suarez omnino iudico, non recedendum à communi sententia affirmante. Quid enim magis è re, quam ea necessitas Fidei de Christo, ut homo fiat Christianus? Alioquin, ut ita loquar cum Augustino ex Apostolo, ergo gratis Christus mortuus est.

Gal at. 2.

27 Infero, absolutè absolvendum esse Sacramentaliter baptizatum illum surdum, & mutum in prædicto casu: quippe iam habet in voto Fidem de Christo, & de Trinitate. Quinimò & Confessarius opinas, eam Fidem esse necessariam in re, teneretur illum absolvi sub conditione. Nec contra hoc est damnatio proposit. 64. decreti Innocentiani: quia loquitur de ignorante culpabiliter hæc Mytheria. Qui verò quomodolibet ignoraret Fidem Dei, & Remuneratoris, nec deberet, nec posset absolvi: quia horum duorum articulorum Fides in re est de necessitate medij ad iustificationem: de quo Cardenas disert. 14.

Cardenas. Suarez.

28 Disputat insuper Suarez sect. 3. an præterea sit ulterius de necessitate medij Fides explicita de aliquibus alijs rebus creatis. Respondet autem affirmativè de Fide immortalitatis animæ, necessitatis gratia divinæ ad salutem, & peccati originalis. Advertit tamen, horum trium articulorum non esse ita necessariam Fidem seorsim explicitam, ut non satis contineatur iam in Fide explicita Dei, Remuneratoris, & Christi Redemptoris. Fides enim remunerationis æternæ iam præsert animæ immortalitatem: & Fides Redemptionis, ac iustificationis non nisi à Deo expectandæ, involvit auxilij divini necessitatem; & Fides Redemptionis servitutem peccati, quin sit necesse exprimi Originale.

29 Crediderim equidem, quod quavis verum sit, esse de necessitate medij Fidem prædictorum articulorum explicitam; non tamen tam clarè, ac distinctè, ac requiritur ex necessitate præcepti. Vnde de necessitate medij solum videtur necesse, credere Deum unum, & trinum, quin ulterius sic sit necesse, nosse alias particulari-

laritates Personarum; Deum esse Remuneratorem per æternum præmium, quin sic sit necesse, nosse, quali præmio; Christum Deum hominem esse Redemptorem hominum, quin sic sit necesse, quali Redemptione; sicut nec quali modo factus fuerit homo: hæc enim sat est pertinere ad necessitatem præcepti. Vnde nimis videtur, quod ex alijs docet Illustrissimus Tapiæ quest. 2. art. 8. esse de necessitate medij Fidem de Morte, & Resurrectione Christi.

Tapia.

SECTIO IV.

Ad quem accessum ad Deum sit prædicta Fides de necessitate medij

30 **D**idicimus ex Apostolo, quod credere oportet accedentem ad Deum, quia ei, & Remuneratur sit. Cum autem datur, infidelem accedere ad Fidem, & Fidelem peccatorem accedere ad Gratiam, & iustum accedere per novos actus meritorios ad maiorem Gratiam; quaeritur ad quem istorum accessuum sit ea Fides explicita de necessitate medij? Et supponitur, esse sic necessariam eam Fidem ad accessum infidelis ad Fidem. Hic enim, cum sit aversus à Deo intellectu, nondum credendo; & voluntarè, diversimodè peccando; necesse est accedere per intellectum, & voluntatem; atque adeo prædictos articulos credendo. Quod saltem persuadent Pauli verba. Difficultas est: an sit etiam sic necessaria ad accessum peccatoris Fidelis ad Gratiam iustificationis? Hic enim cum iam accesserit per Fidem, à qua non deficit, videtur satis esse, quod accedat per voluntatem, quin necesse sit accedere per intellectum, & Fidem.

Lumb. Oxea.

31 Dicendum nihilominus est, ad hunc etiam accessum esse eam Fidem de necessitate medij; atque adeo ad iustificationem quoque peccatoris Fidelis. Sic in terminis duò mihi in Theologicis Magistri, Lumbier art. 3. & Oxea sect. 7. Movemur: quia Paulus generaliter, & indifferenter loquitur de accedente ad Deum: proprijsimè autem accedit ad Deum quicumque peccator etiam fidelis, qui è statu inimicitia divinæ, se iustificat accedens ad statum amicitia. Præterea Tridentinum Sess. 6. cap. 7. requirens omnino Fidem ad iustificationem impij, generaliter lo-

Trident.

quitur de omni iustificatione. Et Innocentius XI. damnans propositionem in suo decreto 22. & id explicans de Fide stricta Dei, & Remuneratoris, non discriminat inter iustificationem infidelis, & fidelis. Ergo ad utramque est de necessitate medij prædicta Fides: nec est fundamentum sufficiens restringendi eam necessitatem ad iustificationem infidelis: accedentis ad Deum.

Innoc. XI.

32 Nec forte contradicit huic doctrinae P. Granadus intelligens locum Pauli de accedente per intellectum, & voluntatem; atque adeo specialius de infideli: & non ita de peccatore fidelis, qui iam accesserat per intellectum, & fidelis permanerat: in quo, ait, non ita per se requiri Fidem actualem; sed sufficere ex parte intellectus habitualem, quam iam habet, cum memoria Fidei actualis, quam iam exercuerat. Hoc enim dixit, nõ quia existimaret ad iustificationem sufficere Fidem latam; sed quia hoc ipsum est, Fidelem moveri virtualiter ex Fide stricta, modo quo explicuimus latè, ac utiliter disp. 4. sect. 7. 8. & 9.

Granad.

33 Id quod explicatum denud invenio à P. Cardenas disert. 15. cap. 3. appositisimo exemplo, quod explicationis, & roboris causâ addi potest ad ea, quæ ibi dedimus ex professo, Agricultor nimirum, qui ex officio habet intendere fructibus terræ. Sæpe namque spargit semina, immemor actu pro tunc fructuum colligendorum, aut saltem non animadvertens ad tenuem illam memoriam: & tamen nemo est, qui non agnoscat, illum seminare ex intentione, & spe fructuum, quæ sine aliqua præcognitione haberi non potest: & quæ si careret, non seminaret. Quemadmodum ergo ille, dum actu immemor fructuum seminat, intelligitur ab omnibus, habere spem fructuum, & ex illa spe seminare; atque adeo non sine aliqua cognitione, quamvis tenuissimâ, & ab ipso reflexè non animadvertens, fructuum; sic peccator fidelis assuetus credere veritates Fidei ex motivo divinæ revelationis, dum ponit media suæ iustificationis non ponibilia sine notitia earum veritatum, assentitur ex habitu intellectualiter illis veritatibus ex motivo divinæ revelationis, atque adeo per Fidem strictam, quamvis id reflexè non animadvertat. Et in hoc differt ab infideli. In hunc etiam modum disc-

Sup. disp. 4.

Cardenas.



**Suarez.** currit Suarez *disp. 2. de Spe sect. 1.* 34 Dices, hunc nostrum discursum esse quidem speculative probabilem. At non practice, ideoque non licite deducibilem in praxim in confessionibus cum poenitentibus accedentibus sic dumtaxat credendo, sine expressiori motivo strictæ Fidei. Non enim licet in praxi sequi opinionem probabilem, relicta tutiori, circa valorem Sacramenti ex damnatione primæ propositionis Decreti Innocentiani.

**Cardenas.** Respondet tamen bene Cardenas *num. 16.* eum discursum non esse solum probabilem, sed ex fidelium praxi certum: sicut est certum, agricolam, dum seminat actu immemor fructuum, non seminare sine spe fructuum: & sicut est certum, sufficere intentionem, quam vocant virtualem in eo qui baptizat, aut absolvit: taliter ut nec maioris securitatis causa obligetur qui ex tali intentione baptizavit, aut absolvit, id repetere ex intentione formaliori, & expressiori.

35 Dices, eiusmodi exempla non satis tenere. Quamvis enim spes, & intentio finis consequendi contineantur, aut manent virtualiter in suis effectibus, nempe in electione, & executione medij; non tamen sic cognitio finis. Sed responderi, satis tenere: & negat, non etiam contineri similiter in eiusmodi effectibus: cognitionem finis, quando in illis continetur, manetque virtualiter, ut aiunt, intentio, & spes finis. Non enim continetur in illis ea intentio & spes cæco modo manens, sed ex illuminatione circa suum obiectum modo proportionato. Addo ex doctrinis Cardinalis Delugo, verisimile mihi esse, in prædictis casibus manere intentionem aliquam etiam formalem, quamvis actu reflexè non animadvertam, & similiter cognitionem aliquam formalem obiecti talis intentionis, quamvis non reflexè animadvertam ob sui tenuitatem. Quod in operantibus ex habitu facilius intelligitur: iuxta vulgatum illud: *ab assuetis non fit passio.*

36 Difficultas superest de accessu iusti magis ad Deum per actus meritorios augmenti Gratiæ. An scilicet ad quemlibet actum Iusti meritorium, imò & ad quemlibet actum salutarem sive Iusti, sive non Iusti, sit de necessitate medij, fieri ex prævio lumine Fidei strictæ? Affirmant absolute Cardinales Delugo, & de Aguirre: ille

*disp. 12. de Fide sect. 2.* Iste tom. 3. *disp. 11.* præsertim *sect. 4. & 8.* rati, sed immeritò, ex Tridentino parem inferri necessitatem Fidei ad quemlibet actum salutarem, ac ad Iustificationem. Eos sequitur Cardenas *disert. 16. cap. 6.* cum temperamento satis rationabili. Negare videntur in re Vazquez, & Ripalda. Et saltem negari non potest actum piæ affectionis, qui salutaris abs dubio, & meritorius est, haberi ab incipiente credere, ante assensum intellectualem Fidei, ac proinde ex illustratione prævia ad eiusmodi primum Fidei assensum.

38 P. Oxea *disp. 12. latè, & profundè* gravem istam controversiam exagitant, fert: circa illam iudicium suum maturissimum multiplici asserto distinctum explicatum. Super quod nostrum etiam latè, & cum eadem distinctione posuimus *disp. 26. de Gratia sect. 4. & 5.* quò remitto Lectores, ne actum agam.

## SECTIO V.

*Qualis, & quantum rerum Fides sit ad salutem necessaria necessitate Præcepti.*

39 **E**A ipsa Fides, quæ est de necessitate Medij, est etiam à fortiori de necessitate præcepti: cum certò præceptum nobis omnino sit adhibèdi media necessaria ad salutem. Insuper autem multas veritates, quarum Fides explicita non est de necessitate medij, iubemur explicitè credere, & intelligere; non tamen cunctas, quæ de Fide sunt; cum non sit præceptum sciendi totam Scripturam.

40 Quocirca quadrupliciter potest veritas aliqua pertinere ad Fidem. Primò, latissime, & sic est quodcumque à Deo revelatum, ut Tridentinum esse legitimum Concilium; & Innocentium legitimum Papam. Secundò, strictè: & sic est quidquid expressè continetur in Scriptura: ut Christum sudasse sanguinem. Tertio strictius: & sic est quidquid à singulis est ex obligatione sciendum, & explicitè credendum, ut periurium, homicidium, & adulterium esse peccatum. Quarto strictissime: & sic est quod habet specialem, certumque articulum in Symbolo Fidei: ut Resurrectio Christi, eiusque adventus ad futurum iudicium.

41 Quoad Fidem implicitam certum est, necessarium omnibus esse ex præcepto

credere saltem implicitè omne à Deo revelatum, quocumque ex prædictis quatuor modis ad Fidem pertineat. Quatenus nempe teneatur habere animum universim præparatum ad credendum Deo, quidquid nobis fuerit sufficienter propositum ab Ecclesia ut à Deo revelatum. In qua voluntate, & animi præparatione involvuntur cuncta revelata.

42 Quoad explicitam verò dicitur communiter esse de necessitate præcepti discere, & credere. Primò articulos, qui in Symbolo Fidei continentur. Secundò signare se signo crucis. Tertio præcepta Decalogi, & Ecclesiæ. Quarto, Sacramenta ea saltem, quæ ab unoquoque respectivè debent recipi. Quintò pro aliquo modo orandi Orationem Dominicam. Addit cum alijs Illustrissimus Tapia, *q. 2. art. 4.* & Salutationem Angelicam; aut aliquid æquivalens ad B. Virginem; quin etiam, & quatuor novissima, Mortem, Iudicium, Gloriam Cæli, & pœnas æternas Inferni: imò & temporales Purgatorij. Constant hæc ex praxi, & communi persuasione Fidelium.

43 Tria subnoto. Primum, hoc intelligi generaliter pro omnibus: nam aliqui tenentur ex officio speciali plura explicitè didicisse. Secundum, non esse necesse, quòd supradicta addiscantur à singulis eo verborum ordine, quo traduntur; sufficit enim, si in substantia, quamvis inordinatim. Tertium, non esse sub præcepto pro cunctis notitiam exactam supradictorum: sed sufficere, si intelligantur eâ ratione, quâ verbis illis crasso modo significantur. Quod sic exemplificat Haunoldus *contrav. 5.* Satis est, inquit, cognoscere, Christum esse Deum, & hominem, quin distinctè cognoscatur unitas in Persona, & distinctio in Naturis. Satis est cognoscere, esse unum Deum, esseque Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, quin distinctius cognoscatur unitas in Natura, & Trinitas in Personis. Et sic in alijs. Qui plus ex obligatione exigere insistant, videntur minus versati in confessionibus rudium.

44 Idem Haunoldus grave non iudicat, ignorare, Christum passum *sub Pontio Pilato*, aut esse sepultum, aut circumstantiam *tertia diei* in articulo Resurrectionis: quamvis sub gravi censetur obligari credere, non utcumque passum, verum etiam

fuisse crucifixum: & descendisse ad inferos: quia hæc est substantia specialis articuli. Aliqui dubitant de obligatione intelligendi, & explicitè credendi *Sanctorum communionem*. Sed mihi dubium non est: quippe iudico in hoc articulo contineri Fidem de Eucharistia, ut dixi *disp. 3. sect. 4.* cuius explicita Fides est abs dubio de necessitate præcepti.

45 Pro praxi ad ferendum iudiciū de prædicta obligatione intelligendi, & explicitè credendi, observanda venit in decreto Innocentiano damnatio propositio-  
*Innoc. XI.*  
nis 64. quæ sic erat: *Absolutionis capax est homo, quantum vis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei: & etiam si per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat Mystrium Sanctissima Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Iesu Christi.*

46 Itaque qui ignorat omnino, quamvis *inculpabiliter*, Deum esse, & Remuneratorem esse, nec licite, nec valide absolvetur: quia ex dictis *sect. 2.* caret dispositione requisita necessitate medij ad iustificationem. Qui verò ignorat *culpabiliter* Mysteria Trinitatis, & Incarnationis, nequit absolvi: quia censetur etiam indispositus ex parte voluntatis. Quid autem si hæc duo Mysteria ignoraret *inculpabiliter*? Ab hoc abstraxit Pontifex, propter dubium: an Fides de Trinitate, & de Incarnatione sit de necessitate medij, necne: quod resolvimus *sect. 3.* Vbi *num. 27.* diximus, eiusmodi ignarum alioquin non indispositum, posse, ac debere absolvi saltem sub conditione. Fortè namque fallimur, qui sentimus, Fidem Trinitatis, & Incarnationis esse de necessitate medij. Quamvis certè Pontifex specialiter intentus in suo decreto ad hæc duo Mysteria præ alijs de præcepto, in id inclinare videatur, quòd sint credenda explicitè de necessitate medij, ut & nos tenuimus *sect. 3.*

47 Circa modum, quo ex prædicto præcepto obligamur ad Fidem, constans est, eiusmodi præceptum partim esse negativum; partim affirmativum. Quatenus negativum est, obligat ad non dissentendum, nec dubitandum in supradictis Mysterijs; & obligat semper, & pro semper: quia nunquam licet discredere, nec dubitare. Quatenus affirmativum est, obligat ad positivè exercendam Fidem, assentiendo Mysterijs. At non semper, & pro semper: quia non obligamur, esse semper

in exercitio & actu credendi: sed pro certis temporibus, ut dici solet de alijs præceptis affirmativis.

48 Quocirca cavendum est à tribus propositionibus huc concernentibus, damnatis per Innocent. XI. Prima, quæ ibi est 16. iã antea prohibita per Alexand. VII. erat sic: *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.* Secunda, quæ ibi est 17, sic. *satis est, actum Fidei semel in vita elicere.* Tertia, quæ ibi est 65. sic. *Sufficit, illa Myſteria semel credidisse.* Myſteria scilicet, de quibus fuerat sermo in propositione 64. relata num. 45. Unde minus acquiesco id exponentibus de solis Myſterijs Trinitatis, & Incarnationis, ut videtur habere Lumbier.

49 Ex quibus damnationibus tria manent nobis iam certa. Primum, obligari nos ex præcepto exercere quandoque Fidem: non indirectè dumtaxat, ratione præcepti aliorum operum prærequiritium Fidem, ut ratione præcepti iustificandi nos, aut ratione periculi peccandi, nisi confugiamus ad Fidem; sed directè, & per se ex speciali præcepto affirmativo exercendi aliquando virtutem Fidei. Secundum, ad adimplendum hoc præceptum affirmativum credendi, non esse satis, semel in vita credidisse. Tertium, nec sufficere, credere in articulo mortis, sicut neque initio usûs rationis.

50 Definire autem, quo vitæ tempore, & quoties obliget hoc præceptum divinum positivè credendi, non est ita facile. Conveniunt multi apud Sanchez lib. 2. Sum. cap. 1. & apud Palaum punct. 12. obligare, quando alicui, sive infideli venienti ad notitiam Fidei, seu parvulo fidei pervenienti ad usum rationis, primò proponuntur sufficienter Myſteria: tunc enim statim tenetur assentiri: statim, inquam, moraliter loquendo; non metaphysicè in eo primo momento. Deinceps dicerem cum Ledesma apud Sanchez, quem sequitur Lumbier Proposit. 17. obligare saltem singulis annis. Id quod non esse nimis onerosum, monstrat Cardenas disert. 41. cap. 2. ex communiter contingentibus. Nam Fidelis frequenter adest Missæ, in qua adoratur Hostiam consecratam, credens in ea præsentem Christum Deum, & hominem: frequenter videt imaginem Crucifixi, credens passum, & mortuum pro nobis: frequenter munit se signo crucis in

nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti, profitens Myſterium Trinitatis: frequenterque adest Baptismis, & recitat Symbolum Fidei, &c.

SECTIO VI.

Quanta sit obligatio externæ professionis Fidei ex præcepto?

51 **D**ixi, ex præcepto. Quia externa Fidei professio non est de necessitate mediæ. Eius autem præceptum est partim negativum, quatenus pro semper obligat non negare Fidem externè: in quo errabant Hæretici Helceseitæ docentes non esse peccatum, externè negare Fidem animo retentam, apud Oxeam Tract. mor. de Fide disp. 1. sect. 2. Partim verò affirmativum, quatenus obligat aliquando Fidem externè profiteri.

52 Quoniam verò de aliquibus verbis, & actionibus externis dubitatur, an sint externa negatio Fidei, regula generalis solet esse, ea signa externa prohiberi per hoc præceptum, quatenus negativum, quæ aut ex se, aut ex circumstantijs significant internum disensum Fidei: ut dicere: *non sum Catholicus: sum Mahumetanus: Christus non est Deus:* quamvis internè talis disensus non sit. Inde & silentium haberi potest pro negatione Fidei ex circumstantijs: ut si in talibus circumstantijs fileat fidelis, in quibus potius indicat erubescerentiam Fidei, quàm contemptum interrogantis non habentis ius ad interrogandum, nec digni, cui respondeatur.

53 Hinc ait Haunoldus contro. 6. Haunold. non censi per se negare Fidem illum, qui ad citationem publicam omnium Christianorum fileat, & non se prodit. Nam eiusmodi citatio est Tyrannica, nullam vim habens obligandi. Adde, quòd nec fugere à persequutione, nec è carcere, nec pecunià redimere carcerationem.

54 Ait Tamburinus lib. 2. Decal. cap. 1. §. 3. nec censi negare Fidem contra hoc præceptum, si quis neget, se esse Sacerdotem, aut Religiosum: nec indui vestibus Nationum, quas pertransit: dummodo non sint insignia protestativa falsæ Religionis. De ijs luculenter Oxea à sect. 4. Oxca. cum distinctione à num. 53. Libellaticorum Tertulliani. Negare tamen, se esse Papistam nemini licet: quia ex more loquen-

quendi est negare se esse Catholicum.

55 Circa obligationem confitendi aliquando Fidem ex hoc præcepto, quatenus affirmativo, iacet in Decreto Innocentiano damnata hæc propositio 18. *Si à Potestate publica quis interrogetur, Fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & Fidei gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno.* Vnde certum est, iam teneri tunc Fidelem externè profiteri Fidem, non obstante damno imminente. Quia tacere tunc est denegare debitum honorem Religioni, ac primæ Veritati. Profiteri inquam, aut voce, aut signis per circumstantias satis manifestantibus Fidem internam, quia sic se gerere non est tacere, quamvis vox fileat, ut explicat re- Cardenas disert. 12. cap. 2. advertens num. 18. in ipsa damnatione prædictæ propositionis relinqui locum, ut per accidens liceat silentium in aliquo casu ex supraenumeratis: quia propositio male, aut saltem æquivocè loquebatur de per se.

56 De silentio coram Persona privata interrogante non agit hæc damnatio. Dicendum est tamen, nec coram Persona privata licere in circumstantijs, in quibus sic daretur occasio existimandi nostram Fidem non esse veram, aut firmam, ut ex P. Suarez habet ipse Carden. cap. 1. meritò corripens Leandrum, & Lumberium, oppositum perperâ tribuentes Patri Grano. De quo etiam doctè, & utiliter Illustrissimus Tapia quest. 3. exscribens art. 9. responsa Congr. de Propaganda Fide ad dubia de aliquibus signis externis apud Sinas.

57 Addunt Bonacina, & Tamburinus, obligare Fidem, Deique honorem, ut Fidelis videns Sacras Imagines ab Infidelibus conculcari, Tempia, aut Virgines Deo Sacras profanari, id impediatur, si potest, quamvis sic se cum periculo vitæ Catholicum manifestet. Id enim debetur honori Dei, & Fidei.

58 Hæc in universum. Nam ex varijs præceptis Ecclesiasticis obligantur specialiter aliqui Fideles ad externam Fidei professionem in ingressu ad aliquas Dignitates, aut certos Gradus. Et Adultus accedens ad Baptismum, ut ex Coninc observat idem Tapia art. 5. num. 4.

SECTIO VII.

An externa Fidei professio, sit actus virtutis Fidei?

59 **A**bsolutè videtur affirmare Sanctus Thom. Thom. quest. 3. art. 1. Vnde inferunt aliqui, negationem externam Fidei, interius tamen retentæ, esse peccatum contra virtutem Fidei: id quod non satis distinctè amplectitur Haunoldus Controv. 6. Haunold. At non caret difficultate: quia nec in eiusmodi confessione per se respiciet motivum Fidei, ut patet in eo, qui sic externè profiteretur internè discredens; nec per eiusmodi externam negationem Fidei interius retentæ, expellitur Habitus Fidei.

60 Nec satis videtur verum, quod ait Coninc, externam Fidei confessionem esse actum virtutis Fidei; sicut actiones externæ aliarum virtutum sunt actus aliarum virtutum. V. gr. virtutis temperantiæ moderata comestio. Nam aliæ, cum sint virtutes voluntatis, imperant ex suo motivo actiones illas externas; Fides verò, cum sit virtus intellectus, non sic imperat: sicque non facit, ut eo imperatorio modo sit actus ipsius externæ Fidei professio. Quapropter maiori hoc indiget explicatione.

61 Dicendam videtur ex Card. De Lugo, quem sequitur Oxca sect. 1. externam Fidei confessionem esse actum pertinentem ad virtutem Fidei: non quatenus Fides pressius accipitur pro virtute intellectuali credendi; sed quatenus sumitur, ut sæpe vidimus, ample pro toto negotio Fidei amplectentè piam etiam affectionem, eiusque habitum: Quippe à pia voluntate credendi, & obsequendi Deo attestanti imperatur externa etiam Fidei divinæ confessio: quæ propterea dicitur ad Fidem pertinere, sicut actiones aliæ externæ ad aliàs internas: ac Fides prout ample sumpta impotrat non solum credere, verum etiam velle credere, quod velle est actus piæ affectionis volens etiam externè manifestare internam creditionem; Sicque venit intelligendus S. Thom.

62 Subdubitat: an affectio pia imperans assensum internum Fidei, & imperans externam Fidei professionem sint eiuſdem speciei: & consequenter an disensus internus, & externa negatio Fidei sint peccata specie diversa, discernenda in

Innoc. XI. Alex. VII

Helceset.

Oxea.

Innoc. XI.

Cardenas.

Suarez. Cardenas. Lumb. Leand. Granad. Tapia.

Bonacin. Tambur.

Coninc. Tapia.

Sanchez. Palaus.

Ledesma. Lumb.

Cardenas.

S. Thom.

Haunold.


Coninc.

Lugo.

Oxea.

Oxea. confessionsibus? Responder Oxea, cit. ex Delugo, hæc peccata debere discerni in confessionsibus: sunt enim specie morali

diversa: quidquid sit de specie Physicâ, si- ve Logicâ. Mihi quidem, & Physicè, & Logicè. Sed hoc parvi momenti est.



## DISPUTATIO XII.

### DE INFIDELITATE.

**N**ON quidem de Infidelitate opposita Fidelitati; sed de opposita Fidei. Illa est contra virtutem voluntatis, non stando proprijs promissis. Hæc contra virtutem intellectualem Fidei, dissentiendo, seu non assentiendo dictis alterius, nempe Dei.

#### SECTIO I.

*Infidelitas alia purè negativa, alia positiva.*

**M**ulti multum laborant in explicanda, & discernenda infidelitate negativa, & positiva, ut videre est apud PP. Carmelitanos Salmanticenses citatos à Cardin. de Aguirre tom. 3. disp. 128. sect. 2. ubi, & disp. quoque 120. sect. 6. satis etiam operosè hoc discrimen exagitat: quod nos ex expeditioribus principijs facilius præstabimus.

3 Infidelitatem purè negativam vocamus illam, in qua iacent infideles, qui nunquam habuerunt notitiam Fidei sufficientem ad credendum. Infidelitas positiva est illorum, qui aut Fidem iam receptam negant, vel in dubium revocant; aut sufficienter propositam non recipiunt.

4 Vnde in infidelibus pure negativè, quamvis interveniant alia peccata, propter quæ non pervenient ad notitiam Fidei; nondum tamen datur speciale peccatum contra Fidem; cum nondum fuerit illis proposita sufficienter, ut obligentur credere. At in positivè infidelibus datur peccatum speciale contra obligationem credendi, aut non discredendi, aut non dubitandi.

5 Resolvitur hinc facillè casus propositus ab Illustrissimo Tapia *quæst. 4. art. 3.* Infans ritè baptizatus, atque adeo habens

infusum habitum Fidei, nutritur semper apud infideles, nunquam audiens adultus doctrinam Fidei: atque adeo non peccat positivè contra Fidem. Hic certè non amittit habitum Fidei; sicut neque Grariam, si forte factus adultus in nulla materia commisit peccatù mortale: quia per ignorantiam inculpabilem, imò nec per quamcumque culpabilem, non amittitur habitus Fidei. Erine fidelis, an infidelis? An positivè, an purè negativè? Responder cit. Antistes num. 2. hunc non amittere habitum Fidei. Sed de hoc non erat dubitandum, cum certum sit ex Trident. Sess. 6. cap. 15. *Habitum Fidei infusa non amitti, nisi per infidelitatis peccatum*: quo tamen careret homo ille.

6 Responder rursus num. 3. illum dicendum esse fidelem habitualiter, quia habet habitum, qui parvulos denominat fideles: & infidelem actualiter non positivè, seu contrariè, & formaliter; sed negativè, & materialiter: quia errat actu circa totam Fidem, quamvis solum materialiter, & inculpabiliter.

7 Respondendum tamen aliter absolute videtur, eum absolute non esse infidelem, sed fidelem. Quia infidelitas dicit negationem habitus Fidei; sive quia nunquam fuit homini infusus; sive quia semel infusus amissus est per peccatum infidelitatis: neutro autem ex ijs modis caret homo ille habitu Fidei: ergo absolute non est infidelis; sed absolute fidelis, ad modum quo parvulos vocamus absolute fideles,

les, ne dicamus multos non fideles salvari. Vnde nec foret infidelis negativè, nec positivè. Non negativè, quia in infidelitate negativa, ut vidimus in eius explicatione, non iacent nisi *infideles*: infidelis autem non est, qui habet habitum infusum Fidei. Non positivè, quia ad hoc requiritur peccatum contra Fidem, quo, ut supponit casus, caret homo ille.

#### SECTIO II.

*Quantum peccatum sit infidelitas positiva: & quàm oppositum habitui, & actibus Fidei?*

**D**ixi: *Positiva*: quia purè negativam non involvit peccatum speciale contra Fidem, ut vidimus *sect. præc.* Cardinalis de Latiis hæc tractans *disp. 18. sect. 2.* docet ex S. Thom. infidelitatem positivam esse minus grave peccatum, quàm odium Dei: & contra Hurtadum, esse gravius desperatione.

9 De cætero colligitur ex nuper dictis, quod observavit rectè P. Suarez *disp. 16.* non omne peccatum contra præceptum Fidei esse peccatum infidelitatis positivæ. Nam ignorantia culpabilis rerum Fidei, omisio exercendi actus interni, aut externæ professionis Fidei urgente obligatione, exponere periculo deficiendi à Fide occasione disputandi cum Hæreticis, aut legendi libros prohibitos; imò & externa negatio Fidei interiùs retentæ; sunt peccata cõtra præceptum, & obligationem Fidei; quin tamen absolute sint infidelitas exclusivæ habitus Fidei.

10 Hinc Delugo peccatum infidelitatis ait esse, quod ex obiecto suo taliter opponitur Fidei, ut quamdiu non retractatur, stare nequeat voluntas credendi vera Fide. Explicatius Oxea *sect. 3.* definit, esse: *Dissensum rei à Deo revelata sufficienter proposita ex impia voluntate non subjicendi intellectum in obsequium Dei obscure revelantis.*

11 Atque hinc venit intelligendus S. Thom. *quæst. 10. art. 2.* dicens infidelitatem esse in intellectu, qui est subiectum Fidei. Sic, inquam, intellige, quod peccatum infidelitatis obiectivè sumptum pro dissensu volito ab impia voluntate non credendi sit in intellectu; cuius operatio est dissentire, sicut & assentiri. Quod non

tollit, quominus formalis malitia peccati infidelitatis, quatenus est impia volitio dissentendi, seu nolitio assentiendi sit in voluntate, & operatio voluntatis; sicut affectio pia credendi.

12 An in aliquo casu detur peccatum infidelitatis in voluntate, quin detur dissensus in intellectu? Disputat Oxea *sect. 5.* & responder negativè cum Suarez contra Valentiam, & Delugo opinatos è diverso, in eo, qui haberet hodie voluntatem dissentiedi Fidei cras, dati iam in voluntate infidelitatem hodiernam, quin detur hodiernus dissensus in intellectu.

13 Definitioni infidelitatis suprapositæ opponi solet, quod dubius in Fide iam est infidelis, & spoliatur habitu Fidei, ex nondum habet dissensum, ergo latius explicari debet peccatum infidelitatis, quàm per dissensum rei à Deo revelatæ. Respondetur, maiorem esse veram, de qua latè Ripalda *disp. 18. sect. 6.* & negatur mi. nor. Nam ut benè Oxea *sect. 5.* voluntariè dubius in Fide, si minus formalem, habet saltem virtualemente eo ipso dissensum Fidei. Quippe aut sentit, non esse certam existentiam divinæ revelationis de tali re; aut divinam revelationem posse non esse veram. Vtrumque autem est dissentiri alicui rei revelatæ: nam ut diximus *disp. 3. sect. 3.* revelato mysterio, revelatur re- velatio mysterij.

14 Circa oppositionem cum habitu Fidei diximus *disp. 9. sect. 5.* quemlibet actum infidelitatis opponi habitui Fidei per se infuso, illumque expellere à subiecto. Hoc tamen non esse ex physica natura rerum; sed moraliter demeritoriè, & ex lege Dei in poenâ peccati infidelitatis.

15 Superest de oppositione actus infidelitatis cum actibus Fidei. Et certum est, dissensum, imò & dubium de aliquo obiecto Fidei sufficienter proposito, opponi physicè cum assensu Fidei de eodem obiecto. Difficultas est, an etiam opponatur cum alijs assensibus Fidei de alijs obiectis æquè propositis? Negat cum Durando, Ripalda latè *disp. 9. sect. 4.* putans evenire posse, quod dissentiens v. gr. Eucharistiæ sufficienter propositæ, credat Fide divinâ Trinitatem.

16 Adversatur Cardinalis Delugo *Lugo. disp. 17. sect. 6.* cum Suarez, Coninc, & Suarez, communi sententia. Quia quilibet assen-

Salmant. Aguirre.

S. Thom.

Hurtad.

Suarez.

Lugo.

Oxea.

S. Thom.

Tapia.

Suarez. Lugo.

Ripald. Oxea.

Sup. disp. 3

Sup. disp. 9

Durand. Ripald.

Lugo. Coninc.

fus divina Fidei importat voluntatem credendi Deo super omnia; ac proinde repugnantiam intrinsecam cum quolibet dissensu ad divinum testimonium sufficienter propositum: hoc enim exigit captivatio intellectus in obsequium primæ veritatis, prout opus est ad exercendam Fidem divinam: ergo dissentiens infideliter uni articulo satis proposito, nequit simul alijs assentiri Fide divinâ. Idque extendit Delugo num. 130. ad dissentientem revelationi privatæ sufficienter propositæ.

*Hurtad.* 17 Hurtadus apud eundem Delugo, id reputat impossibile: non physicè, & ex natura rerum; sed ex lege Dei negantis Fidem supernaturalem de alijs articulis dissentienti uni articulo æquè sufficienter proposito. Sed deberet probare positivam hanc legem Dei.

### SECTIO III.

*Species infidelitatis, Paganismus, Iudaismus, & Hæresis.*

*S. Thom.* 18 **D**ivisio hæc est S. Thom. *quæst.* 10. *art.* 5. & comprehendit infidelitates nunc notas, quidquid sit de alijs possibilibus. Harum triam specierum diversitas, ut ex Suarez notat *Oxea disp.* 3. *sect.* 3. non est essentialis, sed accidentalis, & penes magis, & minus. Omnes privant eodem habitu Fidei, & eodem modo demeritorio. Notat etiam num. 5. quod quando S. Thom. diversificat has species per supponere, vel non supponere Fidem, non intelligitur de suppositione habitus Fidei; sed obiecti Fidei: taliter nimirum, ut qui nihil admittit, ut revelatum à Deo, sit Paganus; qui aliquid admittit, & alia negat, sit Hæreticus, si confiterur Christum advenisse; & Iudæus, si venturum.

*Suarez.* *Oxea.* 19 Dices, in ea divisione non contineri Apostasiam: quæ scilicet supponit Baptismum, & non est hæresis; cum non sit ex parte, sed ex toto Fidei contraria. Nec est Paganismus, nec Iudaismus; cum supponat Baptismum. Nec divisio continet Mahumetismum, quia cum confiteatur unum Deum, non venit nomine Paganismi: & cum non expectet Messiam, non venit nomine Iudaismi; nec nomine hæresis, cum non sit error baptizati. Sed responderetur, Apostasiam comprehendit sub Paganismo, si qui fuit baptizatus, sit professione Ma-

humetanus, vel Gentilis; & sub Iudaismo, si sit Iudæus. Solum enim addit circumstantiam præcedentis Christianismi. Mahumetismus autem continetur aptè sub Paganismo, ut constabit ex sequenti harum trium specierum explicatione, cum subdivisione.

20 Paganismus itaque est infidelitas eorum, qui Christum Redemptorem omnino negant, tam venisse, quam venturum. Vocantur *Pagani* à *Pago*, loco scilicet inurbano, aut suburbano rusticorum, & incivilium: quippe nihil credentes de Christo verè Messia, exulant omnino, quasi rustici, & pagani ab spiritali Dei politica. Subdividitur Paganismus in Atheismum, qui nullum agnoscit Deum: Polytheismum, Gentilismum, seu Ethnicismum illorum, qui plures Deos idololatricè colunt: & in Mahumetismum, illorum, qui Deum colentes unicum, nihil credunt de Christo Redemptore, aut iam existenti, aut venturo.

21 Iudaismus est infidelitas eorum, qui Christum, seu Messiam venturum expectant; & venisse negant. Hoc nunc est infidelitas; ante adventum verò Christi erat vera Fides: in qua respectivè esse poterant tunc temporis hæreses aliquæ: eorum videlicet, qui Messiam venturum credentes, negarent alias veritates pro Iudæis à Deo in veteri Testamento revelatas.

22 Hæresis derivatur à græco verbo *Hæreome*, quod est *eligere*. Est ergo hæresis electio quædam, accepta ex usu in malam partem pro doctrina, vel secta, quam Christianorum aliqui sibi perperam eligunt contra veram Religionem Catholicam. Definitur: *Error voluntarius pertinax hominis doctrinam Christi profitentis Fidei Catholica ex parte contrarius.*

23 Dixi potius: *Hominis doctrinam Christi profitentis*; quàm, *Hominis baptizati*: ut comprehendatur Cathecumenus, qui post receptam Fidem nondum baptizatus deficeret ex parte à Fide. Hic enim iam esset hæreticus: nam esset infidelis non Paganus, nec Iudæus. Nihilominus hæresis dici communiter solet *hominis baptizati* pro foro præsertim externo quoad pœnas Ecclesiasticas contra hæreticos statutas, quas incurrunt soli baptizati.

24 Dixi: *Ex parte contrarius*. Quia si est ex toto taliter, ut baptizatus, seu Cathecumenus incipiat in totum profiteri Paga-

Paganismum, vel Iudaismum; iam esset Apostasia: si baptizatus, quoad pœnas etiam fori externi; si solum Cathecumenus, quoad Deum, & forum internum.

*Suarez.* 25 Notat Suarez *disp.* 16. *sect.* 5. quod *Apostasia*, Latine *retrocessio*, sumitur interdum laxius pro hæresi: imò, & quandoque sine hæresi pro Schismate: sicut etiam pro retrocessu ab Ordine Religioso. Notat etiam num. 10. Apostasiam præsertim baptizati addere peccato infidelitatis circumstantiam mutantem speciem contra promissionem obedientiæ promissam Ecclesiæ in Baptismo.

26 Dixi: *Error voluntarius*. Nam ad hæresim requiritur error intellectualis volitus contra Fidei veritatem sufficienter certò propositam: nimirum expressè contra Scripturam, vel contra definitiones Ecclesiæ. Unde hæresis merè externa, sine dissensu interno ad Fidem, quamvis sit mortaliter peccaminosa, non est hæresis absolute, nec facit hominem sic loquentem formaliter hæreticum, nec expellit habitum Fidei: nec cadit sub ipsdem reservationibus, sub quibus hæresis interna, simul & externa: estque peccatum specie diversum ab hæresi interna, simul & externa. Sicut etiam hæresis interna est peccatum specie diversum ab alijs peccatis contra præceptum Fidei, de quibus *disp.* *præc.* *sect.* 6. non expellentibus habitum Fidei. Plura Delugo *disp.* 18. *sect.* 1.

*Supr. disp.* 11. *Lugo.* 27 Obijcies tria. Primum, quod ait *Hieronim.* S. Hieronymus: *Ex verbis inordinate prolatis incurritur hæresis: ergo sine dissensu etiam interno*. Secundum: quod dubius in Fide iam est hæreticus: & tamen nondum habet dissensum. Tertium: quia qui crederet Resurrectionem. V. gr. existimans Ecclesiam ex Fide tenere oppositum, volensque sic credere contra sensum Ecclesiæ, esset hæreticus: quin tamen haberet errorem in intellectu, aut dissensum rei tevelatæ.

*Suarez.* 28 Responderetur tamen. Ad primum ex Suarez *sect.* 4. Hieronymum intelligi, aut de hæresi solum externa; aut in sensu causali, quatenus verba inordinate prolata causare solent hæreses cum errore in intellectu. Ad secundum negamus, dubium in Fide non habere iam dissensum contra Fidem, & errorem in intellectu, ut vidimus num. 13. Ad tertium dicunt Delugo num. 83. & *Oxea num.* 9. eiusmodi

hominem, si sentiat Ecclesiam posse in aliquo errare, quod de Fide tenet, iam habere errorem in intellectu, & esse completè hæreticum. Quod si non id sentiret in eo casu, non esset hæreticus consummatus, sed affectivus: sicut est affectivè homicida, qui voluit hostem occidere, & non occidit. An esset hæreticus, dissentiens revelationi privatæ, teriginus *disp.* 3. num. 119. & addimus pro doctrina ibi tradita Illustrissimum Tapia *art.* 3. cum Suarez, & Sanchez.

*Supr. disp.* 3. *sect.* 12.

### SECTIO IV.

*Quomodo ad hæresim requiratur pertinacia?*

29 **D**icitur Hæresis *error pertinax*. Quam pertinaciam ad hæresim saltem strictius, & canonicè sumptam, & punibilem ab Ecclesia, colligimus ex cap. *Damnatus de Sum. Trin.* ubi damnatur, ut hæresis, error Abbatis Ioachimi; non tamen ut hæreticus, ipse Ioachimus; eo quod doctrinam suam subiecit iudicio Ecclesiæ: sicque non fuerit pertinax.

30 Nonnulli ad hanc pertinaciam præquirebant Canonicam admonitionem, ut in Iure Civili ad contumaciam, nisi testimonio Pauli ad Tit. 3. dicentis: *Tit. 3. Hæreticum hominem post primam, & secundam admonitionem devota*. Sed in hoc loco supponitur homo iam hæreticus: & proceditur ad evitacionem pro respiciencia ex munere Pastoralis, quo Titus Episcopusungebatur.

31 Certum est ergo inter Theologos id non requiri, ut homo sit hæreticus; sed sufficere pertinaciam, qua quis sciens, aliquid proponi ut Fide credendum ab Ecclesia Dei, voluntariè, ac plenè liberè dissentiat, & hunc dissensum exterius manifestet. Si enim hoc non sufficeret, frustra esset reservatio excommunicationis ipso facto propter hæresim externam etiam occultam latæ in Bulla Coenæ; ita ut nec Prælati Regulares possint ab illa per privilegia subditos suos absolvere, ut declaravit Sacra Congregat. 17. Nov. 1628.

32 Nec est audiendus Aragonius ratus id sufficere ad hæresim pro foro interno; non pro externo; cum contra sit praxis DD. Inquisitorum non expectantium eiusmodi monitionem ad iudicium de hæreti-

*Aragon.*

Diana.

co sui Fori. Nec videtur audiendus Diana *part. 1. tract. 5. res. 1.* indicans posse requiri eiusmodi monitionem pro hæretico rudi, vel pro tradendo Curiaæ Sæculari. Non enim est ad hoc fundamentum in iure.

33 Hinc vide, quod aliud est propositionem ab homine prolaram esse hæreticam; aliud, hominem esse hæreticum: pro hoc enim requiritur pertinacia: quod est eam requiri ad hæresim formalem: ut ex cap. *Dammamus* vidimus *num. 29.*

Oxea.

34 Ab ista pertinacia non excusatur apud Oxeam *num. 19.* qui diceret se iam esse paratam credere omne revelatum à Deo; non tamen nolle credere Trinitatem. V. gr. sibi ab Ecclesia sufficienter propositam, ut revelatam à Deo, nec in ea propositione loqui Ecclesiam ex Spiritu Sancto. Nam in hoc ipso esset pertinacia.

35 An verò excusetur qui ignorat vincibiliter, ideoque culpabiliter, veritatem aliquam, quam negat, esse de Fide; paratus eam credere si sciret, id ab Ecclesia de Fide proponi; diversimode resolvitur ab Authoribus. Quidam generaliter docent, nullam ignorantiam mortaliter culpabilem excusare à pertinacia sufficienti ad hæresim formalem. Alij id restringunt ad ignorantiam affectatam. Alij affectatam subdividunt in affectatam ex tædio discendi Mysteria, & in affectatam ex animo liberius sentiendi; & hanc postremam iudicant non excusare: & cum ijs sentie Illustrissimus Tapia *quest. 6. art. 2.*

Tapia.

36 Placet sententia communior, pro qua P. Oxea *sect. 4.* oppositum opinans cum Arriaga, citat Suarium, Vazquium, Sanctium, & Cardinalem Delugo, quibus addo Haunoldum *cap. 10. controv. 2.* iudicantes & merito, quamcumque ignorantiam quamvis vincibilem, & affectatam, excusare prædictum hominem à pertinacia requisita ad hæresim formalem. Nam in eo casu homo non peccat directè, & formaliter contra Fidem, sed solum indirectè, quatenus non adimplet obligationem discendi, resultantem à præcepto credendi: ergo nec est pertinax; imò nec formaliter infidelis; atque adeò nec hæreticus. Id intellige apud Deum pro foro interno: nam pro externo per se loquendo præsumitur scientia sufficiens ad pertinaciam.

37 Dices. In alijs materijs peccatum ex ignorantia culpabili commissum cen-

setur eiusdem speciei Theologicae cum peccato commissio ex scientia: ergo etiam in materia Fidei: ergo si peccatum scienter commissum est hæresis, pariter commissum ex ignorantia culpabili. Respondetur, dato antecedente cum prima consequentia, negando secundam: nam ad rationem hæresis sic indicatæ, & punibilis ab Ecclesia sufficit circumstantia intra eandem speciem aggravans scientiæ: quæ circumstantia deest, ubi adest ignorantia, quantumvis affectata.

38 Dices rursus: inde sequi, quod in partibus hæreticorum paucos præsertim è rudioribus, & pueris ibi inter hæreses educatis, esse formales hæreticos: nam plerique istorum sunt in aliqua ignorantia saltem ex culpa, & vincibiliter, seu affectata motivorum credibilitatis veræ Ecclesiæ, quæ nolunt, aut non fati curant investigare. Concedunt Cardinalis Delugo *num. 194.* & Haunoldus citatus, plures illorum esse apud Hæreticos, qui propterea propriè formaliter hæretici non sunt. Imò ex illis non paucos excusari non solum ab Hæresi formali; & pœnis Ecclesiasticis pro foro interno; quin etiam à peccato gravi contra Fidem, & interdum contra obligationem inquirendi, propter inadvertentiam, & ignorantiam invincibilem.

## SECTIO V.

## Pœna Iuris Adversus Hæreticos.

39 DE ijs plenè Palaus *tom. 1. tract. 4. disp. 4.* ubi difficultates omnes præsentis materiæ quoad praxim exactè discussit. Ex quo decerpam utiliora Iuris communis, relictis alijs de Iure principali variatum Regionum.

40 Prima pœna est *Excommunicatio.* Quæ antiquitus erat ferenda ex *Can. 22. 2. quest. 1.* Deinde lata, & ipso facto incurrenda, citra reservationem tamen, ex Innocent. III. *cap. 13. de Hæret.* & ex Gregor. IX. *cap. 15.* Denique per Bullam Cœnæ reservata Papæ: & in Hispania Tribunali Sanctæ Inquisitionis privativè ad privilegia Regularium, ad facultatem Bullæ Cruciatæ, & ad Inhibita. Quid requiratur, ut Hæreticus excommunicatus sit vitandus, vide apud Palaum *punct. 1.* ubi alia multa circa prædictam reservationem pro utroque Foro.

Delugo.  
Haunold.

Se-

41 Secunda est *Irregularitas.* Eam incurrit hæreticus saltem notorius ex cap. *Ad abolendam 9.* & Palaus *punct. 4.* extendit ad occultum: docens tamen, ab hac irregularitate, si propter hæresim occultam incurta est, posse Episcopum virtute Trident. dispensare.

42 Tertia est *Infamia.* ex Textu in *Authent. Gazaros.* Ad quam requirit Palaus *punct. 4.* notorietatem iuris, vel facti. Sic etiam Sanchez *lib. 2. Decal. cap. 26. num. 1.* Hæc pœna aliquoties afficit Filios etiam Hæreticorum: quatenus propter hæresim Paternam ab Officijs publicis removeantur per varias Constitutiones Innocent. IV. Alexand. IV. & Clem. IV. De quo Palaus *disp. 7. punct. 2.*

43 Quarta est *Privatio* Dignitatis, Beneficij, & Officij Ecclesiastici, & inhabilitas ad illa. De quibus Palaus *punct. 5.* censens *num. 2.* quod si hæresis fuit occulta, tollitur hæc inhabilitas, cum hæreticus absolvitur, & reconciliatur Ecclesiæ. Hanc Pœnam privationis incurri ipso iure ab hæretico etiam occulto, censet Palaus *num. 4.* contra multos opinantes requiri sententiam saltem declaratoriam criminis: antè quam non tenetur Hæreticus spoliare se Beneficij. Nihilominus advertit Haunoldus *num. 461.* stylum esse Curiaæ, reputare, Beneficium ipso iure vacans à die commissi criminis: neque posse renuntiari iam in favorem alterius; sed à quolibet impetrari.

Palaus.

Vazquez.  
Sanchez.

44 Quinta est *Confiscatio bonorum* ex *Authent. cit. & ex cap. Vergentis. 10. ab Innocent. III. ex cap. Cum secundum leges de Hæret. in 6. ex Bonifacio VIII.* De quo multa pro praxi Fori externi Palaus pefere totam *disp. 5. à puncto 1. ad ult. 25.* Pro foro conscientia placet, quod ait *puncto 17.* cum Vazquez, Sanchez, & alijs communius, hanc pœnam non incurri ipso facto taliter, ut statim commissio delicto privetur hæreticus dominio bonorum; sed expectari sententiam Iudicis. Unde reus ea possidens illis frui potest usque ad sententiam.

Palaus.

45 Sexta est *Traditio Curiaæ Sæculari* ad supplicium mortis infligendum incotribilibus, ex *leg. Quicumque, C. de Hæreticis.* Qui vetò respiciunt, puniuntur levius. De quo multa pro praxi Fori externi Palaus *disp. 6.*

46 Sexta colligitur ex *leg. 1. C. de*

*ijs, qui ad Ecclesiam confugiunt;* nempe Privatio privilegij Immunitatis, & Asyli. Quia non gaudent immunitate locorum. Ex *Constit. Cum alias nonnulli Gregor. XIV.* Intelligitur tamen de confugientibus ad Ecclesiam, ne capiantur ob crimen hæresis; secus si ob alia crimina. Sic Haunoldus *num. 457.* ex Delbene *part. 2. de Immun. cap. 16. dub. 10. sect. 4.*

Haunold.  
Delben.

47 Octava est *Prohibitio Librorum* Hæreticorum: ex Bulla Cœnæ post ius antiquius. In quo admittitur communiter parvitas materiæ. Et aliqui excusant audientes à censura. Apud Germanos, multos non incurtere censuram latam contra legentes, ait Becanus apud Haunoldum *num. 466.* ob non receptionem Bullæ Cœnæ in aliquibus Regionibus. De quo, sicut de alijs pœnis temporalibus Hæreticorum, accuratissimè, & exactissimè Palaus *disp. 6. & seqq. & disp. 2. punct. 10.*

Becan.  
Haunold.

Palaus.

## SECTIO VI.

*Nota Theologica infra hæresim, quibus qualificari solent variæ doctrinae in Tribunali Fidei.*

48 HÆ Notæ, censurae, sive qualitates Theologicae sumptæ sunt ut plurimum ex Concilio Constantensi. qualificante propositiones Viclephi, & Ioannis Hus: alias ut hæreticas; alias ut erroneas; alias ut praxim aurium offensivas; alias ut temerarias: & ex Bullis Pontificijs contra Baium vocantibus varias eius propositiones, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & pijs auribus offensionem immitentes. Quarum censurarum explicationes summam recolligam ex communiori sensu Doctorum, videndas latius apud Ripaldam in *Proemio Tom. 3. de Ent. Supern.* Propositionem hæreticam exposuimus *num. 22.*

Ripald.

49 Erronea contractè, infra hæresim, non dicitur hic error quicumque intellectualis, seu falsitas in quacumque materia; sed Theologicus pertinens ad Fidem. Estque propositio, quæ, quamvis immediate non contradicat Fidei; opponitur tamen veritati certæ conclusionis Theologicae deductæ ex utraque præmissa Fidei; & ex alia naturali evidenti: ut qui negaret Christum esse risibilem. Sic Cardin. Delugo, & Palaus.

Hære-

50 *Hæresis proxima* est, quæ opponitur veritati, quæ quamvis non sit expressa in Scripturis, nec definita ab Ecclesia ut de Fide, communi tamen consensu Fidelium habetur, ut contenta in Scripturis, aut in Concilijs, aut in definitionibus Pontificijs ex Cathedra, aut in traditionibus Apostolicis. Dicitur autem proxima hæresis, quia sic sentiens prope est, ut incidat in hæresim. Aliqui ut Ripalda, hoc modo explicant errorem: ideoque non distinguunt propositionem erroneam à proxima hæresi.

51 *Errori proxima*: dicitur, mutatis accomodè terminis, ad modum Hæresis proxime, opposita veritati, quæ, quamvis error manifestus non sit, communi tamen sensu Fidelium habetur, ut error, aut vi consequentiæ prope est lapsus in errorem. Exemplum ponit Illustrissimus Tapia in eo, qui diceret, B. Virginem non assumptam fuisse in Cælum in corpore, & anima: Quia, inquit, oppositum celebrat Ecclesia, & tenent omnes PP. & Theologi: ex quo, si esset falsum, potest inferri, Ecclesiam non gubernari ab Spiritu S.

52 *Sapiens hæresim*, aut errorem dicitur, quæ, quamvis falsitatem erroneam, aut hæreticam non significet manifestè, ex circumstantijs tamen saporem habet, aut colorem hæresis, aut erroris; quatenus ex illa facile sit arguere errorem, aut hæresim in proferente: quamvis non ita fortiter, ac evidenter, ac ex proxima hæresi, aut errori. Ponunt exemplum in eo, qui diceret, omnes existentes Romæ esse in peccato: nam ex hac propositione, & ex alia moraliter notoria, quod Romæ sunt plures infantes baptizati, inferretur per Baptismum non tolli peccatum. Iuxta alios sapiens hæresim dicitur propositio, quæ potens habere verum sensum, ex circumstantijs tamen personæ, loci, temporis, aut colloquij, arguitur dici in sensu erroneo, vel hæretico: ut si quis diu diversatus familiariter apud Lutheranos diceret: *Homo Fide iustificatur*.

53 *Suspecta de Hæresi, aut de errore* dicitur à Ripalda, & alijs eadem, ac sapiens hæresim, aut errorem. Alij eam utcumque discernunt per explicationem, & exemplum nuper positum tunc dicentis: *Homo Fide iustificatur*. Porro, cum circumstantiæ modò minus, modò magis, modò maximè ingenerent suspitionem;

ideo suspicio aliquando est *levis*; aliquando *gravis*, aut *vehemens*; aliquando *vehementissima*, aut *violenta*. Quoniam verò id ex subiecto personæ, & ex prædictis circumstantijs pensandum est, ideo hæc suspitionis censura cum suis differentijs respectivè cadere solet concretè supra subiectum, potius quàm abstractè supra propositionem; & qualificari subiectum affectum talibus circumstantijs proferens talem propositionem; ut suspectum in Fide de hæresi, vel errore, modò *de levis* modò, *de vehementi*; modò, *de violento*: & has censurarum differentias sequitur abiuratio Rei.

54 *Blasphemia* dicitur, quæ Deo, vel Sanctis aliquid repugnans, aut indecorum attribuitur si diceret, Deum causare peccata; aut esse crudelem. Et è contra, quæ aliquid illis necessariò conveniens denegat: ut si diceret, Deum non esse iustum, providum, &c. Itemque si diceret de Sanctis, in Cælo exercere turpia; aut si per irrisionem improperearet Apostolum Thomam ut incredulum, & Petrum ut Christi desertorem; aut Sanctos Ioannem, & Paulum fuisse Eunuchos; & Crispinum, & Crispinianum improperearet ut Sutores: sicque irreverenter loqueretur de alijs Personis, aut rebus sanctis.

55 *Male sonans* dicitur, quæ, quamvis alioquin non erronea, & fortè vera, in modo tamen loquendi ad doctrinas Hæreticorum accedit: ut qui Catholicus alioquin bene sentiens, ac boni nominis, ijs temporibus profertur, hominem Fide iustificati. In quo satis apparet discrimen propositionis purè male sonantis à præcedentibus: quia non facit subiectum suspectum: quamvis à fortiori præcedentes sint etiam malè sonantes.

56 *Impia* dicitur, quæ aliquid continet contra quod Fideles communissimè piè credunt, aut agunt: ut si eos averteret ab Indulgentijs, precationibus, aut Suffragijs pro Animabus Purgatorij.

57 *Piarum aurium offensiva* est, quæ terminis utitur indecentibus, obscenis, & indignis, quos audire pudet personas castas, & pias. Quod in multis propositionibus, alioquin veris, imò, & de Fide accideret potest: ita ut ex hoc capite possint censurari. Huc reduci solet, sacra verba iocis, & profanitatibus abusive immiscere.

58 *Scandalosa, seu Perniciosa*, quæ

præbet occasionem tuinæ spiritualis aliorum: ut si contemneret bonos Fidelium mores, aut laudaret pravos: ut qui diceret ieiunium, & corporis asperitates prodesse parum: aut si Populo concurrenti devotè ad venerationem Imaginis, vel reliquiæ, diceret: quis scit, an ossa ista sint hominis sancti; an potius alicuius malefactoris?


59 *Iniuriosa* est, quæ alicui Fidelium statui, aut illustri, & ratione suæ dignitatis venerabili Personæ obmurmurat, ac detrahit. Quò pertinent detractores, & denigratores Religionum, vel Sanctorum, sive in communi, sive in particulari. Quò applicari potest propositio iniquè, ac sine fundamento censurans propositiones fundatas, & probabiles Authorum Catholicorum: nam sic excedentes in censuris fiunt censurabiles, aut temeritatis, aut iniuriæ notæ; aut etiam hæresis, si veritates Fidei non solum negant; quin etiam censurant.

60 *Seditiosa, sive Schismatica* est, quæ causat divisionem membrorum Ecclesiæ. Ut qui diceret, Papam non esse caput supra Episcopos; aut Episcopos non supra Præbyteros; aut Prælato malo non esse obediendum. Huc reducit Delugo propositiones concitativas tumultuum in Republica: quia quamvis ob id præcisè non mererentur censuram Theologicam, quoad Fidem attinet; possunt tamen, ut pernicio-

sæ contra mores ob id ab Ecclesia iustissimè prohiberi.

61 *Temeraria* dicitur, quæ in ijs, quæ spectant ad Fidem, aut mores, profertur absque solido rationis, & authoritatis fundamento contra communem sensum: ut qui nunc diceret, mundum finendum post annos decem: Christum à Resurrectione ad Ascensionem usque habiturum in Arca Fœderis. Differt à purè improbabili: quia hæc non habet pro se fundamentum rationale positivum; at nec contra se habet communem authoritatem: ut qui diceret, stellas esse pares. Illa verò addit, habere contra se communem authoritatem: & hoc in materia concernente Fidem, & mores. Alioquin non haberet censuram Theologicam: sicut neque propositio purè improbabili.

62 Prædictæ qualitates non ita diversificantur, ut multæ non coire soleant in eadem propositionem. Hæc enim propositio Vviclephi: *Religiosi viventes in Religionibus privatis non sunt de Religione Christiana*: est hæresis, quia contradicit definitionibus Ecclesiæ: est scandalosa; quia avertit ab statu religioso: est iniuriosa; quia detrahit sacris Religionibus: est Schismatica; quia illas separat à Religione Christiana: & est temeraria; quia est sine fundamento contra communem authoritatem.



# DISPUTATIO THEOLOGICA.

## DE SACRAMENTO BAPTISMI.

**B**APTISMVS Græcè idem est, ac Latinè ablutio, si-  
ve immersio. Ideò Sacramentum Baptismi voca-  
tur Lavacrum regenerationis, lavat ergo, & lavan-  
do regenerat. Lavat exterius per aquam visibili-  
ter, & interiùs spiritualiter per gratiam, quam fig-  
nificat, & causat. Regenerat vero, quia per illud renascitur homo  
simpliciter, primo factus Christi membrum, & filius Ecclesiæ Spon-  
sæ Christi. Definitur à Sancto Thom. *exterior corporis ablutio sub  
prescripta forma verborum.* A P. Suarez: *Sacramentum regenerationis.*  
A Chatechismo Romano: *Sacramentum regenerationis per lavacrum  
aque in verbo vite.* Ex omnibus sic definitio: *Sacramentum sub ex-  
teriori corporis ablutione, & prescripta forma verborum à Christo in-  
stitutum ad regenerationem spiritualem.* Hæc propriè conveniunt so-  
li Baptismo fluminis, qui solus est Sacramentum, contrapositè ad  
Baptismum flaminis, & Baptismum sanguinis; de quibus tamen non-  
nihil subiiciemus *sect. ult. De his Magist. in 4. dist. 3. Bellarm. tom. 3.  
contro. S. Thom. 3. p. quest. 66. D. Eximius tom. 3. in 3. p. à disp. 19. P. Vazquez  
ibidem disp. 140. Coninc tom. 10. de Sacram. à quest. 66. Dicastillus tom. 1. de Sacram. tract. 2. & alij  
quampures apud ipsos.*

### SECTIO I.

#### De Institutione Baptismi.

**I**Nstitutum fuisse à Christo post re-  
surrectionem docuerunt aliqui apud  
Dicastillum, idque probabile censuit Ca-  
nus 8. *de locis cap. 5.* Probari potest. Pri-

mò: autoritate Ruperti *lib. 4. in Ioan.*  
Chrisostom, *Homil. 28. in Ioan.* & Leo-  
nis Papæ *epist. Decretali 4. cap. 3.* dicentis,  
Christum non dedisse Apostolis ritum  
ante resurrectionem. Secundò: quia ante  
Christi mortem non leguntur Apostoli  
baptizasse, nisi vivente Ioanne Baptista:  
ergo non baptizarunt Baptismo Christi,

fed Ioannis : ergo quia baptifmus Chrifti non erat ante eius mortem inftitutus.

3 Respondetur tamē ad primum, permittendo cum Coninc illos Authores fic fenfiffe , at pro contraria Sententia flare communiter alios non minoris authoritatis. Leonem non loquutum eſſe ibi ut Pontificem definiendo , fed ut Doctorem privatam, expendit optimē Vazquez. Addit Dicaſtillus, poſſe explicari de ritu cum præcepto, quod Chriftus promulgavit poſt reſurrexionem dicens : *Euntes baptizate, &c.* cum quo tamen bene ſtat iam antea inſtitutum fuiſſe Baptiſmum. Ad ſecundum concedo antecedens , & nego confequentiam, ut infra oſtendo num. 5.

4 Communis ergo, & vera Sententia Sanctorum Patrum, & Theologorum eſt cum Magiſtro, Sancto Thoma, & Suarez; inſtitutum fuiſſe à Chriſto ante mortem, initio ſcilicet prædicationis eius. Ita expreſſe Auguſtin. *tract. 11. in Ioan.* Cyrill. *lib. 2. in Ioan. cap. 57.* & Hugo Viſtor. *2. de Sacram. part. 6. cap. 4.* Probatur primò : nam ante mortem miniſtravit Chriſtus Apoſtoliſ aliqua Sacramenta v.g. Ordinis, & Euchariſtiæ : quæ in ſuſcipiente ſupponunt Baptiſmum ex Chriſti lege: nec eſt cur dicatur tunc in ea diſpenſaſſe: ergo iam tunc baptizati erant Apoſtoli baptiſmo Chriſti: ergo baptiſmus iam erat inſtitutus. Quod ſignificaffe creditur Chriſtus nocte Cœnæ, cum dixit: *Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet: ut ex Auguſtino affert Martinon tom. 4. diſp. 23. ſect. 1.*

5 Probatur ſecundò: nam *Ioan. 3.* adhuc vivo Baptiſta dicitur: *Poſthæc venit Ieſus, & diſcipuli eius in terram Iudæam, & illie demorabatur, & baptizabat.* Notatur autem ibi cap. 4. *Quamquam Ieſus nõ baptizaret, ſed diſcipuli eius.* Baptizabat ergo Ieſus per Diſcipulos: ergo quia iam baptizabant in Baptiſmo Chriſti, & non Ioannis; alioquin non diceretur Chriſtus ipſe baptizare illis baptizantibus: ergo iam Chriſtus baptiſmum inſtituerat verè Sacramentum cauſans gratiam, in quo ſtat diſcrimen à baptiſmo Ioannis ſignificatum ab ipſo Ioanne, cum dixit: *Ego baptizo vos in aqua; ipſe vos baptizabit in Spiritu Sãcto.* Hic eſt diſcurſus Auguſtini ſupra citati dicentis: *Diſcipulis Chriſti baptizantibus Chriſtus dicitur baptizaffe, quia illi ut Miniſtri, hic ut author Sacramenti, illi tingebant, hic mundabat: iam ergo tunc tem-*

poris inſtituerat Chriſtus baptiſmum ſuum vivente adhuc Ioanne.

6 Quæres: quo die? Conveniunt ſuffragia Patrum, & Theologorū apud Suarez, & Vazquez, inſtitutum fuiſſe à Chriſto ſtatim, atque ipſe baptizatus eſt in Iordane à Ioanne. Quod colligit Damascenus 4. *de Fide cap. 10.* ex eo quod tunc manifeſtatum eſt Myſterium Trinitatis, in cuius invocatione ſita eſt forma Baptiſmi: tunc enim audita eſt vox Patris: *Hic eſt filius meus dilectus:* & apparuit Spiritus Sanctus in ſpecie columbæ.

7 Diſidium eſt tamen in eo quod Mag Caietanus, Valentia, Vazquez, & alij multi cum Tertulliano, Ambroſio, Auguſtino, Hieronymo, Hilario, Nazianzeno, & Beda exiſtimant, Chriſtum inſtituiſſe baptiſmum ſuum eo ipſo tempore, quo baptizabatur à Ioanne, quaſi eo ipſo contactu ſanctificaret, & elevaret aquas in materiam veri baptiſmi. Scotus vero, Suarez, Gabriel, Coninc, & Dicaſtillus exiſtimant, non in ea ipſa actione inſtitutum fuiſſe, ſed paulo poſt expectata opportunitate. Nam ea actio non tam videbatur actio legislatoris, ſeu inſtitutoris, quam pœnitentis; quaſi humilitate illa ſe diſpoſuerit ad inſtituendum ſuum baptiſmum cum virtute mundandi peccata, & contactu illo ſanctificaverit aquas, quas poſtea inſtitutione ſua elevaret. Sicque videtur indicaffe, cum Ioanni volenti potiùs baptizari, quam baptizare dixit: *Sine modo:* quaſi diceret: baptiza me modo, quamvis ego non te modo baptizè, ſed poſtea. Vtrumque eſt probabile.

8 Infero: iure invehi Maldonatum *Matth. 3. num. 11.* contra novos Hæreticos dicentes, Ioannem iam antea inſtituiſſe baptiſmi Sacramentum à Chriſti baptiſmo nulla re diverſum, niſi quod alia dabatur manu. Certè excellentiam baptiſmi Chriſti ſupra ſuum ſatis prædicebat ipſe Ioannes, ubi ſuprà: *Ego baptizo in aqua, ipſe baptizabit in Spiritu ſancto:* non quia baptiſmus Chriſti non ſit etiam in aqua, ſed quia eſt præterea collativus Spiritus Sancti, ſive gratiæ remittentis peccata, quã baptiſmus Ioannis non conferebat, ſed ut ſola caremonia mere excitabat ad pœnitentiã. Ideo vocabatur baptiſmus pœnitentiæ, ut eruditè expendit ibi Maldonatus, cū è diverſo baptiſmus Chriſti prærequirat pœnitentiã, hoc eſt, dolorem peccatorum dicente Petro *Act. 2. Pœnitentiã*

agi-

*agite, & baptizetur unusquisque veſtrum in nomine Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum in nomine Ieſu Chriſti.*

## SECTIO II.

### De neceſſitate Baptiſmi.

9 **S**i quis dixerit, *Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt, non neceſſarium ad ſalutem, anathema ſit.* Ita Trident. *ſeſſ. 7. Can. 5.* adverſus hæreticos dicentes ſufficere fidem parentum ad ſalutem parvulorum. Et conſtat ex verbis Chriſti *Ioan. 3. niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in Regnum Dei.*

10 Dupliciter dicitur aliquid neceſſarium ad ſalutem, ſeu iuſtificationem. Primò, neceſſitate præcepti: ſi nempe præcipitur ſub peccato impeditivo ſalutis: & ſic v. gr. eſt neceſſaria Latroni reſtitutio: quandoquidem non reſtituendo peccat. Secundo, neceſſitate mediij: ſi nempe requiritur non præciſſe ne peccetur in eius omiſſione, ſed etiam ut medium poſitive conduens influens in remiſſionem peccatorum. Hoc autem modo dicitur aliquid neceſſarium ad ſalutem neceſſitate mediij, ſive in re, ſive in voto. In re, quãdo ipſum tale medium debet omnino adhiberi, ut obtineatur ſalus: In re, vel in voto, quando in aliquo caſu poteſt obtineri ſalus non adhibito illo medio: cū voto tamen, ſeu propoſito illud ſuo tempore adhibendi: ita ferè Vazquez apud Dicaſtillum *diſp. 1. dub. 10.*

11 Dico ergo primò: baptiſmus eſt neceſſarius neceſſitate præcepti, & neceſſitate mediij: ſaltem extra caſum Martyrij, de quo infra. Probatur neceſſitas præcepti ex mandato Chriſti *Matth. ult. Euntes in mundum univverſum docete omnes gentes, baptizantes, &c.* Tum quia multi erant ante baptiſmi promulgationem iuſtificati, & tamen eo promulgato obligati fuerunt ad baptiſmum: ergo ex præcepto: quo pacto obligaretur ſimiliter ad baptiſmum, qui ſanctificaretur in vtero, ut Ioannes, imò & obligata fuit B. Virgo, ut probat eruditè And. ade in ſpeciali libro de Baptiſmo Virginis. Tum quia eo ipſo quod datur præceptum naturale, & divinum procurandæ ſalutis; & quod baptiſmus ſit medium neceſſarium ad illam, reſultat præceptum de ſuſcipiendo baptiſmo: ergo

datur de illo neceſſitas præcepti.

12 Quæres: quando obligetur adultus tali præcepto? Reſpondeo: quamprimum dignè, & commodè poteſt ſuſcipere baptiſmum. Ita communis Sententia. Unde, ait Dicaſtillus, ſtrictiùs obligate præceptum Baptiſmi, quàm pœnitentiæ, & Euchariſtiæ. Ratio eſt, quia ita ſuit inſtitutum à principio, ut homines quamprimum credant, & teneantur ad fidei profeſſionem, qualis eſt ſuſceptio baptiſmi, per quam in numerum fidelium Eccleſiæ recipiantur. Hinc oritur in Parentibus obligatio curandi, ut Filij, & Domestici, quamprimum commodè poſſint, baptizentur. Quodſi aliqui Sancti olim baptiſmum diu diſtulerunt, id fecerunt ex iuſtis cauſis, vel forte aliqui ex ignorantia invincibili bonâ fide.

13 Probatut deinde neceſſitas mediij quia baptiſmus non ſolum eſt neceſſarius ad ſalutem homini peccatori, ne peccet in eius omiſſione, ſed etiam ut per ipſum, tanquam per medium à Chriſto inſtitutum ad remiſſionem peccati, liberetur à peccato, & ſalutem ſive gratiam conſequatur, ut conſtat ex verbis Chriſti, ubi ſuprà: *Niſi quis renatus, &c.* Dices: ſimiliter dicitur *Ioan. 6. Niſi manducaveritis carnem Filij hominis, non habebitis vitam in vobis:* & tamen Euchariſtia nõ eſt de neceſſitate mediij: ergo ex verbis ſuperius relatis non arguitur Baptiſmus eſſe de neceſſitate mediij. Reſpondeo, ex utriſque verbis argui neceſſitatem; illam vero baptiſmi, & non illam Euchariſtiæ eſſe neceſſitatem mediij, colligitur ex ſubiecta materia: nam baptiſmus eſt inſtitutus ad primam gratiam; Euchariſtia verò ad augmentum.

14 Dico ſecundò: Parvulis, dempto caſu Martyrij, eſt neceſſarius neceſſitate mediij Baptiſmus in re ſuſceptus; adultis verò ſive in re, ſive in voto, niſi in aliquo caſu rariffimo. Prima pars patet: nam parvuli nullo alio medio poſſunt mundari à peccato originali, iuxta præſentem Dei legem, dempto Martyrio. Quod autem Caietan. dixit *3. p. quaſt. 68. art. 2.* pueros etiam non baptizatos ſalvari, hæreticum iudicatur à Soto, etroneum à Vazquez, & iuſtum eſt expungi à Pio V. ut eſt apud Dicaſtillum *diſp. 1. dub. 13.*

15 Secunda pars probatur: nam Adultus non habens occasionem baptiſmi eliciens



ciens contritionem cum voto, seu proposito suscipiendi Baptismum, ubi primum possit, iustificatur, & salvabitur sic decedens sine baptismo in re suscepto, ut definit Innocent. III. & denuo colligitur ex condemnationibus aliquarum propositionum Michaelis Baij, à Pio V. & Greg. XIII. ergo. Nota autem: non esse necesse quòd tale propositum sit expressum, & formale; sufficit, si sit virtuale, & implicitum in ipsa contritione: quæ cum sit detestatio omnis peccati, imbibit propositum non peccandi, ac proinde implendi omnia præcepta: quorum unum est de susceptione baptismi. Dixi: nisi in aliquo casu rarissimo: ut si contingeret, quòd adultus Cathecumenus iam attritus caderet in amentiam perpetuam: huic enim necessarius esset ad salutem baptismus in re susceptus.

16. Quæres. Quando inceperit prædicta necessitas, sive obligatio? Respondeo: post sufficientem Evangelij promulgationem: nam Trident. Sess. 6. cap. 4. loquens de translatione à peccato ad gratiam ait: *Quæ post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut eius voto fieri non potest, sicut scriptum est: nisi quis renatus fuerit, &c.* Et ratio est; quia ex tunc abrogatum est vetus testamentum: cum quo expiravit remedium peccati originalis statutum in lege naturali, & scripta: ergo tunc coepit esse necessarius baptismus.

17. Dices: ergo ab ipso die mortis Christi: nam iuxta Paulum tunc abrogatum est vetus testamentum, & est mortua lex. Admittit consequentiam Dicastillus *dub. 11.* dicens, ex tunc iam inceperit legem Baptismi, & nihil valuisse ad remissionem originalis media olim instituta. Alij verò apud ipsum aiunt, inceperit post excidium Hierosolymitanum anno 40. post mortem Christi, quando iam Apostoli totum Orbem obierant. Bellarm. & Coninc cum Scoto aiunt, inceperit in die Pentecostes, quando Apostoli varijs linguis prædicaverunt multitudini Iudæorum.

18. Suarez autem, Filiucius, & alij rationabilius dicunt, inceperit in unaquaque Provincia, quando in ea fuit Evangelium sufficienter promulgatum: durum enim esset, ante eiusmodi promulgationem abrogari penitus remedia originalis, & stabiliri necessitatem baptismi. Nec obest illud Pauli de morte Christi: nam, ut ait Suarez *disp. 27. sect. 4.* quòd per mortem Christi

fuerit abrogata, & mortua lex vetus, non ita intelligitur, ut evanuerit in ipso instanti mortis Christi; sed ita ut per Christi mortem stabilitum fuerit testamentum novum, ex quo factum est, ut vetus cessaret, modo tamen convenienti, & tempore opportuno, scilicet promulgato sufficienter testamento novo. Videantur Suarez, & Dicastillus *cit.*

### SECTIO III.

#### De Subiecto Baptismi.

19. **S**ubiectum validum baptismi est omnis homo viator. Unde Angeli, animæ separatae, seu mortui incapaces sunt baptismi, sicut & aliorum Sacramentorum, iuxta præsentem institutionem. Sed quæres: quomodo sit intelligendus Paulus 1. Corint. 15. *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Ut quid & baptizantur pro illis?* Respondeo cum Dicastillo *dub. 5.* vel sumi ibi baptizari pro sacrificare: vel pro lugere, affligi, & pati iuxta illud Christi ad Filios Zebedæi: Marci 10. *Potestis bibere Calicem, quem ego bibiturus sum, aut baptismum, quo ego baptizor, baptizari?*

20. Collige cum Vazquez, & Valentia contra Bonacinam, Comitolum, & alios apud Dicastill. *disp. 1. num. 58.* capacem esse baptismi parvulum adhuc intra viscera. Vñus enim est Ecclesiæ, ut baptizetur, si potest, aliquo instrumento, vel secando matrem mortuam. Nota: quòd vivam non licet; esset enim homicidium directum: Damnatam verò iuste ad mortem posse secari servato iuris ordine, ut fœtus baptizetur, approbat cum Suarez, & Coninc, Diana *part. 2. tract. 15. resol. 44.* & Lugo *disp. 10. de Iust. & Iur. num. 24.* contra Comitolum, & Malderum. Vide Amadeum *Tit. de iust. & iur. prop. 3.*

21. Collige secundo circa monstra, eatenus esse capacia baptismi, quatenus vere sunt homo. De triplici ergo monstrorum genere dicere occurrit. Primum de monstro ex concubitu bestiali. Secundò de monstro merè humano, habente tamen membra duplicia. Tertio de monstro ex viro quidem & fœmina nato, non tamen habente figuram hominis, sed muris, catuli, &c. Vid. Dicastillo *disp. 2. dub. 11.*

22. Circa primum sunt qui dicant, Sa-

ty-

tyrum genitum ex muliere, & bruto esse incapacem, quia nec est homo, & quamvis esset, nõ contrahit originale, cū non sit ab Adamo per virilem virtutem. Comitulus ait, quod si totum corpus est humanum excepto capite ferino baptizandum esse. Layman vero cum Navarro præcipue attendit ad caput, & rectè resolvit differendum esse baptismum, donec certius dignoscatur; quod si imminet mors, baptizetur sub conditione: *si homo es.*

23. Circa secundum: si non satis appareat, an tale monstrum sit unus, vel duplex homo; baptizetur absolute ille, de quo certius constat, esse hominem; quod autem restat, baptizetur postea sub conditione: *si non est baptizatus.*

24. Circa tertium dicendum est in eo casu, & similibus non dari veram generationem hominis, & illud animal ex vitio feminum commixtorum nullatenus esse baptizandum; cum nullatenus sit homo.

25. Collige tertio contra Durand. Paul. Capreolum, & Sylvestrum; valide (an licite infra dicemus) baptizari parvulos filios non baptizatorum invitatorum. Ratio est: quia in parvulis Christus nullum consensum requisivit ex parte sua ad validitatem baptismi. Nomine parvulorum veniunt hic etiam grandiores, qui nunquam usi sunt ratione. Nec obest illud Marci ult. *qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c.* ubi universaliter videtur prærequiri fides ad baptismum. Respondetur enim: id intelligi de adultis, ut colligitur ex contextu dicente: *Prædicare Evangelium omni creaturæ:* cum tamen infantibus non sit prædicandum. Adultus verò carens omnino intentione invalide baptizaretur.

26. Dicendum de subiecto licito. Et in primis dico: non baptizari licite illos adultos, qui carent debitâ dispositione: qualis autem hæc esse debeat, dicam *seq. sect.* Dico secundo, licite baptizari, quamquam invitatis quibusvis parentibus, filios adultos petentes baptismum; quia habent ius procurandi suam salutem: id quod facerem ego, si peterent etiam casu, quo dubitarem de pleno usu rationis. Sic sentit Sotus contra alios, apud Dicastill. *dub. 7.* Lugo verò *lib. 1. respons. dub. 4.* censuit Romæ in simili casu, puellam Cathecumenorum, nec esse baptizandam, nec restituendam Parentibus, sed reservandam in

eâdem domo, donec constaret de usu rationis. Dico tertio idem de illis parvulis in casu necessitatis, quo scilicet desperatur vita. Dico quarto idem de filiis etiã parvulis baptizatorum, quantumvis invitatorum. Nã hi, utpote Ecclesiæ subditi, possunt cogi ab Ecclesia ad servanda præcepta, ac proinde ad baptismum filiorum. Quod extendit merito Dicastillus ad casum, quo unus duntaxat parvulus esset baptizatus, & uterque resisteret baptismi filij parvuli. Dico quinto extra prædictos casus non posse licite baptizari filium non baptizatorum invitatis parentibus nullatenus subiectis Dominis, aut Principibus Christianis. Ratio est: quia si talis filius extrahitur à patria potestate, sic iniuria parentibus; si illis relinquatur, sic iniuria religioni ob periculum perversionis, & Apostasiæ.

27. Difficultas maior est de Filijs non baptizatorum, qui tanquam vasalli, aut servi subiecti sunt Principibus, aut Dominis Christianis, an possint licite baptizari invitatis parentibus, ex consensu saltè interpretativo Principis? Affirmant Scotus, & Gabriel: quia si Parentes vellent filium occidere, vel pravis moribus imbuerent, posset illi subveniri etiam per extractionem ipsius à Patria potestate ex consensu Principis potentis corrigere abusus patriæ potestatis: ergo etiam potest, & debet illis impendi baptismus, quantumvis invitatis Parentibus infidelibus, extrahendo illos à patria potestate: nam si relinquuntur, manent propter pravam societatem in periculo manifesto incidendi denuo culpabiliter in infidelitatem.

28. Communis tamen Sententia cum Suarez *disp. 25.* & Vazquez *disp. 155.* dicit cum distinctione, infantes servos, seu filios non baptizatorum servorum posse licite invitatis parentibus baptizari ex consensu dominorum; non vero infantes non baptizatorum, qui non sunt servi, sed vasalli. Probatum prima pars: quia domini possunt eiusmodi infantes separare à Patribus, & vendere, ac proinde sufficientem cautionem adhibere contra periculum perversionis absque iniuria parentum: ergo possunt illos invitatis etiam parentibus baptizare: imò ad id teneri ex charitate docet benè Dicastillus *dub. 8.* Probatum vero secunda pars: quia neque id licet relinquendo infantem in patria potestate propter manifestum periculum Apostasiæ: ne-

neque separando illum propter iniuriam, quæ interretur Parentibus, quibus competit iure naturæ Filios ante usum rationis secum habere, & educare. Collige: quod si inveniretur talis infans ita iam separatus à cura parentum, ut non esset spes redeundi ad patriam potestatem, liceret eum baptizare, etiam scientibus, & invitis parentibus.

29 Ad rationem Scoti concessa antecedente, negatur consequentia: nam eiusmodi Principes solum habent ius corrigendi abusum Patriæ potestatis quoad illa, quæ sunt contra pacem, & gubernationem exteriorem, & civilem, ut esset occidere filios, seu illos imbuere pravis moribus turbantibus dictam pacem; cum autem nolle præcisse filios baptizare non sit contra prædictum regimen, non habet ius Princeps ad eripiendos propterea filios à potestate Parentum, quibus de iure naturæ competit parvulorum educatio. Verum est, quod potuisset Deus sic instituire baptismum, ut daret hanc facultatem Ministris, sed non constat pro nunc de eiusmodi institutione. Ex quo facilius respondetur ad illud de morte infantis, cum enim in ea inferenda fiat immanis iniuria, cuiuslibet licet illum defendere etiam eripiendo illum à patria potestate; ac in negando baptismo non petenti, non sit iniuria, neque in proponendo alicui errores contra fidem, nisi vi, vel dolo ad eos sequendos cogatur.

30 Quæres tandem: an liceat Catholicis baptizare filios hæreticorum restituendos parentibus cum periculo perversionis? Negant Suarez, Coninc, & Dicastillus *dubit.* 10. propter periculum perversionis. Layman vero testatur, contrarium practicari in Germania. Rationes vide apud ipsum *lib. 5. tract. 2. cap. 6. num. 12.* & Dicastillum *cit.*

#### SECTIO IV.

##### De dispositionibus Baptismi.

31 **I**N parvulis nullam requiri dispositionem liberam ex parte ipsorum ad valorem, neque ad effectum baptismi, certum est. Nomine parvulorum veniunt quoque illi, qui, quamvis ætate grandiores, nunquam tamen habuerunt rationis usum, sed perpetuam laborant amentiam.

Loquemur ergo de adultis: in quibus sermo esse potest, vel de dispositione requisita ad hoc ut baptismus validè fiat, vel de requisita, ut licitè fiat & cum infusione gratiæ baptismalis.

32 Glossa in cap. *Maiores* de Baptismo, & in Can. *solet* de consecratione *dist.* 4. indicat, ut quis validè baptizetur, sufficere quod ore dicat, se consentire, quidquid sit de corde, seu de interna intentione. Caietanus verò, Ledesma, & alij apud Dicastillum *disp. 3. de Sacram. dubit.* 14. docent, ad valorem baptismi non requiri in adulto positivum consensum, seu intentionem, sed sufficere, quod non dissentiat, seque habeat negativè. Vtraque hæc Sententia relinquitur à Theologis: prædictæ autem glossæ fortè loquuntur pro solo foro externo.

33 Dicendum ergo est cum communi Sententia: in adultis utpote qui propriam aliquando habuere voluntatem, & usum rationis, requiri positivam intentionem ad valorem baptismi. Patet ex Rituali Pauli Quinti prohibente, dari baptismum adulto, qui non petijt. Et quidem rationi congruum est, adultos aliquando dominos sue voluntatis non initiari Sacramentis Christianis absque consensu. Sed dices: Conc. Florent. in decreto Eugenij, ait: *Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia:* nihil autem ait de intentione suscipientis: ergo quia hæc non requiritur. Respondeo: nego consequentiam: sed quia cum generaliter ibi loquatur de Sacramentis, non erat opus mentionem facere de intentione suscipientis, quæ in omnibus necessaria non est ad valorem, ut patet in Eucharistia, & in ijs, quæ à parvulis, & perpetuo amentibus recipiuntur.

34 Dico secundò: ea intentio non requiritur expressa, sed sufficit virtualis, imò & habitualis. Hoc est, petijisse aliquando, & voluisse baptismum, & non retractasse illam intentionem. Vnde infert Coninc *quest.* 64. *art. 8. dub. 5.* & cum eo Dicastillus *disp. 3. de Sacram. dub. 14.* eum, qui habet contritionem, vel attritionem, quamvis infans, vel immemor baptismi, validè baptizari, quia ibi implicite clauditur volitio implendi præcepta, ac proinde suscipiendi baptismum. Imò etiam qui habuit eam

con-

contritionem, seu attritionem, & non retractavit, validè baptizabitur dormiens, vel phrenesi postea raptus. Nec obest, quod opponit Lugus *disp. 9. de Sacram. nu. 129.* inde sequi, Indros omnes, qui rectè observabant legem Moysis ante Evangelium illis promulgatum, imò & Gentiles invincibiliter ignorantes veram fidem validè baptizari somno, vel phrenesi raptos. Respondetur enim ex Dicastillo admittendo id quoad validitatem, quando re vera Iudei, vel Gentiles habuerunt veram contritionem, vel attritionem, & non retractarunt. An, & quomodo liceat Ministro illos baptizare, aliunde petendum est.

35 Objicies primò: in Ministro ut validè baptizet, non sufficit ea habitualis, & implicita intentio: ergo neque in subiecto, ut validè baptizetur. Secundò: ut quis validè suscipiat Sacramentum poenitentiae, non sufficit ea intentio: ergo neque ut validè baptizetur. Respondeo ad primum concessa antecedente, nego consequentiam: rationem disparitatis dat Dicastillus *num.* 316. quia in Ministro requiritur intentio ut principium actionis humanæ confectivæ Sacramenti; unde est quod dormiens, vel phreneticus invalidè baptizaret, quamvis antea habuerit intentionem: at intentio suscipientis solum requiritur ut dispositio, seu conditio ex parte subiecti. Ad secundum: concessa etiam antecedente, nego consequentiam: Sacramentum poenitentiae hoc habet speciale: quod actus poenitentis intendens absolutionem sunt partes essentielles Sacramenti.

36 Dico tertio: ita sufficit ea intentio, ut ad valorem neque actus fidei requiratur in adulto. Probat: nam Cathecumeni hæreticorum nunquam instructi vera fide, validè baptizantur. Hæc de dispositionibus ad validè, & ad effectum characteris. Restat dicere de dispositionibus ad licitè, & ad effectum gratiæ.

37 Dico quarto: ut licitè & cum effectum gratiæ ministretur baptismus adulto, ultra prædictam intentionem requiritur positiva Fides. Colligitur ex Marci ult. *Prædicatè Evangelium omni creature: qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Ea autem fides debet esse præcipue de iustificatione per gratiam Iesu Christi.

38 Dico quinto: in adulto, qui nullum habeat peccatum præter originale, ut bap-

tismus licitus sit, & gratiæ formatus, sufficit ea fidei dispositio cum proposito fervandi mandata: non verò requiritur dolor. Ita communis Theologia cum Suarez, & Sancto Thoma. Difficultas est: de adulto habente alia mortalia. Scorus enim, & Caietanus neque in hoc videntur requirere ex parte voluntatis dolorem; sed tantum volitionem suscipiendi baptismum. Id quod probabile putat Ledesma existimans, eam voluntatem suscipiendi baptismum esse virtualement contritionem, vel dolorem peccatorum. Nec satis dissentit Coninc *art. 1. num. 36.* sicut neque Tamburinus *Methodo Confessionis lib. 1. cap. 3. §. 1.* loquens in simili de Sacramento poenitentiae pro solis venialibus.

39 Dico tamen sexto cum Sententia communissimâ, & omnino tenenda: in adulto, qui præter originale habet mortalia, ut licitè, & cum effectum gratiæ suscipiat baptismum, requiritur detestatio peccati. Id colligit Trident *Sess. 6. cap. 6.* ex verbis Petri Act. 2. *Poenitentiam, & baptizetur unusquisque vestrum.* Vnde dixit Augustinus *cap. 18. de vera poenitentia: Baptismus sine poenitentia nunquam profuit ei, qui ante peccavit spontaneè.* Hæc poenitentia, sive detestatio peccati prærequisita ad hoc ut baptismus sit licitus, & gratiæ formatus, non debet esse contritio, ut cum Soto, & Gabriele putarunt multi apud Dianam *part. 13. tract. 4. resol. 13.* Sed sufficit attritio; etiam quæ talis verè existimeretur. Sic fert etiam Sententia communis eodem modo loquens quoad hoc de detestatione peccati requisita ad baptismum, ac ad Sacramentum poenitentiae. Vide Dicastill. *disp. 2. dub. 13. & 14.*

#### SECTIO V.

##### De Materia remota Baptismi.

40 **H**ÆC est aqua naturalis, sive elementaris. Constat ex Florent. in decreto de Baptismo dicente: *Materia huius Sacramenti est aqua vera, & naturalis, nec refert, frigida sit, an calida.* Et in Trident. *Sess. 7. can. 2.* de baptismo damnatur, qui dixerit: *Aquam veram & naturalem non esse necessariam ad baptismum.* Et colligitur ex Evangelio: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.*

41 Dicitur autem materia remota

quia est materia, qua fit ablutio, quæ simul cum forma verborum constituit Sacramentum. Est enim proprium Sacramentorum consistendum in quodam usu, seu in fieri, habere duas materias, proximam scilicet, & remotam.

42 Errarunt ergo in hoc Lutherus dicens, vinum etiam, aliosque liquores aptos ad abluendum esse materiã baptismi. Item Manichæi, & Gnostici dicentes, aquam non esse necessariam. Et similiter alij dicentes, ignem etiam esse materiam; quia de baptismo Christi dixerat Ioannes Matth. 3. *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne*. Sed certè ibi per ignem non intelligitur baptismi materia, sed effectus, nempe ignis charitatis per baptismum incendendus.

43 Collige: validè fieri baptismum cum aqua maris, fluvij, fontis, balnei, &c. imò & cum lixivio, quia verè aqua est, quamvis cinere excocta. Item cum aqua turbida, seu in qua aliquid pingue elixatum est; dummodo non sit adeo permixta, ut moraliter potius iam censeatur lutum, seu pinguedo, quam aqua. Item cum aqua, in quam nix, glacies, imò & sal resoluitur, quamvis hoc de sale controversatur inter DD. quos pro utraque parte refert Diana 3. p. tract. 4. resol. 5. Item cum aqua ex vitibus, seu varijs arboribus distillante, quidquid alicui id negent apud eundem Dianam.

44 Collige secundo: non esse validam, aut aptam materiã baptismi salivam, ut statuit Pontifex lib. 3. decretal. tit. 42. cap. 5. de baptismo. Item neque sudorem, neque lacrimas, neque lotium, neque liquores ad ignem stillatos ex herbis, neque cervisiam; nam in his omnibus deest ratio aquæ naturalis, quamvis non desint qui oppositum teneant apud Dianam cit. & p. 6. tract. 7. res. 18. Item neque glaciem, aut gradinem; quia quamvis solum accidentaliter differant ab aqua naturali, non sunt in dispositione apta ad abluendum, nisi liquecant. Vide Dianam part. 5. tract. 3. resol. 3. ubi tamen affert aliquos dicentes, glaciem, etiam si non liquecat, nisi in ipso contactu baptizati, esse materiã aptam.

45 Hæc de materia valida, circa quam vide etiam Amadeum tit. de Baptismo; ex quibus constat aliqua esse, quæ certò sunt, alia quæ certò non sunt materiã baptismi; alia vero, de quibus est dubium, an sint ma-

teria baptismi, necne. Iuxta hæc ergo discernendum est de materia licita.

46 Quo circa observandum est pro praxi, ut licitè fiat baptismus; debere adhiberi, si potest, aquam non turbidam, sed claram, imò & benedictam, quæ in sacris fontibus reservatur, ex traditione Apostolica iuxta Lelsium *quest. 71. num. 6.* hanc enim omittente esset mortale sacrilegium iuxta communem Sententiam; veniale verò iuxta Granadū, & Quintana dueñas apud Dianam part. 9. tract. 6. resol. 33. In casu verò necessitatis licitè baptizaretur cum aqua non benedicta, imò & turbida, si non esset clara. Quòd si alia non adesset, licitè baptizaretur aqua rosacea, vel alia quacumque, de qua dubitatur, an sit materia valida, necne. Imò & teneretur quis lege charitatis in prædicta necessitate baptizare cum materia illa dubia, sub debitâ conditione. Quòd si adesset materia certa, & adhiberet dubiam, peccaret mortaliter.

47 Nota tamen, quòd si baptizasti aliquem in casu necessitatis cum materia ista dubia, & postea occurrit occasio baptizandi cum materia certa, teneris id facere sub conditione, quòd talis homo revera non sit validè baptizatus. Ita Coninc, Reginaldus, & alij communiter.

48 Quæres: quænam quantitas aquæ requiratur? Communis Sententia docet sufficere exiguam, non verò minimam, sed talem quæ abluat notabilem partem corporis, & denominet hominem absolute ablutum. Vazquez autem *disp. 145.* affirmat & merito, sufficere quamlibet guttulam, quia si quis ea aspergatur, verè dicitur aspersus, ac proinde ablutus, & quidem sensibiliter ex se, quamvis sensus nostri ob imperfectionem difficulter id perciperent, ut in simili dixi *disp. 3. de Eucharistia sect. 8.* ubi tamen de materia baptismi aliter sensi, sed minus bene. Pro hac Sententia stant etiam Meratius, & Ochagavia apud Dianam part. 5. tract. 3. resol. 5. videndum etiam *resol. 3.* ubi refert ex Maiore, & alijs, sufficere, quòd aqua attingat baptizatum, quamvis non abluat.

## SECTIO VI.

### De Materia proxima Baptismi.

49 Hæc, ut diximus, est ablutio. De qua dubitatur, in quo consistat.

Placet Coninc dicens, consistere in duplici modo, sive motu, scilicet in motione aquæ à baptizante, quæ potest dici ablutio activa; & in contactu, seu collisione, aut receptione aquæ ad corpus baptizati: quæ dicitur ablutio passiva. Aliter loquitur Dicastillus *disp. 1. dubit. 4.* Sed lis est parvi momenti.

50 Ablutio baptismalis valida tripliciter fieri potest: scilicet vel infusione, vel asperzione, vel immersione, sive una, sive triplici, nam uterque hic modus fuit usitatus in Ecclesia, teste Hieronymo. Quòd si Pelagius Papa ait, præceptum nos admonere, ut in nomine Trinitatis trina immersione baptismus tribuatur; solum significat id admoneri in præcepto divino baptizandi in nomine Trinitatis; non vero id præcipi. Verum est: quòd olim erat præceptum trinæ immersionis, vel ablutio- nis, ut constat ex cap. multi, & ex Can. 49. Apostolorum. Postea vero, ut refert Coninc, Concilium Toletanum iussit in Hispania unicam immersionem, ut reselleret quosdam Hæreticos, qui per trinam aliquid falsum significabant.

51 Nunc minister observet consuetudinem Ecclesiæ suæ, vel immergendo, vel infundendo semel, vel ter. Si aliter faciat, peccat mortaliter, iuxta S. Thom. venialiter iuxta Valentiam, Scotum, & Dicastillum, secluso contemptu, & scandalo. Nota autem, quòd si quis baptizare intendens trina immersione, vel ablutio- ne, absolvat formam verborum in prima immersione, tunc conficitur baptismus, ut videre est apud Dicastillum *num. 69.* nisi omnino restringat intentionem minister usque ad tertiam immersionem.

52 Quæres: in qua corporis parte sit facienda ablutio? Certum est, faciendam esse in capite, si potest, & valere in pectore, aut in simili parte principali. Vnde non est rebaptizandus adhuc sub conditione infans, qui antequam totus ex vtero prodiret, baptizatus fuit in capite iam extracto. Certum est etiam non valere baptismum, si solas vestes contingat aqua; quia sic non dicitur homo ablutus.

53 Dubium est: an sufficiat ad valorem quòd ablutio fiat in manu, pede, digito? Negant multi cum Sancto Thoma, & Toletano, favente etiam Dicastillo *num. 57.* Affirmant verò probabilius Vazquez, & Henriquez: nam id sufficeret ut talis ho-

mo diceretur ablutus, seu aspersus: sicut dicitur vulneratus, si in digito vulneretur. Vnde Clemens Octavus interrogatus de Pueris, qui in casu necessitatis fuerat baptizati in brachio, iussit baptizari postea sub conditione.

54 Quid si abluatur tantum in capillis? Non valere talem baptismum censeat cum communi Sententia Bonacina *disp. 2. de bapt. quest. 2. punct. 3.* Valere vero iudicant cum Vazquez, & Valentia, Coninc, Toletus, & Dicastillus, & latè Lugus lib. 1. *Res. dub. 1.* quia sive capilli informantur anima rationali, sive non (nam neque cutis apud Medicos informatur anima rationali) sunt partes integrantes hominem, sicut ungues, & physicè cum illo coniunctæ, & reputantur pro capite, unde in quibusdam ceremonijs Ecclesiæ, in quibus debet Episcopus tangere caput, sufficit, si capillos caput operientes tangat, dummodo naturales, & proprij sint. Aliqui distinguunt inter capillos detonsos, & capiti insistentes; & inter extremitates capillamenti longissimi, & de hoc secundo magis dubitant. Et merito, nam ut ait Lugus, qui videt vel tangit has extremitates, non dicitur videre, vel tangere hominè: bene vero qui videt, vel tangit capillos super caput.

55 Idem censeat Vazquez, si ablutio fiat in secundina, qua procedit infans involutus; quia est veluti pars pueri. Concedit Dicastillus *num. 53.* si secundina circumdet puerum; non vero si defluat, & pendeat, quamvis adhuc sit illi unita. In omnibus his casibus teneretur quis pueri sic baptizare, si aliter non posset: postea tamen deberet puer sub conditione baptizari. De puero adhuc in visceribus clauso diximus iam *sect. 3. nu. 20.* Videatur Lugus cit. & Diana part. 10. tract. 16. resol. 18.

56 Quæres insuper: an ad baptismum sufficiat, si quis projiciat infantem in flumen, vel puteum, ipsa projectione & immersione occidendum, dicens verba formæ? Negant multi apud Suarez *disp. 20. sect. 3.* Affirmant vero melius alij cum eodem Suarez, & Dicastillo, & Amico *tom. 7. disp. 11.* quia est vera ablutio aquæ naturalis, & ut supponitur, forma rectè profertur, dum puer abluatur adhuc vivus, quamvis postea per ablutio- nem moriatur gratis autem dicitur ad validitatem debere fieri à ministro immersionem infantis post immersionem.

57 Quæres autem: an liceat prædictus baptismus? Certum est, per se loquendo, non licere; difficultas esse posset in casu, quo puer omnino moritur, & quidè abiq; baptismo, nisi in puteum projiciatur prædicto modo. Affirmant, id licere aliqui apud Dianam *part. 10. num. 16. resol. 20.* nec ipse iudicat improbabile. Respondetur tamen: non licere: id quod profus certum censet Palus *tom. 4. tract. 19. in disp. vnica, & punct. 4. num. 12.* quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona: actio autem illa projiciendi est per se occisiva pueri, ac proinde per se mala, & illicita. Videantur omnino Palus, & Coninc *art. 7. dub. 1.* qui quamvis non audeat recedere ab hac sententia, difficulter tamen arguit contra illos, & in fine dicit, esse baptizandam casu etiam quo sciretur non posse abluī sine periculo evidenti mortis. Sic etiam Diana citatus.

## SECTIO VII.

### De Forma Baptismi.

58 **F**orma valida, & licita est: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.* Colligitur ex verbis Christi Matth. ult. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,* adiuncto usu Ecclesiæ, ut sapienter notat Vazquez *disp. 142. cap. 2.* Et definitur sic à Florentino in Decreto Eugenij. Per quæ verba significatur primò baptizans per *ly ego.* Secundò baptizatus per *ly te.* Tertio actus baptizandi per *ly baptizo.* Quarto unitas Dei per *ly in nomine.* Quintò Trinitas personarum per reliqua. In casu necessitatis possent plures baptizari hac forma: *ego vos baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti:* sine necessitate hoc esset mortale iuxta Scotū; veniale iuxta Valentiam, Henriquez, & Reginaldum apud Dicastillum *num. 138.*

59 Forma erit valida, dummodo prædicta quintuplex significatio substantialiter maneat in verbis, quamvis detur aliqua mutatio accidentalis v. gr. in idiomate, si proferantur Latine, vel Græcè, vel Hispanè; sive in pronuntiatione, ut dicebat quidam Idiota: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti:* quem baptismum approbavit Zachar. Papa: sive in transmutatione, ut si diceret *in nomine*

*Patris, & Filij, & Spiritus Sancti baptizo te;* sive in additione, ut si diceret: *In nomine Patris ingeniti, Filij Jesu Christi, &c.* sive in detractione, aut commutatione aliquorum verborum, quæ non substantialiter pertinent ad sensum: ut si quis omitteret illas particulas *ego, in, et.* Sic dicitur in forma consecrationis detractionem vocis enim nō invalidare cōsecrationem. Similiter si quis pro verbo *Baptizo* diceret *abluo, immergo;* pro *te:* diceret: *Istum hominem;* pro *Patris, Filij, & Spiritus Sancti* diceret: *In nomine Genitoris, geniti, & ab utroque procedentis:* nam hic est etiam modus satis usitatus significandi personas Divinas: ut cum Caietano, & Bonacinā docet Dicastillo *dubit. 6.* contra alios: non verò si dicatur in nomine innascibilis. Omittere vocem *ego, amen,* & similia iudicatur peccatū mortale ab aliquibus; veniale à Vazquez, & Soto apud Dicastillum.

60 Forma non erit valida, si deficiat in aliqua ex quinque dictis significationibus. Vnde si non significaretur baptizans saltem implicite & indirectè, nullus est baptismus. Oppositum videtur tenere Sanctus Thomas infra citandus. Dices: valida est forma Græcorum sic ex Concil. Florentino: *Baptizetur servus Christi N. in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Sed non ibi significatur baptizans: ergo. Respondeo concessā maiori, de qua tamen dubitat S. Thom. *in 4. dist. 3. quæst. 2. art. 2. ad 1.* & saltem peccaret mortaliter Latinus forma illa Græca baptizans, distinguo autem minorem: non significatur baptizans explicite, & directè, concedo: implicite & indirectè, nego: nam eo ipso quòd per illa verba significetur actio baptizandi, quæ hic & nunc exercetur ab hoc baptizante, significatur implicite, & indirectè hic baptizans, ut firmat Dicastillo *num. 81.* Notat Fillucius *tom. 1. tract. 2. de bapt. cap. 3.* formā Græcorum ex Rom. Rituali non esse *baptizetur, sed baptizatur.*

61 Similiter si non significaretur baptizatus, nulla esset omnino forma: v. gr. si diceret: *Ego baptizo in nomine, &c. sive baptizetur in nomine, &c.* bene vero si dicas: *baptizeris à me;* quia *baptizeris* iam significat talem personam baptizatam. Dices: cur forma illa Græcorum valeat solum indirectè significans baptizantem; & non valeret, si diceretur *baptizetur in nomine Patris, &c.* sic enim etiam indirectè

fig-

significaretur baptizatus: siquidem ex circumstantijs solis determinatur illa loquutio ad hanc personam, circa quam scilicet exercetur tunc actio baptizandi. Ex doctrina Nazarij apud Dianā *part. 10. tract. 16. resol. 97.* posset similiter iudicari sufficiens etiam forma non exprimens personam baptizatam, ut videre est in hac forma Chæcorum: *Baptizatus est in nomine Patris, &c.* Admissa tamen communi Sententia id negante libens audirem à doctioribus rationem disparitatis. Mihi occurrit, rationem aliqualem peti posse duplici ex capite. Primò: quia minister non est principalis baptizans, sed est instrumentum Christi; ac baptizatus est principalis baptizatus, & ideo debet expressius, & determinatius per verba designari, idque indicat S. Thom. nuper cit. Secundò: quia verba cum sint ipsius ministri, cuius etiam est actus baptizandi, melius determinantur ab ipsa actione ad indicandam indirectè personam baptizantem, quamvis non exprimat; quam ad personam baptizatam, à qua scilicet non proferuntur; præsertim si sint imperativi modi, qui indicat potestatem in eo, qui profert, ut Gaspar. Hurtad. notat apud Dianam *part. 10. tract. 16. resol. 93.*

62 Similiter nulla esset forma, si non exprimeretur actio baptizandi. Vnde in cap. *si quis puerum:* habetur sic: *Si quis puerum in aqua immerferit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, amen: & non dixerit: ego te baptizo, &c. non est puer baptizatus.* Itaque bene ait Dicastillo *num. 128.* nullam fore hanc formam: *ego intendo te baptizare:* aliud enim est intentio, aliud actio baptizandi. Debet ergo verbis significari actio baptizandi, prout à Ministro. Dixi *prout à Ministro;* quia non sufficeret dicere: *Baptizet te Christus, &c.* quidquid dixerit Sotus relictus à communi sententia apud Dicastillum *num. 85.* Collige, quòd in forma Græcorum *ly baptizetur* est quasi dicat: per me, qui hanc exerceo actionem Ministri Christi. Huc pertinet dubium, quòd curiosè examinat Lugus *l. 1. resp. dub. 3.* an hæc forma sit valida: *Ego te Christizo* (Christianizo, sive Christianum facio) *in nomine Patris, &c.* Et ratio dubitandi est: quia Dalmatæ vulgariter baptizant sic: *Ja tebe karstim, &c.* quòd videtur derivari à voce *karst,* quæ est *Christus,* vocatus apud ipsos *isca karst;* unde

verbum *Karstim* erit idem, ac *Christizare.* Incredibile vero est, eam formam ibi usitatam ab Ecclesia esse invalidam. Respondet tamen ad dubium negativè: nam illa vox *Christizo* non significat actionem abluendi, sed effectum abluitionis baptismalis. Ad rationem autem dubitandi, fateor, Dalmatas ea formā validè baptizare: nam undecumque derivetur vox illa *Karstim,* certum est apud illos non esse idem, ac apud nos est *Christizare;* sed idem quòd apud nos est *baptizare,* ut convincit Lugus, postquam consuluit peritos dicti idiomatis.

63 Similiter nulla esset forma, si non significaretur unitas Dei. V. gr. si diceret *ego te baptizo in nominibus Patris, & Filij, &c.* bene vero, si diceret: *In nomine Patris, in nomine Filij, & in nomine Spiritus Sancti.* Ita Diana *part. 2. tract. 17. resol. 15.* Dicastillo *num. 95.* contra Bonacinam: quia illud prius est contra fidem de unitate Dei, non vero istud posterius, nisi quis sensum velit pervertere. De hac forma: *Ego te baptizo in uno Deo Patre, Filio, & Spiritu Sancto:* aliqui affirmant esse validam, Coninc vero dubitat. De hac: *Ego te baptizo in virtute, seu invocatione Patris, & Filij, &c.* dubitant etiam Authores apud Dicastillum *nu. 96.* ubi notat vix dari vocem synonymam illi voci *in nomine;* significat enim virtutem, & invocationem. Quòd si aliquis adderet *in nomine etiam B. Virginis,* si per id solum vellet ipsius opem implorare, baptizaret; non vero si intenderet per hæc quoque verba baptizare. Ita Suarez, Diana *part. 2. tract. 15. resol. 47.*

64 Similiter nulla esset forma, si non significaretur Trinitas personarum. Vnde non valeret, si diceret: *in nomine Patris maioris, Filij minoris, & Spiritus Sancti:* corrumpitur enim hinc vera fides de æqualitate personarum. Nec valeret, si diceret, *ego te baptizo in nomine Christi:* aut *ego te baptizo in nomine Trinitatis:* quia non exprimentur personæ. Ita communis Sententia contra Magistrum, & Adrianum iudicantes non esse rebaptizandos illos, qui sub una ex prædictis duabus formis baptizati fuissent. Addo contra Gabrielè, S. Thom. Durand. & Palud. nullo tempore fuisse validas prædictas formas. Quòd si in Actibus Apost. sæpè dicitur, Apostolos baptizasse in nomine Christi. Respondetur

tur tamen ex Bellarmino, & Suarez, idem esse, ac auctoritate Christi, non quòd sic exprimerent, sed quòd id exercitè præstarent, quando baptizabant in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

65 Opponunt alij responsum Nicolai Papæ in cap. à quodam Iudeo de consecr. dist. 4. dicentis: *Hi quidem si in nomine Sanctissimæ Trinitatis, vel tantum in Christi nomine, sicut in Actibus Apostolorum legitur, baptizati sunt, constat, eos non esse de novo baptizandos.* Respondet Dicastillus videndus omnino à nu. 101. Nicolaum ibi, ne alijs Pontificibus contrarietur, ly in nomine Sanctissimæ Trinitatis, ita intelligere, ut exprimentur nomina trium personarum; ly verò tantum in nomine Christi ita intelligere, ut ad significandam secundam personam poneretur nomen Christi tantum pro voce Filij; non exclusis nominibus Patris, & spiritus sancti: nam validè diceretur: *In nomine Patris, Iesu Christi, & Spiritus Sancti.* Alias solutiones vide apud Dicastillum. Sunt qui fateantur, aliquos Sanctos Patres, imò & Nicolaum ut Doctorem privatum non verè in hoc sensitse.

66 Collige, sine sufficienti fundamento dici à Sylvestro, quod indicatur etiam à Sancto Thomà in 4. dist. 3. q. 2. art. 2. ad 4. valere baptismum, aut suppleri à Deo, si puer, vel minister moriatur prolatis verbis ulque ad in nomine Patris, & non ultra; ac proinde sepeliendum esse talem puerum in loco sacro. Scimus enim, sic truncatam esse invalidam formam baptismi, & neque ex Scriptura, neque ex PP. neque ex usu Ecclesiæ probari potest intentum horum Authorum, quamvis satis ipse favet Ambrosius apud Magistrum ibi.

67 Quæres: Cur in formis aliorum Sacramentorum v. gr. Pœnitentiæ: *Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, &c.* hæc invocatio Trinitatis non sit de essentia formæ; bene vero in forma baptismi: cum in utraque vsurpetur ab Ecclesiâ? Respondeo: quia in baptismo id præscripsit Christus, dum dixit: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: ex quibus verbis colligitur forma baptismi. Et præterea ratio congrua est, quòd hoc Sacramentum, quod est ianua aliorum Sacramentorum, & fidei, impendatur expresso mysterio principalissimo fidei nostræ, quod est Trinitas.

## SECTIO VIII.

### De Ministro Baptismi.

68 **E**Vgenius IV. in Florentino ait: *Minister huius Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare; in casu autem necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam Laicus, & Mulier, imò etiam Paganus, & Hæreticus, &c.* Christus enim misericordissimè ita instituit, ut Sacramentum adeo necessarium non à solo Sacerdote, sed à quolibet homine ratione utente posset cõferri. Et constat ex Actibus Apost. cap. 8. quod Philippus Diaconus baptizavit Eunuchum Candacis. Vnde est cõvenientissimū, ut omnes sciant formam baptismi pro casu necessitatis; imò aliqui obligant sub mortali obstetrices ad illam sciendam, quamvis de hac obligatione subdubitet Dicastillus disp. 2. num. 18. & apud ipsum Diana 2. part. tract. 15. resol. 46. illamque neget absolute Suarez disp. 21. sect. 5.

69 Angelū, & animam separatam non esse validos Ministros huius Sacramenti, sicut neque aliorum, iuxta præsentem, & ordinariam institutionem, docet communis Sententia apud Dicast. disp. 3. de Sacram. dub. 4. & Bernal ibidè disp. 17. sect. 1. Advertit autem S. Thom. quòd si bonus Angelus actionem sacramentalem præstaret, putandum esset, habere à Deo extraordinariam facultatē. Quòd si aliquis post mortem suscitaretur, validè baptizaretur iuxta S. Thom. 3. part. quæst. 64. art. 7. De homine autem non viatore, scilicet beato, vel damnato negant Coninc, Lugus, & late Bernal disp. 17. de Sacram. à num. 21. esse validos Ministros ex præsentī institutione; affirmant verò S. Thom. cit. & Suarez disp. 13. sect. 1. Id quod probabilius iudicat Dicastillus: cui si objicias, inde sequi, Sacerdotem damnatum post resurrectionem posse baptizare, imò & consecrare. Respondet, post resurrectionem generalem non posse, quia in fine mundi cessant Sacramenta; si verò resurgeret nunc, extraordinariè admittit sequelam.

70 Hæc dixerim de validā administratione baptismi. Restat dicendum de licita: tam de solemnī cum solitis Ecclesiæ ceremonijs; quam de privatā, quæ sit sine illis, cum sola ablutione, & prolutione verborum

borum essentialium: tam in casu necessitatis, quando est probabile periculum; quam extra casum necessitatis.

71 Oportet autem prænotare, non licere cuicumque baptizare eo ipso quòd validè possit: quia baptizans exercet aliquomodo actum iurisdictionis, non quidem respectu baptizandi, cū ante baptismū non sit Ecclesiæ mēbrum; sed respectu Ecclesiæ, adscribendo illi eum, quæ baptizat, & participem facit bonorum communitatē Ecclesiæ. Hinc est quòd baptizandus nequit licitè petere baptismum ab omnibus, à quibus validè, sed à quibus licitè potest baptizari; nō quia ipse directè prohibeatur lege Ecclesiastica, cum nondum sit Ecclesiæ subditus; sed quia lege naturali, vel divina prohibetur nō sollicitare alios ad id, quòd licitè facere non possunt.

72 Dico primò: privata administratio cuilibet licet in casu necessitatis. Constat ex verbis Eugenij relatis num. 65. Observandus erit tamen ordo dignitatis. Ita nempe, ut non ministrer alius Sacerdos præsentē, & volente per se ministrare Parocho: hoc enim esset mortale: neque non Sacerdos, præsentē Sacerdote: hoc enim esset mortale, ut videre est apud Dianam 3. p. tract. 4. resol. 4. quamvis seculo contemptu, & non renuente Sacerdote iudicatur veniale à Valentia, & Eximio Suarez; neque alij inferiores præsentē Diacono: peccarent enim mortaliter iuxta Vazquez, Coninc, & Dicastillo; venialiter iuxta Suarez, Layman, & Villalobos apud Dianam ibidem. Neque Laicus præsentē Subdiacono, aut Clerico in minoribus; esset enim veniale: neque mulier præsentē viro, esset enim indecentia venialis: nisi fortè in aliquo casu ipsa decentia, & honestas diceret, id esse præstādum per mulierē, ut advertit Bulembaum. Neque maiori excommunicatione excommunicatus, quamvis Sacerdos, præsentē non excommunicato, etiam Laico, esset enim mortale ex Coninc q. 67. nu. 18. Neque hæreticus, præsentē Catholico: cum ille sit excommunicatus. Neque Paganus, præsentē baptizato: esset enim saltem veniale, ut ait Bulembaum; mortale id fore insinuant Coninc, & Dicastill. qui tandem notat num. 37. in nulla ex his perversionibus administrationis privatæ incurri irregularitatem. Nota secundò cum Suarez, & alijs, quòd præsentē Episcopo, & permittente posset Sacerdos licitè baptiza-

re; non vero Laicus præsentē Sacerdote; quia hic nequit id licitè permittere: cum per se sit officium Sacerdotis; peccarentque ambo graviter, ut est apud Dicastill. disp. 2. num. 20.

73 Dico secundò: solemnī administratio baptismi per se loquendo solum est licita Parochis, & alijs Pastoribus superioribus iurisdictionem habentibus, v. gr. Pontifici in tota Ecclesiā, & Episcopo in sua Diocesi. Probat: quia adscribere aliquem in membrum communitatē, ut sit per baptismum, spectat vel ad ipsam communitatē, vel ad eum, qui gaudet in ea aliqua iurisdictione: tales autem sunt Ecclesiastici Pastores. Quæ ratio valet etiā pro baptismo privato. Est verò discrimen, quòd in casu necessitatis confert Ecclesiā illam facultatem cuilibet ad privatam administrationem; non verò ad solemnem; quia hæc solemnitas, cum non sit necessaria, non cadit sub casum necessitatis.

74 Addo: Clericum inferiorem Diacono baptizantem solemniter incurrit irregularitatem ex cap. 1. de Clerico non ordinato ministrante. Quam pœnam extendunt Navarrus, & Coninc num. 24. ad Laicos, contra Henriquez, & multos: an vero comprehendat Diaconum illicitè baptizantem solemniter, affirmant consequenter cum Coninc num. 27. illi, qui censent, Diacono numquam competere ratione sui ordinis sic baptizare, nisi præcisè ex commissione Sacerdotis; negant verò cum Suarez alij, qui Diacono in aliquo casu concedunt ratione sui ordinis facultatem solemniter baptizandi: & hoc videtur probabilius ex glossa in cap. Diaconus: & ex ordinatione Diaconorum, in qua dicitur: *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare, & predicare.* Sic etiam Dicastillo num. 41. & 45. Conveniunt autem omnes in eo quòd Sacerdos simplex illicitè baptizans solemniter, quamvis peccaret mortaliter, utpote usurpans iurisdictionem Parochi, non tamen incurret excommunicationem, vel irregularitatem: quia nullo iure sic statuitur. Ita Coninc nu. 11. & Dicast. num. 21.

75 Dico tertio: ex commissione Episcopi, vel Parochi, licet, Sacerdotem solemniter baptizare, etiam extra casum necessitatis. Probat: ex praxi Ecclesiæ. Ratio autem est: quia Sacerdos habens potestatem in verum Christi corpus, iam habet

absolutè potestatem ordinis ad coniungendum ad corpus mysticum Christi nova membra; ergo accedente potestate iurisdictionis ex commissione Pastorum Ecclesiarum, licebit illi solemniter baptizare. Ad do: si necessitas non daret locum ad petendam commissionem à Parocho, vel Episcopo, posset licitè baptizare solemniter Sacerdos; quia rationabiliter præsumitur commissio. Ita cum multis Dicastillo *num. 21.* imò teneretur sub gravi, iuxta Coninc *num. 3.* quia solemnitas illa est res gravis, ac prouide non omittenda, cum poterit licitè adhiberi.

76 Dico quartò: idem tenendum esse de Diacono: in casu tamen necessitatis. Ita Doctores communiter apud Dicastill. *dub. 1. & 3.* Et probatur ex verbis ordinationis Diaconi relatis *num. 74.* saltem enim indicant, Diaconum ratione ordinis sui constitui aptum, ut possit illi committi à Parochis, vel Sacerdote baptismus solemnus. Quòd si in Constitutionibus Apostolorum habetur: *nec enim fas est, Diaconos sacrificium offerre, aut baptizare: id intelligitur nisi ex commissione, vel in extrema necessitate, ut scribit Gelaf. Papa ad Episcopos Lucanæ, dicens de Diaconis: Absque Episcopo, vel Presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis ordinibus fortasse longius constitutis necessitas extrema compellat: quod laicis Christianis facere plerumque conceditur.* Sermo autem est de baptismo solemnè. Tum quia privatim etiam sine commissione potest. Tum quia non videtur rationabile, quòd Ecclesia concedat in ijs casibus Diacono facultatem baptizandi absque solemnitate, quæ tantum fit: ut rectè ponderat Coninc *num. 26.*

77 Notandum est ergo discrimen Diaconi, tum à Sacerdote simplici, tum ab alijs Diacono inferioribus. A Sacerdote quidem, quia huic etiam absque necessitate committitur ab Episcopo, vel Parocho baptismus solemnus; Diacono autem non nisi ex necessitate, sine quâ neque Parocho, neque Episcopus licitè committeret; neque Diaconus absque peccato gravi ministraret: quod est verum etiam de baptismo privato. Ab alijs verò inferioribus; quia istis nulla ex causa potest committi baptismus solemnus, nisi à Papa, qui utique potest disponere de illa solemnitate, utpote iure Ecclesiastico introductâ; Diacono verò committitur à Parocho, vel

Episcopo. Tum quia, ut committatur licitè alijs infra Diaconum baptismus etiam privatus, requiritur extrema necessitas, quæ est probabile periculum mortis absque baptismo; at ut committatur Diacono etiam solemnus, sufficit notabilis necessitas, seu iusta causa, qualis esset, si occurrant plures baptizandi, & Parochus, alijsque Sacerdotes sint occupati, ita ut baptizandi cogantur cum aliquo incommodo differre baptismum. Ita Dicastillo *num. 7.* ex Suarez, & Vazquez.

78 Addit Dicastillo *num. 8. & 41.* ex Suarez contra Coninc; in extrema necessitate, absente Sacerdote, licere Diacono iure suo solemniter baptizare. Tum quia sic præsumitur tunc voluntas Superioris. Tū quia sic colligitur ex verbis Gelafij relatis *num. 76.* nam quamvis postrema illa verba: *Quod Laicis Christianis, &c. videantur contrahere totam illam sententiam ad baptismum privatum, qui solus est licitus Laicis in casu etiam necessitatis; non tamen erit cōtra illorum sensum, si intelligantur cum distributione accommodata, scilicet de baptismo privato quoad Laicos; de privato, vel solemnè quoad Diaconos, ob rationē specialem sui ordinis.* In hoc fundatur, quod *num. 4.* retulimus ex Dicastillo, Diaconum absque necessitate, & commissione solemniter baptizantem, quamvis peccet mortaliter, non tamen incurere irregularitatem, quam incurunt alij Clerici inferiores, quibus suo iure ratione sui ordinis in nullo casu competit solemnus administratio baptismi.

#### SECTIO IX.

##### De administratione Baptismi.

79 **A**D validam administrationem requiritur in ministro intentio non solum proferendi illa verba, ut aiunt Lutherus, & Calvinus, sed etiam conficiendi Sacramentum. Ita Doctores Catholici communiter ex Trident. *Sess. 7. Can. 11.* dicente: *Si quis dixerit in Ministris, qui Sacramenta conficiunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.* Sunt nihilominus Catholici, ut Sylvester, Catherinus, Durand, itemque Seribonius, & S. Thom. fideliter relati à Dicastillo *disp. 3. de Sacram. dub. 5.* qui putant (probabiliter iudice Valentia) Deum supplere intentionem, & conterre

gra-

gratiam saltem infantibus, quando baptizans caret prædictâ intentione: quod tamen falsum est, & prorsus repellendum. Videatur etiam Lugus *disp. 8. de Sacram. & Diana pars. 3. tract. 4. resol. 17.* latissimè Bernal *disp. 17. de Sacram.*

80 Dubitabis: quid involvat illa intentio faciendi, quod facit Ecclesia? Placet Bernal *sect. 4. §. 4.* dicens, involvere, vel voluntatem conficiendi Sacramentum, vel voluntatem causandi gratiam, & characterem per illa signa externa: vel voluntatem utendi illis signis, & forma, & modo, quo utitur Ecclesia: vel voluntatem utendi illis signis, tanquam cœrenouijs religiosis: vel saltem voluntatem id faciendi ut Ministrus Ecclesie, vel nomine Christi. Ea intentio non requiritur actualis, nec sufficit habitualis; sed saltem virtualis, ut explicatur latè in tractatu de Sacramentis in genere.

81 Dubitabis secundò: quid si Minister habeat intentiones oppositas, scilicet faciendi, quod facit Ecclesia, & non faciendi Sacramentum, existimans utique Ecclesiam non velle per ea signa fieri Sacramentum Bernal *num. 79.* post relatas, & reiectas alias Sententias, respondet tripliciter. Si prima intentio sit omnino faciendi, quod facit Ecclesia; secunda verò non faciendi Sacramentum, quia putat erroneè, id, quod facit, non esse Sacramentum; sit baptismus, quia prævalet prima intentio omnino absoluta. Si verò omnino absolutè habeat voluntatem non faciendi Sacramentum, & solum vult facere quod facit Ecclesia, quatenus putat, per id Ecclesiam non facere Sacramentum, non baptizat, quia prævalet alia voluntas. Quòd si æqualiter omnino habeat illas intentiones, non baptizat, quia se invicem impediunt, & chymarum volunt.

82 Ad licitam administrationem baptismi requiritur, quòd Minister non sit in peccato mortali. Facit enim sacrilegium, si scienter sic baptizaret. Ita docent universaliter Vazquez, Basilius Legionensis, Lugus, & alij, quos citat, & sequitur Bernal *sect. 6. §. 2.* Monet tamen Dicastillus, non peccaturum quemlibet Ministrum, si in urgenti necessitate reperiens se in peccato, & non habens tempus ad excitandum in se dolorem contritionis baptizaret. Alij verò Theologi cum Suarez, Granad. S. Thom. Caietan. & Diana, annuente Dicastillo *disp. 3. de Sacram. dubit.*

10. id limitant ad Ministrum, qui ratione sui ordinis ministrat Sacramentum; & sic Sacerdos, vel Diaconus solemniter baptizantes, ut licitè id faciant, tenentur sub gravi esse in statu gratiæ; non verò laicus, imò neque Sacerdotes, quando ex necessitate baptizant non solemniter. Ita etiam Valentia, & Coninc apud Dicastillum cit. & Diana *part. 3. tract. 4. resol. 10.* Consequenter ad hanc Sententiã dicunt hi Authores, non peccare mortaliter, qui in mortali contrahunt matrimonium, eo quòd Sacramentum conficiant ut Ministri, sed eo quòd recipiant.

83 Quæritur primò: an validè administraret, qui proferret formam, statim post factam ablutionem, aut e contra? Negant Scotus, Naarrus, & Zambranus requireres simultatem temporis ablutionis, & verborum apud Dianam *part. 3. lib. 4. resol. 6.* qui tamen cum Henriquez, & Layman responder affirmativè, si mora sit brevissima: advertit autem non valere, si intercedat mora quasi unius orationis Domini-cæ, quidquid nimis laxè dicat Heredia. Conveniunt autem omnes non esse necessariam simultatem ita adæquatam, ut simul debeant incipere, & simul finire actio abluendi, & prolatio verborum.

84 Quæritur secundò: an quis se ipsum validè possit baptizare: an duo sese invicem? Respondetur ad primum negativè cum communi Sententiã apud Dicastillum *disp. 1. de baptismo. num. 134.* Constat ex usu Ecclesie declarante, Christi institutionem fuisse ita, ut ab altero baptizaremur. Ad secundum respondetur affirmativè; quia nihil est, quod obstat validitati talis baptismi: etiam si uterque ageret in utramque ablutionem: illicitè tamen sic facerent iuxta Dicastill. *num. 135.*

85 Quæritur tertio: an valeat baptismus, in quo unus ablueret, & alter proferret verba? Marfilus & Caietanus apud Suarez *disp. 23. sect. 3.* in affirmantem Sententiã inclinant. Quapropter Heredia apud Dianam *resol. 11.* ait, casu quo infans iam iam moritur, & adfaret mutus, & mancus, teneri istos eum baptizare prædicto modo sub conditione, quòd sit validus. Et Leander apud Dianam *part. 10. num. 16. resol. 20:* probabile putat, valere baptismum, si cadente puero in fluvium è manibus Petri, Paulus diceret verba. Cōmunissima Sententiã tenet, non valere, cum

Aaaa

S.

S. Thoma, & Suarez. Sic colligitur ex verbis formæ, & ex praxi Ecclesiæ iuxta Christi institutionem. Dices: qui tunc proferens verba curaret, quod alter ablueret, iam diceretur & ipse abluere per alium: id quod sufficere videtur ad veritatem verborum. Respondetur, verum id fore moraliter; ut iuxta institutionem vera sint verba, debet physicè abluere, qui illa proferit. Idem dic, si unus inciperet verba, & alter finiret. Ita Dicastillo *disp. 1. num. 142.*

86 Quæritur quartò: quid si duo simul abluerent, & verba proferrent? Respondeo primò cum Vazquez, non licere, quia est contra usum Ecclesiæ. Respondeo secundò, non valere, si uterque intendat baptizare ut partialis Minister, componens unum integrum cum altero; sive singulariter verba proferant: *Ego te baptizo*: sive pluraliter: *Nos te baptizamus*. Ita communis Sententia cum S. Thoma, & Suarez cit. ubi pro contradictoria refert Marfil, Caietan, & Durandum. Ratio est: quia quilibet adhibet materiam, & verba. Vel ergo hoc intendit, quod vult Ecclesia; & sic iam est adæquatè baptizans: vel non intendit; & sic non baptizat; quia non habet intentionem iuxta significationem verborum, & institutionem Christi. Respondeo tertio cum eodem Suarez, S. Thoma, Soto, & Vazquez apud Dicastillum *num. 144.* valere, si uterque ablueret, & diceret verba simul ut causa totalis per se sufficiens, quia nihil est quod impediatur valorem. Dixi *si simul*, nam si unus finiret prius, iste solus baptizaret.

87 Dices: si in eo casu uterque baptizat, uterque rebaptizat, quia baptizaret hominem ab alio baptizatum: sed neuter rebaptizat, nam baptismus est Sacramentum initerabile: ergo neuter rebaptizat. Respondeo, negando maiorem: nam rebaptizare, nisi contendamus de nomine, est baptizare hominem prius baptizatum. Ille autem homo non esset prius baptizatus; sed simul ab alio baptizatus. An verò tunc essent duo baptismi. Negant Sotus, & Vazquez. Affirmant Coninc, & Dicastillus, favente Suarez: attamen S. Thomas dicit, esse moraliter unum baptismum. Probant: quia ibi datur duplex materia proxima, duplex remota, duplex forma: ergo revera duplex baptismus.

88 Quæres quintò: quid si sint duo Ministri, quorum quilibet intendat bap-

tizare puerum sub conditione, quod alter in hoc ipso instanti non baptizet? Negative respondi in simili *disp. 9. de Euchar. sect. 2. num. 14.* cum Suarez *disp. 23. Dicastill. disp. 1. dub. 6.* Videtur, quod uterque baptizat: quia vel Petrus baptizat, vel non? Si primum: ergo similiter Paulus, cum par sit ratio. Si secundum: ergo baptizat Paulus, utpote adhibens materiam, & formam, cum intentione baptizandi, si Petrus non baptizet: ergo similiter Petrus, cum par sit ratio. Neutrum tamen baptizare, docent bene Suarez cit. & Dicastill. *num. 156.* quia si unus baptizat, uterque baptizat ob paritatem rationis: sed non baptizat uterque, cum alter solum intendat baptizare sub conditione, quod alter non baptizet: ergo neuter. Ad contradictoria dico, Petrum non baptizare; & nego consequentiam hinc illatam, quod nempe Paulus baptizet. Nam illa intentio conditionata Pauli, *si Petrus non baptizat*, est perplexa, & sibi implicans, ac proinde invalida: siquidem ad sui validitatem requirit conditionem, ex cuius positione sequitur ipsius invaliditas: requirit enim invaliditatem alterius, pro qua par omnino est ratio.

## SECTIO X.

### De Cæremonijs Baptismi.

89 **T**Racto hic de cæremonijs, ritibus, seu solemnitate baptismi, quia pertinet ad eius administrationem: de quibus latè Suarez *disp. 30.* & Vazquez *disp. 166.* Hæretici illas contemnunt, ut est apud Bellarminum *lib. de Bapt. cap. 24. & 25.* Ecclesia verò illas tanti facit, ut mortale sit, illas ommittere, si possunt adhiberi, iuxta Coninc *quest. 67. nu. 3.* Quintiam ad eos ritus, seu cæremonias postea faciendas obligat, si vixerit infans, qui absque illis baptizatus fuit in casu necessitatis. Possévinus tamen apud Busembaum, illas tunc ommittere videtur iudicare veniale; imò in aliquibus casibus ex magna causa existimat nullum esse peccatum cum Layman. Vide Diana *part. 5. tract. 3. resol. 6.* ubi reprehendit Comitolum, quod dixerit, sacrilegium fore, si eiusmodi infantibus privatim baptizatis fiant postea exorcismi, qui adhiberi solent in solemnè administratione baptismi.

90 Observa in Clement. unica de Baptismo prohiberi baptismum solemnem

ex-

extra locum ad id deputatum in Parœcijs; unde ait Coninc *q. 67. num. 3.* mortale esse, baptizare solemniter in domo privata. Excipiuntur filij Regum, ac Principum: hi sunt iuxta Glossam illi, qui non sunt alterius Vasalli, sed supremam gaudent iurisdictione. Addit Dicastill. *num. 291.* casum necessitatis, cum nempe non possit infans deferri ad Ecclesiam absque periculo.

91 Patrinus non est necessarius ad valorem; iure tamen Ecclesiastico, ut licitè fiat baptismus sollemnis, necessarius est Patrinus, qui teneat infantem, & levet de sacro fonte, & respondeat pro ipso: manetque obligatus ad illum instruendum in rebus fidei, si aliunde non satis provideatur huic instructioni.

92 De iure antiquo unus tantum, sive vir, sive femina permittebatur Patrinus: in Trident. verò *sess. 24. cap. 2.* concessum est, ut ad summum possent esse unus, & una: & iubentur graviter Parochi, ne plures admittantur. Quod si plures admittantur, solum modò unus; & una, primò tangentes baptizatum, sunt verè Patrini; alij non. Si verò plures simul tangant, probabile est, quod nullus verè est Patrinus: contrahens inde impedimentum cognationis spiritualis: ut est apud Suarez *quest. 67. in Comment. ad art. 8.*

93 In baptismo privato nullo iure esse necessarium Patrinum, docet rectè contra aliquos Diana *part. 3. tract. 4. resol. 18.* Quod si aliquis munus Patrini in eo baptismo obeat, contrahet spirituales cognationem iuxta Suarez, Coninc, & alios; non contrahet iuxta Sanchez, & Dianam ibidè. Designatio Patrini spectat ad parities; si hi non assignent, spectat ad baptizatem. Sic Diana *part. 9. tract. 7. resol. 50.*

94 A munere Patrini prohibentur primò Monachi, ex capite *Monachi de consecrat. dist. 4.* Nomine Monachi intelligi quemcumque regularem, volunt Layman, & Rodriguez; melius verò Coninc, & Dicastillus intelligunt rigorosè monachos, qui sibi solis vacant. Vnde alij regulares, ut mendicantes, poterunt esse Patrini. Prohibentur secundò, non baptizati ex cap. *in baptismo de consecrat. dist. 4.* Prohibentur tertio, Parentes baptizati ex cap. *dist. 30. quest. 1.* In necessitate tamen, scilicet defectu aliorum, id liceret iuxta Coninc, & Sanchez contra Dicastillum: nec propterea impedirentur ad petendum de-

bitum, iuxta eundem Coninc. An autem impediantur, si extra necessitatem id facerent, non constat inter DD. Non tamen prohibentur coniuges à munere Patrini alienæ prolis, quamvis ob indecentiam iudicetur ab aliquibus veniale: nec tamen propterea contrahunt impedimentum.

## SECTIO XI.

### De Effectibus Baptismi.

95 **E**ffectus certus Baptismi est impressio characteris: quod est: *signum quoddam Christianitatis; seu qualitas spiritualis physicè impressa animæ baptizati*, quæ indelebiter consignat in spirituale Christi ovem, utpote cum iure ad Pascua sequentium Sacramentorum. Quemadmodum dicitur caractere Confirmationis consignari in Ecclesiæ militem cum iure specialiter habendi gratiæ subsidia ad fidem propugnandam: & caractere Ordinis consignari in Christi Ministrum cum iure ad gratias specialiter idoneas adimplendo ministerio. Effectum characteris præstant hæc tria Sacramenta (quæ sola imprimunt caracterem) eo ipso præcisè quod validè suscipiantur.

96 Alius effectus, & quidem generalis omnium Sacramentorum est, causare gratiam habitalem: in parvulis quidem æqualem; in adultis verò inæqualem iuxta cuiuscumque dispositionem. Quod si adultus non se debite disponat iuxta dicta supra *sect. 4.* non percipiet hunc baptismi effectum, scilicet infusionem gratiæ, & remissionem peccatorum. An verò aliquando recipiat homo per, vel ante baptismum habitus supernos Fidei; & Spei, absque gratia, tractavimus *disp. 4. de inst. sect. 1.* & partem negantem tenuimus.

97 Collige per baptismum debite susceptum remitti omnia peccata mortalia, tam originæ, quam personalia. Constat ex Trident. *sess. 5.* in decreto de peccato originali. Et ratio est: quia infusam gratiam nullum potest permanere peccatum mortale.

98 Nec solum remittuntur quoad culpam; sed etiam quoad poenam: ut statuit Eugenius IV. in decreto Fidei dicens: *Huius Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ, & c. omnisque poenæ, quæ propter culpam debetur.* Hinc est mos Ecclesiæ non imponendi poenitentiam baptizatis, sicut

imponit confessis. Non tamen proinde remittuntur pœnalitates inductæ per originale, ut fomes peccati, mors, sitis, fames, &c. Hæ dicuntur pœnalitates potius quam pœnæ peccati, quia non sunt directè inflictæ propter peccatum, sed indirectè consequuntur ad illud, quatenus destruxit iustitiam originalem, quâ supra naturæ conditionem erat homo liber ab eiusmodi malis.

99 Nota, quod quamvis per baptismum secundum se ritè susceptum omnia quoad culpam, & pœnam remittantur; aliquid tamen ob indispositionem adulti, potest contingere, quod maneant aliqua venialia, eorumque pœnæ. V.g. si baptizatus satis dolens de mortalibus, habeat aliquam complacentiam de venialibus præteritis. Ita cum multis Dicastill. *disp. 2. num. 285*. Et idem ait, quando dolor non se extendit ad venialia: sed hoc non est mihi ita certum; probabile enim iudico, quod dixi *disp. 3. de iustific. sect. 6.* per Sacramenta remitti aliqua saltem venialia, ad quæ non se extendit retractatio, dummodo non detur actualis complacentia de illis: id quod magis mihi persuadeo de Sacramento Baptismi.

100 Alij sunt insuper effectus baptismi, scilicet facere hominem subditum Ecclesiæ, ac proinde obligatum præceptis Ecclesiasticis, subiectum pœnis, & capacitatem aliorum Sacramentorum: & etiam instructum auxilijs ad legis onera subeunda.

101 Non est tamen effectus baptismi per se, & generaliter loquendo amittere conditionem servilem, & fieri liberum: id enim universim nullo iure constat. Ita S. Thom. Bonac. & alij apud Dicastill. *num. 286.* testatur tamen Bonac. alicubi id esse receptum in favorem Fidei.

## SECTIO XII.

### De Reviviscentiâ Baptismi.

102 EX dictis *sect. 2.* constat, sæpe suscipi validè Baptismum absque effectu gratiæ propter obicem peccati, de quo baptizatus non satis dolet, & hunc vocant Theologi baptismum informem, sive fictum; hoc est sine verâ dispositione ad gratiam. Contingit autem dupliciter: primò: si quis peccet in ipso baptismo, ut si

sciens accedat sine dolore, & fide: & hic vocatur obex positivus. Secundò: si non peccet in ipso baptismo, sed accedat bona fide; absque dispositione tamen necessaria ad gratiam per illum recipiendam: & hic vocatur obex negativus. His suppositis docent Theologi ex Augustino, quod Baptismus sic fictè susceptus, & informis, licet non conferat gratiam, quando suscipitur, confert illam tamen postea reviviscens, recedente fictione, seu amoto obice: hoc est, quando homo se postea sufficienter disponit, de quo multa Dicast. *disp. 2. dub. 15.* Nobis videndum breviter est, qualis dispositio postea requiratur, ut Baptismus fictè susceptus reviviscat. Scorus, & Vazquez aiunt, semper requiri, aut contritionem, aut attritionem cum sacramento Pœnitentiæ.

103 Dico tamen primò cum Suarez, Coninc, & Lugo *disp. 9. de Sacramentis num. 52.* si fictè baptizatus solum habuit obicem negativum, & post Baptismum nullum mortale commisit, sufficiens dispositio est attritio, ut baptismus antea informis secundetur gratiâ, & reviviscat ad remittenda peccata. Probat: quia posita attritione ponitur id quod defuerat, ut baptismus, quando susceptus fuerat, conferret gratiam: ergo attritio sufficit, ut postea ad gratiam conferendam reviviscat. Ex hac ratione videtur inferri, in illo, qui habens solum originale baptizatus fuit cum fictione negativâ, & postea mortale non commisit, reviviscere baptismum absque attritione; habendo scilicet fidem, & propositum servandi mandata: quia in eo hæc dispositio sufficiebat, ut Baptismus conferret gratiam, quando susceptus fuit, ut vidimus *sect. 4.*

104 Dico secundò: Si adultus post Baptismum validum informem commisit nova mortalia, non sufficit ei attritio, ut reviviscat Baptismus; sed requiritur, vel contritio, vel attritio cum Sacramento Pœnitentiæ. Ita Vazquez, Scorus, Suarez, & Lugo cum communi. Probat: quia ille homo, ultra peccata præcedentia Baptismum, habet de novo obicem gratiæ, nempe peccata post Baptismum, quorum remissio, cum ad Baptismum non spectet, debet fieri per dispositionem à Deo statutam pro peccatis post Baptismum: hæc autem dispositio est, aut contritio, aut attritio cum Sacramento Pœnitentiæ.

Dico

105 Dico tertio: idem esse de eo, qui suscipit Baptismum cum fictione positivâ, iuxta meliorem sententiam dicentem cum Dicastill. *à num. 216.* & Lugo *diff. 16. de Pœnitentiâ*, tale peccatum fictionis, cum sit iam hominis baptizati, spectare ad Sacramentum Pœnitentiæ. Opponi solet Tridentinum *Sess. 14. cap. 2.* dicens, quod *Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi ianuam fuerit ingressus*: ergo solum spectant ad iudicium Ecclesiæ per pœnitentiâ peccata supponentiâ Baptismum: ergo non ea, quæ sunt in ipso instanti Baptismo; ac proinde ad talium remissionem reviviscit Baptismus cum attritione etiam extra Sacramentum. Respondetur, negando consequentiam, & subillationes: nam Concilium non dicit, non exerceri iudicium Pœnitentiæ circa peccata, nisi, priusquam ista committantur, detur Baptismus; sed nisi priusquâ tale iudicium exerceatur, detur Baptismus. Multi obliti huius planæ, ac plenæ solutionis laborant valde in hac obiectione.

106 Duas præcedentes conclusiones ita certas reputant aliqui, favente Coninc *à num. 86.* ut oppositum iudicent improbabile. Cæterum Paludanus, & Sylvester, quos latè sequitur Dicastill. *à num. 199.* probabilè indicant, & meritò, sententiam oppositam asserentem, in homine etiam, qui post Baptismum informem commisit mortalia, reviviscere Baptismum per attritionem extra Sacramentum Pœnitentiæ: etenim sic adhibetur ea dispositio, quæ defuit, ut Baptismus primò susceptus causaret gratiam remissivam peccatorum præcedentium: ergo posita postea eadem dispositione, reviviscit Baptismus ad eandem gratiam causandam, aboliturus directè peccata præcedentia, & indirectè subiequentia Baptismum; ad modum quo in Sacramento Pœnitentiæ indirectè remittuntur peccata oblita. Ad rationem verò positam *num. 104.* potest dici, non esse obicem Sacramenti Baptismi, vel Pœnitentiæ, peccata utcumque, sed peccata non satis retractata: attritio autem iam est sufficiens retractatio, quando coniungitur cum Sacramentis Mortuorum, ut sunt Baptismus, & Pœnitentiâ.

107 Duo possunt objici ex Trident. Primum: quod extra Sacramentum non sufficit attritio ad remissionem. Secun-

dum: quod peccata post baptismum commissa non remittuntur, nisi per Sacramentum Pœnitentiæ, in quo subijciuntur clavibus Ecclesiæ. Occurrit tamen doctè Dicastill. videndus ubi supra: ad primum ait, verum esse, non sufficere attritionem extra Sacramentum; illam verò attritionem iam coniungi cum Sacramento Baptismi reviviscente. Ad secundum distinguit: nisi per Sacramentum Pœnitentiæ in re, negat; in re, vel in voto, concedit; ac illa attritio iam esset votum Sacramenti Pœnitentiæ, non minùs, quam perfecta contritio, & relinqueret obligationem subijciendi clavibus ea peccata post baptismum commissa.

## SECTIO XIII.

### De irrequiritate Baptismi.

108 **P**roprium est Sacramentorum imprimendum characterem, non posse reiterari. Unde baptismus reiterari non potest, ut contra Hæreticos Marcionistas definiit sæpe Ecclesia, præsertim in Trident. *Sess. 7. cap. 9. de Sacramentis; & Can. 11. de Baptismo.* Itaque etiam si baptizatus moreretur, & resurgeret, non solum illicitè, sed etiam invalidè baptizaretur. Et hinc damnantur Anabaptistæ sic dicti, quasi rebaptizantes: quia infantes catholicè baptizatos rebaptizant, dum fiunt adulti. Ex his etiam fit, nec licitè, nec validè baptizari illum, de quo certò constat esse baptizatum.

109 Addit Busembaum *lib. 7. de censuris cap. 5. dub. 4.* rebaptizatum scienter, fieri irregularem: rebaptizantem verò fieri partialiter irregularem, nempe quoad ascensum ad Ordines superiores, & hoc quidem, si rebaptizet publicè. Hæc irregularitas non incurritur à rebaptizante scienter sub conditione, quamvis peccet graviter: quia non sic exprimitur in iure. Ita Dian. *p. 3. tract. 4. resol. 11.* cum Suarez contra aliquos, & Dicastillus *disp. 1. num. 185.*

110 Restat dicere de illo, de quo dubitatur, an sit baptizatus, necne: vel an sit validè baptizatus? Et conveniunt Theologi, quod undecumque proveniat illud prudens dubium, potest quis licitè baptizari sub conditione, v.g. *Si es baptizatus, te non baptizo, si non es baptizatus, ego te baptizo, &c.* In baptismo autem privato sufficeret, retinere mète conditionem. Non tant



tant verò Coninc, & Suarez, cōtra aliquos, quòd quando adhibite sunt debite solemnitates, & dubitatur de valore baptismi, non est opus illas repetere.

111 Hæc procedunt non solum in casu dubij negativi, quando scilicet nullum posset fieri prudens iudicium determinatè quòd homo sit baptizatus; neque quòd non sit; verum etiam in casu dubij positivi, quando scilicet pro utraque parte potest ferri probabile iudicium, aut prudens coniectura, seu suspicio: quia tunc baptismus non est moraliter certus, ac proinde prudens est timor, adestque periculum manendi reipsa absque baptismò. Quapropter in prædictis casibus, in quibus liceret rebaptizare sub conditione, est obligatio id faciendi, ad habendam securitatem in re gravissima. De his latè, piè, & doctè Illustrissimus D.D. Didacus Frances de Vrruigoiti, Episcopus Barbastrensis in Pastoralibus part. 2. tract. vnico.

112 Collige: non esse rebaptizandum adhuc sub conditione illum, de cuius baptismò non datur prudens, aut probabilis ratio dubitandi; sed tantum levis scriptulus: ut de illo, qui natus, & educatus est à Catholicis, & apud Catholicos, quamvis fortè nullus extet, qui de tali baptismò possit testari: & similiter de illo nato, & educato apud infideles, si testes fidelissimi testentur certò eius baptismum. Ne tunc de illis, quos in casu necessitatis baptizant obstetrices, aut aliæ personæ laicæ benè instructæ; nisi fortè factò examine non satisfaciant. Notat Coninc, in aliquibus Dicecibus iubere Ritualia, ut baptizentur sub conditione illi, qui ab obstetricibus baptizati sunt; eo quòd sæpe in hac re inveniuntur substantiales errores. Videatur Diapart. 5. tract. 13. resol. 86.

113 Dubitatur de infantibus expositis ad ianuas Ecclesiæ, vel Hospitalis. Respondetur communiter, esse sub conditione baptizandos, si secum non habeant schedulam baptismi iam collati: non verò, si schedulam habeant in terris Catholicorum. Cæterum etiam si schedulam habeant, posse, & debere sub conditione baptizari eiusmodi expositos, adstruit pro praxi cit. Vrruigoiti quæst. 4. multorum autoritate, & rationibus magni faciendis in negotio tanti momenti: non quia credatur inter Catholicos malitiosè apponi schedulã falsam; sed quia timeri potest prudenter de

personis, quæ intervenire solent talibus baptismis, quòd deficiant ignoranter in aliquibus essentialibus baptismi. Sic etiam latè Quintanadueñas Singulari 9. num. 3. apud Dianam part. 9. tract. 6. resol. 35. & part. 10. tract. 16. resol. 19. & valde in id inclinatur ipse resol. 87.

114 Dubitatur deinde de baptizatis ab Hæreticis, præsertim nostri temporis. Tractat hoc Lugus lib. 1. resp. mor. dub. 2. & rectè advertit, difficultatè non posse esse de iure; cum certum sit, hæreticos administrantes veram materiam, & formam cum debita intentione, validè baptizare: sed de facto, quatenus non sit certum, eiusmodi hæreticos non deficere in materia, vel forma, vel in alijs essentialiter requisitis, ut videre est apud ipsum Lugum ibi: & apud Dicastillum dubi. 7. à num. 181. Quare hi duo Authores contra Coninc valde inclinatur, & meritò in id, quòd eiusmodi homines baptizentur sub conditione. Et fortè sic ego consuluissem in aliquibus casibus occurrentibus, si iam hos omnes Authores perlegissem. Accedunt Molanus, & Opatonius apud Dianam super citatum. Advertit Busenbaum art. 1. nu. 6. ex Layman lib. 5. tract. 2. cap. 8. nu. 10. in huiusmodi baptismis posse omitti publicitatem, & solemnitatem, ne plebs putet, nos eorum baptismum utcumque improbare.

115 Quæres: an incertus de suo baptismò possit suscipere alia Sacramenta ante quam certò baptizetur? Respondet Dicastillus dub. 9. incertum dubio negativo non posse. Incertum verò dubio positivo, ita nempe ut formet iudicium probabile de suo baptismò, posse interim, donec certò baptizetur, suscipere ea sacramenta, quæ non sunt, aut possunt esse in damnum aliorum, v. gr. Matrimonium, Pœnitentiam, Confirmationem, Eucharistiam, & Extremam Vnctionem. At sentiendum aliter videtur post 1. prop. ab Innoc. XI. damnatam. Vide etiam Dianam part. 10. tract. 16. resol. 19. ubi addit ex Quintanadueñas. Primum: quòd Sacerdos, vel Episcopus prudenter dubius de suo baptismò potest, & tenetur præter baptismum suscipere Ordines saltem Sacerdotalem, & Episcopalem. Secundum: quòd illi qui à talibus Ordines Sacros, aut absolutionem acceperunt, tenentur Ordines saltem Sacerdotij, & absolutionem sub conditione recipere.

SE-

## SECTIO XIV.

De duabus alijs quasi speciebus Baptismi: & præsertim de Martyrio.

116 **E**gimus de baptismò fluminis, qui est Sacramentum, & propriè baptismus. Restat dicere de baptismis Fluminis, & Sanguinis; quia quoad effectum hominem iustificandi æquivalent aliquando Sacramento baptismi.

117 Baptismus fluminis dicitur actus contritionis, vel charitatis, quatenus scilicet importat votum proprij baptismi, & antecedenter ad istius susceptionem, sufficienter disponit adultum ad gratiam, & remissionem peccatorum, Baptismus verò Sanguinis dicitur Martyrium: quod græcè est testimonium; sicut Martyr idem ac testis. Et de hoc aliqua disputanda supersunt: de quo Suarez disp. 29. Vazquez disp. 153. & Dicastillus disp. 3. & Raynaudus in libro speciali de martyrio per pestem: Arriaga disp. 24. sect. 7. Lelsius lib. 3.

118 Martyrium est: *Cruciatu lethali susceptus pro Christi fide, vel vera virtute.* In adulto talis cruciatus debet esse voluntarius, ut etiam diximus de Sacramento baptismi; non verò in parvulis, qui non loquendo, sed moriendo Christum testatur; ut tenet Ecclesia de infantibus Innocentibus. Vnde fit primò: non esse Martyres, qui pro fide contra infideles pugnando occidunt: quia non tam voluntate, quam necessitate occubunt: ideo milites non assimilantur Christo, qui cum pateretur, non comminabatur. Fit secundo: si adultus, qui nec cogitaverat, nec voluerat mori pro Christo, occideretur dormiens, non est martyr: bene verò si incarceratus statuit prius mori, quam fidem negare, & tunc dormiens occiditur in odium fidei, tunc enim habet voluntatem, quæ ad rationem etiam Sacramenti baptismi sufficeret: ergo & ad rationem martyrij. Addit Dicastill. num. 7. probabile sibi esse, sufficere ad rationem martyrij, quòd in eo casu homo aliquin iustus tentatus ante omnium non habuerit voluntatem deficiendi à fide imminente morte.

119 Dixi *alioquin iustus*: nam in alioquin peccatore adulto requiritur ad rationem martyrij tanquam dispositio retractatio peccati, saltem illa, quam ad baptismum peccatoris adulti requirimus sect. 4. aliter non iustificaretur per effusionem Sanguinis, sicut neque per ablutionem aquæ. Quòd si Ecclesia aliquem prius peccatorem veneratur ut martyrem, eo ipso quòd rite confiter, occisum fuisse pro fide; non est ex eo quòd iudicet, sufficere sic mori absque dolore peccatorum; sed quia supponit, doluisse conve-

nienter de peccatis, credens utique directa ab Spiritu Sancto, non deesse Deum tunc suis militibus. Addit Dicastillus à num. 40. ex S. Thoma, & Bellarm. illum, qui in eo conflictu ob inadvertentiam, seu oblivionem non doleret de peccatis, distractus utique cogitatione mortis subeunda, & metus expellendi, verè iustificari, & martyrem fore, quia illa dispositio esset virtualis dolor.

120 Difficultas autem est: an requiratur retractatio, quæ sit contritio, an sufficiat attritio? Quod est quærerè: an attritio coniuncta cum morte in odium fidei sufficiat ad iustificationem, sicut coniuncta cum Sacramento baptismi, vel pœnitentiæ? Hoc secundum affirmant Suarez, Bellarm. Valentia, Lelsius, Coninc, quos citat, & sequitur Dicastillus dub. 2. contra Durandum, Bonac. Layman, Canum, Vazquez, & alios, quibus valde favet S. Thom.

121 Probabilior mihi videtur Sententia P. Suarez, & expressa S. August. lib. 13. de Civitate Dei cap. 7. dicentis: *Quicumque etiam non suscepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur fonte baptismatis.* Qui enim dixit: *nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. non minùs generaliter dixit: qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Similia habent Clemens Rom. lib. 5. Const. Apost. cap. 5. loquens de Cathecumeno occiso pro Christo sic: *Latus discendat: passio enim, quam pro Christo sustinet, cedit ei in veriorum baptismi; quia ipse in re ipsa commoritur Christo, alij in figura.* Et S. Cyprianus sic scribens epist. 73. *Nunquid potest vis baptismi esse maior, aut potior, quam confessio, ut quis coram hominibus Christum confiteatur, & suo sanguine baptizetur?*

122 Ex quibus arguo sic. Mors pro Christo æquiparatur baptismò: ergo sicut cum baptismò sufficit attritio peccatorum in adultis ad remissionem, ita & cum illa. Dices: eatenus æquiparari, quatenus sic morienti ad sunt auxilia, quibus ex perfecta contritione, vel charitate Dei moriatur: quod videtur indicasse Christus dicens: *Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam.* Contra tamen: Quia si ly *propter me* indicaret affectum charitatis, similiter dici posset: *Qui comedit cibos dulces propter me, inveniet, &c.* nam charitas per se ultimò disponit ad gratiam: ergo ut speciale quid dicat Christus de offerente animam, seu vitam suam propter ipsum, intelligi id debet etiam absque affectu charitatis perfecta: itaque ly *propter me*, idem est, ac *causa mei, seu fidei meæ.* Tum quia si ad iustificationem in adulto peccatore moriète pro Christo prærequiri-

tur

tur contritio, effusio sanguinis semper suppone-  
ret iam peccata remissa : ergo numquam primò  
re mitterentur intuitu ipsius : in quo ergo æqui-  
paratur baptismo ? Tum quia effusio sanguinis  
pro Christo habet vim iustificandi parvulos abs-  
que ulla dispositione ipsorum ex speciali Dei  
privilegio , ut omnes fateamur : statuta ergo hac  
virtute immeritò prorsus denegatur effusioni  
sanguinis pro Christo vis iustificandi adultum  
attritum ex eodem privilegio à paritate bap-  
tismi.

123 Infero primò:martyrium causare gratiã  
ex opere operato. Dices:ergo est Sacramentum.  
Nego consequentiam cum Suarez & Lugo:quia  
non est quid sacrum ordinatum ad con-  
secrandum subiectum : imò actio occidendi est  
mala. Dices secundò : ergo occidendus sic pro  
Christo posset pro libito omittere Sacramentum  
baptismi, pœnitentiæ, Eucharistiæ, &c. & cum  
attritione salvari. Nego etiam hanc consequen-  
tiam: implicat enim, quòd haberet veram attri-  
tionem, absque voluntate implendi præcepta:  
ac proinde præstandi ea, ad quæ tunc obligatur.  
Quòd si non posset ea præstare, salvaretur per  
martyrium absque illis, non tamen pro libito  
omissis, imò in voto susceptis.

124 Obijcies: Martyrium non causat in ho-  
mine attrito ex opere operato gratiã in instanti  
mortis : neque ante mortem : ergo numquam.  
Probatur antecedens quoad primam partem:  
quia sequeretur, quòd qui in tota vita fuit in  
peccato mortali, in primò instanti alterius vitæ  
iustificaretur. Probatur quoad secundam partem;  
quia sequeretur, quòd qui cœpisset pati pro Chri-  
sto, per illam passionem cum attritione iustifi-  
cetur; sicque iustificatus maneret etiam si pos-  
tea forrè non moreretur. Vnde in martyre iusti-  
ficatio non tam morti ex opere operato, quam  
voluntati moriendi esset tribuenda. Respondetur,  
causare ante mortem.

125 Ad impugnationem huius partis, ait  
Suarez, gratiam tunc dari, quando tormenta eò  
processerunt, ut naturaliter vivere non possit ho-  
mo: hoc autem iam reputatur mors pro Christo.  
Dices: post eum statim posset manere adhuc  
homo liber : & sic peccare post acceptam gra-  
tiam Martyrij. Propter hoc Vazquez ait, hanc  
non dari, donec martyr ita sit in extremis, ut iam  
nec libertate, nec ratione utatur ; & simul sciat  
Deus, nulla virtute esse à morte liberandum. Pro-  
babilis est hæc solutio. Suarez verò in sua per-  
sistens ait, Deum in eo casu confirmare martyrem  
in gratia, ac proinde aut non posse iam peccare,  
vel saltem non peccaturum. Quòd si divinitus tunc  
à morte liberetur, maneret quidem cum gratia

martyrij: an vero diu confirmatus, nescimus. Vi-  
deatur Dicastill. à num. 31.

127 Infero secundò : parvulos capaces esse  
martyrij. Dubitatur: an etiam illi, qui sunt intra  
viscera? Respondeo affirmativè; sive cum illis oc-  
cidatur mater, sive non. Ita Dicastill. num. 11.  
citans Coninc, Toletum, Henriquez, & Reginaldum.

128 Infero tertio: requiri ad martyrium, ut  
à Tyranno fiat in odium Christi, Fidei, alterius  
ve virtutis ad fidem pertinentis. Vnde non iusti-  
ficat, si moriens acceptet mortem pro Christo. Di-  
ces : bonus Latio fuit martyr : sed non fuit illi  
mors illata in odium Christi: ergo. S. Thom. apud  
Henriquez, concessit maiore, negat minorem:  
quia accelerata fuit illi mors in contemptum, &  
ignominiam Christi. Alij verò, quos sequitur  
Dicastillo, negant maiorem.

129 Dixi alteriusve virtutis, &c. nam, ut  
posui etiam in definitione Martyrij num. 118 non  
requiritur ad illud mori pro tuenda veritate fi-  
dei, ut patet in Ioanne Baptista, & S. Mattheo  
Martyribus pro castitate tuenda; & in S. Thoma  
Cantuariensi pro Ecclesiastica libertate; sed suffi-  
cit mori pro quolibet opere virtutis in ordine  
ad doctrinam Christi: id est, quando recusat de-  
ferere opus bonum, quia consentaneum fidei  
Christianæ, aut facere opus malum quia con-  
trarium fidei Christianæ, & ob id mortem sub-  
bit. Vnde mori propter veritates scientiarum,  
quæ non pertinent ad cultum pietatis per se, nec  
sunt veritates secundum pietatem, non esset suffi-  
ciens causa Martyrij. Collige hinc, quo sensu di-  
catur fore martyr, qui pro tuenda immaculata  
Virginis Conceptione moreretur : ut videre est  
apud Granadum *disp. 3. de Concept. cap. 31.* scilicet,  
quia esset mori pro exercitio virtutis, quale  
est, defendere pijsimam sententiam valde ceden-  
tem in gloriam Virginis, ac proinde & Christi,  
& universalis Ecclesiæ sensui conformem.

130 Quæres: quos effectus habeat martyriū?  
Respondeo: præter gratiam causare remissionem  
totius pœnæ eo ipso modo, quo id diximus de  
Sacramento baptismi *sect. 11.* Vnde Ecclesia non  
orat pro Martyribus defunctis : imò ait August.  
*tract. 84. in Ioan.* iniuriam esse pro Martyre ora-  
re. Quòd si in ipso actu Martyrij committat  
aliquid veniale, in ipso instanti mortis per actum  
charitatis obtinet remissionem illius quoad cul-  
pam, & pœnam, & statim evolat in coelum: ubi  
alium effectum specialem habet Martyrium,  
nempe Laureolam, sive Aureolam: quæ est præ-  
mium quoddam accidentale, quo Martyres in-  
signiuntur in Cœlo, & afficiuntur gaudio speciali.

LAVS JESV, ET MARIE.

IN-

## INDEX, ET ORDO TRACTATVVM, DISPVTATIO- NUM, ET SECTIONVM.

NUMERVS PAGINAM INDICAT.

## TRACTATVS PRIMVS.

DE DIVINA PROVIDENTIA IN GENERE, PRAEFINITIO-  
nibus, Prædestinatione, & Reprobatione.

## DISPVATIO I.

De quidditate, diversitate, & proprietati-  
bus Divinae Providentiae. Pag. 2.Sect. 1. Definitur ad mentem Augustini  
Dei Providentia. 3.Sect. 2. An Providentia sit potius essen-  
tialiter actus intellectus, an voluntatis:  
An æquè ex utroque constituatur? 3.Sect. 3. An Providentia dicat essentialiter  
actus versantes circa finem? 6.Sect. 4. Quàm sit universalis, quàm mul-  
tiplex Divina Providentia? 8.Sect. 5. An, & quatenus Divina Providen-  
tia semper assequatur finem suum? Vbi  
an, & quomodo sit frustrabilis? 10.Sect. 6. An, & quomodo Divina Provi-  
dentia sit, & dicatur inevitabilis, aut  
evitabilis à libero arbitrio creato. 12.Sect. 7. An, & quomodo Providentia Dei  
sit necessaria : & an ad Providentiam  
Naturalem necessaria sit aliqua super-  
naturalis? 14.

## DISPVATIO II.

De Providentia Dei quoad actus Praescien-  
tiae Divini Intellectus, quos includit. 19.Sect. 1. Scientiæ simplicis Intelligentiæ,  
Mediæ, & Visionis divisio, & explicatio  
prævia. 19.Sect. 2. An, quomodo, & ad quam Dei  
Providentiam requiratur, & sufficiat  
Scientia simplicis Intelligentiæ? 21.Sect. 3. An, & quomodo Scientia Visionis  
sit de constitutivo Divinae Providentiæ,  
& causa rerum? 26.Sect. 4. Excluditur Scientia Visionis eo-  
rundem mediorum à constitutivo Pro-  
videntiæ, & munere causæ rerum. 29.Sect. 5. Alia via defendendi Scientiam  
Visionis esse constitutivam Providen-  
tiæ, & causam rerum, præcluduntur;  
& modus, quo res antecedunt ad sui  
Scientiam Visionis, exponitur. 33.Sect. 6. Difficultas emergens circa mor-  
dum, quo res ipsæ contingentes sunt  
ratio à priori Divinae Scientiæ Visionis,  
potius quàm è contra. 36.Sect. 7. An de constitutivo Divinae Provi-  
dentiæ sit actus Imperij Intellectualis  
medius inter Electionem, & Vsum? 41.Sect. 8. Obiectiones pro Imperio Intel-  
lectuali Thomistico. 45.Sect. 9. An ad constitutivum essentielle  
Divinae Providentiæ moralis ingredia-  
tur Scientia Media? 47.Sect. 10. Principalis obiectio expenditur,  
& diluitur. 52.

## DISPVATIO III.

De Providentia Dei quoad actus præpara-  
tivos, quos includit Divinae voluntatis.  
57.Sect. 1. An intentio finis prærequisita ad  
Providentiam debeat esse semper effi-  
cax de fine consequendo? 57.

Bbbb

Sect.

## INDEX, ET ORDO

- Seçt. 2. An, & qualiter electio mediorum constituens Providentiam, distinguatur ab intentione finis: & ab actu usus activi eorundem mediorum. 61.
- Seçt. 3. An, & qualiter in Deo Providence distinguantur actus electionis, & actus usus activi: seu Decreta Ordinis intentionis, & executionis circa eadem media. 63.
- Seçt. 4. Obiectiones Sententiæ communis affirmantis. 67.
- Seçt. 5. An, & qualis Divinæ Omnipotentia applicatio per Divinam voluntatem ad executionem mediorum, sit constitutiva Divinæ Providentiæ? 71.
- Seçt. 6. Solutione gravis difficultatis oppositæ utilissima hæc veritas firmiter stabilitur. 74.
- Seçt. 7. Stabilitur ulterius eadem veritas, refutato decreto indifferenti, aut applicativo Omnipotentia, aut collativo auxiliij. 79.
- Seçt. 8. An electio mediorum constitutiva Providentiæ debeat esse efficax; possitque esse præfinitiva actuum liberorum? 83.

## DE PRÆFINITIONIBVS DIVINIS.

### DISPVATIO IV.

- De Præfinitionibus Prædeterminativis independentibus à præsidio Scientiæ Mediæ.* 85.
- Seçt. 1. Præfinitiones Prædeterminativæ confutantur ex capite læsæ libertatis humanæ. 86.
- Seçt. 2. Urgentius ex capite læsæ æquitatis divinæ. 92.
- Seçt. 3. Insufficiens pro hac sufficientia Prædeterminativarum Responsio. 94.
- Seçt. 4. Altera responsio, aut sibi, aut suis fundamentis apertè contradicens. 98.

### DISPVATIO V.

- De Præfinitionibus aliter prædeterminantibus, seu condeterminantibus, seu inde-*

- pendenter; sive dependentibus à Scientiæ Mediæ.* 102.
- Seçt. 1. Decreta Præfinitiva extrinsecè tantum prædeterminantia rejiciuntur ex iisdem ferè capitibus, ac intrinsecè prædeterminantia. 103.
- Seçt. 2. Extenduntur præcedentes impugnationes adversus decreta præfinitiva condeterminantia per specialem implicationem terminorum. 105.
- Seçt. 3. Nec præsidio esse potest ad salvandam cum prædictis præfinitionibus libertatem admissio Scientiæ Mediæ. 108.
- Seçt. 4. Aliorum decretum aliter condeterminans exponitur, ac repellitur. 110.
- Seçt. 5. Decima utilitas operosior: & iudicium nostrum circa prædictum decretum condeterminativum, seu præfinitivum. 113.

### DISPVATIO VI.

- De divinis alijs nostræ Scholæ Præfinitionibus cum utili præsidio Scientiæ Mediæ.* 117.
- Seçt. 1. Notantur quinque pro rei difficultate, & proponuntur Sententiæ è diametro oppositæ. 117.
- Seçt. 2. Præfertur sententia P. Suarez de possibilitate nostrarum Præfinitionum salvâ creatâ libertate. 120.
- Seçt. 3. Secundum argumentum pro eadem vera Sententia. 122.
- Seçt. 4. Obiectiones P. Vazquez, Herizij, & aliorum. 125.
- Seçt. 5. Duæ aliæ obiectiones graves. 128.
- Seçt. 6. Quinta obiectio: ubi de applicatione Omnipotentia per præfinitionem. 132.
- Seçt. 7. Postrema obiectio. Vbi de usu perutili Scientiæ Mediæ ad has Dei præfinitiones creatæ libertati attemperatas. 139.
- Seçt. 8. Vera, & solida responsio cum utilitate doctrinæ. 141.
- Seçt. 9. An de facto concedendæ sint in Deo supradictæ præfinitiones nostrorum actuum liberorum. 144.
- Seçt. 10. An divinæ præfinitiones non solum possibiles sint, ac de facto existentes,

## TRACTATVVM, DISPVTATIONVM, ET SECTIONVM.

- tes; sed in Deo etiam necessariæ pro actibus liberis bonis, quos exercet creata voluntas? 145.

### DISPVATIO VII.

- De aliquibus specialiter divinis præfinitionibus nostrorum actuum liberorum.* 148.
- Seçt. 1. An præfinitio actus nostri, præcindens à libertate, stare possit cum ipsius libertate? 148.
- Seçt. 2. Nostrum iudicium: & responsio ad rationes dubitandi. 149.
- Seçt. 3. Utile corollarium ex præcedenti doctrina. 152.
- Seçt. 4. An Deus præfinire possit, & de facto præfinierit actus nostros peccaminosos quoad materiale peccati? 153.
- Seçt. 5. Arguitur à ratione ex capite læsæ Sanctitatis divinæ. 156.
- Seçt. 6. Arguitur ex capite læsæ divinæ æquitatis. 159.
- Seçt. 7. Obiectiones dissolutæ. 160.
- Seçt. 8. Obiectiones à ratione. 164.
- Seçt. 9. An Deus præfinire possit actus nostros liberos bonos, moraliter tamè imperfectos? 168.
- Seçt. 10. An Deus possit præfinire actus nostros liberos bonos Pœnitentiæ, non præsuppositâ permissione suâ, & absolutâ prævisione peccati? 170.
- Seçt. 11. Urgentior probatio nostræ sententiæ affirmantis, & rationum oppositarum exarmatio. 171.
- Seçt. 12. Argumenta contraria. 171.
- Seçt. 13. Reliqua argumenta gravia. 178.

## DE PRÆDESTINATIONE SANCTORVM.

### DISPVATIO VIII.

- De Prædestinatione, præsertim ut est species Providentiæ.* 183.
- Seçt. 1. Nomen, existentia, definitio, & multiplex acceptio Prædestinationis. 184.
- Seçt. 2. An, & qua ratione Prædestinatio sit pars, & species Providentiæ? 185.
- Seçt. 3. An, & quomodo Prædestinatio sit

- necessaria? 186.
- Seçt. 4. Quis terminus: quodvè sit subiectum Prædestinationis, seu prædestinabile? 189.
- Seçt. 5. An sit possibilis homo imprædestinabilis à Deo? 190.
- Seçt. 6. Resolvitur difficultas per varios modos negandi hominem imprædestinabilem. 191.
- Seçt. 7. Alius modus negandi hominem imprædestinabilem. 194.
- Seçt. 8. Clausula difficultatis; & responsio ad novas obiectiones. 197.
- Seçt. 9. Alia Obiectio cum Responsione nostra. 201.

### DISPVATIO IX.

- De Prædestinatione Augustiniana quoad actus divinæ Præscientiæ, quos includit.* 203.
- Seçt. 1. An, & quomodo Prædestinatio evadat infallibilis, & certissima? 204.
- Seçt. 2. Infallibilitas, & certitudo divinæ Prædestinationis ex Scientiæ Mediæ. 206.
- Seçt. 3. Obiectionum dissolutione nostra veritas constabitur. 208.
- Seçt. 4. An Scientiæ Mediæ constituens Prædestinationem præcedat, & dirigat decretum conferendi auxilia Prædestinatis? 212.
- Seçt. 5. Noster sensus, quatuor conclusionibus distinctim explicatus, circa directionem Scientiæ Mediæ. 214.
- Seçt. 6. Obiectionum utili solutione nostræ conclusiones elucidantur. 216.
- Seçt. 7. Fortiores Adversariosum conatus contra præcedentes doctrinas. 219.

### DISPVATIO X.

- De Prædestinatione Augustiniana quoad actus divinæ voluntatis, quos includit.* 223.
- Seçt. 1. An decretum divinum conferendi auxilium efficax decernat auxiliū quia efficax, & ex motivo efficacitæ? 223.
- Seçt. 2. Obiectiones expediuntur. 225.
- Seçt. 3. An, & quomodo decretum de collatione auxiliij, quia efficacis, sit

INDEX, ET ORDO

magis beneficium, & augeat in auxilio rationem beneficij? 227.  
Sect. 4. An decretum efficax de auxilio sit exequutivum: an præfinitivum consensus: an omninò simplex? 229.

DISPUTATIO XI.

*De Prædestinatione, ut est electio formalis ad Gloriam.* 230.  
Sect. 1. Eliminato Hæreticorum errore, exponitur difficultas, & proponuntur Orthodoxorum Sententiæ. 230.  
Sect. 2. Arguitur ab impossibili pro Patre Vazquez contra electionem ante prævisa merita. 232.  
Sect. 3. Sextum argumentum specialius contra Præelectionem ad Gloriam, ut Coronam, non præsuppositâ prævisione meritorum. 235.  
Sect. 4. Arguitur ab incongruenti pro de facto contra supradictam Præelectionem. 237.  
Sect. 5. Arguitur in eundem scopum pro Patre Vazquez ab Autoritate. 239.  
Sect. 6. Præferur Sententia Patris Suarez de electione prædestinativa ante prævisa merita, varijs conclusionibus explicata. 243.  
Sect. 7. Quarta cõclusio pro de facto. 249.  
Sect. 8. An prædicta Dei electio prædestinativa sit decretum absolutum simul indivisibiliter intentivum, & exequutivum? 247.  
Sect. 9. An dicta Dei præelectio ad Gloriam, ut Coronam, sit simul præfinitio meritorum; totumque Prædestinationis negotium peragatur unico Dei decreto, nec virtualiter divisibili? 248.  
Sect. 10. Ad quam divinam virtutem pertineat dictum Dei decretum præelectivè prædestinativum? 251.

DISPUTATIO XII.

*De Causis meritorijs Prædestinationis.* 252  
Sect. 1. Errores Hæreticorum, & opiniones Catholicorum. Unde materia præsentis Disputationis elucidatur. 252.  
Sect. 2. An Prædestinatus per opera natu-

ralia bona det causam meritoriam suæ Prædestinationis? 254.  
Sect. 3. An Prædestinatus det causam suæ Prædestinationis per opera supernaturalia subsequentiâ, quæ sint bonus usus gratiæ præcedentis? 258.  
Sect. 4. An Christus Dominus fuerit causa meritoria nostræ Prædestinationis; etiam, ut electio est. 259.  
Sect. 5. Quo pacto, & ordine fuerit pro voluntate sua Christus causa meritoria divinæ voluntatis prædestinativæ. 260.  
Sect. 6. An per orationem: an per gratiarum actionem, & in quo genere meriti. 261.  
Sect. 7. An homo purus valeat esse causa meritoria Prædestinationis alterius. Et quid in facto de B. Virgine. 268.

DISPUTATIO XIII.

*De effectibus Prædestinationis.* 262.  
Sect. 1. An Gloria, & Gratia iustificans sint effectus Prædestinationis? 264.  
Sect. 2. An Gratia etiam per peccatum interrupta? 265.  
Sect. 3. An auxilia, & opera bona supernaturalia? 266.  
Sect. 4. An dona naturalia, & substantia etiam, sive existentiâ Prædestinati? 267.  
Sect. 5. An permissio peccati: permissio etiam in pœnam alterius? 270.

DE REPROBATIONE IMPIORVM.

DISPUTATIO XIV.

*De natura Divinæ Providentiæ Reprobativæ.* 274.  
Sect. 1. Quid sit, Reprobatio negativa: quid positiva? 274.  
Sect. 2. An Reprobatio positiva, seu destinatio ad pœnam fuerit, aut potuerit esse in Deo antecedenter ad prævisionem absolutam demeritorum? 275.  
Sect. 3. Obiectiones. 277.  
Sect. 4. An divinum decretum Reprobationis positivæ sit ab æterno intrinsecè effi-

TRACTATVVM, DISPUTATIONVM, ET SECTIONVM.

efficax, & absolutum? 280.

DISPUTATIO XV.

*De Causis, & effectibus Reprobationis.* 282.  
Sect. 1. Quænam sint causæ Reprobationis tam positivæ, quàm negativæ. 282.  
Sect. 2. An, & qualis verè sit in Deo seriatim voluntas salvandi Reprobos: non solum signi, sed etiam beneplaciti? 283.  
Sect. 3. An prædicta Dei voluntas sit Reprobis benevola, & benefica? 285.  
Sect. 4. An ex prædictâ seriâ voluntate provideat Deus omnibus, & etiam Reprobis, media sufficientia ad salutem? Remissive. 286.  
Sect. 5. Quænam sint, rectèque dicantur effectus Reprobationis positivæ, aut negativæ. 289.

DISPUTATIO XVI.

*Promiscua de Prædestinatione, & Reprobatione.* 290.  
Sect. 1. Nec Prædestinationis, nec Reprobationis effectus est iactura libertatis humane, ut exerrant Heterodoxi. 291.  
Sect. 2. An, & quomodo sit in manu Prædestinati damnari, & in manu Reprobis salvari, ac prædestinari: & per quem stet, Reprobis non esse Prædestinatum? 292.  
Sect. 3. Comparatur Prædestinatio cum libro vitæ: & quid de libro mortis ad Reprobationem. 295.  
Sect. 4. De numero Prædestinatorum, & Reprobis. 299.

DE FIDE THEOLOGICA.

DISPUTATIO I.

*De existentia, & natura Fidei Theologicæ.* 229.  
Sect. 1. Suppositâ ex Fide existentia Fidei Theologicæ, definitur quid essentialiter sit. 300.  
Sect. 2. An, & quâ essentialitate Fides

Theologica sit, & dicatur obscura? 301.  
Sect. 3. An Fides essentialiter debeat esse obscura ex parte etiam obiecti purè materialis? Vbi de incompatibilitate Fidei cum Scientia, & opinione. 304.  
Sect. 4. An Fides Theologica sit virtus mentis: an ita essentialiter vera, ut nullatenus possit ei subesse falsum? 310.  
Sect. 5. Quousque Theologica Fides certa sit: & an certior omni evidentiâ naturali? 316.

DISPUTATIO II.

*De alijs prædicatis, & perfectionibus Fidei divinæ.* 322.  
Sect. 1. Qua ratione assensus divinæ Fidei dicatur excludere formidinem ab intellectu credentis. 322.  
Sect. 2. An Fides taliter in credendo sit inevidens, ut nequeat esse discursiva? 328.  
Sect. 3. Ultima obiectio. Vbi de discrimine Fidei à Theologia. 333.  
Sect. 4. An, & qua ratione differat Fides Theologica à Fide miraculorum, à Fide gratis datâ, à Fide fructus Spiritus Sancti: & à Prophetiâ? 336.  
Sect. 5. An, & quomodo Theologica Fides sit supernaturalis: & quam perfecta? 340.  
Sect. 6. An, & qua ratione Fidei assensus sit nobis liber, ac meritorius? 344.  
Sect. 7. Qua ratione Fides dicatur, & sit initium salutis, & fundamentum iustificationis? 346.

DISPUTATIO III.

*De Obiecto materiali Fidei Theologicæ.* 347.  
Sect. 1. An non solum revelata; sed etiam revelanda, & revelabilia sint obiectum materiale Fidei assentientis? Et quid de dissentiente? 348.  
Sect. 2. An obiecta materialia Fidei sint æquè credibilia, seu credenda? Et de eius obiecto primario, & attributionis? 350.  
Sect. 3. An inter obiecta materialia Fidei sit

INDEX, ET ORDO

fit aliquod determinatè primò cre-  
dendum? 351.  
Sect. 4. An Myſteria, ſeu obiecta materia-  
lia Fidei benè diſponantur in Symbo-  
lo? 353.  
Sect. 5. An materia, ſeu obiecta materia-  
lia Fidei aucta fuerint ſucceſſu tempo-  
rum per definitiones Eccleſiæ? 354.  
Sect. 6. An revelato definito ſit eo ipſo  
revelata, fiatque obiectum materiale  
Fidei eius definitio? 359.  
Sect. 7. An veritas conſuſionis theologi-  
cæ ſit eo ipſo veritas revelata, & Obie-  
ctum materiale Fidei? 362.  
Sect. 8. Quid de accidentibus phyſicis  
Obiecti revelati: & de proprietatibus  
phyſicis omnino inſeparabilibus? 366.  
Sect. 9. An, & quomodo, revelato univer-  
ſali, ſit eo ipſo revelatum, fiatque  
Obiectum materiale Fidei particulare  
ſub illo contentum? 368.  
Sect. 10. Conſectarium celebre: Innocen-  
tium XII. eſſe nunc verum Papam, eſſe  
Obiectum inter obiecta materialia Fi-  
dei Theologicæ credendum. 374.  
Sect. 11. Alia utilia conſectaria de ſingu-  
laribus in alijs materijs. 379.  
Sect. 12. An ſint Obiectum materiale Fi-  
dei Theologicæ veritates revelatæ ſolâ  
revelatione publicâ: an etiam quæ ſolâ  
revelatione privatâ? 380.

DISPUTATIO IV.

*De Motivo, ſeu obiecto formali Fidei  
Theologicæ.* 384.  
Sect. 1. Neglecto Manicheiſmo, varia  
Theologorum placita circa obiectum  
formale Fidei recensentur. 384.  
Sect. 2. Statuitur prima Dei veritas, ſeu  
infallibilis, ſummaque authoritas pro  
motivo & obiecto formali Fidei Theo-  
logicæ. 386.  
Sect. 3. An præter increatam Dei autho-  
ritatem, aliquid etiam creatum, nem-  
pè revelatio ad extra, ingrediatur ra-  
tionem obiecti formalis Fidei? 388.  
Sect. 4. Qualis prima Dei veritas; an in  
eſſendo; an in cognoscendo; an in di-  
cendo ſit cum revelatione motivum,

& obiectum formale Fidei? 393.  
Sect. 5. Tota noſtra conſuſio ab obiectio-  
nibus defenditur. 398.  
Sect. 6. Qua ratione reducantur utiliter  
ad veram doctrinam noſtræ conſuſio-  
nis authoritas Dei aſſertoria, propoſi-  
toria, promiſſoria, & comminatoria, &  
iuratoria: Maieſtas Dei: authoritas  
quoque Chriſti, & Eccleſiæ. 401.  
Sect. 7. An ipſa veritas intrinſeca myſte-  
riorum poſſit etiam eſſe motivum, &  
obiectum formale Fidei Theologicæ,  
& ſalutaris? 404.  
Sect. 8. Noſtrum iudicium pro concilia-  
tione utriuſque Sententiæ, & ſecurita-  
te communis fidelium praxis. 406.  
Sect. 9. Expediſio totius difficultatis, &  
confirmatio doctrinæ ex ſolutione ur-  
gentis obiectio-  
nis. 410.

DISPUTATIO V.

*De divina authoritate, & revelatione;  
eiuſque immunitate ab imperfectioni-  
bus.* 413.  
Sect. 1. Quid ſit, & in quo conſiſtat ſum-  
ma Dei aſſertantis authoritas: Remiſ-  
ſivè. 414.  
Sect. 2. An Deus propriè loquatur ad ex-  
tra: quid ſit, & in quo ſtet ea loquutio:  
& an eſſe poſſit à Deo, ut Authore na-  
turæ? 414.  
Sect. 3. Quouſque divinæ authoritati re-  
pugnet mēdaciū, & falſiloquiū? 418.  
Sect. 4. An authoritati divinæ repugnet  
loqui verbis amphibologicis? 421.  
Sect. 5. An authoritati divinæ repugnet  
per ſe infundere nobis errorem, ſive  
actum falſum, etiam citra loquutio-  
nem? 426.  
Sect. 6. Obiectioes. 429.  
Sect. 7. An authoritati divinæ repugnet  
per ſe cauſare vera miracula aſſumpta  
à creatura in confirmationem doctri-  
næ falſæ? 432.  
Sect. 8. Fundamenta contraria convellun-  
tur. 436.  
Sect. 9. An authoritati divinæ repugnet  
doctrinam falſam, & non ſuam propo-  
ni ſub iſdem motivis, & ſignis, quibus do-

TRACTATVVM, DISPUTATIONVM, ET SECTIONVM.

doctrina ſua ſit proximè credibilis, &  
ſub obligatione credenda? 439.  
Sect. 10. Noſtra, & communis in hoc pun-  
cto ſententia. 443.  
Sect. 11. Quintum argumentum ex certi-  
tudine Fidei. 444.  
Sect. 12. Sextum argumentum à pruden-  
tiâ credendi. 445.  
Sect. 13. Septimum argumentum ex obli-  
gatione credendi. 448.

DISPUTATIO VI.

*De iudicio, & ſignis, ſeu argumentis cre-  
dibilitatis Catholicæ Fidei.* 451  
Sect. 1. An Myſteria Catholicæ Fidei ſint,  
& iudicari debeant evidenter credibi-  
lia. 451.  
Sect. 2. Quinta obiectio. Vbi: quanam fi-  
de credibilia ſint evidenter myſteria  
Fidei: & an evidentiſ, credibilia, quàm  
vera? 454.  
Sect. 3. An evidens iſtud iudicium credi-  
bilitatis prærequiratur ad omnes, & ſin-  
gulos aſſenſus Fidei Theologicæ? 459.  
Sect. 4. Expenditur, & conciliatur in id  
recens decretum Innocentij XI. contra  
duas propoſitiones in eo dānatas. 464.  
Sect. 5. Recolleſtio ſignorum credibilita-  
tis Catholicæ Fidei: ſeu motivorum,  
quibus nititur ſupradictum iudicium  
evidens credibilitatis. 466.  
Sect. 6. An evidens iudicium credibilitatis  
ſit ſupernaturale: & à quo princi-  
pio? 470.

DISPUTATIO VII.

*De Pia Affectioe Fidei.* 471.  
Sect. 1. An, & quatenus Pia voluntatis  
Affectio prærequiratur ad aſſenſum  
Fidei? 472.  
Sect. 2. An Pia Affectio debeat eſſe enti-  
tativè ſupernaturalis: & à quo princi-  
pio efficiatur? 473.  
Sect. 3. A quo principio efficiatur Pia Fi-  
dei Affectio: & per quid deſtruatur  
habitus infuſus ipſius? 474.  
Sect. 4. An Pia Fidei Affectio poſſit ex-  
trinſecè vitari ab imperio vicioſo; vel

à Dei prohibitione? 475.

DISPUTATIO VIII.

*De Reſolutione Fidei.* 475.  
Sect. 1. Difficultatis pondus, & ſtatus cum  
ratione dubitandi. 475.  
Sect. 2. Aliquorū tentatæ ſolutiones. 477.  
Sect. 3. Solutio difficultatis, & reſolutio  
Fidei triplici conſuſione diſtinctim ex-  
poſita. 479.  
Sect. 4. Fit ſatis rationi dubitandi, & alijs  
obiectio-  
nibus. 483.

DISPUTATIO IX.

*De Regulis Fidei.* 487.  
Sect. 1. Scriptura Sacra. 488.  
Sect. 2. Traditio Eccleſiaſtica. 489.  
Sect. 3. Eccleſia Univerſalis. 491.  
Sect. 4. Concilium Generale. 492.  
Sect. 5. Pontifex Summus. 494.  
Sect. 6. Pontifex Summus viva Fidei regu-  
la in ſuis definitionibus infallibilis, ſeor-  
ſim etiam à Concilio, & non ſpectato  
conſenſu Eccleſiæ. 496.  
Sect. 7. Probationes. 499.  
Sect. 8. Eviſiones. 504.  
Sect. 9. Difficultates. 506.

DISPUTATIO X.

*De Habitu Fidei.* 508.  
Sect. 1. Qua ratione habitus infuſus virtu-  
tis Theologicæ Fidei ſit ſupernatura-  
lis: & quid de adquiſito? quantaque  
eius perfectio? 509.  
Sect. 2. An præter habitum Fidei ſuper-  
naturalem, ſpecies quoque impreſſæ  
ſubſervientes actibus Fidei debeant  
eſſe ſupernaturales? 509.  
Sect. 3. Quanam ſint cauſæ effectivè ha-  
bitus Fidei? Quinam effectus? Et an ip-  
ſe influere poſſit in actum præceptum  
pro instanti determinato? Remiſ-  
ſivè. 512.  
Sect. 4. Quando infundatur, augeatur, &  
amittatur habitus per ſe infuſus Fi-  
dei? 512.  
Sect. 5. An habitus infuſus Fidei amittatur  
per

## INDEX, ET ORDO

per actum infidelitatis ex natura physica rerum; an solum demeritorie ex oppositione morali? 513.  
 Sect. 6. Quænam sint subiecta Quo, & Quod habitus Fidei? 515.

### DISPUTATIO XI.

*De necessitate Fidei.* 518.  
 Sect. 1. An Fides stricta sit, fueritque semper necessaria necessitate medij ad iustificationem adulti peccatoris? 519.  
 Sect. 2. Quarum veritatum Fides explicita sit de necessitate medij: an Dei, & Remuneratoris. 521.  
 Sect. 3. An præterea sit de necessitate medij ad iustificationem adulti Fides de Trinitate, & de Christo Reparatore. 522.  
 Sect. 4. Ad quæ accessum ad Deum sit prædicta Fides de necessitate medij? 525.  
 Sect. 5. Qualis, & quarum rerum Fides sit ad salutem necessaria necessitate præcepti? 526.  
 Sect. 6. Quanta sit obligatio externæ professionis Fidei ex præcepto? 528.  
 Sect. 7. An Externa Fidei professio sit actus virtutis Fidei. 529.

### DISPUTATIO XII.

*De Infidelitate.* 530.  
 Sect. 1. Infidelitas alia purè negativa, alia positiva. 530:

Sect. 2. Quantum peccatum sit infidelitas positiva: & quam oppositum habitui, & actibus Fidei? 531.  
 Sect. 3. Species infidelitatis, Paganismus, Iudaismus, & Hæresis. 532.  
 Sect. 4. Quousque ad Hæresim requiratur pertinacia? 533.  
 Sect. 5. Pœnæ Iuris adversus Hæreticos. 534.  
 Sect. 6. Notæ theologice infra hæresim, quibus qualificari solent variæ doctrinæ in Tribunali Fidei. 535.

## DISPUTATIO THEOLOGICA.

*De Sacramento Baptismi.* 539.  
 Sect. 1. De Institutione Baptismi. 539.  
 Sect. 2. De necessitate Baptismi. 541.  
 Sect. 3. De subiecto Baptismi. 542.  
 Sect. 4. De dispositionibus Baptismi. 544.  
 Sect. 5. De Materia remota Baptismi. 545.  
 Sect. 6. De Materia proximi Baptismi. 546.  
 Sect. 7. De Forma Baptismi. 548.  
 Sect. 8. De Ministro Baptismi. 550.  
 Sect. 9. De administratione Baptismi. 552.  
 Sect. 10. De Cœremonijs Baptismi. 554.  
 Sect. 11. De Effectibus Baptismi. 555.  
 Sect. 12. De Reviviscentiâ Baptismi. 556.  
 Sect. 13. De irreiteratione Baptismi. 557.  
 Sect. 14. De duabus alijs quasi speciebus Baptismi: & præsertim de Martyrio. 559.

# FINIS.

